Responsionis ad Decem illas Rationes, quibus fretus *Edmundus Campianus* certamen Ecclesiæ Anglicanæ ministris obtulit in causa fidei, Defensio contra Confutationem *Ioannis Duræi* Scoti, Presbyteri, Iesuitæ:

Authore *Guilielmo Whitakero* Theologiæ in Academia Cantabrigiensi professore Regio.

In hoc libro controversiæ pleræque omnes, quæ inter nostras & pontificias Ecclesias intercedunt, breviter ac dilucide pertractantur.



Deliverance Larkham

LONDINI
Excudebat Henricus Midletonus impensis Thomæ Chardi.
Anno 1583.

Librorum Capita.



Honoratissimo, atque excellentissimo viro,

Guilielmo Cecilio Baroni Burghleiensi, nobilis equestris ordinis Gartherij Sodali, summo Angliæ Thesaurario, & Cantabrigiensis Academiæ Cancellario.



Vod initio futurum suspicabar, Honoratissime vir, cùm primùm aliquid contra Campianum scripsi, vt Iesuitarum societatem grauiùs irritarem, & memet in medios maxi-

 morum

morum certaminum fluctus conijcerem, id euentus ipſe iamdudum luculentè quidem cõprobauit. Cùm enim mox varijs multorum aduerſariorum reprehenſionibus conuicijſque paſſim exagitor, tum libro tandem pleno totiſque viribus oppugnor. Prodijt enim ſuperiore anno Duræus quidam Scotus, presbyter ac Ieſuita, homo & ſuo iudicio doctiſſimus, & aliorum opinione non ineptus, à quo mea ad Campiani rationes breuis reſponſio volumine pluſquam modico confutatur. Eum librum tu primùm nactus allatum Pariſijs è collegio Ieſuitarum, ad me mittis, qui quanquam nihil habuit, quod expectationi meæ ſatiſfecerit, aut non contemni potiùs meritò debuerit, cùm tamen ſcirem legi à multis laudarique Duræum,

&c meam à nostris hominibus, præsertim Academicis defensionem desiderari, non inuitus istum laborem subij, vt cum Duræo confligerem, & nostram contra pontificias calumnias religionem iterum defenderē. Etsi enim qui sectam illam sequuntur incredibiliter importuni sunt ac pertinaces, nec sibi aliquid probari sinunt, quod cum Ecclesiæ Romanæ superstitione pugnet, sperabam tamen fieri posse, vt eorum aliqui ad librorum nostrorum lectionem libera mente veroque studio accederent, atque illas præiudicatas opiniones, quibus imbuti ac præoccupati fuerant, ad tempus deponerent. Quod si facere vellent, equidem mihi persuadebam cùm salute cuique sua nihil antiquius esse debeat, in eam illos curam cogi-

tationemque venturos aliquando, vt causam hanc omnem tam necessariam penitus intelligerent. Quid enim aut turpius est, quàm incertis dubijsque rebus assentiri: aut periculosius, quàm in doctrina cælesti ac salutari perniciosè errare, & tamen velle perpetuò in errore persistere? Pereant omnino necesse est, qui primùm operã dant, vt possint errare: deinde sic retinent errores, quos semel amplexi sunt, vt se rectiùs sentire, atque ad sanctam fidem reduci nunquam patiantur. Hi quidem in sua desperatione relinquendi sunt, quos Dominus in efficacem fraudem coniecit, vt mendacio crederent & perirent. Reliquos hortor, qui maiore veritatis, salutisque suæ studio tenentur, vt nostra etiam legant, nec ita penitus ad

illas opiniones adhærescant, quas à pontificijs Magistris didicerunt, vt omnes sibi vias præcludant ad sanã mentem redeundi. Verùm isti omnes id faciant, quod illos facere Dominus voluit, in quibus aut seruandis atque ad veritatis cognitionem euocandis, aut contrà perdendis gloriam ipse suam declarabit. Mihi inprimis propositum fuit nostris hominibus consulere ac prodesse, quos & præstigias põtificias melius cognoscere, & in ea, quam ex sacris literis edocti sunt, religione firmiores, peritioresque fieri cupiebam: maximè cùm id nunc pontifex cum suis operis multò quàm vnquam vehementiùs moliatur, vt incautos capiat, & quàm plurimos in suam nassam pelliciat. Erit autem in hoc libro cuiuis manifestum, qui potest aliquid


rectè judicare, pontificiam omnem
superstitionem indignam esse homi-
ne Christiano, & niti puerilibus ar-
gumentis: nostram verò, quam ex
diuinis scripturis totam hausimus,
sanctam religionem niti certissima Dei
ipsius authoritate, & optimis ratio-
nibus comprobari. Iam quod multi
mirantur, tam frequentes apud nos
restare reliquias Papistarum, in hac
tanta tamq; diuturna luce Euãgelij,
quam nobis Dominus cõcessit, eius
rei causam facilè vident, qui statum
ecclesiæ nostræ perspectum habent.
Cùm enim plurimis passim ecclesijs
verbi ministerium desit, sine quo re-
ligio nunquam florebit, fieri aliter
nõ potest, quin superstitio vigeat, &
pontificijs multi faueant, quibus id
maximè conducit euerti ministeriũ,
verbũ nusquam audiri, ignorantiam
vbique


vbique dominari. Sic enim populo quiduis facilè vel persuadetur vel imperatur. At verbum Dei, si nactum fuerit legitimũ & stabile ministeriũ, cladem infert superstitioni, & regnum illud tenebrarum dissipat, quẽadmodum illustris multarum ecclesiarum experientia testatur. Id cùm tu satis pro tua sapientia videas, Nobilissimè Cecili, non persequar: hoc vnum dicam, contra pontificios parùm aut libris aut legibus profici, quousque firmum atque idoneum ministerium in ecclesijs constitutum fuerit. Redeo ad Duræum, quem ad te nunc nõ liberum & solutum, qualis ad meas manus peruenit, sed vinctum & perpetuo custode, ne nocere possit, comitatum remitto. Sed quid ecclesiæ labores mei prodesse possunt, illud est quod cupio: tibi pro

 meritis

meritis in me tuis nullam referre gratiam possum ampliorem, quàm vt ecclesiæ in eo loco, in quo positus sum, pro viribus meis diligenter inseruiam. Vale. Cantabrigiæ, pridie Calend. Septembr.

Amplitudinis tuæ studiosissimus,
Guilielmus Whitakerus.





GVILIELMVS VVHITAKERVS IOANNI DVRÆO.



VM Responsionem ad Campiani rationes meam exiguo libello, prout causa postulabat, editam tibi refutandam sumeres Durae, eo te consilio atque animo ad scribendum venisse video, vt non modò quæ ego Campiano responderam diluere videreris, sed multò magis quicquid tua facultas in causa pontificiæ defensione præstare potuit, totum expromeres. Itaque locos communes persequeris, orationem dilatas, crebras longásque digressiones instituis, authorum verbis & testimonijs totas paginas refercis, perpetua atque inusitata conuicia in omni loco quasi quædam condimenta & lenocinia dictionis tuæ consectaris. Hinc illud tandem extitit luculentum Confutationis *volumen tuum, in quo etsi procul dubio tibi ipsi mirificè placuisti, quàm parùm tamen illam*

lam causam adinueris, quam tuo patrocinio defensam esse cupiebas, efficiam, vt spero, cuiuis in hoc libro facilè manifestum. Tu verò rectiùs multò fecisses, si disputationem omnem concisiùs angustiúsque conclusisses, & punctis breuibus argumentorum disertè atque accuratè egisses, præsertim cùm tam multis iamdudum vtrinque conscriptis voluminibus res ad certum controuersiæ statum peruenerit, in quo discutiendo ac penitus pertractando veritas & victoria consistit. Quod cùm ita sit, quis non meritò miretur & otium tuum, & immodicam Confutationis tuæ magnitudinem, cui si detracta essent quæcunque sine ipsius detrimento decîdi desiderariq; possunt, nihilq; omnino ad argumentum & causam faciunt, ea vix quicquam in lucem exilius ac tenuius prodijsse constaret. Scripturæ quidem, quas in omni Theologica disceptatione frequentissimas esse oportebat, ita in tuo libro raræ conspiciuntur, vt omnes planè intelligant nullum esse genus argumentorum, quo minùs vtaris ac delecteris, quàm sacrarum literarum authoritatem. Cùm enim nullus libri tui tam magni locus multiplice testimoniorum varietate vacat, tum scripturæ sic omnino raris locis apparent, vt quando sparsas remotissimis spacijs in obscura nocte stellas aspicimus, aut vuas in vite post vindemiam quærimus.

mus. Ego ad meum officium pertinere sensi, non verbis tecum decertare, aut quæ passim extra causam à te proiecta sunt refellere, cùm refutationem nullam mereantur, sed in ipsa argumentorum contentione diligenter ac penitus versari. Quare quicquid in tuo libro aliquam rationis probabilitatem speciemq́; habuit, id suo loco tuis verbis descripsi ac proposui, reliquam verborum pompam, in qua nihil momenti fuit, prætermisi. Nec verò metuo, ne tu me parùm egisse tecum ingenuè crimineris. Senties enim rem fuisse tibi cum aduersario, qui potuit argumenta à verbis secernere, nec vllum cuiusquam argumenti tui aculeum refugere voluit. Quando autem facile existimo te tam nobilem opinione tua Theologum patronumq́; pontificium, deinceps mecum de istis causis congressurum, & noua prælia facturum, propono tibi illam scribendi optionem, quam esse æquissimam, atque ad quæstiones explicandas accommodatissimam omnes fatebuntur. Primùm quis sit in omni loco controuersiæ status quæratur, tum argumenta in alterutram partem dialecticè & breuiter exposita proferantur, ex quo argumentorum conflictu tandem elici atq; elucescere veritatem necesse est. Si istam conditionem recusabis, diffidentiam profectò tuam egregiè testatam facies. Pluribus hîc tecum non agam, neque aliquid

quid ad tuam præfationem Academicis noſtris inſcriptam reſpondebo. Si te effecturum aliquid ſperas, neruosè diſputes, inertes declamationes, fictas ſuſpiciones, putidas calumnias poſthac mittas oportet.

Οὔτε ἐκ θύμβρας λόγχη, οὔτ' ἐκ τοιούτων λόγων ἀνὴρ ἀγαθὸς γίνεται.

Vale.





PRIMVS LIBER, DE SACRIS LITERIS.

DVRAEVS, Folio 4.



V M variæ ſunt hæreticorum fraudes, tum illam mihi (Whitakere) tota quidem reſponſione, ſed maximè initio exprimere videris. Etenim cùm ſummam veſtrorum hominum diffidentiam Edmundus Campianus luce clarius oſtenderit, adeo nullam agnoſcis, vt ne in leuiſſimi metus ſuſpicionem eos aliquando incidiſſe admittas. Quod rectène, an ſecus feceris, non eſt difficile iudicare. Quæ enim maior diffidentia eſſe poteſt, quàm diuinis ipſis codicibus vim & manus inferre?

WHITAKERVS.

1 

V M hæreticorum varias ſemper extitiſſe fraudes intelligo, Duræe, tum me nec hæreticũ eſſe, nec illarum artium, quibus hæretici vtuntur, peritum profiteor.

Quo maiorem à te mihi factam esse iniuriam conqueri meritò possum, quòd cùm apertè Campiano responderim, & nullam vnquam fallendi voluntatem ostenderim, vbique tamen fraudis, mendacij, calumniæ in tuo libro accusor. Id quàm piè vereq; feceris, erit deinceps in reliquo sermone, fauente Christo, manifestum. Enimuerò si fraudes odisti & simplicem argumentorum explicationem desideras, siq; veras rationes è suis principijs, locisque sumptas, ab omni fallacia & fuco alienas ingenuè consectaris, spero ex hac nostra concertatione id te commodi percepturum, vt infinitas tuorum fraudes sentias, & te hactenus in perniciosis miserisque erroribus versatum esse fatearis. Ego certè vt semper vinci potiùs malui, quàm fraude vincere videri, ita nunc tecum bona fide agam, & nullam plagam declinabo, quam mihi causa inflixerit, & id mihi solummodo proponam, vt Christus vincat, hæreticus cadat: téque vicissim oro, vt mentem liberam, ab omni præiudicio ac Sophistica semotam ad legendum afferas, nec quid defendendum susceperis, sed quid defendi possit & debeat, expendas. Ita mecum redibis in gratiam, & fugies illorum fraudes, qui te nimium diu cum tuo damno deceperunt. Quare bonis auspicijs ad rem, librumq; tuum veniamus, & quam nobis Campianus diffidentiam ac desperationem obiecit, eam tu clarissimè demonstratam fuisse dicis, ac mihi qui talem nullam agnoui, succenses. Mitte istam, Duræe, Cāpiani tui fictam de nostra diffidentia querelā. Qui timidi

sunt,

ſunt, poſſunt alijs ignauiam exprobrare, nec vlla cauſa eſt, quamobrem vos tantopere metuamus, quos certũ eſt, nunquã in prælio poſſe conſiſtere, niſi ſcripturæ cogantur in ordinẽ, & Chriſtus è prælio victus excedat. Nos ſi cauſæ diffidimus, amentes ſumus, quam non minus certam ac veram eſſe ſcimus, quàm lucere ſolem, & Chriſtum eſſe veræ religionis ac doctrinæ magiſtrum. Si enim fallimur, nos Chriſtus, Prophetæ, Apoſtoli fefellerunt, quorum inſtituta doctrinamq; defendimus: & ſi noſtra falſa ſunt, quæ tandem poſſunt iſtis eſſe veriora? Tantũ ergo abeſt, vt aliquid deſperemus, vt contrà palàm religionẽ noſtram profiteri cum ſumma παῤῥησίᾳ nunquam dubitemus: & ſemper hactenus parati fuimus πρὸς ἀπολογίαν, quotieſcunque occaſio poſtularet, vt rationem eius ſpei, quæ in nobis eſt, redderemus, erimuſq; in poſterum (ſperò) tantò acriores veráque fiducia pleniores, quantò vehementiùs à vobis oppugnamur. Noli ergo nimium tibi, Duræe, tuiſue commilitonibus confidere, aut de tuorum aduerſariorum diffidentia polliceri. Affer quam potes vim, quæ arma, quos ſocios, quem apparatum: ſenties nec animos nobis, nec vires deeſſe, nec tibi ante victoriam triumphandi cauſam fuiſſe. De vi autem quam diuinis codicibus illatam à nobis eſſe dicis, poſtea reſpondebo, quando ad diſcutiendam librorum Apocryphorum authoritatem accedimus, quos à diuinis ſcripturarum libris ſecernere tantum abeſt a vi atque iniuria, vt qui hos ad illos tanquam pares adiungit, quod vos facere ſoletis, vim

1.Pet.3.15.

scripturis veram afferre meritò videatur.

DVRAEVS, Fol. 4. & 5.

Et tamen hic tu nobis miram tuorum fiduciam prædicas. Thrasonicè sanè. Sed illud velim mihi respondeas. fortisne tibi an timidus potiùs miles videtur, qui non alia lege manus cum hoste conserere audet, quàm vt illi liceat, hosti quibus voluerit armis interdicere, sibi quæ libuerit sumere? Hic vester pugnandi mos est, vt nullis neque Ecclesiæ Catholicæ, neque Conciliorum, neque sanctorum Patrum armis feriri vos sinatis. Sola igitur nobis (fortissimi milites) scripturarum arma relinquitis, atque vtinam hæc integra: veteres nimirum hæreticos imitati, de quibus Tertullianus de præscrip. aduersus hæreticos: Ista hæresis quasdam scripturas non recipit, &c. *Et quam vnquam disputationem cum Catholicis instituistis, cuius vos non maximè postea pœnituerit? Exemplis non immorabor. Vnus omnium instar Campianus ipse erit, cum quo inita disputatio rariores conciones vestras, cœnasq; effecit: & quàm infeliciter hæc vobis prælia cesserint hactenus, vel summi ducis vestri exemplo disce, qui se ab Ecklo Catholico sacerdote victum sentiens, in hæc verba prorupit,* Nec propter Deum hęc res cæpta est, nec propter Deum finietur.

WHITAKERVS.

2 Dum veram nostrorum hominum fiduciam constantiámq; prædico, nihil facio, quod dignum sit huius contumeliæ acerbitate. Sed mitto probra, quæ tibi doleo tam fuisse trita, atq; ad id quod quæris, respondeo: quando erit instituta de religione quæstio, vt vtra pars duarum aut plurium verum defendat, intelligatur, id nisi ex Canonicis scripturis cognosci ac dijudicari nullo modo posse. Qui ergo volunt in hac causa vincere, istis duntaxat armis vti debent,

quæ

quæ sola sunt in hoc genere pugnæ legitima. Non enim quemadmodum in bello fas est quoduis telum arripere, quo hostem ferias, ita in hac religiosa militia licet quicquid ad manum venerit in aduersarium torquere: sed aut promenda arma sunt ex scripturarum & spiritus sancti armamentario, aut hostis nullus vnquam prosternetur. Nam hominum iudicia incerta sunt, nec plagam dare mortiferam possunt: si vis hæreticum interficere, eum debes scripturis armatus aggredi, aut frustra Ecclesiam, Concilia, Patres obijcies, quæ sine scripturis nihil omnino in hac pugna valent. Propheta ait *Totus sermo Dei purgatissimus est, clypeus est recipientibus se ad ipsum. Ne adijcito ad verba eius.* Et quæcunque sunt viro Dei necessaria, ea ex scripturis petenda sunt, siue doctrinam veram confirmare, siue falsam refutare, siue vllam officij sui partem exercere instituit, quemadmodum clarissimè Apostolus ad Timotheum scribit. Hoc gladio spiritus omnes aduersarij veritatis concidunt & iugulantur. Cúmq; innumeræ in Ecclesia hæreses anteactis temporibus extiterint, nulla vnquam hactenus oppressa fuit alijs, quàm scripturarum, armis; atq; id Patres ipsi summa consensione docent, ex scripturis solis & hæreses damnandas, & omnes de religione controuersias cõstituendas esse. Itaq; Constantinus Patres Nicenos hortatur, vt cùm Euangelici atque Apostolici libri, & veterum prophetarum oracula nos perspicuè doceant, quid de diuinis sentire oporteat, ἐκ τῶν θεοπνεύστων λόγων, hoc est, ex sacris li-

Prouer.30. 5.6.

2.Tim.3.16 17.

Ephes.6.17

Theodoret. lib.1.cap.6.

teris, ſumant explicationem eorum, quæ in quęſtionem vocantur. Quod & in illo Concilio obſeruatum fuit contra Arrium, & in omnibus deinceps pijs Concilijs valuit aduerſus omnes omnium temporum hęreticos. *Non enim relictus eſt* (vt inquit Hilarius) *hominum eloquijs de Dei rebus, præterquam ſermo Dei: omnia reliqua & arcta, & concluſa, & impedita ſunt, & obſcura.* Quare Auguſtinus cùm legitimæ diſputationis formam præſcribit, id inprimis monet, vt *codices canonici præſto ſint: ita rem poſſe ad inquiſitionis terminum perduci*. Et tamen noſtram rides pugnandi rationem, quia nullis Eccleſiæ, Conciliorum, Patrum armis feriri volumus, noſq; fortiſſimos milites ἱερονικῶς vocas, quia ſola ſcripturarum arma relinquimus. Quid? Num potes iſtis armis vlla inuenire meliora? aut quamobrē nos, quia his confidimus, reprehendis? An hæc tibi tuiſq; non ſufficient? Dic nunc (quæſo) Duræe, vtrarum cenſes cauſam eſſe potiorem, noſtrámne, qui ſolis ſcripturis contenti ſumus, atq; his muniti & noſtra defendere, & aliena euertere poſſumus, an veſtram, quæ ſalua eſſe non poteſt, ſi ſolis ſcripturis nitatur? Itaq; initio ſtatim cogeris fateri te inermem nudumq; in aciem prodire, ſi ſola tibi ſcripturarum arma relinquantur.

Hilar. de Trinit. lib. 7

August. Epist. 163.

Etſi verò Eccleſiæ ſuffragia, Conciliorum decreta, Patrum ſcripta, quæcunq; ſacris literis conſonant, ſuſcipimus ac probamus, tamen religionis authoritatem ex ipſo Deo pendere intelligimus, eaq; de cauſa fidem noſtram, quam in Dei voce conſtitutam eſſe oportet, hominum

placitis

placitis submittere nolumus, & nobis scripturas reseruamus, vobis alia omnia libenter relinquimus, quæ cum scripturis non conueniunt. In quo quid aliud facimus, quàm quod antiqui Patres & fecerunt ipsi, & nos etiam facere docuerunt? Nam quod Ecclesiam, & Concilia, & Patres nobis opponis, atq; hac armatura fretus in prælium descendis, nosq; sola scriptura armatos his copijs vinci posse speras: audi quid tibi respondeat Augustinus, *Proinde*, inquit, *siue de Christo, siue de eius Ecclesia, siue de quacunque alia re, quæ pertinet ad fidem vitamq; nostram, non dicam nos, nequaquam cōparandi ei, qui dixit, Licet si nos, sed omnino quod sequutus adiecit, si Angelus de cælo vobis annunciauerit præterquam quod in scripturis Legalibus & Euangelicis accepistis, Anathema sit.* Vides ergo scripturarum arma non contra homines tantùm, sed etiam contra Angelos firma esse, siq; Ecclesia aliquid attulerit, præter quam quod in ipsis scripturis traditum fuerit, nullo modo audiendam esse. Cuiusmodi iam hæc tua arma erunt, non bello sacro, sed Anathemati deuota? Quid verò nunc deinde facies? An ad Concilia confugies? Si Augustinum audires, non tu istis armis tantopere confideres. Potuit enim Concilijs Augustinus Maximinum Arrianum vrgere, sed hoc tamen modo pugnare noluit: Itaq; iubet Concilia à disputatione prorsus remoueri, *Nec ego Nicenum, nec tu Ariminense debes tanquam præiudicaturus proferre Concilium. Scripturarum authoritatibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.* Hanc concertandi

August. contra liter. Petil. Donat. li. 3. cap. 6.

August. contra Maximi. lib. 3. cap. 14.

 legem

legem, quam Augustinus æquissimam putauit, cur non admittis? In Patribus verò quodnam tibi contra scripturas prçsidium esse possit, qui suam ignorantiam ingenuè confitentur, & nunquam audiri, nisi quando scripturas rectè interpretantur, a quoquam postulant, & Lectori liberum relinquunt de ipsorum scriptis iudicium? Quare si nos omnem legitimam disputationem ad scripturarū authoritatem reuocamus, rectè facimus, atq; his armis tecti oppugnari possumus, vinci nunquam profectò possumus. Sed de his tuis armis plura pòst nobis dicenda sunt. Quòd verò optas vt hæc vobis arma integra relinquantur, libero te ista cura. Vtere scripturis dum voles, Duræe, & nos scripturarū telis aggredere; nunquam nos de iniuria conqueremur, nec genus hoc pugnæ iniquum esse clamabimus, vt vos soletis, quo minùs vincant ij, quorum erunt hçc arma meliora. Cùm verò vel scripturas Apocryphas obtruditis, vel hominum inuenta cum diuinis oraculis commiscetis, talem quidem pugnam meritò repudiamus, nec illam vnquam contra nos valere patiemur. Neq; verò, quando scripturas suppositititias explodimus, vereri debemus, ne nos illa Tertulliani sententia attingat, quam recitas, *Ista hæresis non recipit quasdam scripturas*. Hæc enim ille de priscis hçreticis dixit, qui vel prophetarum libros, vel totum vetus Testamentum, vel Noui Testamenti partes nonnullas respuerunt. Nos scripturas recipimus, & quidē integras, nullaq; syllaba diminutas, quēadmodum omnes intelligunt, qui æquo iudicio

De præscrip.

præ-

prediti sunt. Qui verò *vestras adiectiones & detractiones* considerabit, quibus scripturas *ad dispositionem instituti vestri interuertitis*, vt Tertullianus loquitur, is hęc verba multò rectiùs ad vestram sectam pertinere iudicabit.

Disputationes verò nostras cum hominibus vestris institutas nullas scio, quarum nos vnquã pœnitere oporteat, nec tù vllam põtes ex tam multis, quæ intra annos paucissimos in varijs locis habitæ sunt, commemorare vobis honorificam ac salutarem. Euolue annales, & exitum disputationum intuere. Quoties Lutherus, Melancthon, Zuinglius, Bucerus cum aduersarijs congressi sunt, testatur orbis victos semper pontificios abijsse, & nostrum numerum indies factum esse auctiorem. Exempla disputationum, quibus te nolle immorari dicis, prudenter a te pretermissa sunt. Fortè nimirum Bernensem intelligis, in qua postquam Conradus Tregerus Augustinianus causæ pontificiæ patronus sensit nulla sibi concedi nisi scripturarum arma, quod tibi etiam iniquissimum videtur, repentè aufugit, nec ingredi sermonem voluit: vnde mox in Bernensium finibus consequutus est papismi interitus: aut Possiacenam, quam pontificij desertam reliquerunt, in qua Cardinalis Lotharingus egregiam suæ timiditatis ac diffidentię confessionem edidit, *Vtinam*, inquit, *aut ille mutus, aut nos surdi fuissemus*: aut Londinensem, in qua pontificij præsules, vt disputarent, nullis induci conditionibus potuerunt. Hæc illa sunt, aliaq; huiusmodi exempla, quorum nos nunquam certè

Sleidan. li. 6.

pœnitebit, & quorum recordationem vobis molestissimam esse necesse est. Et quanquam victi toties fractas has & disiectas copias instauratis, ac nos denuò in certamen euocatis, quid tamen aliud facitis, quàm vobis ipsis manus affertis? Nunquam mihi crede Duræe disputando, scribendo, docendo vincetis. Erunt semper, quorum vos sapientię ac spiritui nunquam resistetis. Vestrę artes aliæ sunt, quę nisi plus vobis, quàm istę profuissent, iamdudum perijssetis. Nam quod de Campiano, & concionibus, cœnisq; nostris narras, in eo nimium vanis tuorum rumusculis tribuis. Campianum vellem ipse disputantem audisses, eiq; tanquam astipulator assedisses: credo non illum tantum esse virum iudicasses, vt nostras conciones, ac cœnas rariores facere posset. Nec verò nunc templa nostra minùs quàm priùs populis referta sunt, vt tu suspicaris, qui si vestrarum concionum & cœnarum orbitatem reputasses, nunquam de nostra infrequentia meminisses. Si qui diffluunt, mirum non est: non enim omnes ex nobis sunt: nam si fuissent ex nobis, omnino permansissent nobiscum. Ho-
1. Ioan. 2. 19. rum discessu, qui quouis doctrinę vento circumferuntur, nos nullum damnum accepimus, & vobis istas non inuidemus accessiones. Postremò quod de Eckio & Luthero scribis, indignum est responsione. Lutherum Eckius vicit? Quis id vnquam præter te dixit? Nimiùm faues tuis Duræe, quando cum Luthero Eckium comparas, qui quanquam erat audax, & gloriæ cupidus, plus tamen semper pontifici suo, quàm Luthero nocuit.

nocuit. Dum enim decreta hominum contra ſcripturas defendit, Luthero victoriam ſemper illuſtrem prębuit. Illa autem verba, quę commemoras, Lutherus non de ſuo inſtituto, quod ſanctiſſimum fuiſſe ipſa exordia teſtantur, ſed de aduerſariorum ſuorum, atq; huius inprimis Eckij importunitate protulit, qui non tuendę religionis ac veritatis ſtudio, ſed honorum ac munerum ſpe inducti ſunt, vt Luthero repugnarent, nullumq; finem reclamandi facerent. Quod ergo Lutherus de ſuis aduerſarijs dixit, id tu parùm ingenuè Cocleum ſuum ſequutus, ad ipſum Lutherum transfers, qui tantùm abfuit ab iſta impietate, vt ſi vel minimum initio à pontifice impetrare potuiſſet, mox quieuiſſet: quando nihil pontifex emendari patitur, coactus eſt Chriſti Euangelium ac doctrinam à pontificijs ſacrilegijs vindicare. In quo nihil aliud, niſi Dei gloriam ſuiq; officij rationem ſpectauit.

DVRAEVS, Fol. 5.

Eò vos inſaniæ deueniſſe queritur Campianus, vt ſanctorum maieſtatem Bibliorum fœdiſsimè violaueritis. Quod tu dum factum negas, quid aliud quàm ſacrilegium mendacio cumulas? Iacobi epiſtolam Lutherus (*inquit Campianus*) contentioſam, tumidã, aridam, ſtramineam, flagitioſus Apoſtata nominat, atq; indignam cenſet ſpiritu Apoſtolico. *Hęc tu nimium acerba, nimium impia ac blaſphema præceptoris tui conuitia officioſè admodum mollire ſtudes. Culpam à Luthero in alios pulchrè deriuas. Euſebius nimirum, inquis, de illa epiſtola ſcribit, ἰστέον ὡς νοθεύεται. i.* velim omnes id intelligere, eam epiſtolam, quæ Iacobo affingitur, eſſe adulterinam. *Quid à te fraudulentiùs, quid malitioſiùs citari potuit? Nihil enim aliud Euſebius, quàm hanc epiſtolam à quibuſdam Iacobi non haberi dixit. νοθεύονται enim libri*

dicuntur,

dicuntur, qui alterius esse authoris putantur, quàm illius cui vulgò ascribuntur. Verùm hanc de Authore dubitationem nihil de Canonica eius authoritate detraxisse satis illa quæ sequuntur verba indicant: quibus scribit illam à plurimis Ecclesijs publicè receptam esse, & non alio eam loco habet, quàm epistolam Iudę, quam ab illo reiectam fuisse neque vos ipsi dicere audetis.

WHITAKERVS.

3 Qualem te simus deinceps habituri ex istis principijs præsentio. Optarem potiùs rem fuisse mihi cum aduersario modestiore, vt verborum acerbitate prætermissa, Christianam de religione contentionem disquisitionemq; institueremus. Tu statim egressus è carcere prorumpis ad conuitia, & nobis insaniam, sacrilegia, mendacia, impia, blasphema conuitia, fraudem, malitiam exprobras. Hæc ornamenta sunt & lenocinia dictionis tuæ. Ego tibi pro his iniurijs conscientiam mentémque meliorem exopto. Respondi Campiano Lutherum de epistola Iacobi odiosissimis verbis accusanti, non esse Lutheri nouum hoc de illa epistola iudicium, & testem Eusebium adduxi, qui hanc epistolam discertè *adulterinam* nominat. Quod verbum si fuit in Eusebio tolerandum, quid Lutherus admisit, quamobrem magni criminis reus ageretur, si minùs fortè de hac epistola honorificè scripsit? Eusebium dicis id tantùm voluisse, hanc epistolam à quibusdam Iacobi non haberi, in quo vim & verbis & sententiæ Eusebij manifestam affers. Primùm enim non ait à quibusdam hanc epistolam Iacobi non haberi, vt tu affirmas, sed palàm suum

Euseb. lib. 2. cap. 23.
ἰστέον ὡς νοθεύεται.

ſuum iudicium verbis apertiſſimis declarat, ἰστέον ὡς νοθεύεται μέν, hoc eſt, *intelligendum, hanc epiſtolam eſſe quidem adulterinam.* Deinde, ſi non fuit conſcripta à Iacobo, à quo tandem eam fuiſſe ſcriptam exiſtimemus? Quiſquis ille fuit, ſe quidem Iacobum, Dei, & Domini Ieſu Chriſti ſeruum vocat. Aut ergo Iacobus huius epiſtolæ author erat, aut omni modo adulterinam eſſe epiſtolam conſtat. Nam quos ſpiritus ſanctus voluit ſacras ſcripturas edere, ij nunquam ſolent aliena & ſuppoſititia nomina libris ſuis præfigere. Perinde ergo valet ſiue illam dicas eſſe ἀπόκρυφον, ſiue à Iacobo ſcriptam eſſe neges. Ita vt tuam interpretationem vel maximè recipiamus, hanc epiſtolam ab Euſebio improbatam eſſe, neceſſe eſt fateamur. Verùm aliud dicere Euſebium ſatis ex ipſis verbis liquêre poteſt. Cùm enim iſtam adulterinam eſſe dixiſſet, mox ſubiungit rationem, *quandoquidem non multi veteres eius meminerunt.* Ex quo ſatis perſpicimus, non adulterinam ab Euſebio vocari, quia ſcripta non ſit à Iacobo, ſed tamen ab alio non minoris authoritatis viro, ſed quia non putauit Euſebius illam in numero ſcripturarum Canonicarũ ponendam eſſe, quod inde colligit, quia fuit vetuſtis authoribus ignota. Si enim germana ac θεόπνευστος fuiſſet, illam etiam antiqui Patres agnouiſſent. Hęc Euſebij eſt de hac epiſtola ratiocinatio, quę tuam interpretationem prorſus euertit. Atq; hoc etiam magis perſpicuum eſt ex ijs, quę in hoc loco conſequuntur. Cùm enim ait hanc epiſtolam eſſe cum reliquis publicè receptam, in plurimis Ec-

clesijs,

dicuntur, qui alterius esse authoris putantur, quàm illius cui vulgò ascribuntur. Verùm hanc de Authore dubitationem nihil de Canonica eius authoritate detraxisse satis illa quæ sequuntur verba indicant; quibus scribit illam à plurimis Ecclesijs publicè receptam esse, & non alio eam loco habet, quàm epistolam Iudæ, quam ab illo reiectam fuisse neque vos ipsi dicere audetis.

WHITAKERVS.

3 Qualem te simus deinceps habituri ex istis principijs præsentio. Optarem potiùs rem fuisse mihi cum aduersario modestiore, vt verborum acerbitate prætermissa, Christianam de religione contentionem disquisitionemq; instituerennus. Tu statim egressus è carcere prorumpis ad conuitia, & nobis insaniam, sacrilegia, mendacia, impia, blasphema conuitia, fraudem, malitiam exprobras. Hæc ornamenta sunt & lenocinia dictionis tuæ. Ego tibi pro his iniurijs conscientiam mentémque meliorem exopto. Respondi Campiano Lutherum de epistola Iacobi odiosissimis verbis accusanti, non esse Lutheri nouum hoc de illa epistola iudicium, & testem Eusebium adduxi, qui hanc epistolam disertè *adulterinam* nominat. Quod verbum si fuit in Eusebio tolerandum, quid Lutherus admisit, quamobrem magni criminis reus ageretur, si minùs fortè de hac epistola honorificè scripsit? Eusebium dicis id tantùm voluisse, hanc epistolam à quibusdam Iacobi non haberi, in quo vim & verbis & sententiæ Eusebij manifestam affers. Primùm enim non ait à quibusdam hanc epistolam Iacobi non haberi, vt tu affirmas, sed palàm suum

Euseb. lib. 2. cap. 23. ἰστέον ὡς νοθεύεται.

ſuum iudicium verbis apertiſſimis declarat, ἰςέον ὡς νοθεύεται μὲν, hoc eſt, *intelligendum, hanc epiſtolam eſſe quidem adulterinam.* Deinde, ſi non fuit conſcripta à Iacobo, à quo tandem eam fuiſſe ſcriptam exiſtimemus? Quiſquis ille fuit, ſe quidem Iacobum, Dei, & Domini Ieſu Chriſti ſeruum vocat. Aut ergo Iacobus huius epiſtolæ author erat, aut omni modo adulterinam eſſe epiſtolam conſtat. Nam quos ſpiritus ſanctus voluit ſacras ſcripturas edere, ij nunquam ſolent aliena & ſuppoſititia nomina libris ſuis præfigere. Perinde ergo valet ſiue illam dicas eſſe ἀπόκρυφον, ſiue à Iacobo ſcriptam eſſe neges. Ita vt tuam interpretationem vel maximè recipiamus, hanc epiſtolam ab Euſebio improbatam eſſe, neceſſe eſt fateamur. Verùm aliud dicere Euſebium ſatis ex ipſis verbis liquêre poteſt. Cùm enim iſtam adulterinam eſſe dixiſſet, mox ſubiungit rationem, *quandoquidem non multi veteres eius meminerunt.* Ex quo ſatis perſpicimus, non adulterinam ab Euſebio vocari, quia ſcripta non ſit à Iacobo, ſed tamen ab alio non minoris authoritatis viro, ſed quia non putauit Euſebius illam in numero ſcripturarum Canonicarũ ponendam eſſe, quod inde colligit, quia fuit vetuſtis authoribus ignota. Si enim germana ac θεόπνευστος fuiſſet, illam etiam antiqui Patres agnouiſſent. Hęc Euſebij eſt de hac epiſtola ratiocinatio, quę tuam interpretationem prorſus euertit. Atq; hoc etiam magis perſpicuum eſt ex ijs, quę in hoc loco conſequuntur. Cùm enim ait hanc epiſtolam eſſe cum reliquis publicè receptam, in plurimis Ec-

clesijs,

clesijs, satis indicat à nonnullis fuisse repudiatam vt verè adulterinam. Si nondum intelligis mentem Eusebij, lege quid alibi scribat, & noli negare quod est apertissimum. Enumerat Eusebius libros omnes noui Testamenti, quorum alios vocat ὁμολογουμένους id est, certos & exploratos, de quibus nemo dubitat: alios verò ἀντιλεγομένους, hoc est dubios, nec receptos ab omnibus: quo in numero hanc Iacobi epistolam relinquit, quod non fecisset, si illam aut ab Apostolo Iacobo, aut à viro Apostolico conscriptam fuisse iudicasset.

Euseb. lib. 3. cap. 25.

Euseb. lib. 6. cap. 25.

Tum vt planiùs intelligas veteris Ecclesię de hac epistola iudicium, admonendus es eam esse etiam ab Origene prætermissam, quando Canonicos Noui Testamenti libros enumerat, quemadmodum apud Eusebium legimus, ex quo illam Origeni visam esse minimè Canonicam & genuinam manifestum est. Hæc clara sunt nec tuis tenebris obscurari possunt. Potui te etiam pontificiorum testimonijs vrgere, quibus nondum constat de huius epistolæ authoritate, quò deinceps in Lutherum horum exemplis æquior esse discas.

Sed tuum nunc argumentum expendamus, quo nihil hanc dubitationem de Canonica huius Epistolę authoritate detraxisse concludis. Scribit enim Eusebius Iacobi & Iudæ Epistolas in plurimis ecclesijs publicè receptas esse, ex quo efficis has epistolas Eusebio visas esse Canonicas. Sic te disputare tui magistri docuerunt? Eusebius ait has epistolas esse in plurimis ecclesijs receptas, ergo illas esse Canonicas confitetur.

δεδημοσιευμένας.

Contrà

Contrà meliùs valebit, Eusebius ait has episto-
las non esse ab omnibus receptas, ergo non pu-
tat esse Canonicas. Verùm vt omnes planè sen-
tiant, nullam in argumento isto vim inesse, ali-
um ex Eusebio locum proferam. Librum Pasto- *Lib.3.cap.3.*
ris, quem Hermæ vulgò tribuunt, Eusebius in *δεδημοσιευ-*
ecclesijs receptum fuisse scribit, quem tamen *μένην.*
ἐν νόθοις numerat. Quare, quod has epistolas in ec- *Lib.3.c.25.*
clesijs publicè vulgatas lectásq; affirmat, id illa-
rum Canonicam authoritatem nō euincit. Quòd
verò ais, ne ipsos nos dicere audere, Iudæ episto-
lam ab Eusebio reiectam fuisse, túne audes aut
potes negare, idem esse Eusebij de vtrisq; hisce *Ibid.*
epistolis iudicium? aut nescis hanc ab Eusebio
positam esse in libris ἀντιλεγομένοις? Iam recognosce,
Duræe, locum hunc omnem, & nisi planè habes
in animo vitium interpretationis tuæ defendere,
atque in errore persistere, istis tam veris, tamq;
perspicuis assentieris. Ita enim veteres, vt vides,
non tantùm de authore huius epistolæ, sed etiā
de authoritate dubitarunt.

DVRÆVS. Fol.6.

*Hieronymum deinde velut alterum causæ tuæ patronum pro-
fers.* Epistola Iacobi (*inquit Hieronymus*) ab alio quodam sub
eius nomine edita asseritur: *sed quid hoc ad rem? Num quia
quosdam asseruisse refert ab alio sub Iacobi nomine editam, mox
de illius authoritate dubitare censendus est? Quid ergo de Caluino
dices, qui disertis sanè verbis epistolæ ad Hebræos Paulum esse
scriptorem negat? Quòd si Hieronymum integrum protulisses, sy-
cophantam te esse atque impostorem facilè omnes vidissent. Sic
enim sequitur,* Licèt paulatim tempore procedente obtinu-

erit authoritatem. *Quid ad huius epistolæ authoritatem confirmandam apertiùs ab Hieronymo dici potuit?*

WHITAKERVS.

Hieron. in Catal.

4 Ex his verbis Hieronymi satis intelligimus, fuisse olim de huius epistolę authore dubitatum, quæ dubitatio ipsam epistolę authoritatem ac fidem necessariò attingit. Qui enim dubitant Iacobúsne hanc epistolam ediderit, cuius in epistolę exordio nomen inscribitur, an eam alius aliquis Iacobo affinxerit, sub eiusq; nomine diuulgarit, ij planè iudicant, nescire se, quid de huius epistolę authoritate statuant. Tum si Hieronymo ipsi visa est hęc epistola esse Iacobi, cur non illorum suspicionem improbat, qui eam ab alio quodam editam asserebant? Cùm enim narrat sic asseri, nec quod asseritur sibi displicere significat, quis non ipsum ita vt asseritur, sensisse fateatur? At Caluinus inquis, Paulum epistolę ad Hebræos scriptorem fuisse disertis verbis negat. fateor. Num verò hanc epistolam sub Pauli nomine editam scribit? Nihil ergo dissimilius esse potuit. Nam Iacobi epistola ipsum Iacobi nomen tanquam authoris sui refert. Quare qui negat hanc epistolam scriptam esse à Iacobo, is epistolam suppotititiam vocat, eiq; fidem omnem derogat. At in illa ad Hebręos epistola nusquam Pauli nomen reperitur: nihil ergo est, quo minus illam non esse a Paulo editam, & tamen esse Canonicam teneamus. Sed hîc in me petulantiùs incurris, tuaq; probra iactas. Quamobrem

obrem verò, & quæ huius offenſionis cauſa fuit? *Hieronymum* (inquis) *mutilum protuli*, atque aliquid prætermiſi: Imò ne hoc quidem, Duræe, prætermiſi, quod tu prætermiſſum criminaris. Sic enim in libro meo ſcripſi, *Verùm, inquies, recepta deinceps fuit: idq́; etiam Hieronymus affirmat*, Pag. 10. lin. 12. Nihil ergo diſſimulaui, & te tam acerbum ſine cauſa fuiſſe miror. Sed quid ſi epiſtolam hanc Hieronymus ſcribit paulatim obtinuiſſe authoritatem? Ergo illud erit falſum, olim fuiſſe dubiam huius Epiſtolæ authoritatem? Si fuiſſes tam æquus, tamq́; attentus, quàm debebas, non fuiſſe hanc epiſtolam ab omnibus probatam animaduertiſſes, vel ex eo, quòd eam Hieronymus paulatim *procedente tempore* authoritatem obtinuiſſe dicit. Quòd enim paulatim, & temporis decurſu authoritatem acquirit, id initiò ſtatim ſummā authoritatem non habuit: hæc autem Epiſtola paulatim authoritatem obtinuit: ergo authoritate aliquando caruit. Et qualem verò authoritatem obtinuit? Sic Græcè Hieronymus loquutus eſt, αὐθεντίας τινὸς ἐπιλάβετο. i. *authoritatem quandam obtinuit*. Quid ſcribi tenuiùs remiſſiuſq́; potuit? Siccine de Canonicis ſcripturis, & diuinis libris loquendum erat, *paulatim, & tempore procedente, & quandam authoritatem obtinuerunt*? Satis ergo manifeſtum eſt, quid de hac Epiſtola Hieronymus iudicârit. Et vt hanc Epiſtolam ait quandam authoritatem obtinuiſſe, ſic etiam de Hermæ libro ſcribit, eum in quibuſdam Orientalibus Eccleſijs publicè lectum fuiſſe: nec proinde tamen, opinor, Hermæ Paſtorem in libris

Canonicis recensebis. Quare quod tu apertissimum dicis ad huius Epistolæ authoritatem cõprobandam, id mihi incertissimum atq; obscurissimum videtur: & tibi nunc etiam videri existimo. Alia ergo posthac apertiora afferas oportet, si nos aliquid docere cupias.

DVRAEVS, Fol. 7.

De qua vt fuißet aliquando dubitatum, quis non vides deinceps potuiße ab Ecclesia recipi? Nolle verò te quærere ais quo iure recipi potueris temporis successione, quæ semel fuit repudiata. Num tu ignoras de Apocalypsi Ioannis, & de duabus illius epistolis, alijsq; libris, quam multi olim dubitârint, de quibus nunc dubitare nefas est? Et vt tuis te vinculis arctiùs constringam, cùm dubitatum fuisse de Iacobi epistola paulò antè notâris, si nulla deinceps temporum successione quam initiò non habebat, fidem obtinere potuit, nec adhuc quidem Canonica censenda est. Quid ergo sibi vult, quod mox subiungis, Eam nos quidem suscipimus, &c. *Quo hîc te vertes? Bene tamen habet, quod tam bellè vobis cum magno vestro propheta Martino Luthero conuenias. Audiamus Ioannis Caluini, Deus bone cuius viri, iudicium à te prolatum.* Ego quia, &c. *Sileant ergo omnes, αὐτὸς ἔφα scilicet. Quid plura? Nisi vt Gregorij vos Nazianzeni verbis alloquar. Si Caluinus vester Moses est, nubem ipse quoque ingrediatur: &c. Vobis sat scio vester Caluinus Moses est.*

WHITAKERVS.

5 Id mihi verò, Duræe, dubium nunquã fuit, possitné liber aliquis, de quo nonnulli dubitârunt, deinceps sine vlla dubitatione recipi: sed liceátne quem librum constat olim pro adulterino ac supposititio habitum fuisse, eum paulatim tacita approbatione Canonicum fieri. Si enim

Epiſtola Iacobi ſpuria eſt,quemadmodum Euſebius ſcribit,ſiq; illam non Iacobus,ſed alius quidam ſub nomine Iacobi edidit, quemadmodum à nonnullis affirmari Hieronymus author eſt, nec ab initio ſemper authoritatem inſitam propriamq; habuit, nunquam certè temporum ſpacio Canonica fieri potuit, quæ non Canonica fuit aliquando. Quicquid enim Canonicum eſt, id ſemper Canonicum fuit,niſi fortè poſſe homines putemus,qui libri non ſunt Canonici,eos authoritate ſententiaq; ſua Canonicos creare. Si ergo fuit Epiſtola Iacobi meritò vnquam repudiata,nec authoritatem diuinam habuit,cùm primùm prodiit in lucem, nullis vnquam poterit hominum iudicijs comprobari. Sed vtcunque fuerit à nonnullis olim huius epiſtolæ ſuſpecta fides,tamen nulla fuit legitima huius ſuſpicionis cauſa, neque illam omnis Eccleſia repudiauit, quemadmodum ex Euſebio cognoſcimus:& illam nos quidem ſuſcipimus, ac probamus, ab eorumq; iudicijs prorſus diſſentimus, qui vel nūc illam non recipiunt,vel olim reſpuerunt. Simile noſtrum eſt de cæteris illis libris, quorum meminiſti iudicium. Omnes recipimus, colimus, pro diuinis &Canonicis agnoſcimus.Quid potes amplius poſtulare, aut quorſum nobis litem non noſtram impingis? Accuſa veteres, quos de his libris duriùs & iniquiùs iudicaſſe conſtat: ſi illi tuam nullam reprehenſionem meruerunt, quid Lutherum, quid alios criminaris, qui nihil dicunt, quod illi non dixerunt: deniq;, quod iniquiſſimum eſt, quid nobis moleſtus es, qui nec

veteres, nec recentiores in hoc iudicio sequimur aut probamus? Verùm hîc me vinculis quibusdam constringis. Dixi enim fuisse olim de Iacobi epistola dubitatum: si ergo non potuit fidem obtinere temporum successione, ne adhuc quidem Canonica censenda erit. Fuit quidem de hac epistola dubitatum, sed nec ab omni Ecclesia, & immeritò. Quanquam ergo paulatim obtinuit authoritatem, id est, recepta atque agnita publicè fuit, tamen diuinam authoritatem ab eo vsq; tempore habuit, quo primùm scripta à Iacobo in manus hominum venit. Sic me ex tuis vinculis laqueisq; expediui. Nec debes nobis vitio vertere, quòd à Luthero dissentiamus. Quanquam enim Lutherum perspicimus nô sua primùm opinione commotum de libris illis dubitasse, sed in eo veterum vestigia sequutum esse, tamen nobis Lutheri hac in re displicere iudicium palàm profitemur. Lutherum, si placet, aggredere, cum eoq; litiga, quamobrem veterum quorundam sententiam de hac epistola iniquiorem admiserit. Caluinum verò quare nunc exagitas? an quia hanc epistolam non repudiauit, reprehendendus à te Caluinus fuit? Ita & Lutherum de hac epistola dubitantem, & Caluinum non dubitantem insectaris. Siue ergo hoc, siue illud dicimus, tuum maledictum non effugimus. εἰρωνείας verò tuas, quibus nimiùm delectaris, prętermitto. Nec propheta nobis Lutherus est, nec Moses Caluinus, nec nos à cuiusquam hominis ore pendemus: nec illud, αὐτὸς ἔφα, cuiquam nisi Deo soli deferimus. Vobis quidem pontifex Romanus

manus non modò propheta aliquis est, sed prophetis omnibus & Apostolis maior, par Christo, quasi quidam in terris Deus, vt tute intelligis, & agnoscis.

DVRAEVS, Folio 8.

Sed demùò ad Lutheri tui defensionem recurris, Negas itaq; Iacobi epistolam stramineam, tumidam, & indignam spiritu Apostolico vocari. Audi igitur Lutheri verba, Iacobi epistola (*inquit*) contentiosa, tumida, arida, straminea, indigna est Apostolico spiritu. *Et tu quidem valde puer es, si ignoras, Lutheri etiamnum discipulos in magistri sententia permanere. Vitus Theodorus ait*, Epistola Iacobi in aliquot locis reprehensibilis est, &c. *Vt Magdeburgenses, reliquósque prætermittam, Pomeranus in cap. 4. ad Roman. illam epistolam negat reliquis libris annumerari posse, qui iustitiam fidei prædicant. Tibi verò, Whitakere, ignosco, qui exemplaria Wittembergæ tantùm, vel Argentorati excusa legeris. Nam si quæ Ienæ olim edita fuerunt vidisses, cùm tam certam tam audacter non negares. Hanc tam rigidam præceptoris sententiam molles Lutherani correxerunt, veterum hæreticorum ingenium imitati, de quibus Tertullianus, de præscript.* Cæterum nec suis præsidibus reuerentiam nouerunt. Mentior etiam si non à regulis suis variant inter se, &c. *In præfat. in nou. Testament.*

WHITAKERVS.

6 Nec mea Lutherus defensione indiget, nec ego in animo habui Duræe, vt hanc Lutheri opinionem defenderem, nec de cuiusquam hominis priuata defensione magnopere laboro. Cùm tamen viderem accusatum à Campiano Lutherum, vt ego putabam, iniustè, licuit mihi falsum crimen verbo notare, Itaq; Iacobi epistolam esse his contumelijs, quas Campianus commemo-

memorat, à Luthero affectã negaui, quia in Lutheri libris nihil tale potui reperire. Tu iam verba ipsa profers, quæ tamen nec vidi vnquam, nec qui se vidisse diceret, conueni. Vtcunq; se res habet non magni refert. Nobis enim Lutheri quæq; dicta minimè præstanda sunt. Quanquã mihi planè suspectã esse fidẽ tuam profiteor, & te aliorũ fictis auditionibus nimium tribuisse suspicor. Primum enim vidi quandã Lutheri præfationẽ antiquissimã, editã anno 1525. Wittẽbergæ, in qua Iacobi epistolã præ Petri ac Pauli epistolis stramineã vocat. Sed hoc cum tuis cõferendũ nõ est. Deinde cùm alij pontificij volunt ostendere Iacobi epistolã à Luthero stramineã esse dictã, hãc ipsam præfationem, atq; hæc verba proferunt, de tuis nullã mentionẽ faciunt. Deniq; cùm videam in quadã præfatione hanc epistolam præ alteris stramineã dici, non existimo in eadem præfatione ἁπλῶς, & tumidã & aridã, & contentiosam, & stramineã, & spiritu Apostolico indignam nominari. Quare dum nouã hanc editionẽ tuã video, ἐπέχειν malo, quàm aliquid temerè in alterutram partẽ affirmare. Nec ita fui rerũ imperitus, vt quid nõnulli Lutheri discipuli de hac epistola iudicârint, ignorarẽ. Nihil ergo opus fuit vt Theodori Viti, aut Magdeburgensium, aut Pomerani iudicia recitares, & paginas tuas testimonijs compleres otiosis. Quid enim si illi Iacobi epistolam reijciunt? Ergo est perspicuum hanc epistolam à Luthero aridam, tumidam, contentiosam, stramineam, Apostolico spiritu indignã appellari?

Sed mihi tamen pro tua humanitate ignoscis, qui

qui nullas viderim niſi Argentinenſes, aut Wittembergenſes editiones. Vidi verò latinam Francofordienſem, nec tamen in iſtis omnibus hæc tua videre potui. At ſi Ienenſem legiſſem, rem tam certam nunquam profectò negaſſem. Vix credo temet legiſſe Duræe, nec cauſam vllam video, cùm Wittembergenſem nactus ſim vetuſtiſſimam, quamobrem Ienenſem deſiderem. Lutheri præfationes Wittembergæ æditæ ſunt ab ipſo Luthero, in quibus facilè acquieſco, quia nullas integras magis ac genuinas agnoſco. Nam quod de mollibus rigidiſq; Lutheranis narras, dic obſecro, eránt ne Ienenſes illi rigidiores Lutherani quàm Lutherus ipſe, cùm viueret Wittembergæ, ſuamq; Bibliorum Germanicam verſionem cùm præfationibus Wittembergæ ederet, mirum mihi videtur quî fieri poſſit, vt in Ienenſi editione nonnulla poſita ſint, quæ in Wittembergenſi deſiderantur. Erat nimirum Lutherus ſi tibi credimus, mollis Lutheranus. Sed quid tuas coniecturas refello, aut tempus in iſtis diſcutiendis tero, aut mihi ipſi iniuriam facio? Vt maximè conſtaret, de quo tantopere contendis, ad rem tamen nihil omnino faceret. Quod ex Tertulliano affers, quorſum ſpectet neſcio. Noſter enim præſes non Lutherus, ſed Chriſtus eſt, nec nos Lutherani, ſed Chriſtiani ſumus, nec Lutheri regulam, ſed Chriſti doctrinam vocemq; ſequimur. Veſtra hæc cura eſſe debet, de præſidibus reguliſq; veſtris cogitare.

DVRAEVS, Fol. 9.

Ac ne mirum tibi hoc de Lutheranis videatur, recordare, ſi

 placet,

places, quàm ſæpe à Philippo Melanchthone loci illi communes inuerſi ſunt ac mutati. Et tuus ipſe Caluinus quàm multa ex prioribus ſuorum operum editionibus ſuſtulit? Exemplum ſi poſtulas, quàm grauiter ille & acerbè in Henricum Angliæ regem inuectus eſt; in cap. 1. Oſeæ, in cap. 7. Amos? Si quis hæc à Caluino ſcripta eſſe negat, quod in quibuſdam exemplaribus iam minimè legantur, ridiculus planè ſit.

WHITAKERVS.

7 Quis vnquam docto cuiquam homini vitio dandum eſſe duxit, quòd ſua ſcripta mutaret, emendaret, augeret, reſecaret, expoliret. Non enim ſtatim aſſequi poſſumus, quæ ſumma ſunt & perfectiſſima: nec turpe eſt, quod malè ſcriptum fuit, reuocare. Οὐδεὶς ἀνὴρ ἅπαντ᾽ ὁρᾷ: & tritum eſt ſermone prouerbium, δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. Præclarè Auguſtinus, *Magnæ ſapientiæ eſt* (inquit) *reuocare hominem, quod malè loquutus eſt.* Atq; hac ſapientia ipſe inprimis vſus eſt Auguſtinus, qui tam multa in ſuis libris correxit. Quod cùm honeſtiſſimum ſemper & ſanctiſſimum habitum ſit, nihil Malanchthon, nihil Caluinus, nihil quiſquam author inuſitatum aut reprehenſione dignum fecit, quando aut addidit aliquid ſuis ſcriptis, aut detraxit. Luthero autem facilè ignoſco, ſi quid fortè aliquando ſcripſit inconſideratè, præſertim cùm id ipſe ab omnibus ſuis lectoribus efflagitârit. Sic enim ſcribit, *Ante omnia oro pium lectorem, & oro propter Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt iſta legat cum iudicio, imò cum multa miſeratione, & ſciat me fuiſſe aliquando Monachum.* Quid peti æquiùs, aut ſanctiùs

Decret. Cauſ. 22. q. 4. ca. 10.

Luther. in præfatione operum.

ctiùs potuit? Caluinum verò cur hîc introduceres causa nulla fuit, nisi vt veteris cuiusdam offensionis memoriam refricares. Scripsit ille nonnulla in regem celeberrimum Henricum Octauum asperiora. Fateor, nec defendo. Persuasus enim à quibusdam fuerat, cùm esset regi delatum nomen summi capitis Ecclesiæ sub Christo, id illi concessum esse, vt de religione quicquid vellet, statuere posset. Si quæris à quo fuerit in hanc fraudem inductus, ex ipso potes cognoscere eodem in loco, ex quo tu hîc nonnulla decerpsisti. Fuit enim Stephanus Gardinerus, quemadmodum ipse disertè scribit: *Sed vbi* (inquit) *impostor ille, qui postea fuit Cancellarius, &c.* Huius impostoris calumnijs fictisq; sermonibus deceptus Caluinus, in illum titulum acerbiùs inuectus est. Postquam autem erratum resciuit, nec regi tantam licentiam datam esse eo nomine intellexit, sententiam & genus scribendi mutauit. In quo & hic venia, & ille iustissimo odio dignissimus fuit.

Caluin in Amos. 7.

DVRAEVS, Fol. 10.

Vtcunq; sit (*ais*) habuit Lutherus in hoc iudicio consentientem primæ & purissimæ Ecclesiæ antiquitatem, & tamen nos dimisso Luthero, non aliter de hac Epistola iudicamus, quàm vos ipsi. *Spectatum admissi risum teneatis? Quid est enim tam ridiculum, quàm miseri hominis defensionem suscipere, moxq; eundem abiecto clipeo deserere? Illud præterire non possum, si habuit Lutherus purissimam Ecclesiam secum consentientem, vos tamen aliter iudicatis, vos ergo à purissimæ Ecclesiæ antiquitate desciuistis. Hic est nimirum spiritus ille vertiginis, quo noui Euangelici estis afflati.*

8 Risum tuum non moror: lachrymas vix teneo, cúm hanc tuam nugandi voluntatem video. Lutheri iudicium nec probaui vnquam nec ſum conatus defendere: de illis duntaxat probroſis nominibus, quibus Iacobi epiſtolā à Luthero notatam ac damnatam eſſe ſcripſit Campianus, reſpondi, quod mihi facere licuit, vt tamen Lutheri in me defenſionem minimè ſuſceperim. Quid hîc igitur tanto hiatu riſuq; dignum fuit, vt omnem in me viciniam concitares? Et quem tu miſerum hominem vocas, eum ego ſemper eſſe beatum non dubito, Deumq; precor vt tuam tibi miſeriam notam ac perſpectam faciat, & pedes tuos in viam pacis referat. Sed hîc aliquid eſt, quod nullo modo præterire potuiſti. Si enim (inquis) habuit Lutherus puriſſimę primæq; Eccleſiæ conſenſionem, tum nos à puriſſimæ Eccleſiæ antiquitate deſciuimus, quia Lutheri iudicium improbamus. Magnum hoc verò fuit, & minimè prætermittendum, in quò nihil eſt, quod tuo acumini reſpondeat. Habuit Lutherus Eccleſiæ primæ & puriſſimæ conſenſionem, quia hanc epiſtolam multæ Eccleſiæ primis illis temporibus repudiabant, quemadmodum ex Euſebio diſcimus, quæ tamen non ſunt eo nomine reprehenſæ, vt nefarię, flagitioſę, blaſphemæ: harum Eccleſiarum Lutherus iudicium, atq; exemplum ſequutus eſt, nos potiùs ad illas accedimus, quæ Iacobi epiſtolam recipiebant. Itaque & poſſumus à Luthero diſſentire, nec tamen à

puriſſimæ

purissimę Ecclesiæ consensione desciscere. Purissimas enim Ecclesias dixi, non quę syncerissimè de hac epistola iudicabant, sed quæ optimis purissimisq; temporibus florebant. Non ergo iste nostræ vertiginis, sed tuæ temeritatis spiritus fuit.

DVRAEVS, Fol.10.

Placet tamen quòd animos resumis. Lutherus enim cùm iustificationem hominis nulla ex parte operibus tribuendam contenderet, nullámque sibi elabendi viam admissa hac epistola patere videret, illius authoritatem reiecit. Tu vero ais, Spondeo ac promitto, quicquid ex hac epistola attuleris, id nos libentissimè suscepturos. *Tum adiungis,* Nostrum illud dogma est verissimum, hominem sola fide iustificari. Id Paulus planissimè docet, quanquam solius fidei disertè non meminit. *At ego contra falsissimum esse dogma vestrum assevero. Paulus sanè nunquam nos sola fide iustificari ait, nec planissimè nec disertis verbis, imò & planissimè & disertis verbis, sola nos fide iustificari negat. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deū, sed factores legis iustificabuntur.* Rom.2. *Et rursum, Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* 1.Cor.13. *Quid his verbis apertiùs, quid disertiùs dici potest?*

WHITAKERVS.

9 Quid Lutherus de Iacobi epistola statuerit, id meâ nihil interest: Illam ego non dubito esse diuinam & sacrosanctam, tantùm abest, vt in ea aliquid esse putem, quod cum nostro de sola fide dogmate, aut cum vlla piæ religionis parte pugnet. Itaq; tibi etiam repromitto, quicquid ex hac epistola protuleris, id apud me perpetuò vim diuinam atq; authoritatem habiturū.

Nostrum

Nostrum autem illud de iustificatione solius fidei dogma, certissimis nititur scripturarum fundamentis, nec vllo Iacobi verbo, quod nos huic epistolę infensiores faciat, infirmatur. Quanquam autem illud vocabulum (*sola*) in Paulinis scriptis minimè reperitur, tamen nostram de sola fide sententiam Paulus clarissimè exponit, vt de ea non minùs dubitemus, quàm si totidem verbis proposita fuisset. Primùm enim cùm scribit nos fide iustificari, id si volumus germanè explicare, perinde valet, ac si nos sola fide iustificari dicat. Nam fides spectat rem alienam, id est, Dei misericordiam in mediatore promissam. Hæc misericordia nos sola iustificat, atque hanc misericordiam sola fides apprehendit, quare fidei ipsius nomen per se positum solius fidei vim obtinet. Deinde Paulus nihil cum fide, in hoc quidem negotio copulat, ergo solam fidem sufficere docet. Si enim nihil habet in nobis iustificandis adiunctum, tum nos solā iustificare constat. Quicquid autem videri possit aliquid omnino ad iustificationem conferre, id totum à fide in iustificatione remouetur. Quid enim est, quod in hac causa putes esse cum fide coniungendum? Opera, opinor. Ergo si opera disiunguntur, reliquum est, & necessarium nos sola fide iustificari.
Rom.3.28. Audi igitur loquentem suis verbis Paulum, Colligimus fide iustificari hominem χωρὶς ἔργων νόμου, .i. *absq; operibus legis*. Iterum, Ei qui *non operatur*,
Rom.4.5. sed credit in eum, qui iustificat impium, imputatur fides sua pro iustitia. Iterum, propterea
Rom.3.20. *ex operibus legis* nulla caro iustificabitur, in conspectu

ſpectu eius. Iterum, ſicut etiam Dauid pronunciat beatum eum hominem cui Deus imputat iuſtitiam *abſq; operibus.* Et in alia epiſtola diſertiùs, ſcientes non iuſtificari hominem *ex operibus legis*, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως Ἰησοῦ χριστοῦ, hoc eſt, niſi per fidem Ieſu Chriſti. Quid dici potuit, quod noſtrã ſententiam magis confirmaret? Si enim non ex operibus legis, & ſi non niſi per fidem iuſtificamur, tum illud conſequatur eſt neceſſe, ſola nos fide iuſtificari. Huc accedit, quòd nos gratis & Dei dono iuſtificatos eſſe ſcribit, quod omnem meritorum rationem excludit. Gratia enim (inquit Apoſtolus) eſtis ſeruati per fidem, idq; *non ex vobis, Dei donum eſt*, ne quis glorietur. Et alibi, Iuſtificantur autem *gratis eius gratia.* Si tibi iſta, Durçe, minus ſufficiunt, ſanè mihi abundè ſatisfaciunt, petoq; vt huic argumento reſpondeas: Si abſq; operibus legis iuſtificamur, ſi ei, qui non operatur, ſed credit in eum qui iuſtificat impium, fides ſua pro iuſtitia imputatur: Si ex operibus legis nullus homo iuſtificatur, ſi iuſtitia abſq; operibus imputatur, ſi gratis, ſi gratia, ſi dono Dei, deniq; ſi non niſi per fidem iuſtificamur, tum ſola fide iuſtificamur: antecedens verùm eſt: igitur & conſequens. Quid ergo particulam hanc (ſolam) requiris, quam vides tam multis ἰσοδυναμίαις abundè compenſatam? Qui enim te corpore, & non niſi mente cogitare dicit, is te ſola mente cogitare affirmat. Quanquam autem nos ſola fide iuſtificari ex ſcripturæ ſententia veriſſimè defendimus, tamen non id volumus eam fidem, qua iuſtificamur, eſſe ſolam, quem-

Rom.4.6.
Galat.2.16.
Ephes.2.8.9.
Rom.3.24.

quemadmodum deinceps dicemus. Tu iam contrà nostrum dogma falsissimum esse dicis, quod quidem nullo iudicio, nullo argumento, nulla scriptura facis.

Paulum verò non modò nusquam affirmare nos sola fide iustificari, sed hoc ipsum etiam planissimè negare contendis. Hoc tu nunquam scripsisses, si Paulum intellexisses, quem tui magistri parùm fideliter interpretantur. Id potes ex his duobus testimonijs perspicere, quæ nunc protulisti. Nam quòd primùm ait Apostolus,
Rom.2.13. *Non qui audiunt, sed qui præstant legem iustos fore*, vanam Iudæorum spem ac confidentiam euertit, qui quòd legem quotidie audirent, beatos se ac iustos esse sibi persuadebant, cùm tamen legem multis modis violarent. Quare Apostolus negat satis ad iustitiam esse, vt legem audias & cognoscas, nisi etiam legi satisfacias. *Si perpetuò in illis*
Esai.64.9. *stetissemus* (inquit Propheta) *seruati fuissemus*. Lex enim nullos iustos esse pronunciat, nisi qui legem omnem præstiterint. Hæc igitur verba ad eos pertinent, qui legis iustitiam sequebantur, & se legis obseruatione iustos esse existimabant. Si illam iustitiam consectaris, fac quod lex præcipit, & eris hoc modo iustus. Sed nihil minùs potes, quàm legem præstare: itaq; ad aliam iustitiam confugias, est necesse, quæ non operanti, sed credenti imputatur, nisi te fortè Abraha, Dauide, Paulo iustiorem esse putas, qui non præstanda lege, sed credendo iusti fuerunt. Duplex ergo iustitia est, legis, & Euangelij. Legis iustitiam istis verbis Apostolus definit, qua nullus

vnquam

vnquam homo præterquam Christus vnus, iustus esse potuit: Euangelij ea iustitia est, vt quisquis in Christum crediderit, non pereat, sed vitam æternam habeat. Iustus enim ex fide sua viuet. Hic ergo locus nihil contra fidei iustitiam valet, imò illam magis stabilem facit. Cùm enim iustitia legis in perfectissima legis obedientia consistat, & legi nullus homo obtemperare possit, hinc efficitur, nullam esse nostram in lege sed quęrendam esse nobis aliam in Euangelio iustitiam, quæ est remissio peccatorum, & reconciliatio, & iustitię Christi imputatio, gratis propter Christum Mediatorem donata.

Ioan. 5. 6.

Galat. 3. 41.

Quòd deinde Apostolus ait, Omnem fidem sine charitate nihil esse, fidem intelligit miraculorum, quemadmodum cùm ex ipsis verbis constat, tum Chrysostomus, & Oecumenius verè interpretantur. Sic enim apud Oecumenium legimus, πίστιν οὐ τὴν τῶν πιστῶν κοινὴν καὶ καθολικὴν λέγει, ἀλλὰ τὸ χάρισμα τὸ τῆς πίστεως. ἓν γὰρ τὸ χαρίσματος εἶδος ὁμωνύμως οὕτω τῇ πίστει λεγόμενον. Vides Apostolum ex huius interpretis sententia non de communi Christianorum fide, sed de alio quodam dono fidei loquutū esse. Quanquam vt de vera fide intelligi hunc locum demus, quid tandem aliud ex eo colliges, quàm veram fidem à charitate nunquam posse separari, quod est verissimum? Oportet enim hominē iustum vera charitate præditum esse, nec fides vnquam, qua iustificamur, carere potest charitate. Et si ergo hæc tibi verba aperta ac diserta admodùm videntur, nihil tamen ostendūt, quod cum nostro de solius fidei iustificatione dogmate,

1. Cor. 13. 2.
Chrysostomus in hunc locum.
Oecumenius in hunc locum.

te, minùs conueniat.

DVRAEVS, Fol. 10. 11.

De scripturarum statione deiectus, ad Patres confugis, quos tu à limine quidem salutaſse videris. Ambrosius sola nos fide iustificari dixit, non vt ea quæ fidem consequuntur opera à iustificatione excluderet, sed illa potiùs quæ in lege veteri fieri solebant. Sic enim ille eo in loco, Gentilem, dicit Paulus, pro certo habere quòd iustificetur credens, nulla faciens opera legis. *Eademq; de Pauli verbis Augustini sententia, de fide & operib. ca.14.* Cùm dicit Apostolus arbitrari se iustificari hominem per fidem sine operibus legis, non hoc agit, vt percepta ac professa fide, opera iustitiæ contemnantur, sed vt sciat se quisque per fidem iustificari, etiamsi legis opera non præcesserint. *Et de grat. & liber. arbi. ca.7. Ambrosius suam ipse sententiam disertis verbis expressit, in ca.13. ad Rom.* Manifestum est, *inquit,* quia vnusquisque operibus suis aut iustificabitur aut condemnabitur. *Ex fide denique iustificari hominem sine operibus legis ideo quis rectè dixerit, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè nuncupantur opera.*

Ambros. in c.3. ad Ro.

WHITAKERVS.

10 Nihil est quòd metuam Duræe, ne tu mihi scripturarum possessionem eripias, præsertim cùm scripturis aut raró admodum vtaris, aut imperitè ac pueriliter omnino abutaris. Sed Patres tibi procul dubio inprimis familiares sunt, qui quasi illorum seruus atriensis fuisses, me ad fores nunquam limenq; ædium earum in quibus illi habitant, accessisse dicis. Tu fælix, qui non modò salutare Patres à limine, sed cum illis etiã viuere ac pernoctare tam diu potuisti. Quanquã cur me Patrũ tantùm hospitẽ esse diceres, nulla causa

cauſa fuit, Tu enim in iſto libro, in quo quàm eſſes Patrum ſtudioſus, demonſtrare cupiebas, nihil attuliſti, quod mihi nouum atq; inauditum fuerit. Noli ergo de tua multiplici ſcientia nimiùm gloriari, atq; hanc nobis imperitiam exprobrare. Sed nunc ad rem. Ambroſium ais non illa opera excludere, quæ fidem conſequuntur, ſed illa potiùs, quæ in veteri lege fieri ſolebant. Hic ergo ſenſus erit Ambroſij, Sola fide iuſtificamur, id eſt, non iuſtificamur vllis operibus quæ in lege veteri præſcribuntur: ſic ſola fides opera tantùm ceremonialia, cuiuſmodi ſunt circumciſio, neomeniæ, Sabbati veneratio, à iuſtificatione remouet. Negare primùm non potes, quin nos ſola fide iuſtificari Ambroſius affirmet, atque hanc Pauli mentem & doctrinam eſſe ſcribat: in quo palàm vobiſcum pugnat, qui hoc axioma damnatis, quod tamen Ambroſius Paulinum eſſe ſtatuit. Cùm verò Paulum putauit Ambroſius opera duntaxat ceremonialia excludere, hîc à Pauli ſententia longiſſimè aberrauit, atq; aliter de Pauli mente Auguſtinus, & Hieronymus iudicarunt. Si vis ergo hanc Ambroſij interpretationem tueri, Hieronymum & Auguſtinum malos Pauli interpretes fuiſſe ſtatuas, eſt neceſſe. Id tantùm volui iſto Ambroſij teſtimonio declarare, hoc dogma atq; hoc Axioma Paulinum & Apoſtolicum eſſe, Nos ſola fide iuſtificari. Atq; vt Ambroſium intelligas in ea non fuiſſe ſententia, vt nos operibus noſtris iuſtificari exiſtimaret, ipſum audi Ambroſium in alio loco ſic ſcribentem; *Non operibus iuſtificamur, ſed fide:*

Ambros. de Iacob. & vita beata lib. 2. cap. 2.

quoniam carnalis infirmitas operibus impedimento est: sed fidei claritas factorum obumbrat errorem, quæ meretur veniam delictorum. Quod de Renatorum operibus intelligendum est, quoniam in ijs, quorum corda fides non purgauit, carnalis infirmitas non modò magnum impedimentum bonis operibus affert, sed ne patitur quidem aliquid ex se nisi impium ac vitiosum proficisci.

August. de fide & operib. ca. 14.

Augustinus verò, quem deinde profers, illorum vanam opinionem refellit, qui fidem mortuam, & operibus vacuam iactabant, quemadmodum ex postremis verbis capitis illius cognoscimus. *Quousque igitur falluntur* (inquit) *qui fide mortua sibi vitam perpetuam pollicentur?* Nos talem fidē inutilem quidem esse confitemur. Verùm hîc mihi, Duræe, visus es, si locum ipsum vidisti, nonnullam conscientię tuæ plagam intulisse. Cùm enim Augustini verba recitas, aliquid prętermittis, quod tuam defensionem maximè lędit. Sic in Augustino sequitur: *Sequuntur enim iustificatum, non præcedunt iustificandum:* In quo iustificationem nostram operibus adimit, quia facit iustificationem operibus priorem: Sic non bona opera iustificationem pariunt, sed iustificatio bona opera procreat. Hęc clausula tibi parùm placuit: quapropter pręcidendam putauisti, cautè quidem, sed parùm religiosè. Quòd autem alibi Augustinus probat non sufficere fidem, si quis malè viuat, sed oportere fidem per dilectionem operari, libenter sanè agnosco. Nec erat opus Ambrosio, qui diceret fore, vt vnusquisq; operibus suis aut iustificaretur, aut con-

August. de grat. & lib. arbit. ca. 7.

dem-

demnaretur. Idem enim est, quod Apostolus ait, Deum vnicuiq; redditurum secundum opera ipsius. Sunt enim opera omnibus manifesta, & mentem cuiusq; facilè produnt: quia sunt testimonia vel fidei cuiusquam, vel perfidiæ. Erit ergo expeditum iuxta opera iudicium, sed non proinde sequitur quenquam ex operum merito coram Deo iustificari, quia vita æterna est donum Dei, & qui operibus iustificantur, habent quòd glorientur, cùm tamen id ne Abrahæ quidem contigerit. Rom.2.6. Rom.6.23. Rom.3.27. Rom.4.2.

Illud verò tuum commentum, quod postremò subiungis, dici nos fide iustificari sine operibus, quia fides prima datur, ab omnibus meritò explodendum est. Quomodo enim erit fides prima, cùm vos ipsi charitatem fidei formam faciatis? Si est enim fidei forma charitas, fide charitas prior esse debet, quia forma est causa eius rei, quæ formatur. Verùm fidei scriptura non principium tantùm iustificationis nostrę, sed totam iustificationem tribuit. Qui sermonem meum audit, (inquit Christus) *& credit ei* qui misit me, habet vitam æternam. Ioan.5.24. Hæc est voluntas patris mei, vt qui videt filium, *& credit in eum*, habeat vitam æternam: & ego suscitabo eum vltimo die. Ioan.6.40. Si ergo iustificatio nostra & salus in vita æterna consistit, tum nobis integram iustificationem ac salutem fides affert. Quotquot (inquit Apostolus) receperunt eum, dedit eis potestatem vt filij Dei fierent: Ioan.1.12. tum mox adiungit, & quomodo Christus recipiatur exponit: *Qui credunt in nomen eius*, fides ergo Christum, in

quo omnes iustitię nostrę partes explete sunt, recipit, eoq; nos, non vt sophistæ somniant, aptos ad iustitiam nostris operibus conficiendam, sed perfectè vereq; iustos facit. Sed tu iustitiā quandam tibi proponis operariam, ac meritoriam, & vis tuis benefactis æternam vitam mercari. Precor Deum, vt tandem intelligas nihil esse hac tua spe atque opinione vanius, & veram iustitiam ac salutem in Dei nos propter Christum amplectentis, & peccata nobis remittentis misericordia quæras.

DVRAEVS, Fol.11.

*Basilius verò, quem eadem imperitia profers, cùm nos sola in Christum fide iustificari ait, illa demùm opera reijcit, quæ solis liberi arbitrij viribus facta, ad salutem sufficere superbi quidam homines existimabant. Totius enim concionis hic scopus est, vt ad humilitatem fideles hortetur, ne quis superbia elatus in suis viribus fiduciam collocet. Bonis verò Christianorum operibus, ex gratia fidei manantibus, quantum ipse ad veram coram Deo iustitiam consequendam ponderis inesse crediderit, illa [illegible] satis ostendunt in Psal.*110. Ne dicat quisquam sapientiam hanc in sola cōsistere scientia, subijcit intellectus bonus &c. non enim satis est fides, nisi & vitæ conuersatio fidei conueniens accedat. *Et in Psal.*117. Ne scientiam tibi satisfacere putes, propterea adiecit, qui ambulant in vijs eius, hoc est, qui timent & ambulant. Multi namque sunt, qui cùm fide satis accurata corruptè viuant, idcoq; omnium sunt miserrimi. Viæ verò Domini conuersationes sunt secundùm virtutem, quibus in cœlum tendimus. *Hæc ille, Tendere autem in cœlum, nihil aliud est, quàm iustificari.*

WHITAKERVS.

11 Essem quidem valde imperitus Duræe, si

te

te nescirem imperitum hoc in loco Basilij interpretem extitisse. Ita enim Basilius perspicuè claréq; loquitur, vt hanc tuam frigidam atq; indoctam commentationem facilè respuat. Etenim postquam omnia homini detraxisset, quæ possunt ampla & gloriosa existimari, tum quid sit in quo vera materia gloriandi consistat, postremò docet, idq; Prophetæ verbis, In hoc glorietur, qui gloriatur, se intelligere & cognoscere me, me esse Iehouam, id est, vt Paulum sequutus Basilius optimè interpretatur, omnem nostram & sapientiam, & iustitiam, & sanctificationem, & redemptionem in vno Christo collocari. Tum sequitur apud Basilium, *Hæc enim perfecta est & integra gloriatio in Deo, cùm quis non effertur sua iustitia, sed se vera iustitia vacuum esse nouit, sola verò in Christum fide iustificari.* Ita vides non esse aliquid nostrę iustitiæ tribuendum, quippe cùm vera iustitia careamus, & in sola Christi iustitia acquiescendum. Iam si sumus ἐνδεεῖς δικαιοσύνης ἀληθοῦς, vt Basilius scribit, id est, vera iustitia indigemus, satis intelligimus nullam esse a nostris operibus iustitiam quærendam, nec aliter nos posse quàm sola in Christum fide iustificari. Nunc quàm tu peritè Basilio respondeas videamus. Basilium ais his verbis ea demum opera reijcere, quæ solis liberi arbitrij viribus fiunt, non ex gratia fideq; manant. Sic te Duræe putas boni interpretis officio defunctum esse? Quis enim nescit, quæ ante gratiam & fidem opera fiunt, iustitiam non afferre, cùm peccata sint, atq; ex natura corrupta ac vitiosa profluanti

Iere.9.24.

1.Cor.1.30. 31.

Basil.in hom. de Humilit.

ant? Verùm de quo operũ genere loquutus Basilius sit, ex ipso Basilio multò melius, quàm ex tuis coniecturis intelligemus. Nam vt planè constet non tantùm de ijs operibus loquutum esse Basilium, quæ liberi arbitrij viribus fiunt, fidemq; & gratiam præcedunt, Pauli Apostoli exemplum adducit, quem & gratia & fide præditum fuisse non negabis. Sic enim proximis verbis apud Basilium sequitur, καὶ καυχᾶται Παῦλος ἐπὶ τῷ καταφρονῆσαι τῆς ἑαυτοῦ δικαιοσύνης. *In eo* (inquit) *Paulus*
Philip. 3. 9. *gloriatur, quòd suam iustitiam contemnat, quæratq; iustitiam illam quæ ex Deo est, per Christum in fide.* Ita enim omnem suam iustitiam Paulus non modò Pharisaicam, sed quamcunque etiam repudiat, ac deprecatur, & solam fidei iustitiam sibi relinquit, eaq; confidit. Cùm enim omnia
1. Cor. 4. 4. præstitisset opera bona, quę præstari à quoquam poterant, vt nullius rei sibi conscius esset, tamen in eo se esse iustificatũ negauit: absit à me (inquit)
Gal. 6. 14. gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.
Origen. in Rom. 3 lib. 3 *Vides Apostolum* (inquit Origenes) *non gloriantem super iustitia sua, neq; super castitate, neq; super sapiētia, neq; super cæteris virtutibus vel actibus suis.* Deinde cùm Petri etiam deinceps Basilius meminerit, quem fidelem fuisse & gratia præditum, opinor concedes, non tantùm illa liberi arbitrij opera reiecta à Basilio facilè intelligere potuisti. Etsi enim charitate & amore Christi omnes alios (vt Basilius inquit) superauit, tamen cecidit & Dominum negauit. Sic Basilium vides solius fidei iustitiam omnibus omnium operibus opponere, illumq; esse vera iustitia præditum,

qui suis operibus diffisus, in Christi solius iustitia spem omnem salutis posuit. Nam hæc quæ affers testimonia ex Basilij commentarijs, id tantùm docent, solam nudamq; scientiam, & illam fidem, quæ duntaxat in cognitione versatur, non sufficere ad salutem, quod quidem nos apertissimè semper profitemur. Itaq; *in vijs Domini ambulandum, & pijs conuersationibus* in cœlum tendendum nobis esse affirmamus, atq; hanc omnem Basilij orationem libentissimè suscipimus, sed hîc tuum argumentum non est prætermittendum. Sic enim disputas: Bonis operibus tendimus in cœlum, ergo bonis operibus iustificamur. Consimile est, ac si isto modo concludas, via Flaminia tendimus Romam, ergo via Flaminia est causa proficiscendi Romam. Sunt opera bona instar quidem viæ, atq; in ijs nos versari, & ad vitam æternam contendere debemus: sed antè sumus iustificati, quàm hanc viam ingredimur. Donec enim nos Christus in gratiam receperit, pedesq; nostros in viam pacis deduxerit, ab ea via quæ in cœlum tendit, toto cœlo aberramus. Præclarè Augustinus, *Ea ipsa opera quæ dicuntur ante fidem, quamuis videantur hominibus laudabilia, inania sunt. Ita mihi videntur esse, vt magnæ vires, & cursus celerrimus præter viam.* Quantùm verò Basilius operum nostrorum meritis tribuat, his verbis indicat: *Manet sempiterna requies illis, qui in hac vita legitimè certauerunt, non ob eorum merita factorum, sed de munificentissimi Dei gratia, in qua sperauerunt.*

August. in psal. 31. in præfat.

Basil. in psal. 114.

οὐ κατὰ ὀφείλημα τῶν ἔργων.

DVRAEVS, Fol. 12.

Quod ex Nazianzeno adducis, incautis te Lectoribus imponere velle satis arguit. Nihil enim aliud ille, quàm diuinis de rebus non temerè, sed ad sobrietatem, vt Paulus loquitur, sapiendum docet. Non ergo bonis operibus iustificari hominem negat, sed sublimem illam diuinarum rerum cognitionem, non esse homini ad salutem necessariam docet, cùm sine ea sola fides sufficiat. Quid verò absurdius, quàm hinc Nazianzenum opera exclusisse putare? Vt omittam, non vestro eum more dicere nos Christi iustitiam sola fide apprehendere, sed fidem ipsam nostram iustitiam appellare.

WHITAKERVS.

12 Nullum locum sine aliqua tua nostrûm accusatione prætermittis, cuius omnem æquitatem Lectori æstimandam facilè relinquo. Lutherum Campianus tuus reprehendit, quia nos sola fide iustificari docuit: ego sic antiquos etiam Patres docuisse & scripsisse ostendo: quare aut Lutherum nihil noui tradidisse, aut Patres antiquos eodem crimine accusandos esse contendo, quorum eadem vox, eademq; sententia fuit. Adduxi autem Nazianzenum isto modo loquentem: Δικαιοσύνη μὲν γὰρ καὶ τὸ πιστεῦσαι μόνον. .i. *Iustitia quidem est, vel credere tantùm*, quibus verbis soli fidei iustitiam tribuit. Si enim πιστεῦσαι μόνον sit iustitia, tum iustitia in sola fide consistit, quod nos verissimè docemus ac defendimus. Quid tu nunc ad hanc Nazianzeni tam illustrem sententiam respondes? Non negat (inquis) hominem bonis operibus iustificari. Sola nos fide iustificari affirmat, ergò bonis operibus nos iustificari negat.

Nazianze. περὶ εὐταξίας

Id

Id enim tantùm postulat vt credas, atq; in credendo iustitiam collocat. Satis ergo perspicuè remouet à iustitia præter fidem omnia. At (inquis) id tantùm docuit, sublimem rerum cognitionem non esse homini ad salutem necessariam. Si ergo rerum diuinarum cognitio, quę res egregia ac præclara est, nullum hominem iustificat, quandoquidem fides tantæ cognitionis expers sufficit ad iustitiam, tum operibus iustitiam, vel tua confessione derogat. Si enim qui omnem ętatem consumpsit in hoc pulcherrimo opere, vt rerum diuinarum cognitione abundare possit, tamen iustitiæ nullam partem assequutus est, profectò operibus nostris iustitiam non acquiri necesse est fateamur. Quod enim præstantissimo operi denegatur, id leuioribus concedi nullo modo potest. Et Nazianzenus non de certo quodam genere factorum loquutus est, sed generalem sententiam pronunciauit, atq; id tantùm cuiuis homini necessarium esse dixit, vt corde crederet ad iustitiam, & ore confiteretur ad salutem, quemadmodum Apostolus docuit. Fidem enim veram confessio sequitur, vt causam effectus. Sic fidei Apostolus & iustitiam & salutem assignat, quia confessionem fides gignit, & postquam in Christum credidimus, atq; hac fide veram iustitiam accepimus, confessione tanquam via ad salutem progredimur. Appellat autem fidem Nazianzenus iustitiam nostram, non quòd ipsa nos sua dignitate meritoq; iustos reddat, sed scripturarum more, quia Christi iustitiam apprehendit. Sic enim ait, Confitere lingua, & crede Rom. 10. 10.

Christum ex mortuis resurrexisse, & seruaberis. Iustitia enim est etiam credere tantùm. Sed hoc ità leue fuit, vt tibi ipsi dignum, quod omitteres, videretur.

DVRAEVS, Fol. 12. 13.

Ad Iacobi epistolam redeamus. Quando Iacobus (*inquis*) negat hominem iustificari ex fide tantùm, & ex operibus iustificari affirmat, loquitur de fide ficta & simulata. *Quis aliquando veterum sic hunc locum exposuit? Absit tàmen vt de ficta Iacobum fide loquutum in pij ac Catholici hominis mentem cadat. Quorsum enim diceret, cùm illa nihil efficacitatis habeat, quę non modò nihil saluti conducit, verùm etiam noxia valde est? Ergo illum de vera Christianaq; fide, loquutum esse necesse est. Quod ex allato Abrahami exemplo luce clariùs constat. An tu fictam in Abrahamo fidem fuisse existimas? Et tamen sola, quam habuit, fide licèt verissima iustificatum non esse Iacobus disertè pronunciat. Quid quòd de qua Apostolus fide loquatur, illa satis ostendunt.* Tu credis (*inquit*) quòd vnus est Deus, bene facis. *Adeòne demens eris, vt qui ficta fide Deum esse credit, bene tu eum facere existimes? Nihil ergo hac noua interpretatione putidius. Nam si de falsa fide fuisset loquutus, nunquam profectò dixisset, videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm.*

WHITAKERVS.

13 Iam ad Iacobum denuò accedis, eumq; non de ficta & mortua, sed de vera fide loquutũ esse tuo more demonstras. Ego verò de ficta fide loqui Iacobum, quemadmodum Campiano responderam, certissimis argumentis euincam. Sic enim sermonem Apostolus instituit: Quæ vtilitas

Iacob. 2. 14. (fratres mei) *si quis dicat se fidem habere, opera verò non habeat?* Ex hoc principio obscurum non est, qualem Iacobus fidem significet, in

quadam

quadam inani verborum iactatione positam, nullis operibus comprobatam. Quę enim fides opera non habet, ea ficta est: de hac autem fide, quę operibus caret, Iacobus loquitur, quemadmodum ex ipsis verbis liquet. Quare perspicuum est de ficta fide hunc Apostolum loqui. Id quod ex sequentibus etiam magis manifestum est. Nam de eiusmodi fide loquitur, quę nudis & egentibus, non nisi verbis atq; optatis succur-
rat, *Abite cum pace, calescite, & Saturamini*, ni- 15.
hil verò pręstet, quod illi desiderent. Hęc ficta
fides est, quam etiam Iacobus, quia factis caret, 16.
mortuam vocat. Si verò mortua est, ergo ficta
est, Tum concludit, eam demùm veram esse fi- 17.
dem, quę operibus demonstrari possit, cuiusmo- 18.
di cùm illa non sit, falsam fictamq; esse sequitur. Sed illud quod subiungit, omnem dubitationem tollit. Vísne enim doceri, quam fidem Iacobus neget esse ad iustitiam & salutem efficacem? Id
potes ex istis verbis cognoscere. *Tu credis Deum* 19.
vnum esse, rectè facis: & Dæmones credunt & contremiscunt. De fide ea loquitur, quæ in ipsos etiam Dæmones cadit: at ea fides ficta est, & simulata, & mortua, ergo hæc illa fides est, qua nos sola iustificari Iacobus negat. Nunc mihi ad tuam Confutationem facilis responsio ostenditur. Primùm enim, quòd quæris quis veterum sic locum istum exposuerit, vt omnes veteres hunc locum aliter explicarent, ego tamen ipsis verbis fretus sic omninò explicandũ esse contenderem. Sed æquius fuit, quando istã expositionem improbas, vt quis veterum aliter hunc

hunc locum exponeret, ipſe declarares. Tamen petitioni tuæ ſatisfaciam. Sic enim dico hunc locum ab Auguſtino expoſitum eſſe, cuius hæc verba ſunt: *Iacobus vehementer infeſtus eſt eis, qui ſapiunt fidem ſine operibus valere ad ſalutem, vt illos etiam dæmonibus comparet*. Vides ergo Iacobum ex Auguſtini ſententia, de fide ficta operumq; vacua loqui: Nam dæmoniacam eſſe fictam nemo dubitat. Atq; ex hac Iacobi diſputatione ad extremum colligit, *Quouſque igitur falluntur, qui fide mortua ſibi vitam perpetuam pollicentur?* Et alio in loco Auguſtinus, *Iacobus*, inquit, *in Epiſtola ſua contra eos, qui nolebant bene operari, de ſola fide præſumentes, ipſius Abrahæ opera commendauit*. Ero vnius Auguſtini iudicio contentus, quouſq; tu nobis veterum aliquem oſtenderis, qui locum hunc aliter putarit exponendum. Reſtat nunc vt tuas ratiunculas excutiamus, quibus hanc veriſſimam expoſitionem noſtram euertere conaris. Quorſum, inquis, id diceret, cùm ficta fides non modò nihil ad ſalutem conducat, ſed ei etiam noxia ſit. Ficta hæc fides, contra quam Iacobus diſputat, eſt nuda religionis notitia, cuius externa profeſſione multi ſibi iuſtitiam ac ſalutem promittebant. Hanc falſam quorundam perſuaſionem Iacobus diluit, eaq; fide, quæ tantùm in iſta rerum diuinarum cognitione conſiſtit, neminem iuſtificari poſſe conuincit. Hanc eſſe Apoſtoli mentem ex Auguſtino diſcere potuiſti, cuius hęc verba ſunt: *Homines non intelligentes, quòd ait Apoſtolus, Arbitramur iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis,*

Auguſt. de fide & operibus. c. 14.

Auguſt. in Pſalmum 31. in præfatione.

Auguſt. de grat. & lib. arbit. c. 7.

legis, putauerunt eum docere, sufficere homini fidem, etiamsi malè viuat, & bona opera non habeat. Tum mox: *Ipsa est fides, quæ fideles Dei separat ab immundis Dæmonibus: Nam & ipsi, sicut dicit Apostolus Iacobus, credunt & contremiscunt, sed non benè operantur.* Et alibi, *Quoniam* (inquit) *hæc opinio tunc fuerat exorta* (fidem mortuam iustificare) *Apostolicæ epistolæ, Petri, Ioannis, Iacobi, & Iudæ contra eam maximè dirigunt intentionem, vt vehementer astruant fidem sine operibus nihil prodesse.* Adiungis, id ex Abrahami exemplo manifestum esse, & quæris an ego fictam in Abrahamo fuisse fidem existimem. Nullo modo Duræe; Abrahæ enim veram viuamq; fidem fuisse scriptura prædicat, quod fuit ex illius operibus atque obedientia manifestum. Hanc veram Abrahæ fidem, quam ille suis factis declarauit, horum inani opinioni dissimillimam fuisse Apostolus contendit. Quod autem ais, Iacobum pronunciare, Abrahamum non fuisse sola fide iustificatum, licèt verissima, id ego apud Iacobum nusquam inuenio. Ait quidem Iacobus illum operibus iustificatum esse, hoc est, iustum declaratum, quia veræ fidei, qua iustificamur, fructus veros protulit, quando Isaacum obtulit. Itaque hunc non mortua, sed vera fide præditum fuisse res ipsa comprobauit, qualem isti homines iactitabant, non ostendebant. Atq; hoc est, quod Abrahæ angelus dixit, Nunc expertus sum te timere Deũ, cùm nõ subtraxeris filiũ tuum vnicũ à me. Hoc facto iustificatus fuit Abrahamus, quia se verè in Deum credere testatus est, atq; eo modo vt

August. de fide & operib. c. 14.

Gen. 22. 12.

do vt Apostolus ait, impleta scriptura fuit, & omnes verum esse perspexerunt, illum Deo credidisse, atque hoc ei ad iustitiam imputatũ esse. In quo fidei solius iustitiam Iacobus nullo verbo violauit.

Id verò quod sequitur, *Adeoné demens es, vt qui ficta fide Deum esse credit, eum bene facere existimes:* Vide (quæso) quorsum spectet, & tecum reputa quem ista oratio perstringat. Non enim mea hæc sunt, sed Apostoli, quæ reprehendis. Sic enim Iacobus: *Tu credis Deum vnum esse, bene facis: & Dæmonia credunt, & contremiscunt.* Quòd ergo istos homines bene credere affirmat, idipsum etiam credere dæmones docet, ex quo hanc fidem, qua bene credunt vnum esse Deum, fictã esse intelligimus, cùm eam Iacobus dæmonibus etiam tribuat. Si eum, qui hoc dicit, dementem vocas, in spiritum sanctum atq; in Apostolum apertissimè blasphemus es, à quo edocti sumus impios homines, & dæmones vnum esse Deum credere, & rectè, quia non falluntur multorum Deorum falsa opinione, & credunt quod est verissimum, quodq; omnes credere, necessariò debent. Quod autem nos Iacobus ex fide tantùm iustificari negat, id de hac inani, ficta, mortua, imaginaria, caduca, diabolica fide intelligendum esse, totum Apostoli argumentum clarissimè euincit.

DVRAEVS. Fol. 13. 14.

Iacobus, *inquis*, hominem iustificari ait ex operibus, id est, iustum comprobari, declarari, demonstrari. *Magnæ scilicet*

Apostolo curę fuit, qua demùm ratione iustitiæ opinionem apud homines consequeremur, de vera autem iustificatione, qua coram Deo iusti efficimur, non fuit solicitus. Apage verò has nugas, vide etiam obsecro, (si quid videre potes) quàm sibi bellè ista cohæreant, fidem illam vestram operibus comprobari, demonstrari, declarari, quæ tamen omnia nihil esse aliud, quàm inquinamenta, & sordes, & veram iniquitatem apud Deum aßeritis. Quid hoc monstri est Whitakere? Eundem hunc errorem, quem tanto vos studio tueri conamini, Eunomio hæretico Augustinus tribuit, ad Quodvuld. hæres. 54. Quod verò affers ex Augustino lib. 83. quæst. 76. commentum vestrum planè refellit, & Catholicæ ecclesiæ dogma confirmat. Quis enim unquam Catholicus operibus vel fidem præcedentibus, reclamante Paulo, iustitiam tribuit, vel sequentibus, asserente Iacobo, negauit? Vestra certè hæc somnia sunt, qui neque præcedentibus fidem operibus, nec sequentibus quicquam tribuendum esse docetis. Atque hæc quidem de iustificationis dogmate breuiter scribo. Rem enim hanc pro dignitate tractare alterius loci eße intelligis.

WHITAKERVS.

14 Interpretationem huius loci nostram, quia commouere atque euertere non potes, eludere tamen aliquo modo conaris, & tum clamas, *Apage has nugas*: quæ si tibi displiceant nugæ, nihil est, quòd nobis succenseas: tuæ enim sunt, non nostræ. Quis enim nostrum hunc Apostolum dixit id tantùm docere voluisse, quemadmodum possis iustitię quandam opinionem apud homines conciliare, de vera autem iustitia nihil tradidisse? Quasi qui præscribit, quibus iudicijs atq; argumentis te vera iustitia præditum esse comprobes, is minimè sit de vera iustificatione solicitus. Cùm enim Iacobus iustitiæ fructus proponit, veramq; iustitiam, ex necessarijs & perpetu-

is

is effectis demonstrat, nonne veram iustitiam à falsa iustitiæ opinione distinguit, & de vera iustificatione, qua coram Deo iusti sumus, se esse solicitum declarat? Sin id minimè tibi curandum videtur, possimúsne iustitiam nostram hominibus testatam facere, vt nos esse iustos omnes intelligant, quamobrem Apostolus ait, *Ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego ostendam tibi ex operibus meis fidem meam?* Nullam ergo fidem Iacobus putat esse veram, nisi quæ possit factis veræ fidei proprijs agnosci, nec vlli iustificantur coram Deo (infantes semper excipio) nisi qui se iustos esse veris operibus testantur. Deinde istam interpretationem non ipsi inuenimus, sed ab ijs accepimus, quorum tu iudicium respuere non potes, quia nec Lutherani fuerunt, & summa semper authoritate apud tuos valuerunt. Sic enim Thomas (Deus bone, vt tuis verbis vtar, quantus vir?) hunc huius Apostoli locum exposuit. *Hîc loquitur de operibus sequentibus fidem, quæ dicuntur iustificare, non secundùm quod iustificatio dicitur iustitiæ infusio, sed secundùm quod dicitur iustitiæ exercitatio, vel ostensio, vel consummatio.* Hunc tu nugatum esse minimè dices, Duræe, nec debes de tuo magistro tàm iniquè iudicare. *Consummationis* autem vocabulum quam vim habeat, ex alijs eiusdem verbis disce: *Fides consummata est, id est, augmentata, & comprobata, & ostensa. Gen. 22. Nunc cognoui quòd timeas Deum.* Sic etiam Glossa ordinaria in illum locum scribit, Abrahamum esse iustificatum sine operibus sola fide, sed tamen oblationem filij fuisse

Iacob 2.18.

Thomas Aqui. in Iacob. 2.

Glossa ordina. in Iacob. 2.

testimo-

testimonium fidei ac iusticiæ. Quid amplius desideras, aut quid scribi illustrius à quoquam potuit?

Sed iam progrederis, vt soles, & cum monstro, nescio quo, dimicas. Nos enim nullum huiusmodi monstrum, quale tu fingis agnoscimus, & qualecunq; est, tuum esse affirmamus. Obsecro enim Duræe, tuamq; conscientiam appello (si fortè non omnem conscientiam præiudicio amisisti) nostrúmne hoc dogma est, Iustificatorum & renatorum opera nihil aliud esse, quàm inquinamenta, & sordes, & veram iniquitatem? Siccine putabas quemquam desipere, vt tibi ista scribenti crederet? Piorum opera dicimus esse Dei dona, Deo placere, ijsq; amplissimam & promitti, & persolui mercedem: tamen non esse perfecta, quemadmodum lex diuina postulat, nec omni vitio carere, propter illam peccati contagionem, quæ naturam nostram corrupit, nec penitus in hac vita extirpari potest. Opera verò piorum sic Deus probat, quemadmodum pios ipsos suscipit. Etsi enim pij multis vitijs laborant, illos tamen Deus propter Christũ amat: sic opera nostra, quanquã non omnino perfecta, recipit Deus, ac remuneratur, sibiq; grata esse testatur. Verùm vt opera Sanctorũ nihil sint aliud, quàm sordes, quàm inquinamẽta, quàm iniquitas, id à nostra sententia longissimè alienum esse profiteor.

Eunomio verò quòd nos similes esse dicis, in eo nobis omnibus luculentam iniuriam facis. Sic de Eunomio scribit Augustinus, *Fertur etiam vsque adeò fuisse bonis moribus inimicus, vt assereraret,* quòd

Augustin. ad Quodvult. cap. 54.

quòd nihil cuiquam obesset quorumlibet perpetratio, ac perseuerantia peccatorum, si huius, quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset. Hoc nos dicimus? hoc docemus? Christus suã causã, nostramq; innocentiam vindicet. Honestam vitam Eunomius à vera fide disiunxit, nos veram fidem nunquam à sanctis moribus separamus: omni sceleri impunitatem Eunomius concessit, nos vitam æternam nullis, nisi qui piè sanctéq; viuunt, pollicemur. Itaq; Eunomium, flagitiosæ vitæ magistrum, atq; omnes tam perditæ sectæ discipulos damnamus. Tamen tu nobis Eunomianam sententiam impingis. Augustinus in eo loco, in quo duorum Apostolorum sententias conciliat, fidei iustitiam tribuit, operibus adimit: hoc nostrum commentum, vt tu ais, non refellit. Deinde, Iacobum de inani fide loquutum esse scribit: sic enim ait, *Et alius dicit, inanem esse fidem sine operibus*: Quare quòd Abrahamum Iacobus operibus iustificatum esse dicit, id intelligit, eum fuisse non inani sed vera fide & iustitia præditum, vereq; iustum suis factis declaratum: hoc vestrum commentum palàm refellit. Operibus verò tantùm nos deferimus, quantùm esse omnino deferendum ex scripturis didicimus. Non enim ex operibus nostris nouum nobis Christum fabricamur, vt eorum nos meritis iustos fieri, & vitam cœlestem consequi speremus. Hæc opera, hanc iustitiam, hoc cœlum vobis libenter relinquimus. Sed hanc causam alio loco tractabis: nam hactenus nihil profectò docti hominis existimatione dignum attulisti.

August quæst. 83. q. 76.

DVRAEVS.

DVRAEVS, Fol. 14. 15.

Tobiam, Ecclesiasticum, Maccabæos, atque alios complures libros è Canone repentè vos dispunxisse Campianus asserit. Quo in loco mirum quàm tua exultet oratio, quod Sapientiam, quæ vulgò Salomonis inscribitur, & Iesu filij Syrach librum, & Iudith, & Tobiam in Canone non esse Hieronymus asserat: sed vide, ne ante victoriam triumphum canas. Quis enim non miretur tantum Theologum nondum didicisse non omnes Canonicæ scripturæ libros eodem tempore ab vniuersa Catholica Ecclesia receptos fuisse? Et olim de nonnullis sacræ scripturæ libris à plerisq; dubitatum fuit, de quibus ne vos ipsi quidem nunc dubitandum esse, dicere audetis. Hos libros Hieronymus Iosephum sequutus in Canone non esse asseruit. Certè in Concilio. 3. Carthag. Can. 47. suscepti sunt cuius Concilij Canones Synodus Constantinopolitana probauit, Can. 2. & Florentinum in epist. Eugen. ad Armenios, & Tridentinum. Neq; obscurum est multis ante Lutherum seculis ab omnibus prorsus Ecclesijs in Canone habitos atque receptos fuisse. Ridiculè verò Caietanum nobis obijcis: Quanquam sit in ea re multò quàm decebat arrogantiùs loquutus, quod ante nos Catharinus, & Canus censuerunt.

WHITAKERVS.

15 Magnum illud crimen fuit, quod nobis Campianus obiecit, quando nos sacros libros, & quidem repentè è Canone dispunxisse scripsit, quasi omnes audacia, quicunq; in ecclesia extiterunt, vicissemus, & qui libri semper habiti pro Canonicis fuerunt, subitò de Canone sustulissemus. Itaque Hieronymum & Epiphanium adduxi, quorum scripta cum nostro de his libris iudicio consentiunt, vt omnes nullum librum repentè à nostris dispunctum esse per- *Hierony. in prolog. Galeat.*

Epiphan. de mensu. & ponder.

ſpicerent. Quando autem negare non potes, quin horum Patrum ſententia eadem planè fuerit quæ noſtra eſt, aliquid tamen quod reſponderes excogitaſti, quod cuiuſmodi ſit, omnes cupio conſiderare. *Non omnes* (inquis) *Canonica ſcripturæ libri eodē tempore ab vniuerſa Eccleſia recepti ſunt.* Hoc quidem, quod dicis aliquid fuiſſet, ſi hos libros Hieronymus in medio reliquiſſet, nec ſuum de illis iudicium palàm pronunciaſſet. Cùm verò hos omnes Hieronymus tam ſæpè Canonicos eſſe neget, & diſertè Apocryphos vocet, in eo perpetuum Eccleſiæ iudicium proculdubio declarauit. Niſi enim hos eſſe Apocryphos Eccleſia iudicaſſet, non eos Hieronymus ſemper in Apochryphis numeraſſet: diſertè autem ſcribit, *Eccleſiam legere quidem illos libros, ſed tamen inter Canonicas ſcripturas non recipere,* quod de Chriſtianorum eccleſia intelligendum eſt, quandoquidem Iudęorum eccleſia hos libros ne quidem legit aliquando. Quale igitur eo tempore, quo Hieronymus vixit, eccleſiæ fuerit de iſtis libris iudicium, ex hoc Hieronymi teſtimonio, clariſſimè cognoſci poteſt. Deinde cùm ipſe hos libros Hieronymi ętate nondum receptos fuiſſe fatearis, doce ergo quo primùm tempore fuerint ab vniuerſa eccleſia recepti, vt quando Canonici eſſe cæperint intelligamus. *Certè* (inquis) *in Concilio 3. Carthag. in librorum Canonicorum numerum aſcripti ſunt.* At hoc Concilium non fuit Oecumenicum: nõdum igitur hos libros ab omni Eccleſia probatos eſſe intelligo. Imò (inquis) huius Concilij Canones Oecumenica ſynodus

Hieronym. præfat. in lib. Salomon.

Conſtan-

Conſtantinopolitana probauit. Ita non ante ſeptingentos ferè annos à Chriſto vel tua confeſſione recepti hi libri ab vniuerſa Eccleſia fuerunt. Quid interim de florentiſſimis illis ſuperiorum temporum Eccleſijs ſtatuemus, in quibus hi libri non ſunt publicè recepti atq; approbati? Iam ergo ſi tempus ipſum reputemus, quod inter horum librorum editionem atq; hoc Concilium Conſtantinopolitanum interceſſit, pluſquàm mille annos fluxiſſe reperiemus, ex quo Eccleſiaſticus, Iudith, Tobias, liber Maccabæorum, Sapientia, Baruch & reliqui dicuntur eſſe à ſuis authoribus conſcripti. Hinc ſequitur hos libros pluſquàm mille annis ſine authoritate Canonica iacuiſſe, quod de diuinis ſacriſq; libris ſine ſcelere affirmari non poteſt. Quis enim dixerit Eccleſiam tam multorum ſeculorum libros tam multos à ſpiritu ſancto eccleſiæ commendatos nec recepiſſe, nec agnouiſſe? Auguſtinus quando quærit vnde intelligi poſſit qui libri Canonici ſint, duarum rerum neceſſariam eſſe conſiderationem docet, vt habeant primùm teſtimonium illius eccleſiæ, in qua author vixit, deinde continuam ſubſequentis eccleſiæ cõteſtationem. His autem libris vtrumq; deeſſe animaduerto. Nam Iudæorum eccleſia eos ſemper repudiauit, à qua tamen, ſi Canonici fuiſſent, recipi omnino debuiſſent: nec ſequens eccleſia pro Canonicis habuit, quemadmodum ex omnium ferè Patrum libris, & temporum hiſtoria cognoſcimus. Origenes apud Euſebium non plures agnoſcit veteris Teſtamenti libros Canonicos, quàm

Auguſt. contra fauſtum li. 33. c. 6.

Euſeb.lib.6. cap.25. ἐνδιαθήκους. Cyril. Hieroſoly. κατηχ. δ.

quos Hebræi recipiunt. Cyrillus Hieroſolymitanus eoſdē tantùm ab omnibus Chriſtianis ſuſcipiendos & legendos eſſe acerrimè contendit, aitq́; Apoſtolos, & veteris eccleſiæ Epiſcopos, qui nobis erant multò ſapientiores, hos ſolos eccleſiæ tradidiſſe. πρὸς δὲ τὰ ἀπόκρυφα μηδὲν ἔχε κοινόν: *cum Apocryphis* (inquit) *nihil tibi rei ſit.* Nihil aut diſertiùs aut vehementiùs dici potuit. Athanaſius in Synopſi hos ipſos enumerat, tum adiungit, *Præter iſtos autem ſunt adhuc alij eiuſdem veteris inſtrumenti libri, non Canonici, qui Catechumenis tantùm leguntur.* Nazianzenus eundem numerū proponit in verſibus, atq; ad extremum hoc modo ſcribit, ἀρχαίας μὲν ἔθηκα δύω καὶ εἴκοσι βίβλους, τοῖς τῶν Ἑβραίων γράμμασιν ἀντιθέτους. .i. *veteris Teſtamenti libros viginti duos poſui, Hebræorum literis pares.* Ruffinus author antiquus, vel quiſquis ille fuit, qui ſymboli expoſitionem edidit, quam in Cypriani libris legimus, totidem omnino recenſet Canonicos: de reliquis ſic ſcribit, *Sciendum tamen eſt, quòd & alij libri ſunt qui non Canonici ſed Eccleſiaſtici à maioribus appellati ſunt, vt eſt Sapientia &c.* Iſtis annumera Hieronymum atq; Epiphanium, quorum idem eſt de libris Canonicis atq; Apocryphis teſtimonium. Hi Patres tam multi, tam clari, qui tam varijs & temporibus, & locis vixerunt, non minùs apud nos in hac cauſa valere debent, quàm ſi ipſam Eccleſiam illorum temporum loquentem audiremus. Nam qui erant his illuſtriores, aut ſi illius eccleſiæ iudiciū ſcire volumus, quos potiùs quàm iſtos, conſulemus? At hi, vt vides, eoſdem agnoſcunt Canonicos libros,

Athanaſ. in Synop. in Princip.

Nazianzen. περὶ τῶν γνησίων βιβλίων.

Cyprian. in expoſit. Symb. Hieron. Epiphan.

quos ipsi nos agnoscimus: eosdem pro Apocryphis reijciunt, quos ipsi reijcimus.

Quid tu nunc his testimonijs conuictus, habes quod respondeas? *De nonnullis* (inquis) *libris olim dubitatum fuit, de quibus vos non audetis nunc dubitare.* At de his libris Ecclesia Iudæorum, quę sola olim Christi vera Ecclesia fuit, & hi Patres minimè dubitarunt. Nam illa Iudæorũ Ecclesia hos libros semper reprobauit, & hi Patres nullos libros in Canonicis numerãt, nisi quos Iudæi pro Canonicis habuerũt. Quicquid est enim in veteri Testamento Canonicum, id Iudæis traditum fuit, queadmodũ Apostolus ad Romanos disertè scribit, *Eis credita sunt eloquia Dei*: at hi libri Iudæis traditi non sunt, quia ne Hebraicè quidem scripti sunt: Dei igitur eloquia non sunt. Et vetus quidem testamentũ illud est: Habent Mosen & prophetas: Exorsus à Mose & omnibus phophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis de ipso. Omnes ergo veteres scripturæ Mose ac prophetis continentur. Studens eis persuadere (inquit de Paulo Lucas) ex lege Mosis & prophetis: Omnia (ait Christus) quę scripta sunt in lege Mosis, & Prophetis, & Psalmis de me: atq; Apostolus Ecclesiam in fundamento prophetarum, & Apostolorũ edificatam esse scribit, quia doctrina prophetica & Apostolica nititur. Cùm autem hi libri à prophetis nec scripti nec approbati fuerint, certè prophetici non sunt. Et Apostolus ait, Deum olim loquutum esse Patribus per prophetas: cùm ergo hi prophetæ minimè fuerint, Deum non esse per illos loquutum sequitur.

Rom. 3. 2.
Luc. 16. 29.
Luc. 24. 27.
Act. 28. 23.
Luc. 24. 44.
Ephes. 2. 20.
Heb. 1. 1.

Hîc tu mihi Concilium Carthaginense obijcis, ego tibi Laodicenum refero, quod illo non multò antiquius fuit, in quo ijdem libri veteris Testamenti recensentur, quos nostræ ecclesiæ pro sacris & Canonicis agnoscunt, nec vlli omnino alij: clareq; præcipitur, *ne aliqui prætereà legantur, & in authoritatem recipiantur*. Carthaginense autem Concilium in suo Catalogo, quinq; libros Salomonis recenset, cùm tamen non nisi tres esse Salomonis satis constet. Nam Sapientiæ liber Grecè scriptus est, vt veteres iudicarunt, & Ecclesiasticum non Salomon, sed filius Syrachi composuit: & Canonicos hos libros Concilium vocauit, quia morũ norma peti ex illis potest, non quia fidei normam continent, quemadmodũ Caietanus obseruauit. Constantinopolitanum verò Concilium, inquis, huius Carthaginensis Canones approbauit. Quid miri? Nã & Laodiceni etiam Canones sanciuit, in quo illi negantur esse Canonici, & omninò vel legi prohibentur: & Canones etiam Apostolicos approbauit, in quibus tres Maccabæorum libri in Canonicis ponuntur, cùm tamen Carthaginense duos tantùm nominet, & Sapientiæ, Iudith, Tobiæ, libri prætermittantur. Et vide verò etiam atq; etiam Duræe, ne huic Concilio nimiùm tribuas, à quo nostri Honorium pontificem Romanũ pro hęretico damnatum esse, cùm hæresis nunquam possit in Papam cadere, vt tu existimas. Quid verò Florentinum, & Tridentinum decreuerit, nihil est, quod mihi narres, qui nulla horum Conciliorum authoritate commoueor.

Concil. Laodic. cap. 59. ἀλλ' ἢ ἀκανόνιστα βιβλία.

Constanti. Concil. Can. 2 Act. 12.

Apost. can. 85.

Quòd autem ais, non obſcurum eſſe multis ante Lutherum ſeculis hos libros pro Canonicis ab omnibus prorſus Eccleſijs receptos fuiſſe, quaſi poſt Carthaginenſis & Conſtantinopolitani concilij decreta nullus vnquam Chriſtianus de illis dubitarit, quemadmodum iſti ſolent contendere poſt Eccleſiæ ſententiam nefas eſſe aliter omnino iudicare, nulli quidem obſcurum eſſe poteſt, quàm hoc à te dicatur inconſideratè. Ego contrà palàm vereq; affirmo hos libros nunquam vllis temporibus ab omni Eccleſia pro Canonicis & diuinis habitos fuiſſe, quod paucis teſtimonijs apertiſſimè demonſtrabo. Poſt Synodum Conſtantinopolitanam Damaſcenus vixit, & ſuos de Orthodoxa fide libros edidit, in quibus non plures, quàm viginti duos veteris Teſtamenti libros numerat. Sapientiam Salomonis & Ieſu librum laudat quidem, ſed in ſacris non reponit. De Tobia verò & Iudith, & Maccabæorum hiſtorijs ne verbo ſanè meminit. Hugo de S. Victore, hos libros legi quidem ait, *Sed in corpore textus, aut in Canone authoritatis ſcribi negat.* Lyranus de libris Apocryphis idem prorſus ſtatuit, quod nos, quem doctum fuiſſe virum, & rerum peritum, & Romanæ Eccleſiæ alumnum non ignoras. Hugo Cardinalis magnam apud te authoritatem habeat eſt neceſſe, niſi tibi Cardinales parùm Catholici videntur, aut minùs quàm oportuit ſapientes. Huius hi verſiculi ſunt qualeſcunq;: *Reſtant Apocripha, Ieſus, Sapientia, Paſtor: Et Macabæorum libri, Iudith, atq; Tobias. Hi quòd ſunt dubij, ſub Cano-*

Damaſcen. cap. 58. in Græc. viron.

Hugo de S vict. in prolog. lib prim. de ſacramen. cap. 7.

Lyran in prolog. in lib. Apocryph.

Hugo Cardi. in prolog Ioſue.

ne non numerantur: *Sed quia vera canunt, Ecclesia suscipit illos*. Si quemadmodum hos ecclesia recipiat, quæris, ipse tibi Cardinalis respondeat: *Tales* (inquit) *recipit ecclesia, non ad probationem fidei, sed ad morum instructionem*. Ne verò hunc tantùm Romanæ Ecclesiæ Cardinalem sic sensisse putes, Caietanum etiam Cardinalem nostri totum esse in hac causa nostrum. Ex his horum scriptis, non obscurè perspicimus libros illos, quos nostrę Ecclesiæ Apocryphos esse statuunt, nunquam hactenus ab omni Ecclesia pro Canonicis & sacrosanctis habitos fuisse. Cum Caietano Canum & Catharinum litigare facilè patior: quanquam nihil est, quamobrem non vnum Caietanum multis Canis & Catharinis anteponam. Sed bene habet: Romani Cardinales hos libros non esse Canonicos testantur, qui si fuissent ab omni Ecclesia pro Canonicis recepti, id illi ignorare minimè profectò potuissent. Cùm autem non illi modò, sed alij etiam celeberrimi authores hos esse Canonicos negent, quàm tu verè dixeris esse hos ab omni prorsus Ecclesia habitos pro Canonicis, facilè nunc omnes iudicare possunt.

In prolog. Hierony. in lib. Regum.

Caietanus. in fine comment. in histor. vet. Testament.

DVRAEVS, Fol. 15. 16. 17.

Quòd nos ais Apocryphos libros, & traditiones quasdam ἀγράφους sacris Dei scripturis exæquare, *tui in hoc satis es similis. Atq; vt veteri fertur prouerbio, Simia semper simia est. Quibus enim hæreticis olim familiare non fuit, ad solum Dei verbum scriptum prouocare? Nos Patrum vestigijs inhærentes, Paulo potiùs quàm vobis parebimus*: State (*inquit*) & tenete Traditiones

tiones, quas didicistis. *Et Tertullian. de Coron. milit.* Hanc si nulla scriptura determinauit, certè consuetudo corroborauit, quæ sine dubio de Traditione manauit. Ergo quęramus an & Traditio non scripta nō debet recipi. *Et Basil. de spiritu sanc. cap.27.* Quędam habemus à doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum Traditione. *Et Augustinus de Cypriano lib.5. contra Donat. ca. 26.* Ad fontem recurramus, id est, ad Apostolicam Traditionem. *Et lib.2. de Baptis. contra Donatis. de baptismo non repetendo loquens:* Quā consuetudinem credo ab Apostolica Traditione venisse. *Et lib.10. de Gen. ad lit. ca.23. de paruulorum baptismo,* Nec omnino credenda nisi Apostolica esset Traditio. *Deniq; ad Ianuar. Epistola* 118. Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, &c. *Et ad Casulanum,* In his rebus, de quibus nihil certi statuit diuina scriptura: mos populi Dei, vel instituta Maiorum pro lege tenenda sunt.

WHITAKERVS.

16 Si Traditiones ἀγράφους, Durę, sacris literis exæquandas esse negas, nec tui quidē es, nec tuorum similis. Nam Tridentinum Conciliū vnà cum veteris nouiq; Testamenti libris *Traditiones etiam pari pietatis affectu & reuerentia suscipit ac veneratur*. Quorsum ergo tuum illud de Simia prouerbium spectauit, nisi quòd vestras illas traditiones simijs magis quàm Christianis consentaneas esse iudicares? *Sed omnibus,* inquis, *hæreticis familiare semper fuit ad solum Dei verbum scriptum prouocare.* Non fuit. Quàm multi enim hæretici scripta quædam occulta, & libros Apocryphos, & traditiones tacitas venditabant? An nescis quantùm Manis sui fundamento tribuerint Manichæi? Quid alios commemorem, qui scripturas contemnebant, chartas suppositias affere-

Decret. 1. Sess. 4.

Tertul. de resurrect. carnis. afferebant? Et semper hæreticorum illud vestrum familiare fuit, nolle in solis scripturis acquiescere. *Aufer* (inquit Tertullianus) *hæreticis, quæ cum Ethnicis sapiunt, vt de scripturis solis quæstiones suas sistant, & stare non poterunt.* Quare ad solas scripturas prouocare non hæreticorum est, sed eorum qui quæstiones hæreticas euertere ac refutare volunt. Paulus autem, in cuius vestigijs vellem inhæreres, *2. Thess. 2. 15.* Traditionis nomine doctrinam traditam significat, quam primò verbis pòst scriptis Thessalonicenses docuit. Hanc doctrinam verbis scriptisq; expositam iubet Thessalonicenses Apostolus tenere, non de incertis quibusdam traditiunculis laborare. Tertullianus in libro Pręscript. se solis scripturis cõtentum esse satis indicat. *Tertul. de præscrip.* Sic enim ait: *Nobis curiositate opus non est post Christum Iesum, nec inquisitione post Euangelium. Cùm credimus, nihil desideramus, vltra credere: hoc enim primùm credimus, non esse quod vltrà credere debeamus.* Ita vides cùm primùm cæpimus Euangelio credere, nihil aliud quod credamus desiderari. Sic quidem Tertullianus scripsit Catholicus: pòst autem factus Montanista multas Traditiones commemorat ex illius hæreseωs instituto. Quanquam ex illis tam multis Traditionibus, de quibus in libro de Corona militis tantopere contendit, nullas Ecclesia nunc vestra pręter vnam Crucis signandæ retinet. Næ tu malus es Romanæ Ecclesię patronus, qui Montanistam Tertullianum pro traditionibus vestris loquentem introducis, & illas tamen Traditiones vrges, quibus Ecclesia Romana

mana iam olim vti desijt. Basilium verò Erasmus in hoc loco corruptum esse putat, quod eò magis credibile est, quò ipsum alibi aliter omnino scripsisse clarissimum est. Sic enim habet, *Manifesta est à fide defectio, & crimen superbiæ, vel reijcere aliquid eorum quæ scripta sunt, vel introducere aliquid eorum quæ scripta non sunt.* Vtcunq; res habet, has Basilij Traditiones vestra Ecclesia plærasq; iamdudum abrogauit, quod minimè oportebat, si erant Apostolicæ. Augustinus autem quanta semper grauitate scripturarum αὐτάρκειαν defendit, vt nihil omnino admiserit, nisi quod scripturarum authoritate comprobari posset? Sic enim Petiliano respondet, *Auferantur illa de medio, quæ aduersus nos inuicem, non ex diuinis Canonicis libris, sed aliunde recitamus.* Apostolicā verò Traditionem in eo loco, in quo de Cypriano loquitur, doctrinam scriptis Apostolicis traditam vocat. Et baptismum non esse repetendū, pia est & Apostolica Traditio, quia scripturis consentanea est, & ex scripturis confirmari potest. Sic paruulorum baptismum Apostolica traditione comprobatum esse fateor, quia sunt clarissima scripturæ testimonia, quibus Christianorum infantes baptizandos esse intelligimus. Illa autem quæ vbiq; obseruantur, multùm proculdubio valent: sed vestra huiusmodi non sunt. Nullam enim potes traditionem Romanam proferre, quam nos improbemus, si illam toto terrarum orbe semper obseruatam esse euiceris. Deniq; in rebus medijs, de quibus nihil scriptura certi in alterutram partem statuit, morem po-

Basil. περὶ πίστεως.

ὑπερήφανον τὸ ἐπεισάγειν τῶν μὴ γεγραμμένων.

August. contra Epistolam Petil. cap. 3.

puli Dei, maiorumq; instituta concedo magni esse facienda. Tamen vos nec pro Dei populo agnoscimus, nec pro maioribus nostris veneramur. Hæc tibi sufficiet de Traditionibus hoc quidem in loco respondisse, in quo vt tam multa de Traditionibus tuis diceres nulla causa postulauit. Nos ergo tuas tibi Simias ac Traditiones relinquimus, & solis Veteris ac Noui Testamenti Canonicis scripturis, quibus perfectissimam doctrinam homini Christiano ad omnes religionis ac salutis partes necessariam, planissimè doceri minimè dubitamus, contenti sẽper esse volumus.

DVRAEVS, Fol. 18.

Apocryphos verò libros nos non nisi vt Apocryphos recipimus. Nisi enim hi libri, quorum Canonicam authoritatem defendimus, inter Canonicos numerentur, eodem argumento reliquos omnes reijciatis oportet, cùm eadem ecclesię Catholicę authoritate omnes commendentur. Quid te igitur tàm insolenter iactitas? Si vel librum vllum (*inquis*) vel libri particulam, quam diuina authoritate conscriptam & munitam esse constat, à nobis dãnatam euiceris, non repugno quo minùs causa omni cecidisse videamur. *Conditionem accipio, & te iam causa cecidisse affirmo. Non enim librorum modo particulas, sed libros integros Maccabæorum, Iudith, Tobiæ, Hester aliosq; ijsdem argumentis te repudiare euicimus, quo olim Catholici hæreticos euicerunt. Vna enim est Ecclesiæ vox, vnus spiritus, vna authoritas.*

WHITAKERVS.

17 Quos libros veteris simul & recentis ecclesiæ testimonio apocryphos esse constat, eos vos pro Canonicis habetis, & legendos ecclesiæ non modò ad morum institutionem, sed ad fidei etiam & doctrinæ confirmationem proponitis: quod quidem nõ esse faciendum tam multis ceceleber-

leberrimorum authorum sententijs, tamq; firmis scripturarum argumentis demonstraui. Et tamen mihi, nescio quam, ecclesiæ vocem obijcis, quæ hos libros commendauit. Quam hîc tādē nobis ecclesiam narras? An hi tam multi patres, quos testes adduximus, ab ecclesia alieni fuerunt, aut ecclesiæ vocem ignorarunt, aut eam nobis referre minùs potuerunt? Tu hanc ecclesiæ vocem fuisse dicis, illi negant: tibi ego credam, illos errasse statuam? At qui libri verè Canonici sunt, ij cum illius Ecclesiæ, in qua scripti sunt, tum sequentium ecclesiarū testimonio cōprobantur. Quanquam enim de quibusdam aliquę ecclesię ad tempus dubitarunt, tamen ijdem sunt ab alijs pro Canonicis suscepti, quod de Apocryphis vestris dici nullo modo potest, quos ab omni ecclesia repudiatos esse liquet. Qui enim ad vetus Testamentū Apocryphi libri pertinent, nunquam sunt a Iudæorum antiquis ecclesijs recepti: & legi tantùm in Christianorum ecclesijs ad aliquam morum vtilitatem permissi sunt. Quare verissimè dixi, nullum librū, nullam libri particulam à nobis damnatam esse, quam diuina authoritate conscriptam esse constabat. Nam hos libros, quos reijcimus, diuina authoritate conscriptos aut munitos esse, tu nunquam probare posses, si vitam omnem in hoc labore consumeres. Veteres autem hæretici, qui libros Canonicos repudiarunt, eo argumento reuicti sunt, quòd libros, quos Ecclesia & scriptos initio pro diuinis agnouit, & deinceps perpetuò tanquam Canonicos conseruauit, repentè

August. cōtra Faustū. li.18.ca.2.

repentè inani furore abijcerent. Sic Faustum Manichæum Augustinus refutauit. Tu nunc vide an hoc tibi argumentum conueniat, vt quemadmodum ille de Euangelio Matthæi non esse dubitandū disputauit, quia ex illo tempore, quo Matthæus ipse in terris vixit, in ecclesia agnitum & approbatum fuit, sic tu libros Sapientiæ, Iudith, Tobiæ, Ecclesiastici, Maccabæorum, ab eo tempore, quo primùm in lucem prodierunt, certa successionum serie semper in Ecclesia valuisse doceas. Id nisi potes euincere, frustrà nobis obscura Ecclesiæ tuæ voce obstrepis.

DVRAEVS, Fol. 18.

August. de adulter. cōiug. li.2.c.7.

Et quia non dubitas, ad vnam scripturę particulam prouocare, ecce tibi non vnam sed plures. Omnis spiritus (*inquit Ioannes*) qui soluit Iesum, ex Deo non est. *Hæc verba Nestoriani olim hæretici expunxere. Socrat. li.7.ca.32. Vbi apud vos ista leguntur? Maior particula, quę mulieris adulterę historiam complectitur, quam ab inimicis fidei sceleris impunitatem vxoribus suis dare metuentibus, de codicibus sublatam fuisse Augustinus testatur. An non idem tuus Beza præstitit, in c.8. Ioannis, vbi mira impudentia Eusebium, Chrysostomum, Theophylactum hanc historiam ait reiecisse? Sunt & alia huiusmodi permulta, ex quibus quàm tibi infæliciter tanta tua iactatio cesserit, vides.*

WHITAKERVS.

18 Hîc te nobis admodum ieiunum præbes, vt tibi bonam causam defuisse omnes perspiciant. Nulli scripturarum libri, nullæ librorū partes, nullæ particulæ à nostris resectę sunt: quod quemadmodum tu falsum esse doceas, meamque iacta-

iactationem reprimas, consideremus. Quæris autem vbi ista apud nos legantur, *Omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est.* Equidem nusquam legi fateor, nec legenda esse censeo. Non enim ista in Græcis exemplaribus leguntur, & si quid hîc peccatum fuit, nos minimè sumus accusandi, qui librorum vetustissimam authoritatem sequimur. An tu enim omnes ecclesias Grecas damnare audes, quæ aliter, multoq; meliùs legunt, *Omnis spiritus, qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo non est?* Quasi hoc minùs ad Nestorium refellendum valeat, quàm quod in vulgata editione legimus, *Omnis spiritus qui soluit Iesum.* Quid de Cypriano statues, qui nostram lectionem sequutus est? Quid de Augustino, qui vtramque posuit? Illud autem multò grauius est, quod de mulieris adulteræ historia subiungis, quam ab antiquis quibusdam de codicibus suis sublatam esse testatur Augustinus. Quid ea res ad nos spectat, si nonnulli veteres hanc historiam sustulerunt? An nos huius criminis rei erimus, qui illam historiam in libris ecclesijsq; nostris legimus? Hîc nobis narras quid Beza præstiterit, quasi id nostrâ quicquam interesset, quid de hac historia Beza iudicarit. Et tamen hanc historiam Beza de nullo libro sustulit, quemadmodum potes ex omnibus conuersionis Bezanæ exemplaribus perspicere. Sed hîc tibi locus satis commodus visus est, in quo nonnullum impetum in Bezam faceres: itaque occasionem etsi prorsus alienam arripis, multaq; dicis, quæ iuuenem modestum minimè decebant. Mihi non est necesse

1. Ioan. 4. 3.

Cyprian. li. 2. ca. 8. testim. contra Iudęos.

August. ad Pollent. li. 2. ca. 7.

pro Beza respondere, cuius eximiæ virtutes in omnibus sanctorũ ecclesijs celebrantur, nec tuis maledictis obscurari possunt. Sic tu quàm mea mihi iactatio infęliciter cesserit, pręclarè docuisti.

DVRAEVS, Fol. 19.

Hierarchias (*inquis*) vestras, gradúsq; multiplices angelorum libenter ignoramus: atque hanc scientiam vobis omnem permittimus, quibus hęc mysteria Dionysius ille patefecit. *Non magnopere miror, si postquam omnem è terris ordinem tollere cæpistis, tandem impudentia in cælum ora tollatis, & pro sanctissima Angelorum hierarchia confusam quandam in cælo ἀναρχίαν inducere conemini. Sed quis adeò Demens est, qui non Dionysio Pauli discipulo, quàm Caluino, aut Bezæ, aut Luthero fidem habere malit?*

WHITAKERVS.

19 De Angelis respondi Campiano, quod homini modesto satisfacere potuisset. Etsi enim Angelorum patrocinium concedimus, cuiusmodi scripturæ tradiderunt, tamen illas Hierarchias angelorum, quas Dionysius ille, quisquis est, exposuit ac descripsit tam multis verbis, libenter ignoramus, nec vobis istam scientiam inuidemus. Etenim cùm illa omnis cælestium regionũ ac functionum descriptio Dionysiana, nullis scripturarum testimonijs nitatur, ingenium curiosum delectare poterit, mentem non poterit firma fide, solidaq; scientia stabilire. Tu cùm nos argumentis vincere deberes, verborum potiùs petulantia refutandos iudicasti. Mirari te negas, *Si postquam omnem è terris ordinem sustulimus, impudentia*

Dionys. de cælest. Hierarch.

pudentia in cælum ora tollamus. Atque hoc tu quidem nimis vehementer. Sed quem nos tandem ordinem sustulimus? Mitte iracunda verba, & quod probare instituisti, argumentis, non maledictis confice. Eum nos ordinem seruamus, quē Christus in Ecclesia sua seruari voluit: alios ordines, quos hominum ambitio inuexit, quantumuis splendidos, & gloriosos, facilè quidem contemnimus.

Quomodo autem sumus in cælum impudentes? nimirum pro Angelorum Hierarchia confusam in cælo ἀναρχίαν inducimus. Siccine ais Durǽe? Nisi illas nobis Hierarchias Dionysius prodidisset, metuendum fuit, ne quis cælum temerè moueri, aut Angelos nullo imperio contineri, aut ἀναρχίᾳ cuncta diffluere & dissipari existimaret? Vt demus esse Angelorum mirificum ordinem, Dionysio tamen quomodo credemus, qui nec propheta fuit, nec Apostolus, nec author priscis hominibus notus, cùm illius ante Gregoriū nullus Pater mentionem faciat? Irenæus de Angelorum statu multò modestiùs scripsit, quàm iste Dionysius, Sic enim habet, *Dicant nobis quæ sit inuisibilium natura, enarrent numerum Angelorum, & ordinem Archangelorum, demonstrent thronorum Sacramenta, & doceant diuersitates dominationum, principatuum, potestatum, atque virtutum. Sed non habent dicere.* At ista omnia noster Dionysius aperuit, si illi fidem adhibere volumus, quę tamen non posse narrari putat Irenæus. *Sed fuit* (inquis) *Pauli discipulus*: itaque illi potiùs credere debemus, quàm Caluino, Bezæ, Luthero.

Iren. lib. 2. ca. 54.

Nos verò ijs fidei plurimùm tribuemus, qui, quod docent, ſcripturarum authoritate clariſſimè demonſtrant. Dionyſium ergo ſine ſcripturis loquentem minimè curamus, & qui ſcripturas proferunt, Dionyſijs omnibus ſua ſomnia narrantibus ſemper anteponemus. Pauli verò fuiſſe hunc diſcipulũ quomodo perſuades? Noli enim *2.Corinth. 12.2.* putare poſſe nos diutiùs paſci fabulis. Quamobrem enim non ipſe Paulus iſta nobis myſteria enunciauit, qui raptus in tertium cœlum multò plura & vidit & audiuit, quàm iſte Dionyſius. Illa ſi Paulus magiſter tacuit, cur hic diſcipulus diuulgauit? Sed hic Pauli diſcipulus nunquam fuit, quemadmodum facilè intelligi poteſt, ſi huius libros cum illius cõparemus: ſed plura pòſt de pſeudodionyſio iſto erunt alio loco dicenda.

DVRAEVS, Fol.19.

Paulus (inquis) θρησκείαν τῶν ἀγγέλων damnat. *Vtinam ſcripturas tu non tuo arbitrio, ſed Eccleſiæ Catholicæ iudicio interpretari didiciſſes, atq; ex Epiphanio, Chryſoſtomo, Theophylacto, Oecumenio, Theodoreto, alijſq; Patribus, quem hic Angelorum cultum Paulus prohibeat, intellexiſſes. Eum nimirum, quem in orbem parens ille veſter Symon Magus inuexit, qui ſacrificia Angelis offerenda, illoſq; eſſe mediatores noſtros docuit, quod mediatoris munus maieſtati Chriſti non ſatis conuenire exiſtimaret. Addis deinde:* Ioannem Angelus ſemel atq; iterum ab hoc cultus genere reuocauit. *Quid? tu Ioannem adeò rudem fuiſſe diuiniq; cultus ignarum exiſtimas, vt, ni prohibuiſſet Angelus, grauiſſimum Idololatriæ crimen fuerit admiſſurus? Longiſſimè profectò ab omni Idololatriæ crimine Apoſtolus abfuit, ſed eorum perſonam facto illo ſuſcepit, qui Angelos tanquam Deos adorandos, & oblatis ſacrificijs colendos exiſtimabant, quod ſibi cùm vetitum ait, prophetiæ more ſolum Deum ſummo hoc honore colendum docuit.*

WHITAKERVS.

20 Scripturas non ad Ecclesiæ cuiusquam iudicium accommodandas, sed ecclesiarũ omnium interpretationẽ ad scripturas exigendam esse didici. Sunt enim scripturarum interpretationes nõ ex hominum cogitationibus metiendę, sed ex ipsis scripturis sumendæ, quæ quidem seipsas abundè interpretantur, si nos ipsi attentos & dociles præbemus. Tibi verò nulla interpretatio placet, nisi quam te Ecclesia tua docuit, quo minùs mirandũ est, tales esse plærasq; tuas, quas affers interpretationes, vt nihil à spiritus sancti mente fingi magis alienum possit. Angelorum θρησκείαν Paulus apertè prohibet. Quis hoc aliter interpretari possit, quàm vt omnem Angelorum cultum à Paulo vetitum esse fateatur? Tu me ad ecclesiæ tuæ iudicium reuocas. At tua ecclesia colendos angelos esse docet, quos Paulus mihi, ne colerem, interdixit. Et quorsum verò tuæ Ecclesiæ iudicium desiderẽ? quasi nihil sciri possit, nisi tua ecclesia priùs consulatur. Id perinde est, ac si scripturas suas Dominus omnibus tradidisset, sensum autẽ scripturarum apud Romanum pontificem collocasset. Non enim ignoro quàm angustis finibus ecclesiæ Catholicæ iudiciũ circumscribas. Epiphanium tu quidem & Chrysostomum, & Oecumenium nominas: at quando isti scripturas aliter interpretantur, ac tuo pontifici visum est, tum horum iudicium negatur esse Catholicum: ita ad extremum nihil est Catholicũ, nisi quod pontifici placere cõstat. Coloss. 2.18.

Has ego Catholicas interpretationes dico esse priuatas: nec causa vlla est cur quisquam magis Romani pontificis, quàm Lutheri, aut cuiusquam Ecclesiæ doctoris iudicio astrictus esse debeat. Sed quomodo Paulum hoc loco tui Patres interpretantur? Nimirum eum cultum damnant (si tibi credimus) qui in sacrificijs offerendis consistit. Ita hic erit Pauli sensus, Non oportet Angelos colere, hoc est, non oportet Angelis tanquam mediatoribus sacrificia offerre. Hic tuus est Catholicus sensus, vt quanquam angeli assiduè à nobis coluntur, atq; adorantur, nisi tamen illis victimas immolamus, & eos nouos mediatores facimus, nihil peccemus. At Paulus de sacrificijs nullum verbum fecit, sed omnem Angelorum cultum damnauit. Quale autem hoc tuum argumentum est, Patres docent, non esse Angelis vt mediatoribus quibusdam sacrificia offerenda, ergo inuocandos esse angelos conceduní. Angelis quidem nec sacrificia, nec preces fieri debent, quia vtrumque vni Deo debetur, *Vos*
Luc.11.2. (inquit Christus) *cùm precamini, dicite, Pater noster, qui es in cælis*. Solus ergo Deus, qui noster est cælestis pater, precibus à nobis inuocandus est.
Psal.50.15. Et propheta Dauid, *Immola Deo sacrificium laudis:* Et Hosea, *Omnem aufer iniquitatem, & accipe*
Hose.14.3. *bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum:* Et
Heb.13.15. Apostolus, *Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius*. Ex his nostra precum & gratiarum sacrificia soli Deo offerenda esse intelligimus. Qui ergo angelos inuocant, ac precantur, eos hic Apostolus

postolus non minus, quàm Symonem Magum angelos sacrificijs colentem damnauit.

Quòd autem Chrysostomum & Oecumenium ais, hæc verba de Simone interpretari, nihil minus apud istos inuenio. Chrysostomus piè Paulum interpretatur, cujus ego interpretationem libenter amplector: *Sunt* (inquit Chrysostomus) *quidam qui dicunt non oportere per Christum accedere ad Deum, sed per Angelos: illud enim maius esse, quàm vt nobis contingat.* Sic Oecumenius ex Photio, *Erant* (inquit) *aliqui qui in hypocrisi humilitatis, prohibebant eos dono Christi accedere, vtpote indignos tantis: & Angelis aduocatis vti oportere, qui nos ad Deum adducant*; Ita vos humilitatis cuiusdam & indignitatis excusatione ad Angelos ac sanctos confugitis, qui vos Deo commendent, eumq; vobis propitium reddant. Quare omnem Angelorum cultum Paulus impium esse docet, & qui Angelos colebant, eos olim vetus Ecclesia hæreticos iudicauit. Alterum verò locum multò adhuc indigniùs, atq; imperitiùs interpretaris, dū tuam Catholicā interpretationē sequeris: quā tamen tantū abest, vt putem esse Catholicā, vt eam nulli vnquā venisse in mentē, prǫterquam tibi, facilè credā. Voluit angelū Ioannes adorare: Ioannē angelus nō permittit. Quid inquis? *Tu Ioannē adeo rudē fuisse existimas, vt Idololatriæ crimen fuerit admissurus?* Non id existimo, Duræe. Tamen victum angelici splēdoris, ac maiestatis magnitudine Ioannem plus angelo, quàm oportuit, detulisse honoris ac reuerentiæ video: in quo humanæ naturǫ infirmitatē agnosco. Tuam nunc Catholicā inter-

Chrysost. in Coloss. 2. hom. 7. in hęc verba.

Oecumen. in Coloss. 2. c.

August. ad Quodvult. c. 39. de Angelicis.

Apocal. 19. 10. & 22. 8. 9.

pretationẽ audiamus. *Induit* (inquis) *eorũ personã hoc facto Ioannes, qui angelos tanquã deos adorãdos, & sacrificijs oblatis colendos existimabant.* Nũ quid ergo etiam sacrificij huic angelo Ioannes obtulit? Id enim faciendum fuisset, si illorum hominum personam, qui sacrificijs angelos colendos putabant, induisset. Sed quis æquo animo ferat huius interpretationis futilitatem? Quasi non multò meliùs verbis doceri, ne angelis sacrificia facerent, quàm ista collusione potuissent: aut quis Ioannem fictè aliquid & simulatè fecisse putet? *Ego* (inquit) *cecidi vt adorarem.* Tu contrà negas, illum cecidisse vt adoraret. Rectè Augustinus Hieronymo in simili causa, *Si vllum vel leuissimum mendacium in scripturis admittimus, totius scripturæ authoritatem euertimus.* Et quando Ioannem Angelus iussit, ne ita faceret, causamque adiunxit, *Conseruus enim sum tuus, & fratrum tuorum, prophetarum, & eorum qui seruant verba libri huius, Deum adora*, satis indicat, fecisse aliquid Ioannem, quid fieri non oportuit, & clarissimè docet, angelos à nullis pijs adorandos esse, quia sunt piorum σύνδουλοι, deoque soli omnem adorationem deberi. Mihi ad hanc tam certam interpretationem ex ipsis verbis natam sufficiet vnius Thomæ tui testimonium addidisse. Sic ille in hunc locum scripsit, *Cecidi ante pedes eius, vt adorarem eum: scilicet adoratione dulia, ad referendum ei gratias, & ad dandum ei reuerentiam.* Iterum in caput 22. *Cecidi vt adorarem, adoratione scilicet latriæ.* Si nec λατρεία angelis, nec δουλεία deferenda est, nullo ergo

Thom. in Apoc. 19.

Idem in Apoc. 22.

lo ergo modo colendi angeli ſunt. Sic me non pœnitet ſcripturas tuo more interpretari nunquam didiciſſe.

DVRAEVS, Fol.20.

Tobiæ certè librum, tanquam ſcripturam ſacram illi citarunt, quorum nos grauiſſimam authoritatem, leuitati tuę anteponendam cenſemus. Atque vt Auguſtinum, Chryſoſtomū, Innocentium omittam, Cyprianus prolato ex Tobię libro Teſtimonio rem grauiſſimam confirmauit, matrimonia cum infidelibus non eſſe contrahenda: Epiſto.52.lib.de mort.lib.de bono pat.lib.de oper. & eleemo. Irenæus inter prophetas contumelia à Gnoſticis affectos Tobiam numerat, lib.1.c.24. Hylarius ex 12. Tobiæ Angelorum interceſſionem probauit. Ambroſius librum de Tobia integrum ſcripſit. Iſidorus ait Eccleſiā hunc librū & alios inter diuinos honorare & prædicare: Iſid.Etymo.li.6.c.1 Hieronymi nimirum iudicium ſequutus, qui hunc librum licèt in Canone non habeatur (Iudęorum Canonē intelligit) tamen vſurpari ab Eccleſiaſticis viris teſtatur, pręfat. comment. in Ionam. Cùm tu Tobiam reÿcis, Anglicanas certè Synagogas veſtras impiæ ſuperſtitionis damnas, quæ in ipſo cultu diuino hunc librum non rarò legunt.

WHITAKERVS.

21 Tobię librum in ſcriptis Canonicis ponendum eſſe multis teſtimonijs perſuadere conaris, quæ tamen vnicum argumentum efficiunt, infirmum admodum, & vix vlla reſponſione dignum. Sic enim diſputas, Patres Antiqui Tobiæ librum citarunt, ergo Tobiæ librum Canonicum eſſe neceſſariò ſequitur. Neq; enim, quia ex hoc libro nonnulla Patres teſtimonia ſumpſerunt, ex eo colligi poteſt librum ipſum Canonicum eſſe, niſi id priùs conſtiterit, ex quocunq; libro Patres ali-

quod testimonium produxerint, illum librum esse in diuinis & Canonicis scripturis numerandum. At Esdræ libros, quos Romana Ecclesia, & illud recentissimum Concilium Tridentinum in Apocryphis reliquit, Patres citarunt, Cyprianus, Augustinus, Ambrosius in re magna, vt animas vnà cum corporibus minimè mori doceat, atque alij. Nunc si tuum argumentum valet, mihi quoque pro horum librorum authoritate concludere licebit, Quicunque libri à Patribus citantur, Canonici sunt: Liber tertius & quartus Esdræ à Patribus citantur: sunt igitur Canonici. Deinde Hieronymus testatur ex Hermetis libro multos scriptores veteres testimonia vsurpasse, quem tamen Ecclesia vestra nondum in horum librorum numerum cooptauit. Quanquam quid coner hoc argumentum argumentis refellere? Quis nescit Thomam vestrum Dionysij, veterum Patrum, philosophorum vbique testimonijs vti? In eo verò quis non videt quàm tecum ipse pugnes, cùm Tobiæ librum Irenæi, & Cypriani, & Hylarij iudicijs Canonicum esse contendas, & tamen hos libros Hieronymi ętate nondum esse in Canonem receptos antè dixeris, idque mihi Hieronymum proferenti responderis. At hic antiquiorum Patrum ætate pro Canonicis habitos esse affirmas: ita nihil te habere certi & explorati, in quo acquiescas, satis quidem manifestum est, quod etiam ex hoc loco magis liquere potest. Etsi enim suprà hos libros ab Hieronymo palàm reiectos esse minimè negare potuisti, nunc tamen persuasum nobis esse cupis, de Iudęorum tantùm

Cypri. Epist. 74. Ambros. de bon. mort. c. 10. August. in quęst. veter. ac noui Testam. q. 109.

Hierony. in Catal.

tantùm Canone loqui Hyeronymum, quod qui semel Hieronymum inspexerit, falsum esse facillimè perceperit. Sic enim Ecclesiæ de omnibus Apocryphis iudicium exponit, quando de libris Sapientiæ & Ecclesiastici scribit, *Sicut ergo Iudith & Tobiæ, & Maccabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas scripturas non recipit: ita & hæc duo volumina legat ad ædificationem plebis, non ad authoritatē Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* Non ergo hos libros Hieronymus de Iudæorum tantùm, vt tu dicis, sed de Catholicæ etiam Christianorum Ecclesiæ syncero Canone exclusit. Et alio in loco Hieronymus, *Apocrypha nescit Ecclesia: ad Hebræos igitur reuertendum est, vnde & Dominus loquitur, & discipuli exempla præsumunt.* De libris autem Apocryphis satis antè multa diximus, ex quibus nostrum de illis libris iudicium comprobauimus. De singulis nunc seorsim non est necesse dicere, quanquam nullus est, qui non suo aliquo iudicio deprehendi possit. Quale enim hoc est, quod in Tobiæ libro legimus, cordis & hepatis suffimento dæmones fugari, illito felle cæcitatem depelli? Quis vnquam propheta, aut Apostolus, dæmones hoc modo abigendos esse docuit? Paulus vniuersam Christiani hominis πανοπλίαν descripsit, qua tecti nullis dæmonum viribus superemur. Hoc verò mirificum telum, quo hunc dæmonem Tobias repulit, nunquam nobis commendauit. Sunt huiusmodi multa quæ diuinam scripturarum maiestatem ac spiritum parùm redolent. Vt interim pretermittam quòd iste

Hierony. in præfat. in lib. Salom.

Hierony. in præfat. in lib. paralip.

Tobi. 6. 9. & 8. 3.

Thes. 6. 11. &c.

Tob. 5. 15.

Raphael

Raphael se Azariam, & filium Hananiæ esse mentiatur, quod boni Angeli nunquam faciunt. Ad Anglicanas verò quod attinet Ecclesias, quas tu contumeliosè Synagogas vocas, legunt illæ quidem ex istis libris aliquos, sed eos pro Canonicis non agnoscunt. In vestris etiam Ecclesijs legendæ sanctorum solemni ritu recitantur, quas tamen infinitis mendacijs, & fabulis, & superstitione plusquam anili refertas esse, quis nunc dubitat?

DVRAEVS, Fol. 21.

De loco (*inquis*) Ecclesiastici parùm laboro, nec arbitrij libertatem credam, quamuis hic centies affirmet. *Tam altas in animo tuo radices fixum illud Stoicorum egit, nihil vt scripturæ honore digneris, quod arbitrij libertatem tam apertè probare videatur. Patere tamen vt à tribunali tuo ad alios indices appellemus, Cyprianum, Clementem Alexandrinum, Innocentium primum, Gregorium Nazianzenum, Ambrosium, Chrysostomum, Epiphanium, aliosq́; huiusmodi, vt de Concil. Carthag. 3. & Florentino nihil dicam. Censuræ verò tuæ rationem sanè grauem addis,* hominis libertatem peccato amissam docet scriptura, docent Sancti Patres, docet ipsa cuiusque experientia. *Præclarè: sed ego tibi totidem verbis respondeo, Neque scriptura docet, neque Patres, neque vlla cuiusquam experientia. Illud verò quàm ridiculum?* Illa verba de genere humano intelligi possunt, cuiusmodi in Adamo fuerat aliquando. *Nisi te cæcus sui amor impediret, facilè hunc authorem cerneres primi hominis conditionem pro argumento attulisse, vt in nobis liberum arbitrium confirmaret.* Si volueris (*inquit*) mandata seruare, seruabunt te: & apposuit tibi aquam & ignem, &c.

WHITAKERVS.

22 Ecclesiastici libro tantùm tribuo, quantùm

tùm ei vetus Ecclesia sensit esse tribuendum, vt quanquam in illo multa agnosco præclara morum præcepta, nullum tamen fidei fundamentum ex eo petendum esse satis intelligam. Itaq; cùm de humani arbitrij libertate disputatur, ea qualis & quanta sit, ex nulla huius libri sententia, sed tantùm ex Canonicæ scripturæ authoritate disci atq; existimari posse defendo. Nec tamen dixi, vt tu me dicentem introducis, Arbitrij libertatem non credam, quantumuis hic centies affirmet, sed, *quantumuis hic centies affirmet, Coram hominibus esse vitam & mortem.* Tu mea verba præcidis, vt sententiam facias videri duriorem. Nam iste nec centies, nec semel nostrum arbitrium esse liberum affirmauit. De fato quod interponis, sic extra re[m] est, vt ne circa rem quidem sit. Fatum ego, & illam omnem Stoicorum fatalem ἀνάγκην, vt diuinæ prouidentiæ, ac potentiæ aduersariam auersor, nec ista opinio vel fata quidem vnquam fuit in animo meo, nedum radices, vt tu ais, altas egit. Sed quid frustrà orationem rationis expertem profundis? Estné enim consequens, si hominem carnalem, nondum fide & spiritu sancto donatum, nihil ex sese velle posse dicimus, quod verè bonum sit, & voluntati diuinæ consentaneum, vt fatum Stoicorum inuehere ac defendere videamur? Si enim quia homines non renati non possunt non malè agere, & malè necessariò agunt, ideo omnia fato eueniunt: tum quia angeli necessariò benè agunt, & dæmones necessariò malè, liberam Dei prouidentiam fato astringemus. Possunt homines communes

munes istas & ciuiles actiones liberè procurare: ea tantùm arbitrij libertate carent, quæ in fidei officijs versatur, quia antequam eos filius liberauit, serui sunt peccato. Tuum ergo fatum nihil hîc habet quod agat, nisi fortè nos fato fieri bonos existimes: & priùs fatum Stoicorũ nobis persuaseris, quàm hoc tuum argumentum: Homines ante fidem non possunt velle, aut cupere, aut perficere aliquid, quod Deo gratum sit, ergo fato fiunt omnia, benè & commodè conclusum esse demonstrâris. Verùm hîc à meo tribunali ad iudices prouocas, qui tamen nullum pro te iudicium pronunciant. Ego te à tribunali in scholas retraham, atq; vt hoc mihi argumentum probes postulabo: Cyprianus, Clemens, & alij Patres antiqui vsi sunt testimonijs huius libri, ergo hic liber est Canonicus. Vtuntur enim Patres testimonijs aliorum etiam librorum, quos ipsi Canonicos esse nunquam dicetis, quemadmodum supra docui, ex quo perspicuum est, hanc librorum citationem nullius argumenti vim habere. Censuræ verò meæ rationem satis grauem addidi, quo minùs ex huius libri authoritate arbitrij humani libertatem crederem, quia hominis libertatem peccato amissam scriptura docet, Patres testantur, ipsa cuiusq; experientia confirmat. Tu hæc omnia totidem verbis negas sine ratione. Ego tibi de mea ratione satisfaci-
1.Cor.2.14. am. Apostolus ait, Homo ψυχικὸς non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, nec potest ea intelligere: ex his sic argumentum instituo. Si homo solius naturæ viribus & facultate præditus,
non

non poteſt percipere & cognoſcere ea quæ ſunt ſpiritus Dei, hoc eſt, in quibus vita æterna & ſalus conſiſtit, tum multò minùs aut velle ea, aut præſtare poteſt, nam intelligentiam voluntas ſequitur: At antecedens verum eſt, ſi Apoſtolo credimus: ergo etiam conſequens. Itaque Apoſtolus alio in loco ſcribit, Deum eſſe qui efficit in nobis, & vt velimus, & vt efficiamus, pro gratuita ſua beneuolentia. Si verò nulli aliquid velle aut efficere poſſunt, niſi quos Deus ſua gratuita beneuolentia, ſua εὐδοκίᾳ complexus eſt, & in quibus hoc ipſe efficit, vt velle poſſint, tum nihil bene velle aut facere reliquos conſtat, in quibus nihil tale efficit, & quos nulla εὐδοκία proſequitur. Deus ipſe de hominum voluntate apertè iudicauit, cuius tu iudicio contentus eſſe debes, *Omne figmentum cogitationum cordis humani duntaxat malum eſt, idq; omni tempore.* Si quicquid cogitat, ſemper & malè cogitat, quam tandem boni arbitrij libertatem habet, antequam fide & ſpiritu ſancto renouatur? Cùm hæc mihi argumenta ſcitè diſſolueris, quod te nunquam facturum ſcio; alia tibi proponam, interim his te refutaſſe ſufficiet. Patres non multos proferam: Auguſtinus ait, *Nam libero arbitrio malè vtens homo, & ſe perdidit &* (arbitrium) *ipſum.* Ambroſius clariſſimè, *Licet inſit homini bonum nolle, tamen niſi donatum non habet bonum velle; & illud contraxit natura per culpam hoc recipit natura per gratiam.* Bernardus piè, *Id totum gratia Dei eſt,*

Philip.2.13

Gen.6.5.

Auguſt. Enchirid. cap.30.

Ambroſ. de vocat. gent. cap.9.

Bernard. de lib. arbit. *est, quòd creamur, sanamur, & saluamur.* De experientia quid dicam? Vt mihi millies experientiam tuam narres, ego tamen talem esse hominum naturam ex scripturis didici, vt nullius experientiæ vocem audeam, quæ voluntati non renatæ tantam libertatem viresq; tribuat. Hæc autem huius authoris verba dico posse de primo illo hominis integro statu, deq; toto humano genere, cuiusmodi in Adamo fuit ante peccatum, intelligi. Id tibi ridiculum videtur, quod ego minimè moror. Locum ergo ipsum ἀναλύωμεν. Sic de primo homine; *Ipse à principio cùm fecit hominem, permisit ipsum consilio ipsius,*

Ecclesiast. 15 14. &c. *& adiecit mandata ac præcepta.* Ea verò sunt quæ mox explicat, *Si volueris mandata seruare, seruabunt te.* Si enim Adamus Dei mandatis paruisset, saluus perpetuò mansisset. *Et apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrigere manum tuam: ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur.* De Adamo nimirum intelligenda hæc sunt, cui illa mandata ac præcepta data fuerunt. Adamo enim aquam & ignem, vitam & mortem obtulit, eiq; optionem fecit, vt vtram vellet, eligeret. Ride nunc quantùm voles: quanquam Theologum & Iesuitam argumentari quàm ridere magis consentaneum fuit. Verùm vt demus errasse de libero arbitrio hunc Syrachi filium, nihil tamen risu tuo dignum affirmabimus. Nam & alibi etiam errauit, quando ait verum Samuelem, postquam obdormiuisset prophetasse, & vocem suam è terra extulisse, & regi mortem ipsius demonstrasse. Non sunt

Ecclef. 46. 23.

enim

enim sanctorum animæ sagarum euocationibus atq; exorcismis infestæ, quia mox è corporibus egressæ in certam ac perpetuam pacem transferuntur, & in Abrahæ sinu collocantur, è quo nullis possunt veneficijs extrahi.

DVRAEVS, Fol. 21.22.

Maccabæorum (*inquis*) librum minùs curo: *quod addis*, quem Epiphanius, Hieronymus, Athanasius, Cyprianus exploserunt, *id cæteris tuis fallacijs annumerari debet. Nam hi libri à nulla vnquam Ecclesia repudiati sunt. Atq; vt Tertullianum, Cyprianum, Ambrosium, Chrysostomum, Innocentium omittam, Augustinus ait,* Maccabæorum libros non quidem Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet. *de Ciuit lib. 18. ca. 6. A Iudæis autem in Canone non sunt recepti, quia illis in more positum fuit, vt nullus scripturarum Canoni liber ascriberetur, quem non propheta aliquis probasset. Christiani verò ab Ecclesiæ Catholicæ iudicio pendeant oportet.* Iudæis (*inquis*) præceptum non fuit, aut positum in more, vt sacrificia precesq; pro mortuis facerent. *Quis verò nescit religiosum hunc pro mortuis orandi morem fuisse olim, atq; etiam nunc esse Iudæis celeberrimum? Nisi fortè tu ignores etiam hodiè extare Machzor librum apud Iudæos, &c. Tandem concludis*, Ea est verborum in Græco exemplari perturbatio, vt integram veramq; sententiam vix elicias. *Bene habet: quod vix fit, fit. Quòd vero Campiano meliorem de ipsius eruditione opinionem pollicearis tuam, si locum illum tibi commodè reddas, quid aliud, quàm tuam ipse ignorantiam Academicis prodis? En tibi quæ per authorem illum spiritus sanctus conscripsit,* ποιησάμενός τε κατασκευάσματα κατὰ ἀνδρολογίαν *&c. Quid hîc non planum?*

WHITAKERVS.

23 Antequam ad ea accedo, quæ hîc à te

differuntur, horum librorum authoritatem non esse Canonicam & sacrosanctam breuiter demonstrabo. Argumenta autem ex ipsis libris depromi multa possunt, vt nulla petantur aliunde. Spiritus sanctus nunquam solet profani authoris libros contrahere, atq; ex illis epitomas conscribere: At secundus liber Maccabæorum
2.Mac.2.24 totus ex quinq; Iasonis Cyrenæi voluminibus contexitur, quemadmodum ex authoris confessione intelligimus. Deinde multæ sunt secundi, primiq; libri ἀντιλογίαι, tam certæ & manifestæ, vt nulla possint probabili defensione conciliari. In
1.Mac.9.3. primo libro Iudas occisus à Bacchidis exercitu narratur anno 152. regni Seleucidarum: at in
2 Mac.1.10 secundo literas scribit anno 188. annis triginta sex, postquam mortuus est. De Antiochi Epiphanis morte primus liber non congruit cum secundo. Nam in primo correptus morbo Antio-
1. Mac. 6.8. &c. chus Philippũ regno pręficit, & Antiochi filij tutorem constituit, & moritur in lecto: at in secun-
2.Mac.1.16. do lapidibus obruitur in fano Nanææ: & tamen
2.Mac.9.28 in eodem libro alia etiam eiusdẽ Antiochi mors narratur ex morbo teterrimo. Monstrum fuisse oportet, cui tam multæ mortes vix eripere vitam potuerunt. At spiritus sanctus nunquam secum ipse pugnat. Postremò quisquis istos libros scripsit, tenuitatem suam agnoscit, & veniam petit,
2.Mac.15. 39. ex quo satis dijudicari potest, hunc librum humano, non diuino spiritu conscriptũ fuisse. Nunquã enim spiritus sanctus tali excusatione vtitur, aut non assequitur quod voluit, aut exiliter & tenuiter scribit. Nunc ad tua venio, & quòd hos libros

bros ab Hieronymo, Epiphanio, Athanasio, Cypriano explosos esse dixi, id ex ipsis verbis horũ Patrum manifestũ est, quæ à nobis antè recitata sunt. Tu tamen eos à nulla Ecclesia repudiatos esse affirmas. Quid? Ne à vetere quidẽ Iudæorum Ecclesia? Id minimè, opinor, dices. Cur autem illa Ecclesia, quæ Dei vera Ecclesia fuit, hos libros repudiauit, si erant Canonici? Immane scelus admisisset, si sacras Dei scripturas, & libros verè Canonicos respuisset. Si Christianorum ecclesiam intelligis, id quoq; illustrissimis testimonijs refutaui. Atq; vt planè perspicias, causam à te malam non bene esse defensam, pontificis ego te Romani authoritate redarguã. Gregorius ille Magnus libros Maccabæorum negat esse Canonicos. Sic enim clarè & disertè scribit: *De qua re non inordinatè agimus, si ex libris licèt non Canonicis, sed tamen ad ædificationem Ecclesiæ aditis, testimonium proferamus*: tum ex secundo Maccabæorum Eleazari mortem narrat. Nullum potes augustius & locupletius testimonium desiderare. Pontifex Romanus ipse suis verbis Maccabæorum libros non esse Canonicos apertè declarauit. Quid tu mihi nunc Tertullianum, Cyprianum, cæteros obijcias, qui nihil nisi quædam ex his libris testimonia citarunt? At citauit etiam Gregorius, & tamen non esse Canonicos perspicuè fatetur. Verùm Augustinus (inquis) Canonicos vocat: verùm Gregorius (inquam) qui ducentis post Augustinũ annis vixit, esse Canonicos negat. Vtrum vtri anteponas tibi deliberandum relinquo. Et quid sibi Augustinus velit, non est

Grego. in Iob. lib. 19. cap. 16.

difficile iudicare. Canonicos enim vocat, non quia sacris & verè Canonicis æquales putauit, sed quia leguntur in Ecclesijs Christianorum ad vitæ morumq; pietatem, nec penitus, vt in Ecclesia Iudæorum, reijciuntur. Sic enim scribit, *Quorum supputatio temporum, non in scripturis sanctis, quæ Canonicæ appellantur: sed in alijs inuenitur, in quibus sunt & Maccabæorum libri, quos non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet, propter quorundam martyrum passiones, vehementes atque mirabiles.* Ita primùm scripturas sanctas & Canonicas esse negat, tum pro Canonicis haberi scribit, hoc est, eiusmodi qui in Ecclesia legantur. Id ex alijs Augustini verbis magis adhuc dilucidum erit. *Maccabæorum scriptura* (inquit) *recepta est ab Ecclesia non inutiliter si sobriè legatur, vel audiatur, maximè propter illos Maccabæos.* Siccine Augustino loquendum fuit, si hunc librum verè Canonicum esse existimauit, *Non inutiliter recipitur si sobriè legatur, propter hoc aut illud?* Cùm autem doces, cur hos libros Iudæi minimè receperint, omnem eorum authoritatem ipse infringis. Si enim antequam hi libri scripti sunt multis annis, vt tu confiteris, nullum Iudæi prophetam habuerunt, tum hos libros non esse Canonicos, vel tuo iudicio confirmas. Qui enim libros Canonicos ediderunt, eorum & illustris authoritas fuit, & doctrina diuino testimonio testata ac comprobata. At hi libri nec à prophetis scripti, nec à prophetis approbati sunt: igitur certam & diuinam authoritatem nullam habere possunt.

August. de ciuit. lib. 18. cap. 36.

August. contra Gauden. lib. 2. cap. 23.

Imò (inquis) Christiani debent à Catholicæ Ecclesiæ iudicio pendere. Primùm Ecclesia Catholica nunquã potest è libris non Canonicis facere Canonicos: deinde ecclesia Catholica nũquam vllis tẽporibus hos libros Canonicos esse iudicauit, idq; testimonijs iam penè infinitis euicimus. Frustra ergo huic causæ iudiciũ Ecclesię prętendis. De libro Machzor parùm sanè laboro, nec id dico, nunc Iudęos pro mortuis non precari. Scio enim illis esse libros *memoriales*, quos in synogogis suis legunt, eosq; nũc precibus quibusdam pro mortuis vti solere non ignoro. Itaq; non id tibi fuit tanto labore confirmandũ, de quo minimè dubitabam. Mea enim hæc verba sunt, *Neq; id Iudæis præceptum, aut positum in more fuit, vt sacrificia precesq; pro mortuis facerent.* Ita me de antiquis Iudęis loquutum esse vides, quibus nec præceptum, nec in more positum fuit, vt preces & sacrificia pro mortuis facerent. Cùm autem omnia sacrificiorum genera vel rerum minimarum in lege Domini tam diligenter cõmemorantur, hoc tamen prõ mortuis sacrificium nusquam legitur aut institutum aut cõmendatum. Ex quo incredibilę videri possit, aut Iudam vtpote virum tam pium huiusmodi sacrificium mandare, aut sacerdotes probare voluisse. De verborum autẽ perturbata compositione rectène, an secus scripserim, peritum lectorem facilè patior iudicare. Tibi verò expeditam & planam sententiæ constructionẽ videri minimè miror, qui tantos fecisti in Græcis progessus, quantos nostri Academici vix sperare possunt. Verùm vt tibi tantam

difficile iudicare. Canonicos enim vocat, non quia sacris & verè Canonicis æquales putauit, sed quia leguntur in Ecclesijs Christianorum ad vitæ morumq; pietatem, nec penitus, vt in Ecclesia Iudæorum, reijciuntur. Sic enim scribit, *Quorum supputatio temporum, non in scripturis sanctis, quæ Canonicæ appellantur: sed in alijs inuenitur, in quibus sunt & Maccabæorum libri, quos non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet, propter quorundam martyrum passiones, vehementes atque mirabiles.* Ita primùm scripturas sanctas & Canonicas esse negat, tum pro Canonicis haberi scribit, hoc est, eiusmodi qui in Ecclesia legantur. Id ex alijs Augustini verbis magis adhuc dilucidum erit. *Maccabæorum scriptura* (inquit) *recepta est ab Ecclesia non inutiliter si sobriè legatur, vel audiatur, maximè propter illos Maccabæos.* Siccine Augustino loquendum fuit, si hunc librum verè Canonicum esse existimauit, *Non inutiliter recipitur si sobriè legatur, propter hoc aut illud?* Cùm autem doces, cur hos libros Iudæi minimè receperint, omnem eorum authoritatem ipse infringis. Si enim antequam hi libri scripti sunt multis annis, vt tu confiteris, nullum Iudæi prophetam habuerunt, tum hos libros non esse Canonicos, vel tuo iudicio confirmas. Qui enim libros Canonicos ediderunt, eorum & illustris authoritas fuit, & doctrina diuino testimonio testata ac comprobata. At hi libri nec à prophetis scripti, nec à prophetis approbati sunt: igitur certam & diuinam authoritatem nullam habere possunt.

August. de ciuit. lib. 18. cap. 36.

August. contra Gauden. lib. 2. cap. 23.

Imò

Imò (inquis) Christiani debent à Catholicæ Ecclesiæ iudicio pendere. Primùm Ecclesia Catholica nunquã potest è libris non Canonicis facere Canonicos: deinde ecclesia Catholica nũquam vllis tẽporibus hos libros Canonicos esse iudicauit, idq; testimonijs iam penè infinitis euicimus. Frustra ergo huic causæ iudiciũ Ecclesię prętendis. De libro Machzor parùm sanè laboro, nec id dico, nunc Iudęos pro mortuis non precari. Scio enim illis esse libros *memoriales*, quos in synogogis suis legunt, eosq; nũc precibus quibusdam pro mortuis vti solere non ignoro. Itaq; non id tibi fuit tanto labore confirmandũ, de quo minimè dubitabam. Mea enim hæc verba sunt, *Neq; id Iudæis præceptum, aut positum in more fuit, vt sacrificia precesq; pro mortuis facerent.* Ita me de antiquis Iudęis loquutum esse vides, quibus nec præceptum, nec in more positum fuit, vt preces & sacrificia pro mortuis facerent. Cùm autem omnia sacrificiorum genera vel rerum minimarum in lege Domini tam diligenter cõmemorantur, hoc tamen prò mortuis sacrificium nusquam legitur aut institutum aut cõmendatum. Ex quo incredibile videri possit, aut Iudam vtpote virum tam pium huiusmodi sacrificium mandare, aut sacerdotes probare voluisse. De verborum autẽ perturbata compositione rectène, an secus scripserim, peritum lectorem facilè patior iudicare. Tibi verò expeditam & planam sententiæ constructionẽ videri minimè miror, qui tantos fecisti in Græcis progessus, quantos nostri Academici vix sperare possunt. Verùm vt tibi tantam

Græci sermonis scientiam tribuam, quantam ipse postulas, id tamen sine meo damno atque incommodo, vt spero, faciam.

DVRAEVS, Fol. 23.

Illud (*ais*) Iudę de Onia insomnium, vt somnium prætermittis. *Adeo te conceptum diuorum odium transuersum egit, vt neque multa in diuinis literis per somnium reuelata videas: neq; hoc somnium fide dignum vocari illa scriptura referente, quam tot sanctiq; patres pro Canonica habuerunt; neque erectos diuinitus huius somnij narratione Iudęorum animos. Vobis ergo diuorum irrisoribus vanum videatur hoc somnium: Iudeis sane olim fidelibus, quibus adeo sanctorum inuocatio familiaris erat, vt Christum Heliam inuocasse putarent, cum diceret, Heli, Heli, Lamma sabacthani, & sanctæ Ecclesiæ Patribus, qui diuorum semper intercessionem probarunt, fidei ac religionis plenissimum visum est.*

WHITAKERVS.

34 Conuitium audio, argumentum nullum video. Num enim qui diuos inuocandos esse negat, id diuorum odio faciat est necesse? Quanquam ego Deum vnum veneror, diuos nullos agnosco: & hanc diuorum multitudinem vobis colendam atque inuocandam non inuitus relinquo, quibus diui tam multi nullum iamdudum Deum reliquerunt. Nunc vt tu Iudæ illud insomnium comprobes, paucis discutiamus. Et primum quod me videre negas multa in diuinis literis per somnium fuisse reuelata, non ita cæcus sum, Duræe, vt istuc quidem minimè videam. Sed hîc tamen nullam vim sentio solidæ rationis. Quid si enim multa sunt prophetis per somnium patefacta, ideone erit mihi necesse, vt quodq; perscriptum in

in Apocryphis libris insomnium pro diuino testimonio suscipiam? Nam esse hunc librum Canonicum nunquam probabis, quem ita multi Patres & veteres & recentes, ita inuicta argumenta, & semper olim fuisse, & nunc esse Apocryphum oportere clamant ac persuadent. Quid si verò huius somnij narratio Iudęorum animos nonnihil confirmauit? In bello multa sunt quæ militum animos commouere atq; excitare possunt, vt alacres ad pugnandum veniant. Sed hoc leue argumentum est, Iudæi audito Iudæ insomnio spem bonam victoriæ conceperunt, ergo hoc insomnium inuocandos esse sanctos, vt illi pro nobis vota faciant, diuino testimonio confirmat. *2. Macc. 15. 21.* Non enim vel Oniam hîc, vel Ieremiam isti inuocant, sed ad vnum Deum sese conuertunt.

Verùm illud proculdubio pulcherrimum est, quod subiungis, Iudæi putabant Christum Heliam inclamasse, cùm diceret, Heli, Heli, Lammasabachtani, ergo Iudæis olim familiaris fuit Sanctorum inuocatio. *Matth. 27. 47.* Si ita familiaris Iudæis ista fuit mortuorũ inuocatio, miror eius nullam vel in veteri, vel in nouo Testamento extare mentionem. Nam hîc Iudæi Heliam à Christo vocari dicunt, non quia illis positum in more fuit, vt vel Heliam, vel quenquam mortuum inuocarent, sed quia Christo illudere & insultare petulantiùs voluerunt, vt cũ ille Deũ suũ inclamaret, hi Eliam nunc ab eo inuocari per crudelissimam irrisionẽ dixerint, quasi à Deo desertus, ad Heliã confugisset. His argumẽtis pontificia mortuorũ hominũ inuocatio defenditur, quæ si parùm firma forsan

alicui videbuntur, æquo animo ferat est necesse. Nam hæc causa non præstat meliora. Patribus verò tuis deinceps, quando illos in medium produxeris, respondebo.

DVRAEVS, Fol. 24.25.

Baruchum (*ais*), apud Hebręos nec legi, nec haberi testatur Hieronymus. *Quid tum postea? Nondum credo didicisti prophetiam Baruch tanquam partem Hieremiæ quandam à veteribus scriptoribus fuisse habitam, quod te Augustinus docere potuit libro 18. de ciuit. cap. 33. Omitto alios Patres, qui non minorem huic libro quàm Hieremiæ scriptis authoritatem tribuunt. Quòd petis cur duos Esdræ libros posteriores in Canone minimè numeremus, vnico verbo respondeo, quia nunquam hos libros Ecclesia Catholica recepit. Hesteræ librum vos inter Canonicos numerare gaudeo; illud miror quod mox addis*, quantum Hebraïcè diuina authoritate conscriptum est. *Perinde ac si Canonicæ scripturę, diuinæq; authoritatis regula haberi Hebraïca lingua debeat. Illud eiusdem est impietatis, quòd Danielis illa capita scripturæ sacræ honore non dignaris. Vel turpiter ignorat, vel malitiosè dissimulas, quid Origenes olim Iulio Africano de huius historiæ fide dubitanti responderit. Tu verò ad Hieronymum nos remittis.* Lege (*inquis*) quę habet Hieronymus in pręfatione in Danielem. *Ego vt par pari referam, legere te iubeo, quæ de hac re idem Hieronymus Ruffino eandem ipsi, quam tu nunc, calumniam inferenti respondit lib. 2. Apol. Neque vero solus hæc capita Hieronymus probauit, sed Origenes, Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, Chrysostomus, cæteriq; Ecclesię Patres. Quid quòd neque hæc Iosephus vt indigna fide prætermiserit? lib. 10. ca. 12.*

WHITAKERVS.

25 De Baruchi libro diserta sunt Hieronymi verba, *Librum Baruch notarij eius, qui apud Hebræos nec legitur, nec habetur, prætermisimus.*

Hieronym. præfat. in Ierem.

Tibi

Tibi sufficit Hieronymo respondisse, *Quid tum postea?* Nonne enim animaduertis quantum hoc vel negligentiæ, vel audaciæ crimen fuisset, vt Baruchi librum prętermitteret Hieronymus, si pars esset aliqua Ieremiæ? Hieronymus autem hunc librum prætermisit, ergo nullam esse Ieremiæ partem sine omni controuersia putauit. Quanquam autem in Latinis codicibus cum Ieremiæ prophetia Baruchi liber coniungitur, tamen vt hunc librum vel partem Ieremiæ, vel illi parem aliquo modo esse existimemus, nullis rationibus induci possumus. Si enim vel Ieremias librum hunc, vel Baruchus ipse scripsisset, id quidem vterq; Hebraïcè fecisset, non Græcè aut Latinè. At librum Baruch nec legi nec omnino haberi apud Hebræos testatur Hieronymus: illum igitur nec Baruchus scripsit, nec Ieremias, nec quisquam denique propheta. Si verò hanc prophetiam non scripsit Baruchus, cuius ea esse dicitur, à quo tandem illam conscriptam atque editam fuisse censeamus? Sed hîc nobis vetus tuum argumentum reponis, Augustinus, Chrysostomus, Ambrosius, Basilius, alijq; Patres huius libri nonnullis interdum testimonijs vtuntur, ergo liber ipse totus Canonicus est. Ego tibi sæpiùs respondi, hac horum locorum citatione non euinci Canonicam librorum authoritatem. Tum enim non illos modò Esdræ duos libros pro Canonicis habendos, sed alios etiam in hunc numerum asciscendos esse sequitur, quos tamen esse Canonicos ne ipsi quidem concedetis. An tu verò nescis Iudam Apostolum in Epistola sua

Apocryphi libri testimonium citauisse? Sic enim Aquinas tuus scribit, *Sed liber de quo assumpsit hoc testimonium, est Apocryphus.* Tum paulò pòst: *Licet enim de Apocryphis testimonium veritatis assumere*: Iam ergo quid restat, nisi vt hunc librum tuo argumento & iudicio Canonicum esse statuamus, quem tamen omnis vetustas hactenus meritò reprobauit? Non enim opinor Apostolo minus, quàm Patribus tribues, vt si Apostolus potuit librum Apocryphum citare, posse etiam Patres fateare. Et hos duos Apocryphos Esdræ libros non debuit Ecclesia vestra reijcere, si qui citantur a Patribus libri, sint omnes Canonici: hos enim etiam Patres, vt supra diximus, citauerunt. Sed tua defensio nunquam sibi constat. Cùm enim hos libros, quos Ecclesiæ nostræ in Apocryphis verè numerant, non ante Hieronymi ætatem pro Canonicis habitos esse concedis, tamen Cyprianum, & Eusebium, & Clementem Alexandrinum adducis, ex quorum citatione hos libros esse Canonicos persuadeas.

Thom. in Epist. Iudæ.

De Hesteræ libro nobis gratularis, & tamen quod dico, *quantum Hebraïcè diuina authoritate conscriptum est*, quid sibi velit miraris: tum quæris, num Hebraïca lingua pro Canonicę scripturæ, & diuinæ authoritatis regula haberi debeat. Ego vicissim quæro, an tu censeas librum aliquem in Noui Testamenti scripturis posse numerari, quem Latinè scriptum esse constet? Nec tamen linguam proinde Græcam Canonicæ scripturæ regulam facias. Illa verò additamenta, quæ ad librum Hesteræ attexuntur, nec

scripta

scripta sunt Hebraïcè, vt cætera, nec cum ijs satis congruunt, quæ sine dubio Canonica sunt. Vt vnum pro multis exemplum afferam, Hamanem fuisse Agagæum in vera historia legimus: erant autem Agagæi genere Amalechitæ: At illæ Apocryphę accessiones eundem Macedonem vocant. Tu me verò doceas velim, quemadmodum qui Agagæus est, Macedo esse possit. Illa verò Danielis tria supposititia capita, si impium est sacræ scripturæ honore non dignari, impius certè Hieronymus fuit, qui ista omnia non modò reiecit, sed etiam pro fabulis habuit, suoque veru iugulauit. Sic enim Hieronymus, *Qui apud Hebræos nec Susannæ habet historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis, Draconísque fabulas: quas nos, quia in toto orbe dispersa sunt, veru anteposito eoq; iugulante subiecimus.* Quid autem Iulius Africanus dubitarit, apud Eusebium lego, quid ei Origenes responderit, non inuenio. Nec verò quicquam ad rem facit, quos Origenes eximios sensus in libro Susannæ obseruarit. Hîc iam mihi Hieronymum proferenti vt par pari referas, Hieronymum obijcis. Hoccine verò est Hieronymo respondere, aliam mihi ex Hieronymo sententiam obtrudere? Sed ego Hieronymum cum Hieronymo facilè conciliare possum. Cùm enim esset à Ruffino accusatus, quòd illa scripta fabulas appellasset, vt huius verbi inuidiam declinaret, non ita se quidem sensisse, sed quid Hebræi dicere solerent exposuisse respondit. Nam de libris istis suam profectò Hieronymus sententiam nunquam mutauit, sed quia vidit eos in nonnullis Ecclesijs con-

consuetudine quadam legi, tanquam fabulas dānare, ac prorsus respuere videri noluit, præsertim cū id ei Ruffinus inimicus obiecerit, à quo se omni modo in odium trahi intellexit. Quanquā negari non potest, *vafrè respondere Hieronymum*: quemadmodum Erasmus scitè notauit: *siquidem ex ipsa Præfatione planè apparet, eum ita sensisse.* De Hieronymo satis nunc multa tibi retorsi, nec iam expectas, vt ad illud tuum tritum, sanè malum argumentum, quod toties refutaui, iterum respondeam. Nam vt centies has particulas à Patribus citatas esse demonstraris, nihil tamen omnino minùs effeceris, quàm vt illorum authoritatem vindicaris. Iosephi quorsum memineris, nescio: nisi vt tibi ipse plagam aliquam inferres. Cùm enim ea se tantùm narraturum profitetur, quæ in voluminibus Hebraïcis perscripta sunt, quid de cæteris libris iudicarit, satis indicat.

Erasmus in annot. in hunc locum.

DVRAEVS, Fol. 26.

Angit te verò vehementer, quòd Augustini sententiam Campianus sequatur. Respondes autem Canonicos ab Augustino libros vocari, qui mendacijs fabulisq́; pleni non sunt. O præclarum Augustini interpretem: hoc vnum tuo acumini defuit, quòd nullo illius testimonio tam subtilem tuam interpretationem probaris. Quòd verò ex Caietano affers Canonicos hos libros à quibusdam Concilijs atque Augustino dictos esse, quia morum ex his non doctrinę regula peti potuit, nimis profectò ieiunum est. Dixi enim suprà quanti apud Catholicos sit illius de scripturarum Canone sententia. Legisti (credo) quæ illi Melchior Canus iampridem respondit lib.2.c.11. In Augustinum rursum incurris. Quòd tantopere (*ais*) contendit Augustinus, extrudi extra Canonem nullo modo oportere librum Sapientię, id ipse viderit Augustinus. Hunc librum Hieronymus nominatim extrusit. *Hîc ego Academicos*

cos appello omnes. Paulò antè ſcripſiſti Hieronymum ab Auguſtino re atque iudicio minimè diſſentire: nunc Auguſtinum Sapientię librum in Canone poſuiſſe ais, Hieronymum verò nominatim extruſiſſe. Hæc ego quî cohæreant, non ſatis video: Tu qui vt alter Gorgias nihil ignorare videris, Academicis, ſi potes, explica.

WHITAKERVS.

26 Auguſtini ſententiam, tam facilè & commodè expediui, vt eam mihi non magnopere moleſtam fuiſſe exiſtimare poſſes. Nec verò ſi quid Auguſtinus dixiſſet, quod nobis in hac cauſa repugnaret, eo tamen angi debuiſſem, cùm alia mihi tam multa argumenta ſuppeterent, quibus vnius iudicium Auguſtini non potuit officere. Libros illos, qui in noſtris Eccleſijs Apocryphi habentur, ab Auguſtino Canonicos vocari non nego. Quid ergo? Diſceſſit à tam multis Eccleſijs & patribus Auguſtinus, à quibus illi libri negantur eſſe Canonici? aut ſi hos Auguſtinus Canonicos eſſe putauit, hujus ſententiam tam multorum & antiquiorum, & parium, & recentiorum iudicijs anteponemus? vno tam multos omnium ætatum Patres præponderari non oportet, Verùm nihil eſt, quamobrem Auguſtinum à cæteris diſcrepare ſuſpicemur. Canonicos enim appellat, qui poſſunt in Chriſtianorum Eccleſijs legi, vt ex illis ſumantur virtutis documenta & pietatis exempla, quemadmodum ſuprà oſtendimus, Sic enim Auguſtinus Canonicos Apocryphis opponit: Apocryphos autem vocat non vt Hieronymus, *qui legi poſſunt in Eccleſijs ad ædificationem plebis, non ad dogmatum Eccleſiaſticorum*

Hierony. præfat. in lib. Salomon.

corum confirmationem, ſed qui falſis multis referti ſunt, quemadmodum ex ipſo Auguſtino perſpicuum eſt. Vis enim doceri quem librum Auguſtinus Apocryphum dicat? Ipſum audi loquentem Auguſtinum: *In Apocryphis etſi inuenitur aliqua veritas, tamen propter multa falſa nulla eſt Canonica authoritas*. Et in alio loco, *Manichæi legunt ſcripturas Apocryphas*: quod de quibuſdam commentitijs ſcriptis intelligit.

Auguſt. de ciuit. lib. 15. c. 23.
Auguſt. contra Adimant. c. 17.

Iam quòd me præclarum Auguſtini interpretem vocas, nihil vereor, quin poſſim hanc interpretationem defendere, doctiſque omnibus probare: eamq; nunc Auguſtini teſtimonio confirmaui, ut hoc etiam meo acumini non deeſſe intelligas. Atque hanc fuiſſe Auguſtini mentem ex ipſo loco diſci poteſt, in quo Canonicos libros enumerat. Cùm enim hunc modũ tenere iubet in Canonicis ſcripturis, vt eas, quæ ab omnibus accipiuntur Eccleſijs Catholicis, præponamus eis, quas quædam non accipiunt, ſatis manifeſtum eſt vel ipſius iudicio ex his libris eſſe aliquos, de quibus non tantùm dubitare, ſed quos etiam vt parũ Canonicos reijcere licuit. Si enim omnes Auguſtinus tantæ eſſe fidei atq; authoritatis ſenſiſſet, quantæ ſunt Prophetica atque Apoſtolica ſcripta, nunquam Lectori liberum reliquiſſet, vt huius vel illius Eccleſiæ præiudicium ſequeretur, ſed vniuerſos ſine vlla controuerſia aut dubitatione ſuſcipiendos eſſe ſtatuiſſet.

Auguſt. de doctrin. Chriſti. li. 2. c. 8.

Te verò Caietanus (vt video) nonnihil quidẽ angit, qui tibi tam palam Eccleſiæ Romanæ Cardinalis

dinalis aduersatur, quem quia nullo modo potes ad tuum sensum interpretari, respuere coactus es vix satis pro dignitate Romani Cardinalis. Scribit Caietanus vereque scribit, Canonicos hos ab Augustino & quibusdam Concilijs libros nuncupari, non quòd sint cæteris Canonicis pares, aut doctrinæ ex illis norma sumi possit, sed quia morum quidem præclaram regulam continent: & omnes Theologiæ studiosos monet, vt quando ab antiquis interdum dici Canonicos legunt, id de morum non doctrinæ Canone intelligant, librosque omnes veteris Testamenti ad Hieronymi limam exigant. Est hoc clarissimum Romani Cardinalis & quidem celeberrimi pro nostris Ecclesijs contra pontificios iudicium, quo isti quàm sint commoti & offensi vehementer, dici non potest. Tu hoc ieiunum dicis, cui tamen nihil ieiunum videri debuit, quod sit profectum à Cardinale, nisi fortè nunc ieiuniores Cardinales sunt, quàm olim fuerunt. Te verò bene pastum planeque saturum esse oportet, cui sunt ieiuni Cardinales. Quid illi verò Canus respondeat, id meâ nihil interest: eruditum quidem fatetur, & pium vocat, sed tamen Erasmi ingenio & nouitatibus deceptum esse dicit. Mirum verò falli ab Erasmo tantum Cardinalem potuisse. Sed huius Cardinalis iudicium Canus nullis argumentis refutauit, & si Cano licuit à Caietano dissentire, mihi quoque liceat Cani iudicium improbare.

Caietā. in fine comment. in histor. vet. Test.

Tandem omnem in me Academiam excitas: credo, quia tuis ipse viribus diffidis. Quæ

verò huius clamoris causa fuit? Dico Augustinum & Hieronymum consentire, tamen Augustinum affirmo librum Sapientiæ in Canone posuisse, quem Hieronymus nominatim extrusit. Hæc tu quî cohæreant, non satis vides. Si tu id non vides, æquúmne est omnes mihi Academicos irasci? Nimis te incitatum video, cùm primùm aliquid concrepuerit, mox classicum canis, & quasi Hannibal ad portas venisset, totam vrbem tumultu comples. Iterum dico Augustinum & Hieronymum non pugnare. Quod enim Augustinus de libro Sapientiæ contendit, non id eo animo fecit, vt hunc librum esse germanè Canonicum persuaderet, sed vt à quorundam illum calumnijs defenderet, qui nullam ei authoritatem tribuebant, & in nullo eum numero habebant: sic quidem, vt cùm primùm legi aliquid ex illo libro cœpisset, statim respuerent. Quare Augustinus adeò hunc librum ab istis cōtemni iniquo animo tulit, atq; hanc illorum temeritatem reprehendit. Ita hunc facili negotio sedatum tumultum puto, & te posthac modestiorem esse cupio.

DVRAEVS, Fol. 27.

Sed (ais) cùm testimonium ex illo libro citasset Augustinus, reclamatum est à nonnullis fratribus, qui aderant, non fuisse de libro Canonico adhibitum. *Quid verò responderit Augustinus, tuo more tacuisti. Qua fronte nonnullorum fratrum reclamationem omnium Episcoporum, fidelium, Laicorum, pœnitentium, catechumenorum consensui, quem pro huius libri authoritate confirmanda Augustinus attulit, opponere audes? Ac ne veteres scriptores, qui huius libri vt sacri meminerunt, enumerem, tuus ipse Melito hunc inter cæteros librum Canonicum numerauit. Neque Hieronymus*

mus hunc ipse librum ex Canone extrusit, sed tantùm in Hebræorum Canone non esse asseruit. Illud verò quàm insulsè? Nec si omnes (*inquis*) suos Ecclesia calculos contulisset, præbere illi robur potuisset, nisi suum antè propriumque robur diuinitus habuisset. *Quasi Catholicorum quisquam alijs, quàm diuinis libris Ecclesiæ calculum adhiberi dixerit, ac non potiùs qui libri diuini sint, qui verò minimè, ab Ecclesia declarari: vt illa non diuinos libros faciat, sed tales à Deo factos esse declaret.*

WHITAKERVS.

27 Quòd librum Sapientiæ ab Augustino citatum nonnulli fratres Catholici mox auditum exploserint, totumq; illud testimonium, quod ex hoc libro Augustinus adduxit, communi sententia voceq; respuerint, id quidem, quantumuis Duræe reclames, contra huius libri authoritatem permultum faciat est necesse. Si enim erant & pij, & docti, & in scripturis exercitati, vt eos fuisse constat, libri Canonici testimonium nunquam profectò repudiassent, præsertim cùm se tam faciles & æquos præberent, vt si quod huius libri testimonio confirmare Augustinus voluit, id *præcedentibus Catholicis tractatoribus* placuisse ostenderet, minimè repugnarent. Ex quo quàm prorsus abiectè ac fastidiosè de libro isto senserint, existimari potest. Quid iam verò istis responderit Augustinus consideremus, quandoquidem id à me fuisse prætermissum conquereris. Num verò horum Augustinus temeritatem, impudentiam, sacrilegium insectatur, qui librum Canonicum reiecerint? Nequaquam: Neque hoc illis magnopere vitio vertit. Sic autem ait, *Quasi & excepta huius libri attestatione*

August. de Prædest. sanct. c. 14.

res ipsa non clara sit, quam volumus hinc doceri : Et concludit, *oportet vt istum librum Sapientiæ omnibus tractatoribus anteponant* : quod ego & Augustino libenter, & tibi concedam, vt huius libri authoritatem, quàm omnium tractatorum, potiorem esse fatear. Quòd verò Episcoporum, fidelium, laicorum, pœnitentium, catechumenorum, consensionem istis opponit, id eò facit, vt non esse tam facilè huius libri sententiam repudiandam persuadeat, *quia meruit* (vt inquit) *in Ecclesia Christi de gradu lectorum Ecclesiæ Christi tam longa annositate recitari, & cum veneratione diuinæ authoritatis audiri*. Cùm ergo hunc librum nonnullæ Ecclesiæ legant, & eius doctrinam vt vtilem suscipiant & agnoscant, ab istis fratribus contemni non oportuisse contendit, maximè cùm huius testimonij sententia Canonicorum librorum suffragijs comprobetur. Nam librum Sapientię ab omnibus Ecclesijs receptum non fuisse ipse testatur alio in loco Augustinus. Bene autem & scitè facis, qui veteres scriptores non enumeras: tandem enim (vt spero) huius argumenti, quo tu iam sæpe vsus es, infirmitatem sensisti. Melitoni nolim te aliquid debere existimes. Si enim librum Sapientiæ Canonicum esse docuit, reliquos tuos non esse Canonicos confirmauit. An tu enim ea lege tam multos libros amittes, vt hunc vnum lucreris? Quanquam credibile est, quemadmodum doctissimis hominibus videtur, Sapientiæ nomine ipsum Prouerbiorum librum significari, quo vera Salomonis sapientia continetur.

August. de ciuit. Dei. lib 17. cap. 20.

Euseb. lib. 4. cap. 26.

Hunc

Hunc autem librum ab Hieronymo non extrudi è Canone, non dicam qua fronte, sed qua mente affirmaris equidem miror. Lege enim Hieronymi præfationem in libros Salomonis, *Hierony. in præfat. in lib. Salom.* in qua hunc librum ψευδεπίγραφον vocat, & inter Canonicas scripturas non recipi tradit, & legi in Ecclesia ad ædificationem plebis, non ad dogmatum confirmationem permittit. Et quando apud Hebræos nusquam reperiri, & Græcam eloquentiam redolere, & à Philone Iudæo scriptum esse nonnullis veteribus videri scribit, nonnè è Canone penitus extrudit? Et in alio loco Hieronymus *vt scire* (inquit) *valeamus quicquid extra hos est, inter Apocrypha esse ponendum. Igitur Sapientia, &c.* Sic in omni hac causa semper habes aduersarium Hieronymum, qui non de Hebræorum tantùm vt tu nimis inconsideratè respondes, sed de syncero Christianorum Canone loquutus est. Ait enim *Hierony. In prolog. Galeat.* Ecclesiam hos libros legere quidem, sed inter Canonicas scripturas non recipere, quod de Christianis Ecclesijs intelligendum est, quia illi in Iudæorum ecclesijs nunquam vel legebantur. Iam verò, si nullam aliam Ecclesiæ authoritatem tribuis, nisi scripturæ approbandæ, & declarandæ, & dijudicandæ, quemadmodum videris, in eo tibi facilè assentior, petoq; vt in hac sententia perpetuò maneas. Potest enim Ecclesia veras scripturas à cõmentitijs scriptis secernere. Sed aliam sibi ecclesia vestra potestatem sumit, nec libros modò diuinos agnoscit, & tales esse declarat, sed qui diuini nõ sunt, diuinos facit.

Nam libros Apocryphos, non Canonicos, fabulis consperfos, quales hos esse, de quibus contendimus, vetustas iudicauit, Canonicos & diuinos esse statuit, qui certè diuini nunquam aut fuerunt, aut sunt, aut erunt, si vel ratio, vel scriptura, vel maiorum authoritas valere poterit. Et iam antè diximus, quod cuiquam sufficiat, & quod nunquam refelli possit: atq; ad illos tam multos patres (si te multitudo delectat) potes etiam Hilarium adiungere. Si his contentus non eris, nescio quid tibi satisfacere possit.

Hilar in prolog. explanat Psal.

Atq; hic mihi de Ecclesiæ authoritate remissius multò loqui videris, quàm alij vestri soliti sunt, quando hoc solum approbandi & declarandi ius Ecclesiæ tuæ relinquis. Nam Pighius (quem fuisse Catholicum non negabis) disertè scribit, *Ecclesiam scripturis quibusdam eisque præcipuis, hoc est Euangelistarum, quam neque ex se, neque ex scriptoribus suis apud nos habebant, Canonicam impartitam esse authoritatem*: Deinde ait, *Magnam partem scripturarum vniuersam suam authoritatem ab Ecclesia accepisse*. Et Stapletonus vester, quem tibi non ignotum esse arbitror, sic quintam suam controuersiam concludit, *Est penes Ecclesiam huius temporis librum aliquem alium nondum in Canonem receptum, Apostolorum tamen tempore conscriptum, & nunquam hactenus ecclesiæ iudicio reprobatum (exempli causa librum Hermæ, & constitutiones Apostolicas à Clemente editas) in numerum librorum sacrorum & certò Canonicorum referre posse*. Itaq; iam si Romanæ Ecclesiæ placeret, plures Canonicos libros, plures scripturas, quid

Pigh. Hierarch. lib. 1. cap. 2.

Staplet. lib. 9. ca. 14. in fine.

quid ni etiam plura Testamenta haberemus? Quis non huius orationis indignitatem, quis non tantam pontificiorum licentiam reprehendat? Quanquam Clementis Constitutiones, quas olim in Concilio generali damnatas esse legimus, si vestra Ecclesia potest sua authoritate canonicas facere, potest ea etiam libros antè reiectos & reprobatos in Canonem recipere, quod tamen negat Stapletonus. Sed hic forsan isti aut insulsi, aut parùm Catholici fuerunt: mihi quidem nihil videtur aut insulsè magis, aut minus Catholicè dici potuisse. *Sexta syno. can. 2.*

DVRAEVS, Fol. 28.

Ad Laodicenum tandem Concilium redis? cùm iam millies responsum sit, non omnes ea ætate libros in Canonem fuisse receptos. Ac si vos tantùm mouet Laodicena synodus, cur non etiam Carthaginensis 3. cur non Florentina, cur denique non vltima Tridentina monebit? Nolim verò quisquam hæc ita intelligat, vt Concilia Concilijs contraria fuisse existimet, sed quæ prioribus Concilijs nondum certa fuere, in posterioribus spiritu sancto reuelante constituta sunt. Quod neque diuum August. latuit. lib. 1. de peccat. meritis. c. 27. & de doctrin. Christ. lib. 2. ca. 8.

WHITAKERVS.

28 Laodicenum Concilium libros illos omnes à Canone scripturę remouet, quos nostrę ecclesiæ pro Apocryphis habent. Si ergo nostras hoc nomine Ecclesias damnandas esse statuis, Laodicenam synodum eodem iudicio condemnes est necesse. *Imò*, inquis, *iam millies responsum est, non omnes libros ea ætate in Canonem receptos*

ptos fuisse. Hi ergo libri trecentis à Christo annis vel tua confessione non fuerunt Canonici. Quid iam de subsequente Ecclesia laboremus, cùm primam & purissimam consentientem habeamus? Quamobrem enim Ecclesia primis illis & optimis plusquam trecen torũ annorum temporibus hos libros in Canonem non recepit? Quam caussam vel fingere quisquam possit, nisi quia non esse Canonicos satis intellexit? Id iam velim ab omnibus considerari, nostras Ecclesias cum primis & antiquissimis Ecclesijs de horum librorum authoritate sentire: quod ita est exploratum, vt negari ab ipsis aduersarijs nequeat. Possumus ergo deinceps in hac causa securiùs versari, & quando recentioris Ecclesiæ iudicium obijcitur, ad Apostolicã, & quæ illam trecentis annis subsequuta est, Ecclesiam vestutissimã prouocare. Et verò ecclesiam ipsam de istis libris ad nostram ætatem aliter iudicasse, nullis certis, verisq; indicijs constat, atq; ego multis antè testimonijs ad Tridentini Concilij tempora deductis ostendi ecclesiam hos libros in Apocryphis semper habuisse. Laodiceno autem Concilio Carthaginense, Florentinũ, Tridentinũ opponis: de duobus postremis nihil est, quòd meam responsionẽ expectes, quæ ego pro legitimis Concilijs nõ agnosco. De Carthaginensi autem iam suprà respondi, hos libros in Canonicis scripturis reputari, quia possunt publicè in ecclesijs legi ad morum & pietatis institutionẽ, non ad doctrinæ fideiq; authoritatem. Quanquam nolim te huius Concilij decretis nimiùm confidere. Nosti enim quan-

quantũ Romani pontificis dignitati detraxerit, quando ne vniuerſalis epiſcopus diceretur, vetuit. Sic enim Gratianus Concilij verba retulit, *Vniuerſalis autem nec etiam Romanus pontifex appelletur.* *Carthag. 3. ca. 26. Diſtinct. 99. primæ ſedis.*

Num ſint Concilia concilijs Contraria nõ eſt huius loci diſputare. Si tamen Carthaginenſe ſtatuit vt hi libri verè Canonici, cæteriſq; Canonicis pares eſſent, Laodiceno certè contrariũ fuit. Palàm enim in Concilio Laodiceno Canonici eſſe negantur. Sic enim in Concilio legimus: *Nõ oportet libros, qui ſunt extra Canonem legere, niſi ſolos Canonicos noui ac veteris teſtamenti: Quæ autem oporteat legi, & in authoritatem recipi, hæc ſunt: Geneſis, Exodus, &c.* Tum reliquos veteris Teſtamenti libros enumerat, quos eccleſię noſtrę approbant. Apocryphos omnes prętermittit, quos eccleſiæ noſtræ reijciunt. Ita ſi hos libros Carthaginenſe Canonicos eſſe pronunciat, cum Laodiceno apertè pugnat, quod hos Canonicos eſſe diſertè negat. De epiſtola ad Hebræos, de qua Auguſtinus meminit, fateor olim à nonnullis dubitatum eſſe, ſed eam ab omni Eccleſia vnquã fuiſſe reiectam nullis teſtimonijs doceri poteſt. In libro autem de doctrina Chriſtiana, loquitur de illis libris, qui erant incertæ & dubiæ authoritatis, monetq; vt qui ab omnibus eccleſijs accipiuntur, ijs, quos omnes non accipiunt, præponantur. Quod pro tuis Apocryphis libris parùm quidem facit. Quid ſi enim alij alijs præponuntur, num hinc omnes eſſe Canonicos efficies? *Concil. Laodicen. c. 59.*

DVRAEVS, Fol. 28. 29.

Disertum verò te virum ostendis, cùm de Romanæ curiæ moribus tam copiosè declamas. Neq; tu hîc à me expectes velim vt de vestrorum moribus vicissim aliqua reponam. Quòd autem vestrî adeò clementiam laudas, & Catholicis inauditam crudelitatem affingis, facis tu id quidem tuo more impudentissimè. Horret animus cogitare tam immania innocentissimorum hominum supplicia, quæ vobis passim pro ludo fuerant: & tamen mites vobis clementésq; videmini, quales nimirum Campianus ipse vos nuper expertus est, toties crudelissimè tortus, & tandem interfectus immaniterq; discerptus. Quin & testem vestræ in Anglia clementiæ præclaram hanc legem edidistis: Si quis dissuaserit alicui religionem illam, quę nunc publicè in Anglia tenetur, &c.

WHITAKERVS.

29 Ego me nec eloquentem, nec disertum agnosco; nec verò quicquam de Curiæ Romanæ moribus dixissem, nisi me Campiani de nostris sacerdotiorum nundinationibus, de ferro, de equuleo, de cruce criminosa oratio coëgisset. Qua in defensione mea si quod verbum sit aut falsum, aut immodestum, non deprecor cuiusquã ingenui boniq; viri reprehensionem. Hanc verò, quam narras, eloquentiam tibi non inuitus relinquo Duræe, in qua profectò nisi multum admodum operæ posuisses, nunquam tantos progressus fecisses. Quæ enim pagina est libri tui, quam non istis dictionis tuæ luminibus illustraris, vt mihi nihil molestius fuerit, quàm argumẽta & disputationem tuam à perpetuis maledictis & conuicijs abstrahere? Quod olim Ruffino Hiero-

Hieronymus respondit, vide ne tibi non minus conueniat: *Quid per triginta annos in Oriente profecisti, qui συγγραφεὺς ἀγράμματος procacitatem disertitudinem, & maledicere omnibus, bonæ conscientiæ signum arbitraris?* Hanc ego autem omnem de moribus, de clementia, de crudelitate disceptationem à nostra controuersia remouebo, eiusq; rei iudicium atq; existimationem orbi terrarum permittam. Si Campianus publicis regni legibus de læsa maiestate damnatus mortem effugere non potuit, quis id nostræ potiùs crudelitati, quàm ipsius criminis magnitudini tribuat? Nam de religione nullæ sunt in illius caput habitæ quæstiones, & quicquid tulit, non propter religionem, sed propter forense crimen pertulit. Id omnes vel ex eo verum esse perspicere possunt, quòd alij eodem crimine cum Campiano damnati, cùm tamen pontificem Romanum non posse principem de regno deijcere, nec subditos obedientię iuramento liberare faterentur, supplicium euaserint. Ita nulli pœnas dant, nisi qui pontifici authoritatem principis abdicandæ tribuunt, quod crimen quo supplicio dignum sit, omnes iudicent, nobis quidem fatemur esse capitale. Quòd verò legem nostram in pontificios nuper latam accusas, atque in tuum librum transcribis, in eo nec valdè disertus, & parùm sapiens fuisti, quasi magnum proceres nostri crimen admiserint, qui te inconsulto legem promulgarint. Siccine enim arbitrandum est omnes leges crudeles esse, quæ in pontificem Romanū perlatæ sunt, nec illi summam quiduis in nostro

Hierony. apolog. 3. aduers. Ruffin.

regno tentandi licentiam permittunt? Tu quidem valdè ineptus es Duræe, si nunc expectas, vt leges nostræ tales sint, quales tuus pontifex vel maximè cupiat: aut si boni Christiani apud vos comburuntur, nobis non liceat nostros perduelles suspendere.

DVRAEVS, Fol. 29.30.

Quærebat Campianus quo iure corpus Biblicum detruncetis. Tu factum audacter negas. Non veras (*inquis*) scripturas excindimus, sed excernimus suppositititias. *Sed hoc ipsum quo iure faciatis, quærit Campianus, cui in hæc verba respondes:* Si quæras quo testimonio persuasi simus sacras literas esse, quæ dicuntur, sacras literas; quæram ego quemadmodum tu solem esse solem cognoscas, aut Deum esse Deum non dubites. *Et rursum*, Quanquam id tibi semel responsum volo, scripturæ authoritatem in Ecclesiæ iudicio minimè esse positam. Suam scriptura fidem propriam habet, atq; insitam, non assumptam aliunde: &c. *Quid nouo hoc Enthusiasmo opus esset, si discernendis scripturæ Canonicæ libris certa apud vos esset Ecclesiæ authoritas? Quid verò absurdius, quàm id Ecclesiæ toti negare, quod apud vos sartores, lanij, sutores, cæteraq; hominum fex, te etiam iudice suo quisque iure sibi vendicant? Quis vnquam ante Lutherum tuum & Caluinum ita nugatus est, vt quærenti cur Matthæi Euangelium potiùs quàm Thomæ Canonicum putet, nihil responderit aliud quàm hoc sibi Enthusiasmo quodam non minùs constare, quàm solem esse solem, vel Deum esse Deum? At qui veterum monimenta legerunt, ignorare non possunt, quoties Canonici libri authoritas in controuersiam vocata est, non occulti Enthusiasmi testimonio, sed publica Ecclesię authoritate atque iudicio veritatem declaratam fuisse. Sic Athanasius in Synopsi,* Quatuor (*inquit*) Euangeliorum libros sacri sanctæ & Catholicæ Ecclesię Canones sanxerunt. *Sic Euseb. li.3.c.19. Sic August. contra Faustum lib.13.c.4. & 5. & contra Fundamentum cap. 9. & contra Faustum lib.23.c. 9. &*

9.&

9.& Tertullian. lib.4.contra Marcionem. Nec immeritò profectò: si enim ad discernendas scripturas suum cuique testimonium sufficiat, quis tandem controuersiarum finis erit? Aut quo modo saluti hominum diuina prouidentia consuluisset, nisi vt cæteras controuersias, ita etiam hanc componendi, quæ de Canonicis scripturis non rarò suborta est, certa esset Ecclesiæ concessa authoritas? Enthusiasmi id solum habent commodi, vt homines in immensum quoddam pelagus abripiant, tandemq́; in Atheismi gurgitem præcipites demergant.

WHITAKERVS.

30 De sacro Bibliorum corpore resectum aliquid à nobis esse conquestus est sine causa Campianus: & tu nunquam illud crimen in minima Scripturæ particula verum fuisse demonstrabis. A vobis quidem adduntur ad hoc corpus multa, & nobis succensetis, quando à veris membris aliena disiungimus ac segregamus. Quanquam non modò detrahere aliquid ab hoc corpore, sed ad illud etiam vel tantillum adiungere grauissima denunciatione prohibemur. Id quo iure faceremus quærenti Campiano multa respondi, quæ tu cùm refellere nullo modo posses, ferè omnia prætermittis, atque in vnam aut alteram sententiolam à reliqua oratione seiunctam inueheris. Huius autem controuersiæ status iste est, cùm hos libros affirmemus esse Canonicos, illos verò negemus, quo id iudicio & qua authoritate freti faciamus? Indignum enim pontificijs videtur, vt nos de Scripturis aliter statuamus, quàm

Apoc.22.18 19.

quàm nobis Romana Ecclesia præscripsit, cui hoc totum iudicium permittendũ esse contendunt: Ita cùm hos libros hæc ecclesia Canonicos esse dicat, qui pro Apocryphis à nobis habentur, nullum nobis reliquum esse testimonium, quo nitamur, differunt. Nos contrà, vt huius ecclesiæ nullam omnino rationem habeamus, certissima tamen nobis argumenta suppetere defendimus, quò libros Apocryphos à Canonicis scripturis distinguere atque internoscere possimus. Si enim à me sciscitaris, vnde sciam has scripturas esse sacras ac diuinas & spiritus sancti authoritate conscriptas, id certè quæris, de quo non possis meritò magis dubitare, quàm esse Deum, esse Christum, esse spiritum sanctum, deniq; splendere tempore meridiano solem. Si est enim Deus, quemadmodum esse exploratum habemus, quátumuis id nunquam nobis ecclesia Romana persuaserit, tum hoc esse Dei verbum his literis descriptum & consignatum non possumus ignorare. An tu verò Deum negabis esse Deum, nisi id Romanæ Ecclesiæ visum fuerit, aut ego de eo dubitassem, nisi à Romana Ecclesia penitus didicissem? Quemadmodum ergo Deum esse cognosco sine Romanæ Ecclesiæ testimonio, ita has esse eiusdem Dei scripturas vel hac tacente intelligo. Nam si id omnino sine tua Ecclesia nescirem, dic (quæso) quamobrem quod tua Ecclesia scire potuit, id ego nullo modo assequi potuerim? Sic enim argumentum instituo, Quibus notis Ecclesia Romana scripturas agnouit & approbauit, eæ sunt omnibus Christianis

com-

communes, nec alijs argumentis Romana Eccleſia ſcripturas nouit eſſe ſcripturas, quàm ijs quę id ipſum omnibus Chriſtianis perſuadere poſſunt: Ergo ſi nos has eſſe ſcripturas neſcimus, quomodo eſſe has ſcripturas Eccleſia Romana intellexit, niſi poſſunt occulta quædam indicia proferre, quæ nullis niſi ipſis nota ſint? Quòd ergo quærunt, vnde nos has eſſe ſcripturas ſciamus, ipſi prius reſpondeant nobiſque exponant, quemadmodum ſcripturas agnouerint, & veras a falſis dijudicarint: ita facilè perſpicient hanc omnem ſcientiam nobis eſſe cum ipſis communem.

Fruſtra ergo de librorum ſacrorum notitia litigant, quos ipſi non aliundè ſacros eſſe norunt, quàm ijs teſtimonijs, quibus & nos perſuaſi ſumus horum librorum authoritatem eſſe ſacroſanctam. Primùm enim quòd Eccleſię approbationem requirunt, eam nos eſſe neceſſariam confitemur, & nullos libros admittimus, niſi eos tantùm, de quibus certa ſunt & perpetua veræ Eccleſiæ teſtimonia. Nam initiò ſcripti hi libri ſunt ab ijs, qui erant diuina authoritate ad illud munus deſignati, quos Eccleſia vel Prophetas, vel Apoſtolos, vel Euangeliſtas eſſe nouit: tum Eccleſiæ traditi, ab eaq; recepti, & omnibus commendati illius Eccleſiæ teſtimonio, in qua primùm ſcripti ſunt, quod quidem eorum librorum fidem atque authoritatem ad omnes Eccleſias comprobauit. Atque hoc primæ Eccleſiæ teſtimonium & ſequentes deinceps tenuerunt, eoque modo ſacrorum librorum Cano-

nem conſeruarunt, & nos libenter ſequimur, & vos nihil aliud habetis, quod ſequamini. Vides ergo quantùm nos Eccleſiæ teſtimonio tribuamus, cùm in eo ſatis magnam vim ineſſe cenſeamus ad confirmandum ſcripturæ Canonem, eoſq; omnes refutandos, qui horum librorum numerum vel augere, vel minuere volunt. Tamen vt in hac perſuaſione acquieſcamus, atque his libris penitus aſſentiamur, & Deum in illis loquentem audiamus, ſpiritu ſancto indigemus, qui omnem nobis dubitationem excutiat. Quemadmodum enim eſſe Deum certis argumentis intelligimus, quibus etiam Philoſophi victi ſunt, tamen niſi ſpiritus ſanctus accedat, ſæpe dubitamus, nec omnino conſcientijs noſtris ſatisfacimus, & hæremus, & fluctuamus, & in animo multa verſamus: ita quanquam infinita ſunt argumenta quibus ſcripturarum authoritas confirmatur, & qui illam infringere volunt, refelluntur, tamen hæc perſuaſio nunquam erit nobis ſalutifera, aut firma, aut perpetua, quouſque fuerit ſpiritus ſancti teſtimonio ſtabilita. Hoc ergo teſtimonium adiungimus, non quòd alia nulla ſint, quibus profani homines reuincantur, ſed quòd iſto omnia alia ad fidem & ſalutem nobis ſanciantur.

Nihil ergo opus fuit, vt tam multa hîc Luthero & Caluino de nouis quibuſdam Enthuſiaſmis obijceres, in quo quis non videt, à quo hoc ſpiritu profectum ſit, vt ſpiritus ſancti teſtimonium inſanis quorundam Enthuſiaſmis comparares?

Deum precor, vt hanc tibi blaſphemiam ignoſcat. Sin neſcis ſpiritus ſancti vim nobis ad ſcripturas percipiendas neceſſariã eſſe, id ex his ſcripturis intelligere potes. Christus ait: *Spiritus ſanctus docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia quæ dixi vobis.* Et Ioannes, *Vnctionem habetis à ſancto, & noſtis omnia: vnctio docet vos de omnibus.* Et Paulus: *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei: at ſpiritualis dijudicat omnia: ſpiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunditates Dei.* Et Eſaias propheta: *Spiritus meus qui in te eſt, & verba, quæ poſui in ore tuo & ſeminis tui, in perpetuum non deficient.* Ex his perſpicuum eſt, eundem ſpiritum, qui in Prophetis atque Apoſtolis loquutus eſt, in noſtris etiam mentibus hanc Dei vocem obſignare, & illa omnia quæ audimus à Deo manaſſe nobis perſuadere. Nam ſine ſpiritu cognitio aliqua eſſe poteſt, ſed fides profectò nulla eſſe poteſt. Antequam verò credimus, nunquam de ſcripturarum authoritate certi ſumus. Qui ergo ſpiritus teſtimonio carent, legere quidem ſcripturas poſſunt, & argumentis abundare, quibus tum has defendant, & alia ſcripta reijciant: tamen has ſcripturas ex animo amplecti tanquam verè diuinas, atque in illis ſpiritum ſanctum loquentem agnoſcere non antè poſſunt, quàm ſpiritus illorum mentes & voluntates in hanc πληροφορίαν induxerit. Quòd ergo quæris, quid iſto Enthuſiaſmo opus eſſet, ſi nobis certa Eccleſiæ authoritas conſtaret, reſpondeo tuum illud de Enthuſiaſmis commentum à nullis vnquam fortiùs repreſſum

Ioan. 14. 26.
1. Ioan. 2. 20. 27.
1. Cor. 2. 14. 10.
Eſai. 51. 16.

pressum fuisse quàm à nostris, & te plusquam iniquum esse, qui nos Enthusiastis similes facis, quia spiritum sanctum verbi diuini indicem & testem omni exceptione maiorem esse dicimus. Ecclesiæ verò authoritatem libenter agnoscimus, eosq; libros suscipimus, quos prima Ecclesia suscipiendos esse iudicauit, in qua ipsi Apostoli vixerunt,& scripturarum Canonem consignarunt. Iam verò perpetuam, quandam Ecclesiæ potestatem affingere addendi nouos libros ad antiquum illum scripturæ Canonem ab ipsis Apostolis Ecclesiæ primis temporibus traditum, vide quæso, annon sit nouos Enthusiasmos desiderare.

Quod de hominum fæce adiungis, nihil fuit quamobrem Christi populum tam probrosè appellares. Non enim omnes possunt esse Theologi, aut Episcopi, aut Iesuitæ: & Christus non leuius pro lanijs ac sartoribus precium persoluit, quàm pro Monachis aut Monarchis. Cauendum verò tibi est, ne calones & Bubulci, quos tantopere despicis, in regnum cælorũ exclusis Iesuitis ingrediantur. Et quanquam isti non satis tibi armati videntur, vt possint de scripturis iudicare, *tamen in his spiritus Dei habitat.* Rom. 8. 9. *Nisi enim Christi spiritum habent, eius non sunt, imò est in ipsis Iesus Christus, nisi reprobi fuerint.* 2. Cor. 13. 5. Si ergo Dei, Christiq; spiritum, Christum ipsum hi habent in seipsis habitantem, certè possunt Dei verbum agnoscere & de scripturis iudicare. Quòd verò quæris cur Matthæi Euangelium recipiatur, Thomæ respuatur, possunt

tibi hæc facilè ſine Enthuſiaſmis demonſtrari. Nam Matthæi Euangeliū fuiſſe ab ipſo Matthæo conſcriptum ipſa Eccleſia in qua Matthæus vixit teſtatur, atque hoc teſtimonium ſemper ad noſtra tempora valuit: Thomæ verò Euangelium ab alio quodam editum eſſe, ex eo perſpectum eſt, quòd aliter ſcriptum ſit, quàm veritatem & ſpiritum Apoſtolicum decebat. Tu nullam aliam cauſam eſſe putas, niſi quia ſic Eccleſia decreuit, vt hoc reciperetur, illud reijceretur. Inter tuam ergo meámque ſententiam hoc intereſt, quòd ego ſcripturas tam per ſe veras eſſe ac fide plenas affirmem, vt Eccleſia aliter facere non potuerit, quin eas ſuſciperet, ſuóque teſtimonio comprobaret: Tu contrà ſcripturas non ex ſe hanc authoritatem habere, ſed tantùm ab Eccleſia mutuari contendis. Iam quod nonnulli libri repudiati ſint, quales fuiſſe multos legimus, non ea ſola cauſa fuit, quòd ſic Eccleſiæ videretur, ſed quia cum fidei analogia pugnabant, & cum doctrina prophetica atque Apoſtolica minimè conueniebant. Id Auguſtini malo verbis, quàm meis diſcas: *Cæteri autem* (inquit) *homines, qui de Domini vel de Apoſtolorum actibus aliqua ſcribere conati vel auſi ſunt, non tales vel ſuis temporibus extiterunt vt eis fidem haberet Eccleſia, atque in authoritatem Canonicam ſanctorum librorum, eorum ſcripta reciperet. Nec ſolum quia illi non tales erant, quibus narrantibus credi oporteret, ſed etiam quia ſcriptis ſuis quædam fallaciter indiderunt, quæ Catholica atque* *Auguſt. de Conſen. Euang. lib. 1. cap. 1.*

Apostolica regula fidei & sana doctrina condemnat. Et rursum, *Lucas ita scripsit vt solus eius liber fide dignus haberetur in Ecclesia de Apostolorum actibus narrantis, reprobatis omnibus qui non ea fide, qua oportuit, facta dictáque Apostolorum ausi sunt scribere. Eo quippe tempore scripserunt Marcus & Lucas, quo non solùm ab Ecclesia Christi, verùm etiam ab ipsis adhuc in carne manentibus Apostolis probari potuerunt.* Et in alio loco, *Legunt scripturas Apocryphas Manichæi, à nescio quibus sutoribus fabularum sub Apostolorum nomine scriptas: quæ suorum scriptorum temporibus in authoritatem sanctæ Ecclesiæ recipi mererentur, si sancti & docti homines, qui tunc in hac vita erant & examinare talia poterant, eos vera loquutos esse cognoscerent.* Sic illi libri non propter nudum Ecclesiæ iudicium, sed propter doctrinæ discrepantiam improbantur.

Ibid.lib.4 cap.8.

Idem contra Faust.li.22. cap.79.

Quo autem argumento Patres aduersus antiquos hæreticos vsi sunt, Athanasius, Eusebius, Augustinus, Tertullianus, eodem nos etiam in simili causa vtemur. Quemadmodum enim illi aduersarios nouas scripturas fabricantes Ecclesiæ testimonio reuicerunt, ita nos etiam scripturæ Canonem Ecclesiæ testimonio defendemus. Nam spiritus testimonium non ad alios refellendos, sed ad nos ipsos persuadendos valet. Sic vides non relinqui suum cuique iudicium, vt quem ipse vult librum aut suscipiat, aut respuat, quemadmodum

tu fingis, sed illos à nobis libros suscipi, quos vetus Ecclesia suscepit, illósque respui, quos ea respuendos esse admonuit. Et quando satis constat integrum scripturarum Canonem viuis adhuc Apostolis conscriptum & Ecclesiæ traditum fuisse, quis non videt hanc controuersiam sublatam & compositam esse, vt nulla tibi causa fuerit, de diuina prouidentia conquerendi? Postremo, quòd spiritum facis diffidentiæ & Atheismi causam, non dubito quin omnes quàm hoc horrendum sit, facilè videant. Tuné audes Duræe, affirmare, qui spiritus sancti testimonio confidunt, eos in diffidentiæ & Atheismi gurgitē demergi? Aut erit spiritus sancti testimonium recusandum, vt tuæ Ecclesiæ testimonio credatur? Hoccine est diffidentiæ atque Atheismi remedium? At quantumuis ecclesia aliquid decernat, & centies pronunciet, id tamen nunquam antè certa firmáque fide suscipietur, quàm hominum conscientijs spiritus sanctus arcano instinctu verum esse persuaserit. Quid si enim omnes homines affirmant, quod mihi nullis indicijs nisi ipsorum testimonijs probatur? Possumné hoc testimonio omnes diffidentiæ impetus retundere? Nequaquam verò: nec vnquam mihi vlla salutaris persuasio infixa in animo hærebit, priusquam maiore ac diuiniore, quàm hominum, authoritate, hoc est, spiritus sancti testimonio suffulcior. Cùm verò ad ecclesiæ vocem ac testimonium spiritus sancti authoritas accedit,

tum demum omnis diffidentia profligatur, & vera animi tranquillitas consequitur. Atque hoc Augustinus ipse docet apertissimè: *Eos* (inquit) *sequamur, qui nos inuitant prius credere, quod nondum valemus intueri, vt ipsa fide valentiores facti, quod credimus intelligere mereamur. Non iam hominibus, sed ipso Deo intrinsecus mentem nostram firmante, atque illuminante.*

August. contra epist. Manich.

DVRAEVS, Fol. 32.

Qui fit (*inquit ille*) *vt Caluinianorum spiritus recipiat sex epistolas, quæ spiritui non placent Lutherano. Respondes: Illas Epistolas Lutherani non reijciunt, neque à nouo Testamento resecant. Reijciant necnè, tu videris: tamen illis non placere* (*quod Campianus dixit*) *Magdeburgenses ipsi confirmant, centur. 1. lib. 2. cap. 4. Laudo tamen quòd tam subtiliter acutéque probas has epistolas Lutherano spiritui minimè displicere.* Earum (*inquis*) nonnullas Lutherus suis commentarijs illustrauit: Illyricus omnes. *Eodem sanè argumento dixisses, quasdam AEsopi fabulas Lutherus suis commentarijs illustrauit, Illyricus omnes: spiritui igitur Lutherano AEsopi fabulæ in Canone sunt reponendæ.*

WHITAKERVS.

31 Valdè tibi places, quando potes de Lutherano & Caluiniano spiritu iocari. Quanquam nihil est cur hunc spiritum contemnas aut irrideas, qui tuo pontifici tam aduersus atque infestus iamdudum afflauit, vt nisi nouus Iesuitarum spiritus emersisset, ei spiritus iamdudum nullus reliquus fuisset. Atque hic spiritus, quem

quem ex ore ſuo dominus emiſit, tuum illum, 2.Theſſ.2.8
quem colis Antichriſtum magis indies magisq́;
conficiet, quantumuis maximè omnes veſtri ſpiritus reflauerint. Verùm ad rem ipſam quod attinet, Si quidam viri præſtantes & eruditi de illis ſex epiſtolis aliter ſenſerint, quàm illarum dignitas poſtulabat, æquumné fuit vt eam nos culpam lueremus? Quid ergo nobis hanc litem intendis, qui de illis ſex epiſtolis non minùs quàm vos ipſi præclarè atque honorificè iudicamus? Aut ſi illi nonnullarum Eccleſiarum veterum exemplum ſequuti paulò durius de illis ſtatuerunt, hæccine tanta eſt ſpirituum pugna ac diſſentio? Non ſimul omnia omnibus pateſiunt: nec eadem eſt menſura ſpiritus, & ſi quis aliter ſentiat, id etiam ei Dominus ſuo tempore declarabit.

Laudas verò quòd has epiſtolas ſpiritui Lutherano non diſplicere tam acutè probârim, in quo tamen ipſe nimis acutus fuiſti, qui de Æſopi fabulis tam mirificum argumentum excogitare potuiſti. Dixiſſem enim (inquis) hoc argumento Æſopi fabulas eſſe in Canone reponendas. Et quid ni poſſe etiam Æſopi fabulas in Canone reponi dixerim, ſi id Eccleſiæ veſtræ viſum fuerit? Si enim ſcriptura ab Eccleſiæ authoritate deſerta non magis valet, quàm Æſopi fabulæ, vt veſter quidam non obſcurus affirmauit, quid ni fieri etiam poſſe exiſtimemus, vt Æſopi fabulæ in Canone reponantur, ſi modò Eccleſiæ veſtræ authoritas acceſſerit? Sed hoc tuum fuit argumentum, non *Wolfgangus. Hermannus*

meum: Sic enim mea verba habent: *Imò recipiunt, in controuersijs explicandis adhibent, in scholis, in Ecclesijs interpretantur, priuatim publicéq; legunt.* Sic omnes vident quàm tuum hoc intempestiuum fuerit de Aesopi fabulis argumentum. Tibi ego suaserim, vt omissis scripturis, quas ita malè semper interpretaris, deinceps potiùs in Aesopi fabulas nouos commentarios scribas.

DVRAEVS, Fol. 33.

Demus hoc tibi, Luthierano spiritui cum Caluiniano optimè conuenire. Nondum tamen rem confecisti, nisi & cum vestro spiritu cæterorum vestri ordinis Euangelicorum spiritus conuenire ostendas. Vnum exempli gratia Anabaptistarum spiritum sumamus, cui Iobi historia fabula videtur tragicis, & comicis legibus intermixta. Hoc enim Campianus exemplo vsus est. Cui tu quid respondes? Spiritus (*inquis*) Anabaptisticus amentia quædam fuit, & furor præceps atque effrænatus, quem nullius magis spiritus, quàm Caluinianus & Lutheranus repressit. *Sed Anabaptistæ vicissim eodem sanè iure Caluinianum spiritum accusant. Si ergo fides ex scriptura petenda est, scriptura autem non nisi spiritu æstimanda, quid quæso in tanto spirituum conflictu & tam vario Marte agendum?*

WHITAKERVS.

Anabaptistas quamobrem Euangelicos nostrosque dicas, nullam causam habes, nisi ij sunt Euangelici, & nostri quos Euangelium damnat, & nostri semper fortissimè represserunt. Quod quidem adeo verum & testatum esse constat

conſtat, vt niſi melius iſti à vobis, quàm ab Euangelicis excepti, habitique fuiſſent, aut nulli iampridem aut certè pauci remanſiſſent. Nam hos inſanos Anabaptiſtas cùm miniſtri Euangelici, Lutherus, Zuinglius, Bullingerus, Caluinus ſcriptis ſuis refutarunt, tum principes aut è finibus ſuis expulerunt, aut pia legum ſeueritate ad ſanam mentem reuocarunt. Sin Euangelici & noſtri habendi ſunt, quia poſt Euangelium diuulgatum extiterunt, tum erunt etiam Euangelici Ieſuitæ, qui poſt Euangelij promulgationem à Luthero inſtauratam in lucem prodierunt.

Quòd autem Iobi hiſtoriam Anabaptiſtæ Tragicocomœdiæ comparant, in eo ſuam amentiam ac blaſphemiam produnt: atque iſtos inſanorum hominum furores diligenter noſtri refellunt, dum illos veſtri quietos eſſe in pontificijs regnis patiuntur. Si verò illi ſpiritum Caluinianum viciſſim inſaniæ & furoris accuſant, equidem non metuam huius vel teipſum controuerſiæ iudicem facere, qui nunquam potes, niſi ijſdem furoribus oppreſſus, noſtram cauſam illorum eſſe ſimilem pronunciare. Nam illi ſcripturas omnes abijciunt, & toti ex repentinis Enthuſiaſmis pendẽt: Caluiniani (quos vocas) contrà nullam niſi ſcripturarum doctrinam proponunt, illoſq; omnes ſpirituũ ἐνθουσιασμοὺς, tãquam audaces ac proiectos ad omnia nefanda animorum impetus damnant. Tu nunc quid inter Caluinianum ſpiritum, & illos Anabaptiſtarum Enthuſiaſmos interſit iudica.

At quid (inquis) fiet in tanto ſpirituum conflictu, ſi ſcriptura non niſi ex ſpiritu æſtimatur? Multa verò nobis prӕter ſpiritum ſuppetunt, Duræe, quibus ſcripturas æſtimemus. Habet enim authoritatem ſummam illa quidem à ſpiritu ſancto, cuius inſtinctu & magiſterio conſcripta fuit: tum ab ipſis ſcriptoribus, quos Dominus diuinis teſtimonijs ornauit, vt quos illi libros ederent, pro Canonicis haberentur: deinde à rerum quæ in ſcripturis traditæ ſunt, natura planè diuina ac cæleſti: poſtremò, ab Eccleſia prima, quæ illos libros ab Apoſtolis ipſis aut Euangeliſtis editos fuiſſe teſtatur. Iſtis nos argumentis & Anabaptiſtas, & alios omnes hæreticos refellemus, & hos libros Canonicos eſſe demonſtrabimus, quantumuis omnes aduerſariorum ſpiritus repugnarint. Et tamen hæc argumenta tam ad verum dijudicandum ac comprobandum firma non poſſunt certam ac fidelem in nobis ipſis aſſenſionem excitare, quouſque interno ſpiritus ſancti teſtimonio conſignantur.

DVRAEVS, Fol. 34.

Caſtalioni factam ais iniuriam, nec aduertis te cùm Caſtalionem defendis, Bezam tuum, qui eodem illum crimine onerauit accuſare, in præfat. in Ioſ. neque qui Caſtalionis verſionem legit, aliam de hoc ſcripturæ libro eius fuiſſe ſententiam exiſtimare vnquam poterit. Ita enim amatoriis quibuſdam, &c. In Apocalypſi Ioannis dixit Campianus deſiderare quiddam Lutherum, Brentium & Kemnitium. Quid hoc quiddam eſt? inquis. Quin tu potiùs videas. Et Euſebii authoritate hos cenſores omni criminis ſuſpicione liberare ſtudes. lib. 3. ca. 24. Et cùm nulla tibi iuſtæ defenſionis ratio occurrat, Quid ad nos iſta, *inquis. Si vobis Luthe-*

rus hæreticus est, ad vos ista sanè pertinebunt: sin Lutheranos pro fratribus, & pro patre Lutherum agnoscitis, quomodo non vestrâ vel maximè interest? Quod hoc libro Romanum perstringi pontificem calumniaris, facis tu quidem quod illius sectæ hominem decet. Sed quia ne verbum quidem vnum proferre potuisti, quod Romanum pontificem vel leuiter attingat, ridiculus sanè es, si quam à me responsionem expectas.

WHITAKERVS.

33 Si quid Castalion scripserit petulantius, aut scripturarum authoritate indignius, me certè patronum non habebit: & tibi per me liberum erit eius opiniones totis libris refutare. Erras enim si me solicitum esse putas, quid tu de Castalione sentias, vt tecum multa de hoc homine verba commutare velim. Tamen in illa præfatione dixi me nihil tale reperire, quale illi fuit obiectum à Campiano: Tu nunc aliam mihi præfationem narras, non Castalionis, sed Bezæ, quam aut ego non vidi, aut tu non bona fide vsurpasti. Sed mittamus Castalionem, de quo non est necesse nobis litigare. In Apocalypsi verò quid illi viri, quos nominas, desiderarint, sanè non intelligo, nec admodum curo. Et tu nihil profers vnde perspiciam esse aliquid ab illis desideratum. Mihi verò illa iustissima defensio videtur, nihil ad nos ista pertinere, cùm vt maximè Lutherum atque alios in hoc loco nonnihil desiderasse constaret, nos tamen nihil omnino desideremus, nec scribi aliquid potuisse diuinius existimemus. Hic nunc instas, vt Lutherum vel hereticum faciamus, vel pro patre nostro

habeamus. Neutrum verò, mi Duræe. Hæresin Lutheri nullam agnoſcimus, niſi hæreſis fuit, veſtras hæreſes oppugnare, quod quidem Lutherus fecit, vt noſti, cum magno Eccleſiæ veſtræ damno, & omnium Monachorum calamitate. Atque vt vobis pater ſit Laiolas, nos tamen nec Lutherani ſumus, nec quenquam in terris patrem vocamus, quia vnus nobis in cælis pater eſt. Si verò nihil Lutherus potuit in Apocalypſi deſiderare, quin mox hæreticus euaderet, erant ergo veteres illæ Eccleſiæ hæreticæ, quas de hoc libro dubitaſſe legimus: niſi quod in illis hæreticum nullo modo fuit, id quando ad Lutherum traducitur, extemplo hæreticum eſſe cæpit. Sic erunt non rerum hæreſes, ſed perſonarum, & quod aliquando eſt Catholicum, mutatis temporibus erit hæreticum. An verò tuum pontificem, totamq; illam pontificiam Hierarchiam Apocalypſis perſtrinxerit, non expectas hoc loco vt diſſeram. Quouſque Apocalypſis extabit, ſedem ſuam pontifex à peſſima ſuſpicione nunquam vindicabit, cùm in ea vrbe habitet, & regnet, quam ſic perſpicuè eſſe Antichriſti μητρόπολιν futuram ſpiritus ſanctus in hoc libro præmonſtrauit, vt de eo nunc pontificij ipſi dubitare deſierint. Donec ergo nouus aliquis naſcatur Antichriſtus, quod nunquã eueniet, interim pontificem eſſe Antichriſtum neceſſe eſt probabiliter & meritò ſuſpicemur.

Matt.23.9.

Sander. demonſtr. 38. & Remenſes Theolog. in annot. in 17. Apocal. v.5

Si eſt enim probabile ſeſſurum Romæ Antichriſtum, vt nunc iſti confitentur, eſt quidem multò probabilius pontificem eſſe hunc ipſum Antichri-

christum, qui & sedit Romæ multis iam seculis, &, quòd sciam, nihil de migratione cogitat. Num ista res ad tuum pontificem quicquam pertinere possit, ipse videris.

DVRAEVS, Fol. 35.

Lutherus (inquis) omnium optimos esse Euangelistas dixit, qui in eo maximè elaborarint, vt docerent fide sola in Christum nos iustificari. *Hæc si ita se habent, omnium certè Euangelistarum optimus Lutherus. Verùm id mihi respondeas velim, quæ scriptura doceat, eos Euangelistarum nomine censendos, quibus is scopus fuit, vt sola nos in Christum fide iustificari ostenderent? Non enim Angelus Euangelizare se dixit, quòd sola in Christum fide iustificari doceret:* Sed Euangelizo, (*inquit*) vobis gaudium magnum &c. *Et Euangelistæ alium sibi scopum propositum habuerunt, nimirum vt Iesum Mariæ filium verum esse Messiam probarent.* Hæc (*inquit Ioannes*) scripta sunt vt credatis, quia Iesus est Christus filius Dei. *Ioan. 21. Et Matthæus Euangelium suum ad hunc modum exorditur*, Liber generationis &c. *vt hoc se agere demonstraret, eum qui tum natus erat Christum esse ac Messiam. Et Marcus,* Initium Euangelij &c. *Quasi dicat hoc vnum se in animo habere, vt describat, Iesum ex Maria virgine natum verum esse Messiam. Lucas denique ait propositum sibi fuisse, vt quæ prophetæ de venturo Messia anteà prædixerant, in Iesu Mariæ filio completa esse ostenderet. Neque Paulus, neque Petrus, neque cæteri Apostoli in hunc potissimum finem Epistolas scripserunt, sed vt homines iam Christianos ad Christianæ vitæ perfectionem adhortarentur. Quàm ergo ridiculè Lutherus Pauli Epistolas rectiùs Euangelium vocari dixit, cùm Paulus ipse Epistolas suas non nisi Epistolas vocare soleat? Lutheri igitur innocentiam quantumuis te defendisse iactites, nunquam tamen efficies, quin superbus ille & valdè quidem imperitus censor fuerit.*

WHITAKERVS.

Illam quorundam de quatuor Euangelijs opinionem tollendam Lutherus affirmauit, quandoquidem est reuera vnicum duntaxat Euangelium ab omnibus Euangelistis atq; Apostolis expositum. Nam vt inquit Chrysostomus, κἂν μύριοι γράφωσιν εὐαγγέλια, ταδὲ αὐτὰ γράφωσιν, ἕν ἐστι τὰ πολλά: id est, *Quanquã mille homines scribunt Euangelia, si tamen eadem scribant, vnum multa sunt.* Quod cùm ita sit, Euangelij nomen Lutherus non minùs Pauli epistolis, aut etiam magis conuenire dixit, quàm prioribus tribus Euangelijs, quia summam Euangelij Paulus in Epistolis fusiùs declarauit, quàm illi tres Euangelistæ, quorum historia in Christi factis & miraculis narrandis ferè tota consumitur. Cùm enim Euangelium nihil aliud sit quàm enunciatio & declaratio gratiæ misericordiæq; Dei, quam nobis sua morte Christus promeritus est, negari non potest, illam esse maximè Euangelicam doctrinam, quæ hoc beneficium lætumq; nuncium plenissimè exponit, eamq; ob causam in Pauli Epistolis Euangelium copiosissimè & clarissimè doceri, & esse Paulum optimum Euangelistam. *Imo* (inquis) *si hæc ita sint, omnium Euangelistarum optimus Lutherus.* Facetè: quasi hanc doctrinam omnes Lutheri illustriùs explicarint, quàm Paulus in suis ad Romanos & Galatas Epistolis, quod facilè animaduerteres, si illas Epistolas vel leuiter degustares.

Chrysost. in Gal. cap. 1.

Quòd autem quæris, quæ scriptura doceat, eos Euangelistarum nomine censendos, qui sola nos in Christũ fidẽ iustificari ostendũt, possem tibi multas scripturas commemorare, si id causa postularet. *Quàm pulchri sunt pedes Euangelizan-* *Esai.52.7.*
tium pacẽ, Euangelizantiũ bona, inquit ex prophe- *Rom.10.15.*
ta Apostolus? Pax autem nascitur ex remissione peccatorum & reconciliatione cum Deo, quam fide sola consequimur. Nam ex fide iustificati pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum. Deinde cùm Euan- *Rom.5.1.*
gelium sit annunciatio reconciliationis Dei cum hominibus, & tum Deo reconciliamur, quando nobis Deus peccata nostra non imputat, & *2.Cor.5.19.*
fidem credentibus tantùm pro iustitia imputat, *Rom.4.4.*
huiusq; reconciliationis ministerium omnibus Apostolis cõmissum est, quis non videt Apostolos omnes hanc reconciliationem per fidem annunciantes fuisse Euangelistas? Theophylactus Euangelium dici scribit, quia nobis res bonas annunciat: cuiusmodi vero? ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, δικαίωσιν, *Theoph. in*
ἄνοδον εἰς οὐρανοὺς, υἱοθεσίαν θεοῦ: hoc est, *peccatorum remis-* *1. ca. Mat.*
sionem, iustificationem, aditum in cælos, adoptionem Dei. At quomodo ista bona consequimur? Facilè inquit. *Non enim nos in his bonis acquirendis elaborauimus, aut ea nostris bonis operibus accepimus, sed gratiâ & misericordia Dei tantorum bonorum participes facti sumus*. Si hoc sit Euangelium, tum non sunt tantùm quatuor Euangelistæ, & ij nomine Euangelistarum censendi sunt, qui nos sola fide iustificatos esse docent, quia fide tantùm remissionem peccatorum,

rum, & adoptionem accipimus. Qui enim credunt in nomen eius, ijs dedit hanc dignitatem, vt filij Dei fierent. Verùm (inquis) angelus non dixit se Euangelizare, nos sola in Christum fide iustificari. Euangelistam ergo fuisse angelum confiteris: at nullus fuit ex quatuor Euangelistis: quare non hoc nomen illis solis adiudicandum est. Quid autem Euangelizauit? Esse nos operibus nostris iustificandos? Aut natum nunc esse, qui morte sua efficiat, vt nos nostram salutem promereri possimus? Absit, vt tale aliquid vnquã in huius Euangelistę mentẽ venerit. Quæ ergo huius Euangelij summa fuit? nempe natum esse nobis seruatorem Christum Dominum, qui nos peccatis perditos liberet, peccata nobis nostra remittendo, & suam obedientiam ac mortem pro sola iustitia imputando, deniq; se nobis non dimidiatũ, sed integrum solumq; seruatorem prębendo. Hîc tu nobis narras quid Euangelistæ sibi proponerent, in conscribendis Euangelijs, tuæq; Theologiæ fontes aperis. *Euangelistis* (inquis) *propositus scopus fuit, vt Iesum Mariæ filium verum esse Messiam probarent.* Et quid (quæso) aliud Paulo, quid Petro, quid reliquis Apostolis propositum fuit, quàm vt hunc ipsum Mariæ filium esse verum Messiam confirmarent, hoc est, vnicum totius Ecclesiæ prophetam, regem, sacerdotem, seruatorem? Sunt quidem Epistolæ cohortationibus plenę, sed num ex eo concludes aliud in animo Apostolos habuisse, quàm vt omnes homines ad suscipiendum hunc Messiam conuerterent, & omnẽ in illo vno salutẽ

Ioan.1.12.

Luc.2.11.

ac fælicitatem quærendam esse persuaderent? Quicquid autem Euangelistæ de Christi natalibus, de vita, de doctrina, de miraculis, de morte, de resurrectione, atque in cælum ascensione scribunt, id omne eò referunt, vt hunc illum esse doceant, qui serpentis capite contrito omnibus credentibus salutem attulit. Atque hoc reliqui Apostoli in suis Epistolis diligentissimè præstiterunt. Itaque se Paulus ait separatum *Rom.1.1.*
esse εἰς εὐαγγέλιον θεοῦ, & se Corinthios genuisse *1.Cor.4.15.*
διὰ τοῦ εὐαγγελίου, & Deum iudicaturum de occultis *Rom.2.16.*
hominũ κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου, & tectum esse τὸ εὐαγγέλιον *2.Cor.4.3.*
ἡμῶν ijs qui pereunt, si tectum sit. Quid aliud Paulus fecit, quàm Euangelium docuit, cùm ijs qui aliud aliquid Euangelizarent, anathema de- *Galat.1.8.*
nunciauit? Nonnè Timotheus Euangelista fuit, *2.Tim.4.5.*
quē Paulus Euangelistæ opus facere iussit? Quid ergo Euangelij nomen ad illa tantùm scripta astringis, quæ sunt à quatuor Euangelistis edita? Nihil ergo ridiculè Lutherus dixit, quando Pauli Epistolas Euangelium vocari rectissimè posse affirmauit, & plusquam se ridiculos præbent, qui in Pauli Epistolis Euangelium non agnoscunt. Quid si enim Epistolas suas, non nisi Epistolas Paulus appellauit? Erant enim ad certas Ecclesias, aut homines missæ: Ergo non merentur Euangelij nomen? Siccine te ridiculè argumentari oportuit, qui Lutherum ridiculum vocas? Aut nunc docendus es, quamobrem hi quatuor libri Euãgelia dicãtur? Desine ergo Lutherum accusare, quem tu nũquam hac in causa vel imperitię, vel superbię conuinces.

Sed

Sed bene res habet : cùm Luthero obiectum esset, quòd Euangelia feruore præpostero inter se committeret, quòd vnicum Euangelium Ioannis pulchrum, verum, præcipuum nominaret, quod Apostolos libenter vellet suarum rixarum socios ascribere : nunc tandem nullum hîc in Luthero nisi aut superbiæ, aut imperitiæ crimen reprehenditur. Ego verò tibi modestiam opto, Duræe, scientiam certè non inuideo.

DVRAEVS, Fol. 36.

An verò, quod Campianus dixit, petulanti illum stilo Lucæ Euangelium perstrinxisse, illius etiamnum innocentiam propugnabis? Maximè: Lutherum ergo tam circumspectum putas, vt sanctiùs etiã, sapientiusq́ quàm spiritus ipse sanctus loquutus sit? Atq; hæc quidem de Lutheranis, quos te hominem Caluinianum tam infæliciter defendisse miror. In Beza vindicando acriorem te præstabis. Eum Campianus dixit illud arcanum (hic est calix nouum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur) ausum esse vt corruptum traducere : Tu id nobis primùm vitio vertis, quod ea verba, τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη, *sic reddamus,* Hic est calix nouum Testamentum: *quasi discrimen esset maximum quo loco verbum* ἐστι *positum intelligatur. Metonymiam quidem in calice agnoscimus, ex qua tamen sanguinis veritas, clarissimè demonstratur. Effundi enim calicem non aliter rectè dicimus quàm quia id effunditur, quod calice continetur. Non ergo vinum sed sanguis in calice fuit. Lepidum verò est, quod de solæcismo adnectis. At neq; hoc quicquid est criminis Campianus Bezæ obiecit : neq; in se Beza suscepit, sed illud in Beza reprehendit, quòd illa verba,* τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον *ex margine in contextum irrepsisse, ideoq́ sibi expungenda videri dixerit.*

WHITA-

WHITAKERVS.

35 Dolet tibi repertum esse quenquam, qui pro Luthero verbum responderit. Quanquam si vobis licet Lutherum toties iniustis criminibus vexare, cur mihi nefas sit illius innocentiam defendere? De Lucæ Euangelio Lutherus nullum vnquam verbum nisi honorificum ac pium edidit. Quid si enim quorundam suspicioni occurrit, qui fortè crebram illam apud Lucam operum mentionem fidei iustificationi nonnihil aduersari existimare potuerunt? Hoccine est sanctiùs, aut sapientiùs loqui velle, quàm spiritus sanctus, aut Lucæ Euangelium stylo petulanti perstringere? Quis non videt hanc sine causa captatam esse reprehensionis ansam? Num enim quando Paulum de fidei iustificatione toties scribentem, nihil tamen contra vestram meritoriam iustitiam facere persuadetis, Paulum petulanter perstringitis, aut spiritum sanctum meliùs rectiusq; loqui docetis? Sic quàm immeritò Lutherum Campianus accusarit, vel ex hac tua parùm fœlice eiusdem accusationis repetitione animaduerti potest. *In Beza* (inquis) *vindicando acriorem te præstabis*. Cùm tu tam languidus sis & eneruatus, me esse acriorem non est necesse. Et primùm quòd ais nihil interesse, quo loco verbum ἐστι positum intelligatur, quis tibi concedat? Nihilne refert vtrum dicamus, *hic calix est nouum testamentum*: an hoc modo, *hic est calix nouum testamentum*? Palam est, copulam, quæ orationem

rationem continet,loco poſitam eſſe alieno.Metonymiam tamen in calice agnoſcis, quod quidem nunquam,niſi vi victus,faceres. Ita enim in cœnæ verbis omnes inuiſæ vobis Metonymiæ ſunt,vt quiduis potiùs quàm Metonymiam admittatis. Iam verò vnam in Calice Metonymiam eſſe confiteris.Accipiam quam das,& quam non das extorquebo. Hic calix, hoc eſt, inquis, hic ſanguis: perge, & quàm hæc bella Metonymia ſit, ex ſequentibus expende. Tua Metonymia hanc ſententiam habet : hic ſanguis eſt nouum Teſtamentum in ſanguine meo,qui pro vobis effunditur. Sic tu Chriſtum loquutum eſſe exiſtimas, vt ſanguinem ſuum nouum Teſtamentum dixerit in ſanguine ſuo. Deinde ex Marco Euangeliſta conſtat bibiſſe antè omnes Apoſtolos, quàm Chriſtus dixit,Hic calix eſt nouum Teſtamentum.Si qua fuit ergo vini in ſanguinem mutatio, eam non in calice, ſed in Apoſtolorum ventriculis factam eſſe conſequitur. Quis enim hic duplex ſanguis eſt,quorum alter ineſt in altero? Aut quæ noua hæc Troporum commenta? Hanc ergo Metonymiam ab omnibus meritò repudiandam eſſe ſatis conſtat. Cùm ergo Calix non pro ſanguine, ſed pro vino ſumatur, aliam hîc μετωνυμίαν neceſſe eſt ſtatuamus, cùm ~~vitium~~ vinum propriè non ſit nouum Teſtamentum. Eſt igitur horum verborum ſenſus facilis, & expeditus, & ſcripturis conſentaneus, hic Calix, id eſt, hoc vinum eſt nouum Teſtamentum, id eſt ſymbolum ac ſacramentum noui fœderis, in ſanguine meo qui pro

Mar.16.23 24.

vobis effunditur, id est, quod sanguine meo pro vobis effuso sancitur. Tu calicem vis aut quia hoc absurdum est, sanguinem in calice pro nobis effundi, quasi Christus suum sanguinem hauriret, & Apostolis suis propinaret, quod vel cogitare horret animus. Quare cùm fieri aliter nullo modo possit, quin illa verba τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον ad proxima referantur, necesse est vt vel hîc Solæcophanes aliquod ponamus, vel è margine in textum illa irrepsisse fateamur, vel cum Basilio legamus, τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομένῳ. Hanc Basilij lectionem in superiore meo libro citatam sine responso prætermittis, quod minimè miror, quia nihil quod probabiliter responderes habuisti. Bezam de Solæcismo absoluis, de quo illum tam multi pontificij accusârunt. Quid ergo Bezæ Campianus obiecit? Nimirum quòd vnum aut alterum verbum ex margine irrepsisse in contextum senserit. Magnum verò crimen: quasi id nusquam in scripturis contigerit. Expungenda autem sibi hæc videri Beza nullo, quòd sciam, loco scriptum reliquit. Sic quando vera tibi crimina non occurrunt, ficta & commentitia obiectare cogeris.

Basil. in ἀσκητ. ὅρῳ κγ'.

DVRAEVS, Fol. 37.

Campiano te satis superq; respondisse impudentissimè gloriaris, & apud Academicos illius existimationem omni qua potes ratione eleuas.

eleuas. Absit à Campiano vt vel in reconditæ doctrinæ copia, vel multiplicis lectionis varietate, vel ingenij acumine, vel vllis alijs id genus armis victoriæ spem collocaret: quippe qui se sola causæ bonitate satis esse munitum intelligebat. Vestrûm est, Whitakere, quod veritate non potestis, falsa huiusmodi armorum opinione velle persuadere.

WHITAKERVS.

36 Nihil fuit, quamobrem viderer cuiquam de mea responsione gloriari, nec video quæ gloriola esse potuerit Campiano respondisse. Multùm ergo tu quidem, Duræe, falleris si me gloriæ alicuius desiderio ad scribendum accessisse putas, in quo laboris, & molestiæ, & periculi multum, gloriæ nihil prospiciebam. Et si hanc respondendi necessitatem effugere potuissem, cum Campiano nihil, aut tecum rei omnino habuissē. Impudentiam verò quando mihi toties exprobras, in eo modestiā nostri Academici tuam desiderant, qui meam defensionem cum Campiani accusatione comparantes, hoc tempore, in ista causa, contra talem aduersarium vix mitius aliquid scribi potuisse intelligunt. Essem verò certè impudens, si tecum vellem de hac palma contendere à quo non ipsum modò Campianum, sed cæteros etiam, quos legi, victos video Iesuitas. Quibus autem potissimùm fretus armis Campianus bellum nobis intulerit, id alijs dijudicandum relinquo: mihi nullis visus est minùs vel confidere, vel vti, quàm veritate.

SECVN-

SECVNDVS LIBER, DE SACRARVM LITERARVM SENTENTIA.

DVRAEVS, Fol. 39.



Isputationem de scripturis alia sequitur, quam de vera scripturarum sententia Campianus instituit. Mirum quàm illud tuum ῥητὸν καὶ διάνοιαν *iactas magnificè. A vobis tam longè abest* τοῦ ῥητοῦ διάνοια, *quàm frequens in ore est* τὸ ῥητόν. *Est enim* τοῦ ῥητοῦ διάνοια, *quam à spiritu sancto acceptam Ecclesia Catholica fidei ac veritatis custos atque magistra, continua iam inde à Christo & Apostolis pastorum doctorumq; serie quasi per manus traditam ad nos vsq; transmisit: non vanum aliquod Lutheri, non Caluini, non Bezæ, alteriusue somnium. Quod cùm ne ipse quidem negare audeas, illud iam diligenter quærendum, vtri tandem nostrûm traditam hanc Ecclesiæ à spiritu sancto scripturæ sententiam continua pastorum successione ad posteros deriuatam sequamur. Atque qui Catholici sumus, vt dixit Vincentius Lyrinensis contra hæres.* Propheticæ & Apostolicæ interpretationis linea secundùm Ecclesiastici & Catholici sensus normam dirigi nos velle palàm profitemur. *Hanc fidei regulam & Philippensibus Paulus commendat, & prisci illi Ecclesiæ Patres tanto studio amplexi sunt.* Phili. 3.

WHITAKERVS.



Ipsum quidem sacrorum librorum volumen à nobis esse fidelissimè atque integerrimè conseruatum superiore libro demonstratum est: sequitur ut quid in nostra scripturarum interpretatione aduersarij reprehendant, & quæ vera sit

ſcripturarum ſententia, deinceps ἀνακρίνωμεν. Etenim ſcriptura non ἐν τῷ ῥητῷ, ſed ἐν τῇ τοῦ ῥητοῦ διανοίᾳ conſiſtit, & ij ſcripturas adſerunt, non qui verba iactant, ſed qui τὴν δύναμιν τῶν σημαινομένων, vt Baſilius ſcribit, oſtendunt. Verbum enim Dei ἀνοήτως νοούμενον, vt inquit Theodoretus, non eſt verbum Dei. Itaque iam inter nos illud conuenit, eorum ſcripturas eſſe, qui ſcripturarum verum ſenſum retinent, & fructu ipſius ſententiæ, non verborum folijs potiuntur.

Baſil. lib. 2. contra Eunomi.

Atque hîc primùm nobis hanc τοῦ ῥητοῦ διάνοιαν detrahere conaris, eamq́; tam à nobis longè abeſſe dicis, quàm frequens eſt in ore τὸ ῥητόν. Scripturas enim tam eſſe nobis familiares ac frequentes valde quidem doletis, & nos multò vobis magis placere poſſemus, ſi hac virga oris Domini, atque hoc gladio ſpiritus nunquam aut rariùs vteremur. Sed quomodo tam longè hanc à nobis abeſſe διάνοιαν perſuades? Nempe illam eſſe affirmas, quam Eccleſia Catholica à ſpiritu ſancto accepit. Id quidem fateor: eſt enim Eccleſia à ſpiritu ſancto edocta verum ſcripturæ ſenſum, eſt fidei cuſtos, eſt columna & firmamentum veri. At num ita nos delirare cenſes, vt quando veram & Catholicam Chriſti Eccleſiam ſignificamus, de vobis vnquam vel per ſomnium cogitemus? Priùs ergo neceſſe eſt probes, quod te nunquam facturum ſpondeo, veſtrum cœtum eſſe Catholicam Eccleſiam, quàm ſcripturæ ſenſum à ſpiritu ſancto

Eſai. 11. 4. Epheſ. 6. 17.

1. Timoth. 3. 15.

Ecclesiæ traditum esse illum euincas, quem vestri homines sequuntur. Tum quæro quo pacto hunc sensum edocta Ecclesia fuerit, ex ipsisne scripturis, an ex aliquo sine scripturis spiritu. Si ex solis scripturis, tum nobiscum ex scripturis interpretandas esse scripturas sentiunt: sin ex spiritu sine scripturis, quid aliud faciunt, quàm Anabaptistarum ἐνθουσιασμοὺς approbant ac defendunt? Quod autem de continua pastorum & doctorum serie subiungis, ad pompam aliquid, ad rem nihil facit. Negamus enim fidem esse pastorum & doctorum successioni necessariò adiunctam, quia in Cathedra Mosis sedere possunt scribæ ac Pharisæi, qui quanquam nonnulla vera tenent, ob quæ audiri debeant, tamen fidem infinito fermento conspergunt, cuius causa cauendi, ac prorsus fugiendi sint. Erant enim cæci cæcorum duces: itaque sini eos Christus iussit. Quid tamen his pastoribus ac doctoribus ad continuam illam tuam, quam commemoras, seriem defuit? Ipsa ergo series Episcoporum non semper est custos & index veritatis. Et quando Paulus ex ipsis veris magistris emersuros prædicit, qui loquantur peruersa, quis ordini, aut successioni hominum confidat? Nam isti bonis & Catholicis pastoribus succedent, & tamen ipsi peruersa dogmata docebunt. Velle autem in pastoribus & doctoribus veram scripturarum sententiam quærere, qui scripturarum

Matt.23.2. *Matth.16.12.* *Mat.15.14.* *Act.20.30.*

doctrinam maximè corrumpunt, omnino præposterum & stultum videatur. Hieronymus ait, *Non sanctorum filij sunt qui tenent loca sanctorum*: Et Ambrosius, *Non habent Petri hæreditatem, qui Petri fidem non habent.* Quare si quod in priscis illis doctoribus fuit, id in istis successoribus ostendes remanere, doce illos non minùs τῆς ευσεβείας quàm τῆς προεδρίας successores esse, quemadmodum de Athanasio Nazianzenus scribit, quia hæc sine illa nihil valet.

Dist. 40. Non est facile.

Ambro. de pœniten. lib. 1. cap. 6.

Nazianze. de Athanasio.

Quænam igitur erit instituenda veræ scripturarum sententiæ inuestigatio? Illud quærendum esse dicis, vtri nostrûm hanc sententiam Ecclesiæ traditam continua pastorum successione ad posteros deriuatam sequamur. At scripturarum sententiam multò citiùs & faciliùs, quàm hanc continuæ successionis deriuationem inueniemus. Antequam enim annales euoluuntur, & hominum series retexitur, & doctrinæ omnium successionum ratio explicatur, tantum nobis temporis elabetur, quantum ad scripturas ediscendas sufficiet. Tum quando quid quisque senserit & tradiderit explorauimus, tamen verum sit, necne, non nisi ex scripturis intelligemus. Augustinus multa de indagando scripturæ vero sensu præscripsit in libris de doctrina Christiana, tamen hunc modum, quem tu certissimum esse arbitraris, aut ignorauit, aut contempsit. Monet primùm vt obscura cum apertis conferamus, pauca ex multis intelligamus: deinde si possunt esse vnius loci plures sententiæ, eam sequamur, quæ ædificationi aptissima videbitur.

August. in 2. & 3. li. de doctr. Christiana.

Præterea

Præterea linguarum ſcientiam ad ſcripturas interpretandas afferamus: tum verſiones varias conſulamus: etiam circumſtantias diligenter expendamus: inſuper quid præcedat, quid ſequatur, attendamus: poſtremò à mente & propoſito ſcriptoris nunquam oculos auertamus. His vijs Auguſtinus veram ſcripturæ ſententiam exquiri poſſe exiſtimauit, in qua nimis incautus ac negligens fuit, qui nullam de tuis continuæ ſucceſſionis riuulis verbum fecit. Quanquam non nego Patrum lectionem, & antiquitatis authoritatem multum etiã nobis ad hanc rem conducere, ſed ſcripturarum ſententiam ad Patrum iudicia, & ſucceſſionis traditionem alligare, id verò eſt Deo tantùm tribuere, quantùm homines concedendum eſſe ſtatuunt. Apoſtolicæ & Propheticæ interpretationis lineam vbi tandem quęramus meliùs aut certiùs, quàm in libris Apoſtolicis ac Propheticis, niſi fortè longa ſucceſſio hanc lineam rectiorem fecit, quàm ipſi Apoſtoli, ac Prophetæ reliquerunt? Regulam autem illam, quam Philippenſibus Apoſtolus commendauit, ſi veſtra Eccleſia tenuiſſet, tam multas tamque nouas regulas nunquam excogitaſſet, quas neq; Chriſtus, neq; Prophetę, neq; Apoſtoli pręſcripſerunt. Et quemadmodũ Patres olim in omni controuerſiarum examinatione hanc regulam inſpexerunt, ita nos ad hanc amuſſim veſtras traditiones, nouaſq; ſuperſtitiones exigimus, ac tùm facilè quantùm inter Propheticã atq; Apoſtolicam lineam, & illam veſtrarum opinionum peruerſitatem interſit, dijudicamus.

DVRAEVS, Fol. 40.

Sed vt tuis te verbis arctius constringam, cùm non in verbis Euangelium sit, sed in sensu, Lutherus atque Caluinus, qui nouam quandam τοῦ ῥητοῦ διάνοιαν intruserunt, quo modo non te iudice nouum Euangelium mundo obtruserunt? Quo enim tempore Lutherus ex pessimo Monacho, peior esse propheta cæpit, nónne vt vniuersus populus Christianus, quemadmodum illud τὸ ῥητὸν in ore habebat, Hoc est corpus meum, *ita & in mente hanc τοῦ ῥητοῦ διάνοιαν, non figuram, non symbolum, non inane spectrum, sed verum esse in Eucharistia ipsum corpus & sanguinem? Qua ergo fronte nouum vos in orbem Euangelium inuexisse negabitis?*

WHITAKERVS.

2 Multos nodos laqueosq; nectis aranearum telis persimiles, quos vt primùm discutere ac mouere cæperis, mox totos nullo negotio perruperis. Fingis receptam quandam fuisse in orbe terrarum τοῦ ῥητοῦ διάνοιαν, quo tempore Lutherus & Caluinus in medium prodierunt. Quod vt demus esse verum, num fuit illis necessarium aut hanc διάνοιαν amplecti, aut si ab ea dissentirent, nouum videri Euangelium in orbem inuehere? Hoc quidem tibi probandum fuit, sed tu nullis id aut scripturarum aut Patrum testimonijs confirmas. Quando enim veram τοῦ ῥητοῦ διάνοιαν indagare volumus, non circumspicere quid hominum pars maxima sentiat, sed ipsas scripturas, denique ipsum in suo verbo loquentem Deum consulere debemus. Sic quando Beræensibus Paulus Euangelium annunciauit,

non illi τῶν ῥητῶν διάνοιαν ex plurimorũ iudicijs & cõmuni opinione æstimarunt, sed sacras scripturas examinarunt, vt penitus cognoscerent, num quę Paulus docuit cum scripturis consentirent. Si tu *Act. 17. 11.* natus eo tempore fuisses, illos potiùs considerare iussisses, quid vniuersus populus sentiret, atque eam esse proculdubio veram scripturæ διάνοιαν persuasisses. At hoc horum exemplum summo spiritus sancti testimonio comprobatur, atque omnibus Christianis imitandum proponitur. Dominus apud prophetam ait: *In statutis pa-* *Ezec. 20. 18.* *trum vestrorum ne ambuletis, & iudicia illorum ne* *19.* *obseruetis: Ego sum Iehoua Deus vester, in statutis meis ambulate.* Tutum ergo non est populum & multitudinem sequi, sed semper oportet ad Domini legem & sacras literas intueri. Cyprianus inueniendæ atque eruendæ veritatis viam compendiosam demonstrat, non quam tu præscribis, vt ex populi & multitudinis sententia pendeamus, sed vt *ad diuinæ Traditionis caput & originem reuertamur. Quemadmodũ enim* (inquit) *Cypria. Epi-* *si canalis aquam ducens subitò deficiat, ad fontes* *stola. 74. ad* *pergitur: sic facere oportet Dei sacerdotes, vt si in a-* *Pompeium.* *liquo mutauerit aut vacillauerit veritas, ad originẽ Dominicam & Euangelicam, & Apostolicam traditionem reuertamur.* Vide quantum inter Cypriani, tuumq́ue iudicium intersit. Tu enim τοῦ ῥητοῦ διάνοιαν in canalibus & riuulis quærendam esse statuis, qui verò aliã διάνοιαν proponunt istis dissentaneã, eos nouum Euangelium in orbẽ introducere criminaris: contrà Cyprianus iubet non in riuulis consistere, nec consuetudinem & recep-

ptas

ptas opiniones consectari, sed ad ipsos fontes, id est, scripturas sacras recurrere. Id ergo Lutherus & Caluinus fecerunt, quod illos facere oportuit, quando in Euangelio instaurando, non quid vulgò traditum sparsumq; esset, sed quid scripturis conueniret spectarunt. Nec tamen vnquam ostendes sic vniuersum populum Christianum sensisse de his verbis, *Hoc est corpus meum*, quemadmodum tuus pontifex cum suis pseudocatholicis tradiderunt. Quis enim nescit quàm recens sit Transubstantiationis commentum, & quàm multi semper huic nouo dogmati restiterint? Tum Patres omnes vno ore hanc pontificiam horum verborum ἐξήγησιν damnant.

Sed tu aut huius quæstionis statum ignoras, aut sciens prudensq; nobis reclamante conscientia maledicis. Neque enim dicimus in Eucharistia nihil esse nisi figuram & symbolum, & inane spectrum, neque in ea esse verum Christi corpus & sanguinem negamus: sed in Eucharistia ipsum Christi corpus & sanguinem à fidelibus verissimè sumi docemus. Tuum enim argumentum valde insulsum est. Lutherus & Caluinus negant panem ac vinum trãsubstantiari in corpus & sanguinem Christi, ergo negant Christi corpus & sanguinẽ in Eucharistia percipi, & Eucharistiam nihil esse nisi inane spectrum statuunt. Equidem te nobis miserè ineptum præbes, quando nos huiusmodi argumentorum ludibrijs aggrederis. De Eucharistia id docemus quod Christus tradidit, & Patres omnes sexcentis post Christum annis tenuerunt:

quo minùs verendum nobis eſt, ne nouum in orbem Euangelium intuliſſe videamur. Qualem verò tu Lutherum vel Monachum, vel Prophetam fuiſſe iudices, nihil refert.

DVRAEVS, Fol.40.41.

Satis conſtat (*inquis*) cùm ipſam ſcripturam, tum ſcripturæ ſententiam in Eccleſiæ authoritate à vobis eſſe conſtitutam. *Quid? Si quoties vel de ſcriptura aliqua, vel de vero ſcripturæ ſenſu ancipitem oriri quæſtionem cernimus, Eccleſiæ iudicium expetimus, magnúmne tibi piaculum admiſiſſe videmur? Quò igitur nos aliò conferre iubes? Ad occultum credo ſpiritus ſancti teſtimonium. Meúmne, an tuum potiùs? Verum illud tibi fortaſſe grauius videtur quod ſequitur,* Eccleſiam verò dicitis (*inquis*) non vniuerſam fidelium multitudinem, ſed vim Eccleſiæ, nomenq́; ad Epiſcopos reuocatis. *Nouum hîc nobis crimen à te affingi video. Non magis ab Epiſcopo populum, quàm oues à paſtore ſeparamus. Sed Epiſcoporum hoc munus eſſe dicimus, vt quam ab anteceſſoribus ſuis traditam doctrinam accepêre, integram populo quiſque ſuo tradant. Vt verò nos vehementiùs vrgere videaris,* At Epiſcopi (*inquis*) poſſunt de ſcripturarum ſententia diſſentire: igitur queſtiones omnes & controuerſias decidi in generali Concilio neceſſe eſt. *An ignoras innumeras controuerſias non alia pænè ratione fuiſſe compoſitas? Neque tibi venit in mentem quod in Actis Lucas ſcripſit.* Conuenerunt & Apoſtoli & ſeniores videre de verbo hoc. *Et tandem concluſêre,* Viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis. *Illud verò ferre non potes, quod tanquam abſurdum ſubijcis,* de Concilijs Papa iudicare debet. *Quaſi vllum vnquam Concilium firmam authoritatem habuerit, quod non à Romano Pontifice fuerit confirmatum. Quis neſcit Nicænam ſynodum à Sylueſtro, Conſtantinopolitanam à Damaſo, Epheſinam à Cæleſtino, Calcedonenſem a Leone, Mileuitanam ab Innocentio confirmationem per literas poſtulaſſe? Intelligebant nimirum ſancti illi Patres ſe eſſe illius paſtoris oues, quem toti Eccleſiæ ſuæ Chriſtus præeſſe voluit. Romanus enim Pontifex cui in Petro dictum eſt,* Paſce oues meas,

Act.15.

August. ad Bonif. lib. 1. meas, *totius dominici gregis curam gerit, & (vt Augustinus ad Bonifacium) celsiori fastigio in specula pastorali praeeminet. Patres Mileuitani Concilij ad Innocentium sic scribunt,* Magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam quæsumus adhibere digneris. *Aug. Epist. 102.*

WHITAKERVS.

3 Præclarè proculdubio cum vestris hominibus ageretur, si scripturas primùm, quas vellent approbare, tum vt vellent pro sua authoritate interpretari possent. Cùm enim omnis scripturarum διάνοια in sensu atque interpretatione consistat, nunquam à vera scripturarum διανοίᾳ aberrabunt, si erunt illorum interpretationes semper ac solæ pro legitimis habendæ. Verùm Ecclesia nullam habet huiusmodi authoritatem, vt vel de scripturis, vel de scripturarum sententia statuat, quemadmodum ipsi visum fuerit, sed cùm sit in Apostolorum ac Prophetarum fundamento constituta, cuius ipse Christus est lapis imus angularis, hoc fundamento niti atque in eo omnem interpretationem ædificare ac collocare debet. Sensum autem scripturarum ecclesiæ decretis alligare, est spiritum sanctum hominum iudicijs subiungere. At mens spiritus sancti non est hominum placitis subijcienda: ergo scripturarum interpretatio non ex huius aut illius Ecclesiæ arbitrio æstimanda, sed ex ipso spiritu sancto in scripturis apertissimè loquente petenda est. Hoc tibi perinde videtur, ac si ego pro magno piaculo iudicassem, vt quando difficilis quæstio oritur, Ecclesiæ *Ephes. 2. 20.*

clesiæ iudicium requiratur: quod mihi nunquam in mentem venisse fateor. Est enim Ecclesiæ iudicium magni faciendum, multumque semper ad scripturas rectè interpretandas, & controuersias dijudicandas valet. Sed quando de Ecclesia loquor, nolim existimes, Duræe, tuam esse Ecclesiam, quam intelligo, cui quidem non modò nullam scripturæ interpretandæ authoritatem tribuo, sed ne nomen legitimæ Ecclesiæ concedo, quia nihil habet, quod vera Ecclesia habere debet. Antequam ergo suas nobis interpretationes obtrudat, se esse veram Christi Ecclesiam demonstret, quod aliter facere non potest, quàm si doctrinam suam esse ipsam scripturarum διάνοιαν euincat. Ita non minùs cuiuis constat quæ sit scripturarũ vera διάνοια, quàm quæ sit vera Ecclesia, quia veram Ecclesiam vera scripturarum διάνοια prodit.

Quæris autem quò vos abire iubeam: eò certe quò nos Christus abire iussit, *Scrutamini scripturas: illæ sunt quæ testificantur de me*. Si enim Ioan. 5.39. vllum fuisset aut certius, aut facilius iudicium, quàm scripturarum, eò nos potiùs Christus remisisset: quare quotiescunque ancipites de religione quæstiones oriuntur, scripturas ante omnia consulere ac scrutari, atque ex scripturis iudicare debemus, si Christo obtemperare volumus. Omnis enim sapientia nobis ad salutem necessaria, omnisque doctrinæ vel veræ confirmatio, vel falsæ improbatio ex scripturis 2. Timoth. 3. disci petique potest, quemadmodum Apo- 15. 16. stolus Timotheum disertis verbis monuit.

Nec

Nec te conabor occulto spiritus testimonio refutare, sed apertis scripturis tuos errores refellam, vt si quem spiritum habes, acquiescere cogaris. *Sunt enim scripturarum authoritates* (vt inquit Augustinus) *non quorumcunque propria sed vtrisque communes testes*. Quodnam verò nouum vobis crimen affingo, quando Ecclesiæ nomen & vim à vobis dico ad Episcopos reuocari? Num enim quando de scripturarum interpretatione & religione consulitis, populum ad hanc consultationem adhibetis, aut cuiquam nisi Episcopo aliquod sententiæ momentum conceditis? Quis nescit à decisionis authoritate exclusos omnes esse, præterquam Episcopos? ex quo satis manifestum est, quando interpretationem scripturæ ad Ecclesiam pertinere contenditis, solos à vobis Episcopos hoc nomine significari, qui tamen scripturas ferè nunquam interpretantur. Paulus verò non huic Episcoporum ordini hanc authoritatem ascribit, sed ministris omnibus ac doctoribus permittit, vt de omni scripturarum interpretatione ex Dei verbo dijudicent, *Prophetæ* (inquit) *duo aut tres loquantur, & alij dijudicent: si vero alij patefactum fuerit assidenti, prior taceat.* Prophetam autem Apostolus vocat, qui ædificat, & exhortatur, & consolatur, quemadmodũ in principio capitis perspicuum est.

Contra Maximi. lib. 3. cap. 14.

1. Cor. 14. 29 30.
Vers. 3.

Sed est Episcoporum (inquis) vt integram doctrinam populo tradant, quam à suis antecessoribus acceperunt. Quidnam verò tui Episcopi tandem aut accipiunt, aut tradunt? Aut nónne hoc etiam ad alios pastores & doctores non mi-

nùs,

nùs, quàm vestros Episcopos pertinet, vt puram doctrinam populo tradant? Non hîc quæram quàm Episcopi vestri fideliter ac præclarè suo officio satisfecerint: vt essent qui haberi volunt, nullo tamen iure, omnem scripturæ interpretandæ potestatem sibi sumunt. Nam argumentum tuum valdè infirmum est, Episcopi debent acceptam à suis antecessoribus doctrinam populo integram tradere, ergo Episcopi soli possunt scripturas interpretari. Non enim scripturarum scientia & doctrina, & huiusmodi spiritus sancti dona hæreditaria sunt, aut de manu in manum tradi possunt. Tum quia Episcopi nonnunquam ab Episcopis dissentiunt, longius adhuc progredi, & Conciliorum authoritatem adiungere debemus: de quibus sic mihi respondes, *An ignoras innumeras controuersias non alia* *re uè ratione fuisse compositas?* Non ignoro maximas & grauissimas quæstiones sæpe olim à Concilijs esse explicatas: sed hæc concilia scio in his controuersijs examinandis ac definiendis sacras sibi scripturas vt regulam proposuisse.

Sic tu verò argumentaris, Innumeræ controuersiæ à Concilijs compositæ fuerunt, ergo omnis scripturarum interpretatio petenda est à Concilio generali. Non sequitur si pia Concilia multos errores & hæreses scripturæ recta interpretatione sustulerunt, vt vel omnem hanc authoritatem interpretandi Concilijs tribuamus, vel idem ab impijs & indoctis Concilijs expectemus. Quorsum verò de illo Concilio meministi, de quo Lucas in Actis scribit? nisi *Act.15.a.b.* forte

forte ostendere voluisti, quantum ab hoc Concilio vestra (quæ vocatis) Concilia discrepent. Nam in hoc Concilio non modò Apostolos, sed seniores etiam, atque adeo populum, totamque Ecclesiam conuenisse, deque ipsa causa iudicasse legimus, *Visum est* (inquit Lucas) *Apostolis & senioribus cum tota Ecclesia*. In vestris Concilijs nullus est Presbyteris, nullus populo locus, nisi quemadmodum olim Patricij adolescentes in senatum veniebant, sic isti interdum honoris causa sedere in Concilijs vostris permittuntur. Et tamen etiam quicquid Concilium decreuerit, irritum erit, nisi id Romano pontifici placuerit: sic tandem omnia ad Romanum Pontificem reuoluuntur. Quod tu non esse absurdum probas, *Quia nullum* (inquis) *Concilium firmam authoritatem habuit, quod non à Romano Pontifice confirmatum fuit*. Quis hoc falsum esse non intelligit? Nam Africanum sextum Concilium, quod Pontifici Romano nunquam probatum fuit, quia illius singularem fraudem prodidit & repressit, tamen suam authoritatem obtinet: & Calchedonense, quod Constantinopolitanum Episcopum Romano proximum dignitate fecit, non caret authoritate, etiamsi Leo nunquam induci potuit, vt hoc decretum approbaret. Verùm vt concedamus fuisse olim Concilia à Romanis Episcopis confirmata, quis nescit ab alijs etiam Episcopis Concilia, atque etiam ab ipsis imperatoribus fuisse comprobata & sancita? Inprimis autem quatuor Patriarcharum assensio atque approbatio necessaria

cessaria fuit, quia horum prouincia atque authoritas latissimè patuit. Iam ergo quod disputas. Nullum Concilium firmam authoritatem habuit sine Romani Pontificis confirmatione, ergo de omnibus Concilijs Pontifex iudicare debet, non magis valet, quàm si concludam, Imperatores & Patriarchæ, & reliqui Episcopi Concilia confirmabant, ergo hi omnes de Concilijs iudicare debent, & sine horum confirmatione Concilia firmam authoritatem non habent. Quemadmodum enim ista Concilia à Romanis Episcopis petunt suorum decretorum confirmationem, sic à Theodosio Concilium Constantinopolitanum per literas postulauit, vt ratum esse iubeat, confirmetque Concilij decretum.

Intelligebant (inquis) *se esse illius pastoris oues, quem toti Ecclesiæ suæ Christus præesse voluit.* At hoc illi ne quidem vnquam somniabant, nedum Pontificem Romanum totius Ecclesiæ pastorem esse intelligebant. Et quanquam Petro dixit Christus, *Pasce oues meas*, quibus verbis illum in Apostolico munere ac ministerio confirmauit, ne fortè de eo quisquam dubitaret: tamen nec illum iussit omnes oues pascere, quod ille nunquam facere potuisset, nec de Pontifice Romano mentionem aliquam fecit: & reliqui Apostoli non minùs, quàm ipse Petrus hanc pascendi prouinciã susceperunt. Nam antè omnibus Apostolis mandata dederat, *Sicut misit me pater, ita ego mitto vos*: eosq; omnes gentes docere preceperat, *profecti docete omnes gentes*, quod

Inter acta Concil. Constant. 5.

Ioan. 22. 15. 16. 17.

Ioan. 20. 21.

Matt. 28. 19

nihil aliud est, quàm Christi oues pascere: & Ecclesia extructa est non in vnius Petri, sed omnium Apostolorum fundamento: & erant omnes Apostoli æquales, & Christi oues eadem authoritate omnes pascebant. Præclarè Cyprianus, *Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris & potestatis.* Tum mox, *Pastores sunt omnes, sed Grex vnus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus vnanimi consensione pascatur.*

Ephes.2.20.

Cyprian. de vnit. Ecclesiæ.

Sed hic nobis duo antiquitatis testimonia profers, Augustini & Concilij Mileuitani. Augustinum, vt video, non legisti. Sic enim malo existimare, quàm te fraudis atque impudentiæ accusare. Non enim Bonifacium Augustinus dixit celsiori fastigio in specula pastorali præeminere, sed omnibus Episcopis communem esse speculam pastoralem, quanquam propter vrbis Romanæ splendorem & magnitudinem, & propter Ecclesiæ celebritatem, quæ primi patriarchæ sedes fuit, illum celsiore fastigio præeminere scripsit. Sic enim Augustini verba habent, *Communisq; sit omnibus nobis, qui fungimur Episcopatus officio, quanquam in eo præemineas celsiore fastigio, specula pastoralis.* Mileuitanum verò Concilium non vocat Innocentium totius Ecclesiæ pastorem, sed illum monet vt diligentiam pastoralem adhibeat in extirpanda noua Pelagianorum hæresi. Quod quanquam ad omnes Episcopos pertinebat, tamen hoc à Romano Episcopo petunt, quia & Pelagiani erant in illis locis frequentes, & Episcopi Romani

August. contra duas Epist. Pelag. ad Bonifaciū lib.1.ca.1.

August. Epist.29.

autho-

uthoritas plurimùm vbique ad illos reprimendos valere potuit. Num verò ex istis concludes, Pontifex Romanus in celsiore fastigio præeminet,& periculis infirmorum membrorum diligentiam pastoralem adhibet, ergo est pastor & ouium, & pastorum omnium? Aut quia membrorum suorum periculis consulere potuit, ergo omnes Christiani erant pontificis membra?

DVRAEVS, Fol.42.43.

Sed ita fit (*inquis*) vt tandem tota sacrarum literarum sententia ad Papam transferatur. *Hæc eò spectant, vt confusionem plusquam Babylonicam in Ecclesiam inducatis, & vt semel sublato hoc tribunali, fræna deinceps nouitatibus vestris imunè laxetis. Si vni Iudæorum genti ad tollendas schismatum occasiones sapientissimè Deus summum sacerdotem præfecit, Deutero. 17. quis sanctissimam Christi sponsam Ecclesiam à suo sponso desertam ac neglectam putabit, nullum vt in terris iudicem habeat? Christus Petrum in terris velut amoris sui vicarium reliquit, teste Ambrosio in cap.24. Luc. quem Petram firmissimam effecit, super quam suam ædificaret Ecclesiam. Præclarè Chrysostomus, lib. de Sacerdot. Christum ait suum effudisse sanguinem,* vt eas oues acquireret, quarum curam Petro & eius successoribus cōmisit. *Quem imitatus Bernardus Eugenium sic alloquitur:* Tu es qui claues traditæ &c. *lib.2. de consid. Nec verò ab vnius hominis voce, sed à diuina Christi promissione, Petro eiusq; successoribus facta pendemus, pro quorum fide Christus patrem rogauit,* Ego rogaui pro te Petre, (*inquit*) vt non deficiat fides tua. *Cuius orationis fructus ad Petri successores pertinet, vt illa quæ sequuntur satis demonstrant:* Et tu conuersus confirma fratres tuos. *Absit enim vt ad solos Apostolos confirmandos Petro fidei constantiam Christum à patre impetrasse putemus, qui & firmiores erant, & minoribus quàm posteriores Episcopi periculis obnoxij. Nos cum Hieronymo dicimus,* Ego nullum primum nisi Christum sequens beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior, &c. *Hierony. ad Damasum.*

WHITAKERVS.

4 Si vestram interpretandæ scripturæ rationem sequimur ac probamus, nullam certam interpretandi regulam nisi vnam pontificis vocem nobis relinquimus. Nam & Patres errant, & Concilia nihil valent, si à Romano pontifice dissentiunt, & nihil habet perpetuam atque absolutam authoritatem nisi pontificum decreta ac responsa. Quod cùm ita sit, nihil fieri potuit imprudentius, quàm in scripturis legendis, Patrum libris euoluendis, Concilijs congregandis ac celebrandis, tantum laboris, sumptus, temporis impendere. Quid enim istis opus fuit, si vnus omnia præstare pontifex potuit? Aut quid (quod vulgò reprehendi solet) per plura facimus, quod per vnum facere faciliùs commodiùsque possemus? Malè certè pontifex tam diu nobis consuluit, qui cùm veram totius scripturæ interpretationem tradere, & omnes falsas ἀπατίας tollere potuisset, tamen hactenus tantum in Ecclesiam beneficium conferre noluit. Saltem, si eius interpretatio tam diuina sit, aut populum publicè doceat, aut oracula è cathedra sua assiduè edat, aut commentarios scribat, vt aliquis huius facultatis fructus ad Ecclesiam perueniat. Sed quis non videt, quàm indignum, incertum, perniciosum sit, ab vno homine pendere, eiq; & scripturas, & scripturarum sensum, & nostras animas, & omnia denique humana ac diuina subijcere? An tu verò,

Duræ,

Duræ, qui hanc pontifici poteſtatem non tribuit eum Babylonicæ confuſionis authorem eſſe iudicas? Aut verendum eſſe putas, niſi vnus tantùm poſſit, ne fræna nouitatibus laxentur? At quid hoc obtuſius cogitari potuit? Quaſi non dederit Chriſtus Eccleſię ſuæ paſtores & Doctores, qui doctrinam puram conſeruarent, errorum ſemina euellerent, ſcripturas ſecundum analogiam fidei exponerent. Illi autem dicuntur ἑτεροδιδασκαλεῖν, non qui pontificis interpretationem non requirunt, ſed qui non acquieſcunt ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei quæ eſt ſecundum pietatem doctrinæ. Ad Romanum enim pontificem, aut ad vnum quenquam hominem ius deferre ſcripturas ſuo arbitrio interpretandi, nullo ſcripturæ verbo præcipimur. 1.Tim.6.3.

Imò (inquis) Deus vnum ſummum Sacerdotem genti Iudæorum præfecit, ergo multò magis Eccleſię aliquem in terris iudicem reliquit. Primum, ille iudex ex legis præſcipto iudicare debuit: ſic enim ſcribitur, *Ex præſtituto legis, quam docuerint te.:* Romanus autem pontifex non ex ſcripto verbo, ſed ex ingenio ſuo interpretationes depromit. Deinde ab vna gente eaque perexigua ad totum mundum ducere argumentum, nulla ratio patitur. Iudæi iuſſi ſunt ſummum ſacerdotem conſulere, atque in eius reſponſo ex lege reddito acquieſcere: ergo omnes homines, etiam qui nunquam de pontifice audiuerunt, adire Romanum pontificem atq; illũ Deut.17.11

 pro ſuo

pro suo iudice agnoscere debent? Huc accedit, quòd Iudæorum summus pontifex Christi typus fuit, ad quem translato sacerdotio, ius etiam illud transijt. Postremò, quale hoc argumentum est, Christus non reliquit Ecclesiæ suæ vnum quendam iudicem, ergo nullum omnino reliquit? Nam vnum cuique Ecclesiæ pastorem Christus præfecit, qui populum instituat, & controuersias ex Dei verbo decidat. Et populus iubetur hos audire: qui verò non Luc.10.16. audiunt, ij Deum ipsum nefariè contemnunt. Hoccine est suam sponsam negligere ac deserere? Sanè verò si tuum pontificem Ecclesiæ præfecisset, meritò Ecclesiam neglexisse videri potuisset.

Ambros. in Luc. c. 24. Ambrosius verò quid tandem ait? *Christus eleuandus in cælum, amoris sui velut vicarium nobis Petrum relinquebat.* Et quid tum postea? Quodnam enim huius rationis vinculum est, Petrus fuit velut vicarius amoris Christi, ergo fuit summus pastor omnium pastorum? Tum quod multò absurdius est, ergo papa (qui certè Petrus non est, aut amore aut fide) est summus iudex orbis Christiani? His argumentis causa pontificia pulchrè proculdubio defenditur: sed iam sequuntur meliora. Nam Petrum Christus petram effecit, super quam suam Ecclesiam ædificaret. De Petro quidem multa Christum dixisse fateor: de tuo pontifice si quid vnquam dixerit, ostende. Quis enim hoc argumentum ferat, Petrus fuit Petra, ergo pontifex Romanus est petra? Christus Ecclesiam super Petrũ ædifica-

uit, ergo Ecclesiam super pontificem ædificat? Quãquam Christus non dixit, ædificabo Ecclesiam meam super Petrum, sed super petram, quæ est Christus. Itaque cùm dixisset, Tu es Petrus, non subiungit, καὶ ἐπὶ τούτῳ τῷ πέτρῳ, ne super Petrum ædificare Ecclesiam videretur, sed ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, vt loqui se de alia quadam Petra, quàm ipso Petro declararet. Illa enim petra non Petrus fuit, quia tum Christus dixisset, & in hoc Petro ædificabo Ecclesiam meam, nec alio vocàbulo vsus fuisset. Sic Augustinus, *Ideo quippe ait Dominus, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quia dixerat Petrus, Tu es Christus, filius Dei viui. Super hanc ergo, inquit, petram quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim erat Christus, super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus.* Sic Epiphanius, *Super hanc petram firmæ fidei ædificabo Ecclesiam meam.* Quod autem Chrysostomus ait, Christum effudisse sanguinem suum, vt oues eas acquireret, quas Petro, petriq; successoribus commisit, sic te intentum in causam pontificiam video, vt quicquid vsquã vel de Petro, vel de Petri successoribus occurrit, id mox ad Romanum pontificem pertinere existimes. At isto nomine Chrysostomus omnes pastores significauit, quicunque cum Petro, aut *post Petrum* Christi oues pascunt, ne putes illum de Romano magis, quàm de alijs episcopis cogitasse. Non enim opinor ignoras Basilium, quem his verbis Chrysostomus confirmat & consolatur, Romanum episcopum nõ fuisse. Nec ipse Chrysostomus Romanus vnquam pontifex fuit, qui

August. tractat. in Ioan. 124.

Epiphan. contra Catharos.

Chrysost. li. 2 περὶ ἱερωσύνης.

τοὺς μετ' ἐκεῖνον.

tamen hanc ouium Christi curam sibi commissam esse satis intellexit. Sic enim paulò antè scripsit Chrysostomus, *Verùm hoc ille tum agebat, vt & Petrum & nos omnes edoceret, quanta beneuolentia ipse suam Ecclesiam complecteretur, vt & nos eiusdem Ecclesiæ curam diligentissimè susciperemus.* Successores ergo Petri sunt, qui Christum amant, Christique gregem summa fide diligentiaque pascunt. De Bernardo nihil est necesse respondere. Tempus ipsum, in quo Bernardus vixit, satis per se loquitur, quantum huic testi in hac causa tribuendum sit. Erat enim eo tempore latissimum pontificis regnum, & tenebræ totum terrarum orbem peruaserant, vt mirum non sit, Bernardi oculos incredibili pontificis splendore pręstringi nonnihil potuisse.

καὶ πλεῖον, καὶ παιδίας ἡμᾶς.

Sed negas vos ab vnius hominis voce pendere, quia Christus rogauit pro Petro, ne ipsius fides deficeret. Principium tu quidem sine fine petis. Etenim ex huius precationis efficacissima vi Petri fidem minimè defecisse intelligo, sed de pontificum Romanorum fide nihil audio. Nam Petri fides ad vnum Petrum pertinet, nec Romanum pontificem magis attingit, quàm Petri amor, constantia, zelus, diligentia, prudentia, aut cæteræ Petri virtutes, quæ non possunt à Petri fide separari. An tu verò Christum pro vno Petro orasse censes, qui se non tantùm pro Petro, sed pro reliquis Apostolis, atque adeo fidelibus vniuersis precari profitetur? Hincne autem sequitur, cuiusque successionis

Ioan. 17. 20.

certam

certam fore ac perpetuam fidem? Petrus quidem quia erat in maximo periculo constitutus, his Christi precibus præcipuè opus habuit, quemadmodum exitus declarauit. Nunc quando sic disputas, Christus pro Petro orauit, ergo pro solo Petro, non pro reliquis Apostolis: Christus pro Petro orauit, ergo pro omnibus in sempiternum Romanis Episcopis: Petri fides non defecit, ergo nullius Romani Pontificis fides deficiet: Petrus iussus est fratres suos, id est, Apostolos conuersus confirmare, ergo fructus huius precationis ad Petri successores pertinet: Apostoli erant firmiores & minoribus periculis obnoxij, quàm posteriores Episcopi, ergo Christus fidei constantiam Petro impetrauit, non ad solos Apostolos confirmandos: hæc quidem non argumenta, sed monstra sunt, quorum nulla pars cum altera congruit, & censorem potiùs, quàm responsorem desiderant. Hieronymum verò Ecclesiæ Romanæ presbyterum cum Damaso Romanæ Ecclesiæ Episcopo communione consociatum fuisse, quid (quæso) facit ad summam Pontificis authoritatem? Fuit Damasus pius doctusq; Pontifex, & Orthodoxam fidem contra Arrianos diligentissimè defendit: ergo cum eo se Hieronymus communicare velle testatur. Cathedram autem Petri, non ipsam Romam, aut Pontificis palatium vocauit, sed illam fidem, quam Petrus professus est, quamq; illo tempore Pontifices Romani tenuerunt.

Hierony. ad Damasum.

DVRAE-

DVRAEVS, Fol. 44.

Quod Romanos ais pontifices plerosq; indoctos, sceleratos, hereticos fuisse, agnosco in te veterum hæreticorum ingenium, quorum in vno Petiliano tibi quoque ab Augustino responsum puta. Quid opus est (*inquit*) vt episcoporum Romanæ ecclesiæ, quos incredibilibus calumnijs insectatus est, obiecta ab eo crimina diluamus. *cap. 16. de vnic. Baptism. & rursum epistola* 105. In illum ordinem si quisquam traditor subrepsisset, nihil præiudicaret ecclesiæ, quibus Dominus prouidens de præpositis malis, ait, Quæ dicunt, facite: &c.

WHITAKERVS.

5 Qui omnem scripturarum interpretationem ad solos pontifices Romanos referunt, quàm illi versentur in lubrico, facilè licet existimare. Nam ijs confidunt, suęq; animæ salutem committunt, qui interdum neque docti Theologi sunt, neq; viri boni, neq; Episcopi Catholici. Et quorundam quidem quanta doctrina, morumq; pietas extiterit omnes historiæ loquuntur, multis annis ante natum Lutherum editæ: quosdam autem hæreticos fuisse, tam certum est, quàm ipsos aut episcopos Romanos extitisse, aut omnino vixisse. Innocentius primus Eucharistiæ sacramentum infantibus ad salutem necessarium esse sensit, quod Tridentini Patres hæreticum esse definiunt: Honorius fuit Monothelita, & est nominatim in Constantinopolitano Concilio damnatus: Liberium fuisse Arrianum Hieronymus testatur, & Damasus pontifex ipse in vitis pontificum, & Augustinus, quemadmodum Cusanus refert, de

August. contra Iulia. lib. 1. cap. 2. Trident. cōcil. sess. 5. ca. 4. sub Pio. 5 Constant. 6. act. 13.

de Concordant. lib. 2, cap. 5. & Athanasius, & Aquinas, & Antoninus, & Alphonsus, & Platyna, & Erasmus, & infiniti. Quid alios commemorem, quorum hæreses, & pestiferi errores proditi sunt memorię monimentis? An verò hęretici esse possunt, scripturas malè interpretari non possunt? Aut cuiquam dubium est, quin de Eucharistia consultus Innocentius, de duplice Christi voluntate Honorius, de Christi natura Liberius sic omnino responderit, quemadmodum ipse sensit ac iudicauit? Ita constat Romanorum pontificum interpretationem hæreticam & fuisse, & esse iterum posse: ac proinde hanc incertam esse interpretandæ scripturę regulã, qua pontificij nullam habent certiorem. Quòd Augustinũ mihi tanquã alteri Petiliano respondentẽ introducis, non attendis longè dissimilem esse causam. Ficta enim erãt, quæ Romanis illis episcopis Petilianus obiecit: at ego nihil dixi non notum, non manifestum, non multis verisque testimonijs confirmatum. Sed iterum in me Augustinum incitas, cui te molestum nimis sine causa fuisse video. Quando enim ait, Etiamsi aliquis fortè Romanus episcopus ex illo numero traditor fuisset, id tamen ecclesiæ & Christiano populo minimè nocuisse, quandoquidem populus iussus est facere non quę faciunt præpositi, sed quæ dicunt, id non magis de Romanis episcopis quàm de quibusuis alijs verum est: qui quanquam moribus vitiosi sunt, tamen dum vera docent, audiendi sunt. Sed nos Romano pontifici multò magis obijcimus, quòd vel nihil doceat, vel doctrinam hæreticam atque impiam

impiam proponat, quàm quòd vitam profanam & ſceleratam degat. Sed tuum argumentum, vt ſemper ſolet, puerile eſt, Præpoſitorum mala vita non præiudicat Eccleſiæ, ergo Pontifices Romani, quantumuis hæretici ſint, ſcripturas tamen rectè ſemper interpretantur.

DVRAEVS, Fol. 45.

Quis vnquam vel Romanus Pontifex, vel omnino Catholicus ſcriptor ex illis Dei verbis, Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum, *nulla alia adiecta ratione ſacerdotum cælibatum probauit? Syricius ſanè Pontifex, & Innocentius primus ex hoc loco collegerunt, cùm Christiani omnes in ſua quiſq; vocatione ſancti eſſe debeant, rationi eſſe conſentaneum, vt qui ſe diuino cultui in Euangelica lege totos dederunt, ſingulari quadam ſanctitate cæteris ſe bene beateq; viuendi duces præbeant. Ad quam rem cùm vita cælebs multò quàm coniugalis ſit aptior (nam qui ſine vxore eſt (inquit Apoſtolus) ſolicitus eſt, quæ ſunt Domini, quomodo placeat Deo, qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quo modo placeat vxori, & diuiſus eſt) quid mirum ſi hac ſanctitate, quæ in Eccleſiæ miniſtris eſſe debet, coniugium illud omnino non conuenire aliquis colligat? Ad Cuſanum quod attinet, rectè ſanè ab illo ſcriptum eſt, alio atque alio modo ſcripturam pro temporum ratione accipi poſſe atque exponi. Varios enim ſcripturæ ſenſus eſſe quis negat?*

Syric. ad Himer. Tarac. ca. 7. Innocent. ad vict. c. 9. & ad Exuper. 1. Cor. 7.

WHITAKERVS.

6 Interpretationum Pontificiarum exempla quædam adduxi, ex quibus manifeſtum facerem, quàm illi ſcripturas fœdè atque abſurdè in impium ſenſum detorquerent, & plenum eſt huiuſmodi exemplis ius pontificiū, in quo ſcripturæ ad cauſam pontificiam accommodantur. Quid enim à ſcripturę mente rectaque interpretati-

ratione alienius dici potuit, quàm diaconis & presbyteris nefas esse matrimonium contrahere, quia Dominus dixit, *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum*, quemadmodum Syricius iste & Innocentius colligunt? Si enim hæc interpretatio valere debet, tum non ministris modò, sed omnibus etiam Christianis necessarium est à matrimonio semper abstinere. Nam totum populum Dominus sanctum esse iussit, eoq; vetuit ne cibis immundis vescerentur. At multò magis vetuisset Dominus, ne ducerent vxores, si nuptiæ illam impediunt, quam Dominus in suis postulat, sanctitatem. Est ergo horum Pontificum duplex in hac interpretatione flagitium, primum quòd hoc præceptum, quo totum populum Dominus complexus est, ad solos ministros referunt: alterum quòd sanctitatem illam definiunt, de qua nullum Dominus verbum fecit. Ex quo perspicuum est hoc scripturę testimonio istos Pontifices turpissimè ad falsam sententiam abusos esse. Hîc tu tanquam hospes in iure Pontificio quæris, quis vnquam Pontifex ex his verbis cælibatum probarit? Ex his verbis Innocentius & Syricius cælibatum probant, atque omnibus ministris imperant, id quod ex Gratiano discere potuisti. Nec verò minùs isti sunt in alijs etiam scripturis aut imperiti, aut iniqui. Nam huc illas scripturas afferunt, *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt*, & quod Paulus Laïcis præcepit, vt ad tempus abstinerent, hinc multò magis sacerdotibus semper ab huiusmodi consortio abstinendū esse concludunt. Hæc sui Innocentij argumenta sunt, cuius in scripturis inter-

Leuit. 11. 44.

Dist. 31. cap. Tenere. dist. 82. ca. Proposuisti. cap. Plurimos.

interpretandis mirificam solertiam. Secundus etiam Innocentius imitatus est. Sic enim iste decreuit, vt Subdiaconi, qui vxores duxerint, officio beneficioq; ecclesiastico careant, quia sunt templum, & vasa Domini, quia sunt sacrarium spiritus sancti, quia indignũ est cubilibus & immundicijs inseruire. Quis non videt quantis quamque indignis contumelijs istæ interpretationes sancti Dei institutum afficiant? Si enim hæ rationes veræ sunt, matrimonio, quod Apostolus honoratum purumque pronunciat, nihil impurius aut contaminatius esse potest.

Dist. 28. decreuimus

Heb. 13. 4.

Sed te nunc pro istis pontificibus disputantem audiamus. Christiani omnes in sua quisq; vocatione sancti esse debent, ergo rationi cõsentaneũ est, vt ministri singulari quadam sanctitate cæteris se duces bene viuendi prębeant. Quis hoc negat? aut quid hoc ad rem facit? Ministri debent populo præbere sanctitatis exemplum: ergo ministri debent esse perpetuò cælibes. Quasi sanctitas nihil aliud sit, quàm cælibatus, aut quasi id nullo modo facere possint, nisi cælibes viuant. Quis nunc Apostolum excuset, aut non nimis inconsultum fuisse fateatur, qui cùm episcopis pręciperet, vt populo essent pietatis exempla, nunquam tamen aliquid de cælibatu pręscripsit, immò vxorem episcopo palàm permisit? Sed aliam rationem adiungis. Aptior (inquis) sanctitati est vita cælebs, quàm coniugalis. Quid ita, quæso? Quia cælebs (inquit Apostolus) *solicitus est, quæ sunt Domini, maritus quæ sunt vxoris.* Siccine scripturas, Duræe, interpretandas censes? Verùm te non

1. Timoth. 3. 2.
Tit. 1. 6.

1. Cor. 7. 32.

non attendiſſe miror, hanc Apoſtoli orationem ad omnes Chriſtianos pertinere. An verò ſic concludes, omnes Chriſtiani curare debent, quæ ſunt Domini, ergo omnes debent eſſe cælibes? Loquitur autem de eis Apoſtolus, quibus Dominus dedit, vt cælibes & continentes eſſe poſſint. His enim propter multiplices curas quæ nuptias ſequuntur, & propter τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην multo expeditius & commodius eſt ad pietatem liberè exercendam, vt matrimonij vinculo ſoluti ſint. Sed hoc non poteſt ad omnes accommodari, quibus tale donum Dominus non conceſſit. Argumentum tuum huiuſmodi eſt, Cælibes qui ſunt dono ſingulari continentiæ præditi, curant quæ ſunt Domini, ergo cælibes, quibus hoc donum denegatũ eſt, meliùs curant quæ ſunt Domini, quàm ſancti coniuges. Quis verò dubitat impuros cælibes, quales eſſe multos religioſos nimis iamdudum manifeſtum fuit, multò magis ſolicitos eſſe quemadmodum cautè & impunè peccent, quàm vt Domino inſeruiant? Et tamen aliud argumentum ſubiungis magis adhuc deſperatum: Summa debet eſſe ſanctitas in miniſtris, ergo coniugium illis omnino non conuenit? Quid hoc aliud eſt, quàm coniugium eſſe omnino impurum, immundum, ſanctitati inimicum? Ita nunc Duræe, video te planè in Saturnilianorum & Tatianorum caſtris verſati.

Cuſanus verò ſi rectè ſcripſit, equidem ſcripturæ nullam habent certam ſtabilemq; interpretationẽ. Ait enim illas eſſe ad tempus adaptatas, & variè intellectas, & vnà cum tempore mutari, *Cuſan. Epiſt. 2. & 7.*

& Ecclesiæ praxim sequi. Quid igitur hac regula incertius aut ineptius cogitari, aut quid potius scripturis indignius dici potuit? Est enim scriptura constans & immutabilis regula, ad cuius analogiam omnis Prophetia reuocanda est, est Dei verbum, quod firmum manet in æternum, est statera non dolosa, vt loquitur Augustinus. Itaque non scriptura ad Ecclesiæ rationes inflectitur; sed Ecclesiæ sensus semper scripturis conuenire debet. Optimè Augustinus, *Scriptura tanquam in sede sublimiore constituta est, cui seruiat omnis fidelis & pius intellectus.* Vos contrà non scripturam pontificiæ interpretationis regulā, sed pontificiam interpretationem scripturæ regulam facitis.

Philip. 3.16. Galat. 6.16. Rom. 2.6. 1. Pet. 4.25. August. de Baptis. contra Donat. l. 2. cap. 6. August. contra Faustum, lib. 11. ca. 5.

DVRAEVS, Fol. 46.

Illud autem quale est, quòd ita multas cuiusque loci sententias nos fingere ais, allegoricas, tropologicas, anagogicas, huiusque rei testem D. Thomam adducis? Adeòne impius es, vt varios scripturæ sensus reÿcere audeas, quos non vniuersa modò agnouit antiquitas, verùm etiam scriptura ipsa clarissimè nobis proponit? Eleganter Ambrosius, Duos oculos habens Ecclesia moralem & mysticum, fidei oculo plus videt Christum. *At vos (vt ais) non aliam in scripturis interpretandis rationem sequimini, quàm sancti Patres præscripserunt. Nihilné tam manifesti mendacÿ pudet? Scripturæ scilicet phrasim obseruatis, circumstantias expenditis, scripturas cum scripturis comparatis, à fidei analogia non disceditis. At hæc ante vos Patres multò certè fælicius præstiterunt. Cur in ÿs interpretandis doctissimos quosque sanctissimosque Patres tam impudenter exploditis? Cur Beza Hieronymum tam petulanter exagitat, in cap. 22. act.*

Ambros. in Psal. 118.

WHITI-

WHITAKERVS.

7 Impius certè sim, si tuo more coner scripturas interpretari. Noui enim scripturæ firmam esse simplicemq; sententiam, quam ista sensuum multiplice varietate non modò obscurari, sed prorsus incertã dubiamq; fieri intelligo. Dum enim in singulis locis Anagogæ & Allegoriæ excogitantur, non tantùm proprius ac Grãmaticus sensus obruitur, sed hominũ mentes in perplexas cogitationes distrahuntur. Tropologiã nemo est, qui non inprimis piam & necessariam esse fateatur, in qua vel maxima ministerij Ecclesiastici pars consistit. At Tropologia non est nouus sensus, aut à Grammatico diuersus, sed cum ipso sensu grammatico coniunctus: vt quando colligimus exemplo Loti ebrietatem esse fugiendã, atque ex alijs huiusmodi historijs, ac dictis exhortationes aut argumenta conficimus. Fingere autem in singulis sententijs quadruplicem sensum, Grammaticum in quo Hieronymus, Tropologicum in quo Gregorius, Allegoricum in quo Ambrosius, Anagogicum in quo Augustinus excelluit, vt isti tradunt, parùm quidem à docta quadã insania discrepat. Quanquam non ignoro, neq; nego esse multas in scripturis allegorias, quas ipse spiritus sanctus indicauit: tamẽ quis ausit spiritus sancti exẽplo fretus scripturã omnem ἀλληγορικῶς interpretandã sumere? Aut quale hoc argumentũ est, Sunt quædã in scripturis Allegoriæ, ergo omnia plena sunt allegorijs? Et spiritus sanctus vnã aut alterã historiã allegoricè exposuit, ergo

ergo

ergo nullus locus absque Allegoria exponendus est. Epiphanius ait, οὐ πάντα ῥήματα τοῦ θεοῦ ἀλληγορίας δεῖται ἀλλ' ὡς ἔχει: id est, *Non omnia Dei indigent Allegoria, sed interpretenda sunt uti verba habent:* & Origenem omnes meritò reprehendunt, quòd sacram Theologiam Allegorijs suis penè ridiculã fecerit, & Porphyrio ac Iuliano cæteræq; hominum simili fæci religionis calumniandæ maximã ansam præbuerit. Allegoriæ quidem tum probandæ sunt, quando necessariæ sunt, id est, quando verba sine tropo intelligi & exponi nequeunt, aut quando sensus grãmaticus vel absurdus est, vel cum sana doctrina pugnat. Sic Christus dicitur super aspidẽ & Basiliscũ ambulasse: sic iubemur ignis carbones in capite inimicorũ accendere, sic nos oportet oculũ nostrũ eruere, si nos offenderit. Hoc modo vera scripturæ sententia retinetur, & sua diuino verbo maiestas cõseruatur. Ambrosiũ scripturas rectè proprieq; interpretãtẽ sequar, mysticos & Allegoricos sensus cõsectantem non magnopere curabo, qui quanquã delectare nonnihil forsan solent, docere tamẽ ac probare nihil possunt, quod ipse Thomas confitetur.

Thom. 1. quæst. 1. art. 10. ad 1.

Hic me nimis iracundè mendacij accusas. Quãobrem verò? Sumné enim mentitus, quando dixi non aliam nos sequi in scripturis interpretandis rationẽ, quàm illam ipsam, quã sancti Patres præscripserunt? At Augustinus in libris de doctrina Christiana hanc ipsam viã præscripsit veri scripturarum sensus exquirendi, quam nos sequimur, quemadmodum ipse negare non potes. *At* (inquis) *hoc ipsum ante vos Patres præstiterunt:* fateor.

teor. Num verò audes hoc illorũ factum impro-
bare? Aut quia illi ſic fecerunt, nos ſic facere non
debemus? Aut ſi Patres, vtpote homines, nonnũ-
quã errarunt, nobis non licet ab illorum errori-
bus diſcedere? Patres quidem illo, quo dixi, mo-
do ſcripturas expoſuerunt, ergo ſic etiam nobis
faciendum eſt: Patres non ſenſerunt omnẽ ſcrip-
turæ veram interpretationem Roma vſq; peten-
dam eſſe, ergo neq; nobis neceſſarium eſt, quan-
do volumus verum ſcripturę ſenſum aſſequi, Ro-
mam proficiſci: Patres ſuorum maiorum errores
reprehenderunt: ergo nobis idipſum facere licet:
Patres maiorum ſuorum veras expoſitiones am-
plexi ſunt, falſas repudiarunt, ita nos patres rectè
ſentientes, & ſcripturam verè interpretantes ſe-
quimur. Quid tu hîc potes reprehendere? Cum
Beza ſi quid habes de Hieronymo negotij, Be-
zam ſi placet ipſum conſule: qui ſanè peſſimum
multis in locis ſcripturarum interpretem fuiſſe
Hieronymum facilè demonſtrabit.

DVRAEVS, Fol. 47. 48.

Reſpondes, Chriſtum nos à cœna non excludimus: Chriſti
corpus comedi, Chriſti ſanguinem bibi credimus & doce-
mus. *Si tanto à cœna veſtra interuallo Chriſti corpus, quàm cœlum
terra disiungitur, quo tandẽ modo Chriſtum à cœna non excludi-
tis? neq; eſt, quòd ſtolidum illud Caluini tui cõmentum huc afferas,*
Spiritum verè vnire, quæ locis disiuncta ſunt. *O blaſphemum* Lib. 4. c. 17. sect. 10.
*Caluini ſpiritum! Cùm veram & realem Chriſti corporis præſentiã
qui ipſa veritatis apertiſſimæ victus fateri cogatur, in modo tantùm
diſſentire voluit.* Ergo (*inquit*) tantùm de modo quæſtio eſt.
*Atquè præſentes nos Chriſto reddi ait cum ſpiritu ad eum euehimur,
quàm ſi ſub panis viniq; ſymbolis verè ac realiter nobiſcum in terris
eſſet. O monſtrum! ô portentum! Tu qui tam audacter Chriſtum à*

ergo nullus locus absque Allegoria exponendus est. Epiphanius ait, οὐ πάντα ῥήματα τοῦ θεοῦ ἀλληγορίας δεῖται, ἀλλ' ὡς ἔχει: id est, *Non omnia Dei indigent Allegoria, sed interpretenda sunt vti verba habent:* & Origenem omnes meritò reprehendunt, quòd sacram Theologiam Allegorijs suis penè ridiculã fecerit, & Porphyrio ac Iuliano cæteræq; hominum simili fæci religionis calumniandæ maximã ansam præbuerit. Allegoriæ quidem tum probandæ sunt, quando necessariæ sunt, id est, quando verba sine tropo intelligi & exponi nequeunt, aut quando sensus grãmaticus vel absurdus est, vel cum sana doctrina pugnat. Sic Christus dicitur super aspidẽ & Basiliscũ ambulasse: sic iubemur ignis carbones in capite inimicorũ accendere, sic nos oportet oculũ nostrũ eruere, si nos offenderit. Hoc modo vera scripturæ sententia retinetur, & sua diuino verbo maiestas cõseruatur. Ambrosiũ scripturas rectè propriéq; interpretãtẽ sequar, mysticos & Allegoricos sensus cõsectantem non magnopere curabo, qui quanquã delectare nonnihil forsan solent, docere tamẽ ac probare nihil possunt, quod ipse Thomas confitetur.

Thom. 1. quæst. 1. art. 10. ad 1.

Hîc me nimis iracundè mendacij accusas. Quãobrem verò? Sumné enim mentitus, quando dixi non aliam nos sequi in scripturis interpretandis rationẽ, quàm illam ipsam, quã sancti Patres præscripserunt? At Augustinus in libris de doctrina Christiana hanc ipsam viã præscripsit veri scripturarum sensus exquirendi, quam nos sequimur, quemadmodum ipse negare non potes. *At* (inquis) *hoc ipsum ante vos Patres præstiterunt:* fateor.

teor. Num verò audes hoc illorũ factum improbare? Aut quia illi sic fecerunt, nos sic facere non debemus? Aut si Patres, vtpote homines, nonnũquã errarunt, nobis non licet ab illorum erroribus discedere? Patres quidem illo, quo dixi, modo scripturas exposuerunt, ergo sic etiam nobis faciendum est: Patres non senserunt omnẽ scripturæ veram interpretationem Roma vsq; petendam esse, ergo neq; nobis necessarium est, quando volumus verum scripturę sensum assequi, Romam proficisci: Patres suorum maiorum errores reprehenderunt: ergo nobis idipsum facere licet: Patres maiorum suorum veras expositiones amplexi sunt, falsas repudiarunt, ita nos patres rectè sentientes, & scripturam verè interpretantes sequimur. Quid tu hîc potes reprehendere? Cum Beza si quid habes de Hieronymo negotij, Bezam si placet ipsum consule: qui sanè pessimum multis in locis scripturarum interpretem fuisse Hieronymum facilè demonstrabit.

DVRAEVS, Fol. 47. 48.

Respondes, Christum nos à cœna non excludimus: Christi corpus comedi, Christi sanguinem bibi credimus & docemus. *Si tanto à cœna vestra interuallo Christi corpus, quàm cœlum terra disiungitur, quo tandẽ modo Christum à cœna non excludis? neq; est, quòd stolidum illud Caluini tui cõmentum huc afferas,* spiritum verè vnire, quæ locis disiuncta sunt. *O blasphemum Caluini spiritum! Cùm veram & realem Christi corporis præsentiã ipsa veritatis apertissimæ victus fateri cogatur, in modo tantùm dissentire voluit.* Ergo (*inquit*) tantùm de modo quæstio est. *què præsentes nos Christo reddi ait cum spiritu ad eum euehimur, quàm si sub panis viniq; symbolis verè ac realiter nobiscum in terris esset. O monstrum! ô portentum! Tu qui tam audacter Christum à* *Lib. 4. c. 17. sect. 10.*

cœna te non excludere respondisti, mox à vero Christi corpore ad vim corporis ac beneficium dilaberis. Huius (*inquis*) corporis vim, communionem, beneficium non excludimus. *Christus ergo vobis tam in baptismo, aut in concione, aut vbicunque fides vestra locum habeat, quàm in cœna præsens est. Etiam antiquis Patribus in veteri testamento tam præsens fuerit corpus Christi, quàm vobis. Quis verò hæc non rideat? Christi corpus neque adhuc natum, neque conceptum, formatumué fuisse, & tamen verè præsens extitisse. Hîc fides vestra suppetias vobis ferat oportet:* Fidei (*inquis*) præsentem esse totum in cœna Christũ defendimns. *Tanta est fidei vestræ vis, vt rerum naturas immutet. Quicquid ergo fides vestra attingat, veluti ferrum magnes ad se attrahit. Et cùm non solùm Christi corpus, sed & cœlum ipsum, immo infernum, adeoq; ipsos Dæmones attingat, non aliter vobis per fidem Christus præsens esse poterit, quàm dæmones præsentes sunt. Et certè, si ex animo loqui velitis, dæmonem magis quàm Christũ in cœna vestra præsentem habetis. Sed hæc portenta iam missa faciamus.*

WHITAKERVS.

8 Quàm hîc te nobis vel virum modestum, vel acutum Theologum præbeas Duræe, pij lectores facilè iudicabunt. Quæsiuit à nobis Campianus, quare Christum è cœna mystica excluderemus: Respondi, non excludi à nobis è cœna Christum, cùm in cœna corpus Christi comedi sanguinem Christi bibi, totumque Christum sumi credamus ac doceamus. Si enim totus Christus in cœna sumitur, è cœna certè Christus non excluditur, at sumi Christum in cœna totum ab illis, qui ad cœnam dignè accedunt, profitemur: non igitur è cœna Christum, quemadmodum nobis aduersarij obijciunt, excludimus. Quid tu nunc affers, quo Christum è cœna excludi à nostris

ſtris oſtendas? aut quis tam iniquus eſt, vt quando nos percipi Chriſtum à nobis in cœna cum ſuis omnibus beneficijs docentes audit, non iniuſtiſſimam eſſe veſtram hanc de Chriſto excluſo querelam fateatur? Si tanto (inquis) à cœna interuallo Chriſti corpus, quanto cælum à terra diſiungitur, quo modo Chriſtum à cœna non excluditis? Sic ergo diſputas: Si eſt vllum inter cœnam, Chriſtiq; corpus interuallum, tum è cœna Chriſti corpus excluditur: at nos Chriſti corpus tanto interuallo à cœna diſiunctum eſſe dicimus, quanto à terra cælum diſiungitur: quare Chriſtum è cœna excludimus. Telum à te quidem acutius expectabam: nam iſto nihil obtuſius torqueri potuit. Si de loco quæris, in quo Chriſti corpus verſetur, reſpõdeo, corpus Chriſti in vno duntaxat loco conſtitui, quia eſt verũ, humanum, naturale corpus, & nunc nuſquam locorum eſſe præterquam in cælo, quemadmodum Petrus diſertè affirmat: tamen hoc ipſum corpus dico quantumuis naturali ſitu maximis interuallis a cœna remotum, nihilominus in cœna per fidem ab omni fideli populo percipi ad animarum & corporum ſalutem. Non enim ſequitur excluſum eſſe penitus è cœna Chriſtum, quia corpus eius *non tractatur manibus ſenſualiter, & frangitur, & fidelium dentibus atteritur*, quemadmodum loqui & confiteri, Berengarium papa Nicolaus impiè coegit. Etenim ſi nuſquã eſt Chriſtus præſens, niſi vbi eius corpus cõtingi, & ore noſtro ſumi mandiq; poteſt, quemadmodum iſti de ſacramento contendũt, tum in

Act. 3. 21.

De conſecrat. diſt. 2. Ego Berengarius.

Euangelio annunciato & fide suscepto Christus non percipitur; tum è Baptismo Christus prorsus excluditur: At Christus totus in Euangelio, & totus in Baptismi sacramento percipitur: est igitur absurdum excludi inde Christum, vnde crassa corporis Christi præsentia excluditur. Per fidem (inquit Paulus) Christus habitat in cor-
Ephes.3.17. dibus nostris: & per Euangelium Petrus ait nos
2.Pet.1.4. diuinæ naturæ participes fieri: qui verò bapti-
Rom.6.5. zantur, ij in Christum inseruntur, Christum induunt, Christi corpus & sanguinem accipiunt:
Gal.3.27. Sic enim Apostolus, per vnum spiritum nos om-
1.Cor.12.13 nes in vnum corpus baptizati sumus, & omnes vna potione potati sumus in vnum spiritum.
Ioan.6.35. Nunc nobis dicas velim, quemadmodum fieri possit, vt qui credunt Euangelio, mox Christo potiantur, & qui baptismi sacramentum percipiunt in vnum cum Christo corpus coalescant? Idné fit quia Christum tuo ritu comedunt, Christiq́; corpus cum suo commiscent? Absit tam stolidum à vobis sapientissimis magistris commentum. Quam potes aliam huius coniunctionis ac cõmunionis rationem assignare, quàm illã ipsam, quam rides, fidem & spiritus sancti arcanam virtutem, quæ potest res disiunctissimas copulare? Si verò nihil, quod disiunctum est, coniungi nisi corporea συναφῇ potest, quo modo fideles omnes inter se deuinciuntur, & quodnam est huius societatis vinculum, vt qui longissimis locorum interuallis distrahuntur, siue Iudæi, siue Græci, siue
1.Cor.10. quicunq; pij, vnum tamen inter se & cum Chri-
17.& 12.13 sto corpus constituant? hoc nisi spiritus vi, quam

tu ſtolidum commentum nimis profanè vocas, fieri non poteſt.

Nec verò de corporis Chriſti præſentia dubitamus, ſed tantùm de huius præſentiæ modo quærimus, quem vos carnalem & Capernaïticū, nos cæleſtem & ſpiritualem, & verè diuinū eſſe affirmamus. Nec monſtra hîc tua, & portenta moror. Non enim hæc monſtra ſunt, ſed cum illo Tranſubſtantiationis monſtro, vel multis potiùs monſtris pugnant. Sed hic tuus mos eſt, cùm res argumenta poſtulat, in exclamationes prorumpis pueriles, & monſtra, ac portenta vociferaris. Noſtram verò hanc veriſſimam ſententiā, quam inſectaris, nunquam tu quidem vel diſputando, vel clamando leuiſſimè commouebis. Quòd me dicis à Chriſti corpore ad vim & beneficium corporis dilabi, valde ieiunū fuit: quaſi vim & beneficium ab ipſo corpore ſeiunxerim: aut quando corporis communionē excludi negauerim, non palàm ipſum corpus ſumi defenderim. In baptiſmo autē præſentem eſſe Chriſtū, & in concione, & vbicunq; vera fides Chriſtum amplectitur, ſi negas, omnē vitæ ac ſalutis ſpem ijs vniuerſis eripis, qui cœnę ſacramento priuantur. Niſi enim Chriſtū poſſidemus, & Chriſti corpore pro nobis in ſacrificiū oblato paſcimur, deniq; Chriſti carnē edimus, & ſanguinē bibimus, vitam non habemus, quemadmodū Chriſtus clariſſimè pronunciat. Chriſtū ergo & in concione, & in baptiſmo, & in cœna ſumimus, eundē quidē eodē modo. Cùm enim ſacramenta ſigna & ſigilla ſint, quæ Dominus ad promiſſionē gratiæ ad- *Ioan.6.53.* *Rom.4.11.*

didit, vt his illam confirmaret, ſequitur nihil in ſacramentis aut ſignificari, aut promitti, aut obſignari, aut dari, aut accipi, niſi quod in ipſa promiſſione Euangelica Chriſtus obtulit. Eſt ergo eadem communio Chriſti in omnibus ſanctis, tum qui acceſſerunt ad cœnam, tum qui nunquã accedere potuerunt. Nec aliter in cœna Chriſtus ſumitur, quàm vt maneat nobiſcum in æternum: at Chriſti corpus non traijcitur aut mutatur, in corpora noſtra, nec cum illis perpetuò coniungitur, non igitur craſſo modo in cœna ſumitur. Patribus verò antiquis præſentem fuiſſe in vetere Teſtamento Chriſtum, quis dubitat, niſi qui & fidei vim ignorat, & ſcripturis authoritatem detrahit? At Chriſti corpus nõdum natum aut formatum fuit. Id nihil impedit, quo minùs Chriſti corpore fides nõdum creato frui potuerit. Fidei enim tam adeſt quod futurum eſt, quàm quod
Heb.11.1. adeſt. Nam fides ὑπόστασις eſt τῶν ἐλπιζομένων, & ἔλεγχος τῶν μὴ βλεπομένων: ex quo manifeſtum eſt, fidem non ea tantùm ſpectare ac complecti, quæ adſunt & apparent, ſed quæ etiam longo pòſt tempore euentura ſunt. Et Chriſti corpus fuiſſe ipſis antiquiſſimis Patribus ſalutare, ex eo conſtat, quòd
Apocal.13.8 Chriſtus agnus ille fuerit occiſus ab origine mundi. Si enim Chriſtus fuit à principio mundi occiſus, tũ fuit priſcis patribus corpore & morte
Ioan.8.25. ſua præſens. De Abrahamo Chriſtus ait, Abrahamus geſtiuit vt videret diem iſtum meum, & vidit, ac gauiſus eſt. Si verò vidit Chriſti aduentum Abrahamus, fidei non corporis oculis vidit, & Chriſtus fidei Abrahæ præſens fuit. Sed

Apoſtoli

Apoſtoli in hanc ſententiam clariſſima verba ſunt, Omnes patres eandem eſcam ſpiritualem ediſſe, & eundem potum ſpiritualem bibiſſe, nempe Chriſtum. Quòd ſi autem Chriſtum ederunt & biberunt, Chriſtum illis præſentem fuiſſe ſequitur. Et nos fidei ſubſidio libenter vtimur, quo nullum præſtantius eſſe poteſt. Tu ſi fidem aut haberes, aut curares, nobis vitio nunquam verteres, quia ſuppetias à fide opemq́ue petimus. Sed hæc profanæ mentis ludibria meritò contemnenda ſunt, quibus te facetum etiam videri ſentio voluiſſe. De Dęmone & inferno quod ſubiungis in extremo, miror hominem quenquam inueniri tam impiè ineptum potuiſſe. Et quidem dignus es, quem pro iſta blaſphemia grauiùs vlciſcar. Quanquam autem fides vniuerſum Dei verbum approbat, & quicquid in ſcriptura legitur, verum eſſe credit, tamen propriè ipſas miſericordiæ gratiæq́ue promiſſiones, quas nobis pater in filio fecit, reſpicit atque intuetur. Chriſtum ergo fides ſalutis & omnium bonorum authorem in verbo ac ſacramentis recipit & amplectitur. Siccine nobis cælum, infernum, dæmones præſentes ſunt? Næ tu aut valde es harum rerum ignarus, quod ego potiùs exiſtimo, aut nimium certè procax, qui fidem à ſpiritu ſancto tam mirificè laudatam iſtis contumelijs afficere voluiſti.

1. Cor. 10. 3. 4.

DVRAEVS.

DVRAEVS, Fol. 49.

Sic disputas, vt de circumcisione Deus dixit, hoc est fœdus meum, id est, fœderis symbolum, & agnus est phase, & petra erat Christus, quæ omnia per figuram intelliguntur, ita Christus cùm dixit, hoc est corpus meum, corporis sui figuram ac symbolum intellexit. *Quod primum ex Genesi adducis*, Circumcisio est fœdus, *neque eo loco, neque vsquam in sacris literis scriptum est. Non circumcisio, sed conuentio inter Deum & Abraham de circumcisione, pactum siue fœdus vocatur, huius verò fœderis signum circumcisio. Plus fortè præsidij in secundo loco est quem ex duodecimo capite Exodi citas*, Agnus est phase, *quæ sanè verba ibi te nunquam reperisse scio. Agnus non dicitur Phase, sed causa redditur, cur festinantes debeant comedere, his verbis* פסח הוא ליהוה *quasi dicat, instat hora, qua Iehoua est transiturus vos percussis AEgyptijs. Adde quòd neque agnus erat signum illud, sed sanguis Agni. Denique neque sanguis signum dicitur, quod memoriam illius beneficij recolebat, cùm nondum erat collatum, sed potius significabat sanguis in illis ædibus illos habitare, quibus beneficium illud erat conferendum. Vt de postremo loco dicam, Paulus cùm ait*, Petra autem erat Christus, *figuratè Christum pro figura Christi non sumit. Quod figuratè accipitur, petræ nomen est: petra enim Christi signum ac figura fuit.*

WHITAKERVS.

9 Multa hîc mea, Duræe, prætermittis, quæ tamen erant refellenda, si refelli omnino potuissent. Tua verò hæc eiusmodi sunt, vt diffluere quodammodo per se sine responso videantur. Tribus exemplis demõstraui, verba illa, *Hoc est corpus meum*, τροπικῶς intelligenda esse, quod vos nullo modo conceditis. De singulis aliquid

liquid respondes, quod quale sit, videamus. Negas autem circumcisionem vsquam in scripturis fœdus appellari. Ex ipsis ergo scripturis sumamus testimonium. Sic Abrahamum dominus alloquitur, *Hoc est fœdus meum, inter me, & inter vos, & inter semen tuum post te, quod seruabitis, vt circumcidatur vobis omnis mas.* Nam illud, *Hoc*, quid aliud est, nisi quod subiungitur, *vt circumcidatur vobis omnis mas?* Igitur *Hoc*, nempe hæc circumcisio est fœdus, quod tu affirmas nusquam in scripturis reperiri. Sed hoc (inquis) significat non ipsam circumcisionem, sed conuentionem de circumcisione inter Deum & Abrahamum factam. Illa autem conuentio fuítne fœdus ipsum, an non fuit? Si fuit, tum hæc tua est præclara ac noua interpretatio, *Hoc fœdus meum est fœdus meum:* si non fuit, tum μετωνυμίαν, qua rei nomen signo attributum est, agnoscas oportet. Siue enim circumcisio fœdus dicatur, siue ipsa de circumcisione conuentio, nisi ipsum reuera proprieque fœdus fuerit, figuratè intelligendum est. Sed miror te quod apertissimè scriptum fuit in eodem loco, videre non potuisse. Ita enim disertè loquitur Dominus, *Erit fœdus meum in carne vestra in fœdus perpetuum.* Quodnam hoc fœdus fuit in carne impressum, si circumcisio non fuit? Et Stephanus ait Abrahæ datum fuisse *fœdus circumcisionis.* Quòd ergo ais circumcisionem nusquam in scripturis fœdus dici, manifestis scripturę testimonijs redargueris.

Gen. 17. 10. — Vers. 13. — Act. 7. 8.

De secundo loco respondes, Agnum non dici

dici Phase, quod nunquam præ pudore affirmasses, si vel locum ipsum inspexisses. Sic enim legimus, *Comedetis festinantes: est enim Phase Domini.* Quemadmodum ille agnus erat comedendus primùm exposuit, tum mox subiungit, *Est enim Pesah Iehoua.* Quasi dicat, Hunc agnum tali ritu festinantes comedetis, quia est transitus Iehouæ, hoc est significat Iehouæ transitum imminere, quo est ille per Aegyptum transiturus. Et pronomen Hebræum הוא perspicuè ostendit de agno loquutum esse Dominum, vt sensus sit, Hic agnus quem isto modo comedetis, est Pascha, id est, signum paschatis siue transitus Iehouæ. Et pesah nomen de agno intelligi, ex ijs omnibus scripturæ locis constat, in quibus pesah apparari & comedi legimus, quod quidem sæpe facimus, nisi fortè ipsum transitum comedi potuisse censes. Cùm autem iubentur Pesah iugulare, & os ex illo confringere prohibentur, quis non videt Pesah nomine agnum illum significari? Si ergo Pesah parari, immolari, comedi non potuit, tum necesse est agnum dici Pesah fatearis. Quid verò potes manifestius desiderare, quàm illa verba, *Victima pascha est Iehoua?* Tum Christus quare dicitur Pascha? Nonnè quia erat agnus ille, quem illi paschales agni adumbrabant? Deinde quòd agnum negas esse signum illud, ignoras planè quid dicas. Quis enim non intelligit, agnum fuisse signum transitus, quod ex ipsis cæremonijs perspicuum est, quibus inter comedendum vti populus

Marginal notes: Exo.12.11. — Exo.12.21. 46. — Exod.12.27. — 1.Cor.5.7.

pulus iubetur? Quorſum enim ſpectabat, quòd iuſſi ſunt lumbos ſuccingere, calceos induere, baculos manibus tenere, feſtinationem adhibere, niſi vt agnum hunc, illius repentini ac celerrimi tranſitus ſacramentum eſſe declararent? Nam quòd agni ſanguis dicitur ſignum, quid impedit, quo minùs & agnus & agni ſanguis ſignum fuerit? Quanquam ſanguis non Iſraëlitis, ſed Angelo ſignum pro Iſraëlitis fuit, vt vbi ſanguinem angelus videret, illam domum intactam præteriret. Quare hoc ſemel tantùm, atque in Aegypto factum eſt, cùm tamen agnus deinceps quotannis mactaretur, vt illius beneficij memoriam reuocaret. Nec dico ſanguinem fuiſſe beneficij monimentum, ſed ipſum agnum, quod tute, opinor, non negabis. Nam agnus vt Iſraëlitis illis in Aegypto ſignum fuit futuri mox beneficij, ita poſteris memoriam tanti beneficij repręſentauit. *Verſ.13.*

In tertio loco ſentio te valdè laboraſſe, nec tamen vllum omnino niſi admodum miſerum perfugium reperiſſe. Cùm Paulus ait, *Petra erat Chriſtus*, non ſumit (inquis) Chriſtum figuratè, pro figura Chriſti. Eratné ergo petra ipſe ſine figura Chriſtus? *Petra* (inquis) *nomen, non Chriſti figuratè accipitur*. Placet. Petram enim Apoſtolus Chriſtum vocat μετωνυμικῶς, quia fuit Chriſti ſacramentum. Atque vt in illis verbis tropum ſtatuas, quantumuis inuitus eſt neceſſe, ita in

in his tropum esse manifestè omnes vident, atque illum tropum, quo nullus est in scripturis magis vsitatus. Augustinus scribit, *Solet autem res quæ significat, eius rei nomine, quam significat, nuncupari: sicut scriptum est, Septem spicæ septem anni sunt, & multa huiusmodi: hinc est quòd dictum est petra erat Christus. Non enim dixit Petra significat Christum, sed tanquam hoc esset, quod vtiq; per substantiam hoc non erat, sed per significationem.* Nam petram hanc, quæ Christus dicitur, spiritualem fuisse, hoc est ipsum Christum, Apostolus satis refellit, quando ait, *omnes de illa petra bibisse*: quod de Christo intelligi non potest, cum illorum plærosque non approbauit Deus: de Christo autem nulli bibunt, qui Christo non probantur. Iam ergo si circumcisio fœdus nominatur, quod Dominus cum Abrahamo eiusque posteris percussit, cùm tamen non fœdus ipsum, sed fœderis signum fuerit: siq; agnus ille in ædibus Israëlitarum mactatus, Pesah vocatur, qui tamen non ipse transitus, sed signum transitus fuit: Postremò si petra Christus appellatur, quia Christum significauit, quemadmodum tu ipse fateris, non quia reuera Christus extitit, tum in omnibus sacramentis, quoties rei nomen signo tribuitur, non est existimandum signum in rem ipsam mutari ac transubstantiari, vt pontificij de cœna ineptissimè tradunt, sed necesse est, vt ea verba ex perpetuo scripturæ more μετωνυμικῶς interpretemur, & illam esse sacramentalem loquendi formulam intelligamus. Et quidem licuit tales ex sacris literis innumerabiles commemorare

August. quæst. super Leuit. q. 57.

Exod 24.8.

rare. Ita enim ſanguis victimarum vocatur ſanguis fœderis, quia ſymbolum erat ſanguinis Chriſti, quo verè fœdus ac reconciliatio ſancitur. Ita arcæ operculum dicitur propitiatorium, quia erat veri propitiatorij antitypon, qui eſt Chriſtus: ita baptiſmus nuncupatur lauacrum regenerationis, & ablutio peccatorum, & tamen aqua ipſa non poteſt tantum nobis beneficium præſtare. Cùm in his atque huiuſmodi alijs infinitis loquendi generibus, quæ paſſim in ſcripturis occurrunt, tropum ineſſe, nullus vnquam ſapiens dubitarit, in ſolis cœnæ verbis nullum tropum agnoſcere valdè profectò abſurdum eſt, & nimis importunum.

Exod.24.8 *Exo.25.17.* *Tit.3.5.* *Act.22.15.*

DVRAEVS, Fol. 50.

Demus hoc tibi & circumciſionem fœdus appellari, & agnum tranſitum Iehouæ, & petram Chriſtum: quis ita differentem ferat? Circumciſio fœdus appellatur, & agnus paſcha, & petra Chriſtus, cùm tamen hæc ſigna tantùm, ſymbola, & ſacramenta fuerint, ergo Chriſtus cùm diceret, Hoc eſt corpus meum, *non niſi corporis ſui ſignum intellexit? An non eodem modo Arrius ex illo tuo antecedente verba etiam illa,* Hic eſt filius meus dilectus, *& illa,* Deus erat verbum: *& Neſtorius illa,* Verbum caro factum eſt, *per figuram eſſe accipienda dixiſſet? Atque vt ſemel dicam, nihil tam in ſcripturis proprium, nihil tam verum eſſet, quod figuris & ſymbolis non liceret eludere. Argumentum aliquod erat afferendum ex adiacentibus aut alijs apertioribus ſcripturæ locis quo corpus Chriſti & ſanguinem non niſi impropriè ac figuratè ſumi hoc loco poſſe demonſtrares. At hoc neque tu præſtas, neque Zuinglianus aut Caluinianus quiſquam præſtare vnquam potuit. Præclarè Tertullianus contra Marcionem,* Non eſt veriſimile vt ea ſpecies ſacramenti, in quam fides tota committitur, ambiguè enunciata & obſcurè propoſita videatur &c. *Et Hilarius lib.8. de Trinit.* An verbo verba defuiſſe putandum eſt?

WHITAKERVS.

10 Scitè facis, qui quod tenere nulla ratione potes, id te dare nobis velle dicas. Ego vt mihi des aliquid non postulo: tantùm sumam, quantum mihi ad te refellendum sufficiat, siue des, siue non des. Si verò in illis verbis figuram agnoscis, in quibus eadem est phrasis & formula loquendi, quæ est in his, de quorum sensu disputamus, dabis mihi, Duræe, veniam, vt scripturæ potiùs interpretationem sequar in alijs locis perspicuè traditam, quàm tibi nouum atque inauditum, & scripturis & priscæ multorum seculorum Ecclesiæ commentum proferenti assentiar. Quis (inquis) ita differentem ferat? Circumcisio vocatur fœdus & agnus Pascha, & petra Christus, quæ tamen signa & sacramenta tantùm fuerunt: Ergo cùm Christus dixit, *Hoc est corpus meum*, non nisi corporis sui signum intellexit? Si minùs hæc fortè argumentatio nostram causam confirmat, satis tamen ad vestram euertendam valet. Etenim si quando de sacramentis spiritus sanctus verba facit, rei ipsius nomen signo tribuit, nec vllam tamen transsubstantiationem constituit, idque in omnibus alijs locis ita manifestum est, vt quiuis mox tropum deprehendat: ferendi non sunt, qui cœnæ sacramentum peruersissimis interpretationibus contaminare malunt, quàm in verbis, *Hoc est corpus meum*, eundem tropum toties in scripturis repetitum, atque hic vel maximè necessarium approbare. Tu verò qui hoc argumentum in

nobis improbas, vide si id tibi meliùs conueniat. Te ergo, si placet, ita disserentem feramus, Circumcisio vocatur fœdus, & agnus pascha, & petra Christus, cùm tamen fuerint symbola duntaxat & sacramenta harum rerum: Ergo cùm Christus dixit, hoc est corpus meum, panem mutari & transubstantiari in corpus suum, nec esse symbolum, sed rem ipsam quę dicitur, intellixit. Si non erat ferendus, qui illo modo disserebat: qui sic quidem disserit, multò magis intolerãdus meritò videatur. De Arrio & Nestorio quod interponis, id verò minimè metuendum est, ne si in his verbis tropus ponatur, nihil in scripturis ꝓpriè, nihil nisi figuratè intelligatur. Non enim sequitur, quia quædam τροπικῶς accipienda sunt, vbiq; fugiendos esse tropos. Arrius autem & Nestorius apertis & multis scripturæ testimonijs refutantur, quę *nullis* tropis inflecti ac torqueri possunt. Nec verò vlli sunt omnino hæretici, qui non perspicuè scripturis refellantur, quantumuis sese varijs artificijs defendere conentur. Nihil autem in scripturis proprium, nihil tam verum esse, quod non figuris liceret eludere, id etsi nunc tu quidem semel dicis, omnes tamen esse falsissimũ intelligunt. Sed quid si figuris hæretici ad falsorũ dogmatũ confirmationẽ abutũtur? Siccine argumentaris, hęretici possũt omnes scripturas etiam clarissimas figuris eludere: ergo omnia sunt sine figuris interpretanda? Sed argumentum quæris, quo demonstrem corpus Christi & sanguinem non nisi impropriè & figuratè in hoc loco sumi posse. Quis hîc corpus & sangui-

nem Chriſti impropriè ac figuratè ſumi dicit? nos verò in his verbis non aliud corpus, non alium ſanguinem, quàm ipſum proprium Chriſti corpus & ſanguinem intelligimus. Non enim qui in verbis figuram ſtatuit, Chriſti corpus & ſanguinem impropriè ſumi affirmat. Verum quidem Chriſti corpus pro nobis traditum, & verus ſanguis pro nobis effuſus de pane ac vino dicitur, ſed ſacramentaliter. Figura autem non eſt in corpore aut in ſanguine Chriſti, nec quidem in pane aut vino, ſed in copula, *Eſt*, & ipſo genere attributionis. Eſt ergo panis verum corpus Chriſti: & vinum verus Chriſti ſanguis, ſed myſticè, μετωνυμικῶς, Sacramentaliter.

Iam verò ſi demonſtrari cupias, eſſe aliquam in his verbis μετωνυμίαν, ſatisfaciam deſiderio tuo: atque hæc verba, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, figuratè ac μετωνυμικῶς interpretanda eſſe vno aut altero argumento euincam. Qui dicit, Hic panis eſt corpus meum, & hoc vinum eſt ſanguis meus, figuratè loquitur: Chriſtus ſic dixit, ergo figuratè loquutus eſt. De propoſitione non dubitas: aſſumptio ex verbis ſcripturæ ma-
Matt.26.26 nifeſta eſt. Chriſtus enim accepit panem, benedixit, fregit, dedit diſcipulis dicens, accipite, comedite: hoc eſt corpus meum. Quod dedit diſcipulis, corpus ſuum vocat: at panem dedit diſcipulis: ergo panem corpus ſuum vocat. Quod enim negas datum eſſe diſcipulis panem, mox quàm rectè dixeris, intelliges. Sed nunc ad aliud argumentum venio. Chriſtus ait, hoc eſt cor-
1.Cor.10.16 pus meum: id Paulus ſic interpretatur, Panis eſt com-

communio corporis Christi: Panem autem dici communionem corporis Christi, sine omni controuersia figuratum est: quare hæc verba, hoc est corpus meum figurata sunt. Deinde, qui sic loquitur, Hic calix est nouum Testamentum in sanguine meo, siue vinum, siue sanguinem Christi dici calicem intelligamus, figuratè loquitur: at sic Christus loquutus est: ergo in his Christi verbis necesse est figuram statuamus. Nam nec poculum, nec vinum, nec sanguis est propriè nouum Testamentum. Pergamus: Si quod discipuli comederunt ac biberunt, propriè fuit corpus & sanguis Christi, tum seipse Christus propriè comedit ac bibit, quandoquidem vt scribit Chrysostomus, ex ijsdem signis Christus partem accepit: at hoc monstrosum est, & plusquam Cyclopicum, ergo hæc non propriè, sed figuratè intelligenda sunt. Quid dici verò disertiùs potuit, quàm quòd Christus negat se de vitis fructu amplius percepturum? Vitis enim fructus non sanguis est, sed vinum. Ex quo Chrysostomus, & Cyprianus palàm scribunt Christum discipulis suis vinum tradidisse. Qui verò vinum vocat sanguinem suum, eum figuratè loqui nemo dubitat. Huc accedit quòd Marcus antè discipulos omnes bibisse scribit, quàm Christus diceret, Hic est sanguis meus: ergo vinum aut non omnino, aut saltem postquam sumebatur, transubstantiatum est. Hæc ex adiacentibus sumpta sunt argumenta, qualia tu inprimis desideras: si alia persequerer, infinitis facilè abundarem: & plura pòst accipies.

Luc. 22. 20.

Chrysost. in Matth. hom. 83.

Chrysost. Ibidem.

Cypria. li. 2. epist. 3.

pies. Adiacentia autem hæc ita prorsus inimica sunt transsubstantiationi tuæ, vt Scotus, Occamus, Petrus de Aliaco, Durandus, Fisherus transsubstantiationem ex scripturis non necessariò probari fateantur. Quod sanè verum est, quum transsubstantiationem scriptura non modò nusquam probet, sed palàm vbiq; damnet. Tertullianus autem, & Hilarius nihil hîc dicunt, quod quicquam ad rem faciat.

DVRAEVS, Fol. 51.

Sed Christus (*ais*) hoc quod accepit in manus, dedit discipulis: panē verò accepit: panem ergo & dedit. *Vnum verbo respondeam? Panem in manus accepisse fateor, dedisse discipulis nego. Etenim si vt panem in manus accepit, ita nihil aliud, quàm panem discipulis dedit, inanis certè illa* εὐλογία, *hoc est corpus meum, extitisset. Longè aliter Ambrosius. Lib. de ijs, qui initiantur myster. cap. 9.* Benedictione (*inquit*) ipsa etiam natura mutatur, &c. *Neque satis mirari possum, qua fronte Caluiniani asseratis Christi corpus in cœna Apostolos manducasse, neque tamen illis præter panem Christum quidquam dedisse. Non enim manducabant aliud, quàm quod acceperunt à Christo: dedit verò Christus nihil aliud, quàm quod in manibus habebat, quare si non nisi panem dedit, nihil certè præter panem discipuli manducarunt. Hæc Caluini vestri blasphemia est. &c. Quo te cunque vertas, negare non potes, quin alio modo Caluinus Christum in cœna præsentem credat, quàm Apostoli crediderunt. Ille enim præsentem credit, non quòd in terris sit, sed quòd nos ad eum in cælum euehamur. Apostoli verò nihil sanè minus, quàm se in cælum euehi crediderunt, vt Christi præsentia potirentur.*

WHITAKERVS.

11 Quin panem Christus in manus acceperit, negare

negare non potes: restat vt num eundem panem discipulis suis præbuerit, videamus. Quorsum autem panem in manus sumpsit, nisi vt panem discipulis daret? Panem (inquis) ostendit, sed panem tamen non dedit. Verùm quomodo quod panis fuit, cùm illud Christus acciperet, non erat panis, cùm discipulis suis daret? Nempe hæc mirifica illa vis est transubstantiationis, quæ panem arcano quodam modo in Christi corpus mutauit. Iam ergo duplicem, vel potiùs multiplicem Christum cogitemus oportet, vnum sedentem in medio discipulorum, quem illi omnes & videbant & audiebant, alterum in illa panis imagine latentem, qui primò non nisi vnus fuit, repentè in multos euasit, cùm primùm illud spectrum panis frangi ac distribui cæpit. Quæque enim particula suum Christum habuit, non alium, quàm eum ipsum, quem coràm discipuli intuebantur. Sic decumbentem in mensa Christum discipuli omnes accipiebant, dentibus premebant, comedebant. Hæc Pontificiorum mystica Theologia est: qua nihil aut insulsius, aut immanius fingi potuit. Sed quemadmodum panis mutatus sit, nondũ accepimus. Si enim nullis verbis mutari panis potuit, nisi his, *Hoc est corpus meum*, non tum mutatus fuit, quando Christus discipulis suis hoc quicquid est, tradidit. Panem enim antè discipulis porrexerat, quàm verbum vllum de suo corpore faceret, quemadmodum ex omnibus Euangelistis, atque ex Paulo perspicuè constat. Aut ergo panem dedit, aut alijs *Matt.26.26* *1.Cor.11.24*

verbis panem, quàm his, *Hoc est corpus meum*, transsubstantiauit: quod ipse videris, an sit vllo modo statuendum. Est enim ex verborum ratione, & perpetua rei gestæ narratione manifestum, postquam dedisset discipulis panem Christus, tum demum in illa verba prorupisse, *Hoc est corpus meum*, quibus solis pontificij transsubstantiationẽ tribuunt. Quare cùm datum esse discipulis panem negas, transsubstantiatum esse panem affirmas, antequam illa transsubstantiationis *operatoria* verba prolata omnino sunt. Hinc aliqui mutatum fuisse panem Christi benedictione tradunt, atque hanc præclaram verborum interpretationem constituunt. Accepit Christus (inquiunt) verum panem: benedixit, hoc est, vt illi exponunt, panem sustulit, & suum corpus substituit: fregit, accidentia: dedit, panis accidentia & corpus suum. Tam diuinos se nobis pontificij Theologi scripturarum interpretes præbent. Sed cùm omnia ista, *Accepit, benedixit, fregit, dedit*, nomen nullum nisi τὸν ἄρτον respiciant, non dubium est, quin quàm verè Christus panem accepit, tam verè etiam panem discipulis dederit. Et Paulus panem toties non vocasset, nisi verè panis extitisset. Cyrillus, (vt alios prætermittam) apertè scribit, *Credentibus discipulis fragmenta panis dedit.* Et idem alibi: *Fractum panem distribuebat, dicens, Hoc est corpus meum.* Nunc satis (opinor) intelligunt omnes, quàm verè vno verbo responderis, Christum accepisse quidem panem, sed discipulis non dedisse. Quum ergo

Cyril. in Ioan. lib. 4. cap. 24.

Idem in Ioa. lib. 12. c. 58.

panem

panem Christus, quem discipulis suis dedit, corpus suum esse dicat, panis autem corpus Christi sine tropo dici nequeat, in verbis illis inesse tropum necessariò efficitur.

At, inquis, si panem dedit, tum illa ἐυλογία, Hoc est corpus meum, inanis fuit. Id verò minimè sequitur: nisi omnes ἐυλογίαι, inanes sunt, quæ rerum naturas minimè mutant. Quomodo ergo Deus primis parentibus nostris, & Nohæ eiusque filijs, & suis Apostolis in cælum ascensurus Christus benedixit? Erantné hæ inanes ἐυλογίαι, quia nullam transubstantiationem, qualem pontificij fingunt, efficiebant? Quare illa Christi ἐυλογία vim suam atque efficacitatem retinet, vt nulla interim panis in Christi corpus conuersio somnietur. Sed hæc ἐυλογία nihil aliud fuit, quàm ἐυχαριστία, quemadmodum ex Luca, & Paulo perspicuum est: eaq; non his verbis, *Hoc est copus meum*, sed alijs antè facta est. Cùm primùm enim accepit panem, mox *benedixit*, id est, vt ipse spiritus sanctus interpretatur, *gratias egit*, at post hanc ἐυλογίαν atque ἐυχαριστίαν panem fregit, & dedit discipulis, & tum demum dixit, *Hoc est corpus meum*. Itaq; cùm Christi ἐυλογίαν in his verbis statuis, Hoc est corpus meum, verbis ipsis manum violentam affers. Sed hoc tibi fingendum fuit ne sine benedictione vestram transubstantiationem fieri putemus: atque vt illam sacrificorum ἐπῳδὴν, & tacitam quinque verborum demurmurationem pro benedictione intelligamus, qualem certè Christus benedictionem nullam vnquam instituit. verùm hanc ἐυλογίαν tuę vim

Gen.1.28.
Gen.9.1.
Luc.24.51.

Ambr. de ijs qui initiantur myst. cap. 9.

Ambrosij testimonio confirmas: quanquam Ambrosius panem in Christi ipsummet corpus transubstantiari aliqua horum verborum ἐνάργεια nunquam affirmauit. Naturam mutari benedictione scribit, quia qui antè erat communis panis, diuina voluntate ac benedictione sacramentum corporis Christi efficitur. Accedunt enim nouæ proprietates, quibus ille panis antè caruit, vt meritò dicas huius panis naturam mutatã esse. Nam naturæ nomine non ipsam panis substantiã significari ex ipso Ambrosio in eodẽ loco colligimus, Sic enim subiungit, *nónne valebit Christi sermo, vt species mutet elementorum?* Vt panis species, sic etiam natura mutatur. Speciem autem ipsam panis videmus remanere, atque id vestra transubstantiatio omnino postulat.

Sed hîc, quod sæpe facis in Caluinianos vehementer incurris, nempe vt ij solent, qui in stimulos impingunt. Nos id minimè dicimus, quod tu de Caluinianis affirmas, nihil Christum discipulis suis nisi panem dedisse. Non enim sequitur, Christus dedit panem discipulis suis, ergo præter panem nihil dedit. Et dedisse nihil discipulis, nisi quod in manibus habebat, assumis, sed non probas. Habebat enim in manibus quidem panem, quem illi acceptum ore comederunt: sed vnà seipsum quoque dedit, & illum discipuli fide atque animo perceperunt. Sic enim illum panem discipuli sumpserunt, vt fide multò magis Christum, quàm ore panem acceperint. Qui diploma tradit alteri, quo illum fundi hæreditate donat, etsi

etsi manu nihil nisi illud diploma tenet, tamen præter chartam aliquid (opinor) tradit. Quare hæc non Caluini blasphemia, sed tua inscitia est. Id verò quod de Apostolis subiungis, malè quidem concluditur: Apostoli in cœna non putabant se euehi in cælum, vt Christi præsentia fruerentur: ergo nobis non est necesse euehi in cęlum, vt Christi præsentia potiamur. Quasi Christus nunquam in cælos ascenderit, aut quasi nobis in cœna Christus, vt tunc illis, assideat. Habebant Apostoli præsentem Christum, quamobrem vt illum longiùs quærerent, nulla causa fuit. At nunc in cælum Christus abijt, nec ante finem mundi reuertetur, si Angelorum verbis ac testimonio credemus: ergo ibi Christum quærere oportet, vbi nunc ille residet. At verò si Apostoli aliquid de *reali* præsentia Christi in pane accepissent, & se Christum in pane perpetuò præsentem habituros credidissent, nunquam de Christi discessu atque absentia tam soliciti fuissent, nec opus tam prolixa consolatione habuissent, nec Christus eùm illos multis argumentis confirmandos putaret, hoc vnum, quod omnium instar esse potuit, prætermisisset.

DVRAEVS, Fol. 52.

Profers Pauli verba, quibus illum ais panis nomen Eucharistiæ tribuisse. 1.*Cor.*11. Quotiescunque manducabitis panem hunc, &c. *Sed quis non videt, non de vulgari pane Apostolũ esse loquutũ, sed de eo, de quo Christus ipse,* Ego sum panis viuus, qui de cælo descẽdi. *Ipse seipsum explicans, vnũ* (inquit) *corpus* Ioan. 6.

& vnus

& vnus panis sumus omnes, qui de vno pane, & vno calice participamus. Quo loco panis nomen ad corpus significandum ita transfertur, vt Paulo idem sit vnum corpus fieri, quod vnum panem.

WHITAKERVS.

12 Verbum Christi optimus interpres Paulus ita nullam panis Transsubstantiationẽ agnoscit, vt panis nomen sæpius in vno loco repetat, quod non fecisset, si nullum panem in Eucharistia reliquum esse statuisset. Respondes Apostolum de Christo, qui viuus panis est loquutũ esse: in quo palàm à reliquis pontificijs discedis, qui panem ideo dici scribunt, quia fuit ante consecrationem panis, & adhuc quoque formam panis retinet. Tu cùm hoc infirmum esse perspiceres, vt quod panis non est, panis toties appelletur, de Christo potiùs ipso hoc intelligendum esse putas, qui quidem verus est & viuus panis. Sed hoc sophisma, vide (quæso) quàm facilè refellatur. Primùm non negabis, quin dominus ea nocte, qua traditus est, acceperit panem. Hic ergo panem propriè sumi concedes. Tum quando pani poculum respondet, non de Christo, sed de sacramento Christi loqui Apostolum constat. Nam si panis est ipsum corpus Christi, tum poculum est sanguis Christi, quod minimè affirmabis. Sed hoc commentum illa verba clarissimè euertunt, quando Apostolus ait, *Panis quem frangimus, nonné est communio corporis Christi?* Christus non frangitur: at iste panis, de quo Apostolus loquutus est, frangitur: hic ergo panis

Thom. in 1. Cor. 10. lect. 4.

1. Cor. 10. 16

non

non est Christus ipse. Quando autem Paulus ait, vnum corpus & vnum panem fieri quotquot de vno pane participamus, ex eóne concludes panem illum esse Christum? Non enim Apostolus ait, hunc panem esse corpus Christi, sed nos vnum panem, vnumq; corpus effici, qui sumus vnius panis participes. In quo nostram inter nos summam κοινωνίαν declarare voluit. Quis verò sic te differentem non explodat? Nos sumus vnus panis, & vnum corpus, id est, arctissima communione inter nos ipsi omnes coniungimur, qui de vno pane participamus: ergo panis apud Paulum non sacramentum, sed ipsum Christum significat. Atque hîc contra Transubstantiationem argumentum nobis suppeditatur. Si enim nullus panis remanet, cuius nos participes simus, quo tandem modo nos vnius panis communicatione vnus panis & vnum corpus efficimur?

DVRAEVS, Fol. 52.53.

Insigne miraculum in Eucharistia Campianus agnoscit: Tu contrà, Insigne (*inquis*) miraculum non agnosco: & tibi cum Augustino respondeo, honorem tanquam religiosa habere possunt, stuporem tanquam mira non possunt. *Augustinus eo loco, mira vocat, quæ ex corporea materia præter naturalem rerum cursum atque ordinem ad quidpiam sensibus nuntiandum diuinitus adhibentur. Si de huius mysterij sublimitate ac miraculi magnitudine Augustini sententiam audire desideras, vel ipsum quem citasti librum consule, De Trinit. li. 3. ca. 4.* Non enim (*inquit*) sanctificatur vt sit tam magnum sacramentum, nisi operante spiritu Dei. *Iustinus Martyr in Apol.* Eodem verbo Domini incarnatum Christum, & panem fieri carnem

Christi

Christi *scribit. Cyrillus Hierosolymitanus, Catech. 5. myst.* Aquã (*inquit*) aliquando mutauit in vinum, & non erit dignus cui credamus, quòd vinum in sanguinem transmutauit? *Cyprian. serm. de Cana,* Ineffabiliter effundi, *ait*, diuinam essentiam, & omnipotentia verbi factam carnem profitetur. *Chrysostom. Hom. 83. in Matthæ.* Non sunt (*inquit*) virtutis humanæ hæc opera, quæ fecit Christus in cœna.

WHITAKERVS.

13 Esse aliquiod in cœna miraculum nunquam certè demonstrari potuit, quod tamẽ summum & omnium maximum esse debuit, si ex pane Christus totus fieret. Cum hoc miraculo, si quod omnino eiusmodi esset, non omnia quæcunque miracula in rerum natura extiterunt, cóferenda erant. Maius enim miraculum est ex pane Deum fieri, quàm ex nihilo mundum creari: & transubstantiationis non vnum est, sed multa, & pene infinita miracula. Posito enim semel hoc Transsubstantiationis figmento, nihil sine miraculis saluum esse potest. Sed ista in sacramentis miracula comminisci, de quibus nihil aut scriptura docuit, aut sensus miraculorum testis suspicari potuit, est sacramentis ad excercendas præstigias abuti, & æternas naturæ leges ab ipso Deo constitutas violare, & Christum ipsum maximis contumelijs afficere. Augustinus quidem honorem huic sacramento religiosum tribuit, mirum in eo nihil, quod stuporem mereatur, agnoscit: quod ille nunquam scripsisset, si tam

August. de Trinit. lib. 3 ca. 10.

multa

multa hîc esse mira, & stupenda, & miracula sensisset, quàm multa transubstantiationem necessariò consequuntur. Augustinum ais de huiusmodi miris loqui: *quæ ex corporea materia fiunt, & sensibus aliquid nunciant. Tale nihil* (inquis) *in Eucharistia cernitur*. Non fuit Augustino necessarium vt nullum in Eucharistia sentiri miraculum commoneret. Id enim sensus ipse testatur & panem & vinum in sua propriaq; natura remanere: nec vlla vel leuissima miraculi cuiusquam similitudo apparet. At miracula si vera sunt, in ipsos sensus incurrunt, & sensuum certissimo testimonio comprobantur, qualia ea omnia sunt, quæ in scripturis commemorantur. Itaque Augustinus scribit, *Miraculum voco quicquid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet*. Cùm ergo nullum in Transubstantiatione miraculum appareat, nullum in ea miraculum esse sequitur, quandoquidem quæ occulta sunt, miracula non sunt, vt verè tradit Augustinus. Proinde cùm de scripturæ mirabilibus libros tres conscriberet, de hoc sanè inaudito miraculo nullum verbum fecit, quod tamẽ meritò fuit propter magnitudinem suam in summis ac præcipuis numerandum. Ex quo facilè intelligi potest, Hoc transubstantiationis miraculum pontificium Augustino ignotum fuisse. Quod etiam de Nazianzeno constat, qui quando Christi miracula recenset, hoc miraculum prætermittit.

August. de vtilit. credendi, c. 16.

Sed hîc mihi & Augustinũ ipsum, & alios nõnullos obijcis antiquos Patres, quos tamen nosti nihil

nihil vnquam de Transſubſtantiatione ſcriptis prodidiſſe. Scribunt illi quidem de hoc ſacramento magnificè, atque honorificè, & nonnunquam miraculorum mentionem faciunt. Sed quale hoc tuum argumentum erit, Sunt in hoc ſacramento miracula: ergo eſt hîc Transſubſtantiationis miraculum? quaſi nullum ſine Transſubſtantiatione miraculum eſſe poſſit. Ita enim ſæpe etiam Patres Baptiſmi miracula ingẽtia prędicant, in quo tamen nullam Transſubſtantiationem ſtatuunt. Miraculum enim Patres impropriè vocant, quod noſtram opinionem ſuperat: cuiuſmodi eſt, vt qui ad ſacramentum hoc ſumendum accedunt, quemadmodum Chriſtus præſcripſit, vnà cum pane & vino, quæ ore corporis accipiuntur, corpus etiam ac ſanguinem Chriſti animo ſuo percipiant, & quaſi ſubuecti in cælum diuino vitæ cibo potiantur. Quis negare poteſt, hanc rem maximam eſſe, & naturæ viribus longè ſuperiorem? Tum externis iſtis creaturis vſum eſſe ſpiritum ſanctum, quibus nos intus ad æternam vitam confirmaret, ſummam admirationem meretur. Ita vides aliquid in cœna miraculi eſſe poſſe, vt omnem interim Transſubſtantiationem penitus excludamus. Sed quanquam hæc interdum miracula vocantur, propriè tamen miracula non ſunt, & talia Patres in Euãgelij annunciatione, atque in Baptiſmo miracula agnoſcunt, ne putes huiuſmodi miracula in Cœna ſola reperiri. Sed Auguſtinus (inquis) ſcribit, *Non ſanctificari, vt ſit tam magnum ſacramentum, niſi operante inuiſibiliter ſpiritu ſancto.*

Spiri-

Spiritus sancti inuisibilem ἐνέργειαν audio, miraculum nullum video. Iustinus autem vehementiùs, *Eodem, inquit, verbo Domini incarnatum esse Christum, & panem fieri carnem Christi.* Agnosco, & panem mysticè ac sacramentaliter fieri carnem Christi concedo. Transsubstantiationem autem omnem his Iustini verbis euersam esse planè perspicio. Si enim panis fit caro Christi, quemadmodum Christus est in vtero virginis incarnatus, tum id sine omni Transsubstantiatione fit. Nam verbum non fuit in carnem transsubstantiatum: quare nec panis transubstantiatur in carnem Christi. Vtrumque autem effectum est Dei verbo, vt & Christus in vtero matris carnem sumeret, & panis iste caro Christi, hoc est, carnis Christi sacramentum fieret. Cyrilli eadem etiam est sententia, vinum non esse commune & vulgare quod sumis, sed sanguinis Christi verum sacramentum: sic enim scribit, μὴ πρόσεχε οὖν ὡς ψιλοῖς τῷ ἄρτῳ καὶ τῷ οἴνῳ: in quo iubet vt de hoc pane ac vino non tanquam nudo ac simplice, cuiusmodi antè fuit, sed multò augustiùs cogitemus: & nos gustare ait non panem ac vinum, id est, panem vinumq; vsitatum, sed antitypon ac symbolum corporis & sanguinis Christi. Cyprianus id docere voluit, verè Christum in hoc sacramento adesse, & verè percipi, atque hunc panem quem pij sumunt, non inanem esse, sed vnà cum hoc pane carnem Christi sumi. Ore autem Christum comedi, aut panem in carnem Christi transsubstantiari palàm in eodem libro negat, quando ait, *Hæc quoties agimus, non dentes ad*

Cyril. Hierosoly. κατηχ. δ. & κατηχ. ε.

nihil vnquam de Transsubstantiatione scriptis prodidisse. Scribunt illi quidem de hoc sacramento magnificè, atque honorificè, & nonnunquam miraculorum mentionem faciunt. Sed quale hoc tuum argumentum erit, Sunt in hoc sacramento miracula: ergo est hîc Transsubstantiationis miraculum? quasi nullum sine Transsubstantiatione miraculum esse possit. Ita enim sæpe etiam Patres Baptismi miracula ingētia prædicant, in quo tamen nullam Transsubstantiationem statuunt. Miraculum enim Patres impropriè vocant, quod nostram opinionem superat: cuiusmodi est, vt qui ad sacramentum hoc sumendum accedunt, quemadmodum Christus præscripsit, vnà cum pane & vino, quæ ore corporis accipiuntur, corpus etiam ac sanguinem Christi animo suo percipiant, & quasi subuecti in cælum diuino vitæ cibo potiantur. Quis negare potest, hanc rem maximam esse, & naturæ viribus longè superiorem? Tum externis istis creaturis vsum esse spiritum sanctum, quibus nos intus ad æternam vitam confirmaret, summam admirationem meretur. Ita vides aliquid in cœna miraculi esse posse, vt omnem interim Transsubstantiationem penitus excludamus. Sed quāquam hæc interdum miracula vocantur, propriè tamen miracula non sunt, & talia Patres in Euāgelij annunciatione, atque in Baptismo miracula agnoscunt, ne putes huiusmodi miracula in Cœna sola reperiri. Sed Augustinus (inquis) scribit, *Non sanctificari, vt sit tam magnum sacramentum, nisi operante inuisibiliter spiritu sancto.*

Spiri-

Spiritus sancti inuisibilem ἐνέργειαν audio, miraculum nullum video. Iustinus autem vehementiùs, *Eodem*, inquit, *verbo Domini incarnatum esse Christum, & panem fieri carnem Christi.* Agnosco, & panem mysticè ac sacramentaliter fieri carnem Christi concedo. Transsubstantiationem autem omnem his Iustini verbis euersam esse planè perspicio. Si enim panis fit caro Christi, quemadmodum Christus est in vtero virginis incarnatus, tum id sine omni Transsubstantiatione fit. Nam verbum non fuit in carnem transsubstantiatum: quare nec panis transubstantiatur in carnem Christi. Vtrumque autem effectum est Dei verbo, vt & Christus in vtero matris carnem sumeret, & panis iste caro Christi, hoc est, carnis Christi sacramentum fieret. Cyrilli eadem etiam est sententia, vinum non esse commune & vulgare quod sumis, sed sanguinis Christi verum sacramentum: sic enim scribit, μὴ πρόσεχε οὖν ὡς ψιλοῖς τῷ ἄρτῳ καὶ τῷ οἴνῳ: in quo iubet vt de hoc pane ac vino non tanquam nudo ac simplice, cuiusmodi antè fuit, sed multò augustiùs cogitemus: & nos gustare ait non panem ac vinum, id est, panem vinumq; vsitatum, sed antitypon ac symbolum corporis & sanguinis Christi. Cyprianus id docere voluit, verè Christum in hoc sacramento adesse, & verè percipi, atque hunc panem quem pij sumunt, non inanem esse, sed vnà cum hoc pane carnem Christi sumi. Ore autem Christum comedi, aut panem in carnem Christi transsubstantiari palàm in eodem libro negat, quando ait, *Hæc quoties agimus, non dentes ad*

Cyril. Hieroso-soly. κατηχ. δ. & κατηχ. ε.

Cyprian. in serm. de cœna Domini. *tes ad manducandum acuimus: sed fide syncera panem sanctum frangimus, & partimur.* Chrysostomus meritò dixit, opera hæc, quæ fiunt in cœna, non esse humana: sed quid hoc ad miraculum? Nam quicquid Christus diuinitus facit, id non est necesse vt pro miraculo habeamus. Ita cùm multa non modò in cœna, sed in Baptismo, & in quotidiano verbi ministerio diuina agnosco, tum miraculum nullum perspicio, & rerum naturas integras manere sentio, & Transsubstantiationi nihil simile reperio.

DVRAEVS, Fol. 53.

Illud etiam ignorantiam egregiè tuam demonstrat, quòd fingere nos ais Corpus Christi non à pijs tantùm, sed ab ipsis etiam sceleratissimis hominibus sumi posse. Non hoc nos dicimus, sed scriptura testatur, Patres docuerunt, & ipsa sacramenti ratio exigit.
1. Cor. 11. *Quid apertius, quàm quod Paulus ait,* Quicunque manducauerit panem hunc, &c. *Quod Augustinum minimè latuit, cùm ait,* Corpus & sanguis Domini nihilominus illis erat, quibus dicebat Apostolus, qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, *lib. 5. contra Donat. ca. 8. Et rursum,* Nam & Iudas proditor bonum corpus, & Simon Magus bonum baptisma accepit, *lib. contra Fulgentium Donat. cap. 6. Sed hæc (vt video) fidei vestræ summa est: si vultis, Christi vobis corpus est: si non vultis, non est.*

WHITAKERVS.

14 Non hoc meam ignorantiam arguit, quòd Christi corpus ab impijs minimè sumi defendã, sed vestram summam impietatem ostendit, qui Christi sanctam, & salutarem, & vitæ effectricem

carnem

[ca]rnem à Satanæ mancipijs mandi comedique
[p]osse affirmatis. Hoc nunquam scriptura do-
[cu]it, hoc nunquam Patres tradiderunt, hoc ra-
[ti]o, sensus, pietas auersatur. Quòd Paulum ad-
[du]cis, malè tibi ipse consulis. Non enim Pau-
[lu]s hoc ait, Qui manducauerit corpus Christi,
[se]d qui ederit panem hunc, & biberit poculum
[D]omini indignè, reum fore corporis & sangui- 1.Cor.11.
[ni]s Domini: Neque ait, qui panem edit indignè, 27.29.
[D]omini corpus edere, sed iudicium sibi edere.
[E]t qui Christum edit, eum propter Christum, &
[pe]r Christum viuere perpetuò necesse est. Sed
[ins]tas. Qui neque corpus edit, neque sangui-
[ne]m bibit, non potest esse reus vtriusque. Hoc
[i]n tibi restabat demonstrandum, quod quia ni-
[mi]s laboriosum fuit, consultò prętermittis. Quis
[eni]m nescit, qui principis imaginem indignius
[tra]ctarit, aut literas discerpserit, aut sigillum ad-
[ult]erarit, reum esse læsæ maiestatis, quantumuis
[ips]am principis personam nunquam attigerit? Sic
[de] profanis hominibus Apostolus scribit, illos
[co]nculcare filium Dei, & sanguinē fœderis pro-
[fan]um ducere, & spiritum gratiæ contumelia af-
[fice]re. Et tamen isti nunquam aut filium Dei, Heb.10.29.
[aut] sanguinem fœderis, aut spiritum sanctum
[per]ceperunt. Ita qui prolabuntur, eos Apostolus
[e]adem Epistola affirmat Christum denuò cru- Heb.6.6.
[cifi]gere, quem tamē illi ne quidē vnquā viderūt.
[I]nde est, quod eodē in capite Paulus tradit,
[vir]i esse imaginem & gloriā Dei, eamq; ob cau- 1.Cor.11.7
[sa]ō debere caput suū velare, ex quo sequitur si
[q]ut velarit, domini gloriā ab eo esse imminutā.

Ad illa autem Augustini duo testimonia respon-
deo, sacramentum esse corpus & sanguinem Do-
mini, quia est corporis & sãguinis Dominici my-
sterium : & Iudam bonum corpus accepisse, sa-
cramento tenus, quia sacramentum boni cor-
poris accepit, quod semper est sacramentu[m]
corporis, & proinde ipsum corpus, quoad
Deum attinet, qui semper rem cum signo offer[t],
etsi non quoad ipsum Iudam, qui signum sine r[e]
accepit. Quare Iudam Augustinus alibi no[n]
Dominum ipsum, sed panem Domini edisse sc[ri]-
bit. *Illi manducabant* (inquit) *panem Domin[um],*
ille panem Domini contra Dominum. Atque h[æc]
Augustini perpetua sententia fuit, impios ips[i]
Christi carnem non aliter percipere, quàm q[uod]
huius carnis sacramentum duntaxat accipi[unt].
Itaque apud Gratianum ait, *Non tantùm in sa-*
cramento sumens, quod mali faciunt, sed vsque
spiritus participationem, vt in corpore Domini ta[n]-
quam membrum maneat. Et in alio loco: *N[on]*
dicendum eum manducare corpus Christi, qui in cor-
pore non est Christi. Et pòst, *Nec isti ergo dice[ndi]*
sunt manducare corpus Christi, quoniam nec in me[m]-
bris computandi sunt Christi. Si ergo mali corp[us]
Christi verè comedunt, alterum horum necess[e]
est consequatur, vt vel hoc Christi corpus v[ita]
sua careat, vel impijs verè vitam præbeat.
Vtrumque autem nefandum est & valdè hæ[re]-
ticum: ergo Christi corpus mali verè non co-
medunt.

August. in Ioan. Tra-ctat. 19.

De Consecr. dist. 2. ca. credere.

August. de ciuit. li. 21. ca. 25.

Quomodo tum (inquis) huius corporis re[i]
sunt quod non accipiunt? dupliciter quide[m]
primùm

imum, quia ſacramento corporis Chriſti ab-
untur: deinde quia corpus Chriſti, quod illis
hriſtus in hoc ſacramento offert comeden-
m, non comedunt, ſed ſumma ingratitudi-
ac perfidia reſpuunt atque reijciunt. Reos eſſe
rporis & ſanguinis Domini Ambroſius ſcitè
erpretatur, *pœnas dare mortis Domini:* quod
e Tranſſubſtantiatione fieri ſanè poteſt. Et
guſtinus, *Tantæ rei ſacramentum ad iudicium
i manducat & bibit, quia immundus præſumpſit ad
riſti accedere ſacramenta, quæ aliquis non dignè
it, niſi qui mundus eſt.* Summa ergo fidei no-
æ non illa eſt, quam tu commemoras, *Si vo-
mus, eſt corpus, ſi nolumus non eſt corpus:* ſed eſt
rpus, nos ſeu velimus, ſeu nolimus. Hæc po-
s ſacrificorum veſtrorum fides eſt, qui verè
idem affirmare poſſunt, ſi modò vera ſunt quæ
s docetis, ſi volumus, erit mox corpus Chriſti,
olumus, non erit. Si enim volunt conſecra-
& hunc animum habent, eſt corpus Chriſti:
on attendunt, & fortè de rebus alijs cogitant,
n nihil minus eſt quàm corpus Chriſti. Et ſit
vel non ſit corpus Chriſti, nullus præter ip-
n ſacrificum, qui ſolus ſuæ voluntatis con-
us eſt, intelligere poteſt. Hæc veſtræ Theo-
giæ ſumma eſſet, quam meritò poſſis amentiæ
nmam appellare.

Ambroſ. in 1. Cor. 11.

Aug. tract. 26. in Ioan.

DVRAEVS, Fol. 54.

De Tertulliano facilè dictu eſt: Hoc eſt corpus meum di-
do, id eſt corporis mei figura. *Docet Tertullianus eundem*

esse veteris nouiq; Testamenti authorem; quod impius ille Marcion negabat: quod vt faceret, quæ in lege Euangelica Christus gessit, eadem Testamenti veteris cum prophetijs prædicta, figuris adumbrata fuisse demonstrat, atque exemplum de pane fert, quem in vetere lege corporis Christi figuram fuisse ait, noua verò ex pane, qui olim figura erat, corpus ipsum esse factum. Hoc sibi Tertullianum voluisse, ipsius verba ostendunt. Quid enim addit, figura non fuisset, nisi veritatis esset corpus: quid ipso aliud, quàm de veteris se Testamenti figura loquutum significat? Aliâs non (fuisset) profectò, sed (esset) dixisset. Et rursum: Cur panem corpus suum appellat, & non magis peponem, non intelligens veterem istam fuisse figuram corporis Christi. *Denique quid apertius, quàm quod paulò post addit,* hic nunc sanguinem suum in vino consecrauit, qui tunc vinum in sanguine figurauit? *Neque iniuria. Si enim in veteri Testamento panis ac vinum Christi corporis ac sanguinis figuræ fuerunt, quis non videt vt huic figuræ in noua lege veritas respondeat, ex pane verum corpus, verumq; ex vino sanguinem confici oportere?*

WHITAKARVS.

15 Tertulliani verba sic illustria atque explicata sunt, vt tibi nihil vnquam difficilius fuisse perspiciam, quàm ea vt posses aliqua responsionis probabilitate eludere. Quanquam quæ hîc respondes, ne probabilia quidem sunt: ita cum Tertulliani argumento atque instituto tua responsio malè cohæret. *Docet* (inquis) *Tertullianus eundem esse veteris nouique Testamenti authorem: id enim Marcion negabat.* Intelligo: & vera quidem sunt, quæ dicis, sed alia etiam vera sunt, quæ non dicis. Marcion enim non modò veteris Testamenti authoritatem sustulit, sed de Christi etiam

corpore

corpore impiè atque hæreticè sensit. Christum enim dixit non verum corpus habuisse, sed tantùm veri corporis simulachrum. Hanc illius hæresin istis verbis Tertullianus refellit, atque id nunc agit, vt Christi corpus non fictum, phantasticum, imaginarium, sed verum, humanum, naturale fuisse doceat. Sic enim ait, *Cæterùm vacua res, quod est phantasma, figuram capere non posset*. Et pòst, *Nullius enim coporis sanguis esse potest, nisi carnis*. Hinc luce clarius apparet Tertullianum hoc loco contra illud phantasma corporis disputare, quod Christo Marcion tribuebat. Argumentum autem sumit sacramento, quod est figura corporis Christi. Hinc enim probat Christum habere verum corpus, quia sacramentum instituit, quod esset corporis sui figura. At figura nulla esse potest rei vacuæ ac phantasticæ, cuiusmodi esse Christi corpus Marcion affirmabat. Sic ipsa verba habent, *Acceptum panem ac distributum discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, id est figura corporis mei: figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. Cæterùm vacua res, quod est phantasma, figuram capere non potest*. Quasi hoc Marcionem syllogismo conficeret, Si Christus in sacramento figuram corporis sui reliquit, tum verum corpus habuit, non phantasticum, quia phantasmatis nulla figura esse potest: At Christus in sacramento reliquit figuram corporis sui, quando dixit, Hoc est corpus meum,

Tertull. contra Marcion. lib. 4.

id eſt figura corporis mei: ergo Chriſtus verum corpus habuit. Hæc Tertulliani verba, hoc argumentum eſt: ex quo panem dici corpus Chriſti, non quia Tranſſubſtantiatur in ipſum Chriſti corpus, vt pontificij contendunt, ſed quia eſt ſacramentum & figura corporis Chriſti, quemadmodum nos veriſſimè docemus, manifeſtum eſt.

Tu nouum ab aliquo magiſtro commentum didiciſti, quo nobis fucum faceres. Tertullianum enim reſpondes non panem illum quem in nouiſſima cœna Chriſtus fecit corpus ſuum, figurã appellare, ſed de alio quodam pane loqui, qui corporis Chriſti figura fuit in vetere lege. Scitè admodum, atque vt decuit non Theologum vulgarem, ſed Ieſuitam. Sed vbi (quæſo) animus, vbi acumen, Duræe, tuum fuit, cùm hæc ſcriberes, quæ tam palàm cum verbis ipſis pugnant? Quis enim ille panis fuit, quem corpus ſuum Chriſtus fecit, & de quo dixit, Hoc eſt corpus meum? Nónè ille ipſe panis, quem eadem nocte, qua traditus eſt, in manus accepit, fregit, diſcipulis tradidit? Et tamen hunc panem Tertullianus figuram appellauit. Aut doce vbi vnquam in vetere lege panem Chriſtus acceperit, eumq; eſſe ſuum corpus dixerit, quod nunquam potes. Equidem non dubito, quin hæc ſcribentem tua te conſcientia conſtrinxerit ac refutarit. Cùm enim ex ipſis verbis conſtat de eodem illo pane loquutum eſſe Tertullianum, quem tunc in cœna Chriſtus accepit, tum id ipſum ex alio etiam loco intelligi poteſt. Sic enim in primo

libro

libro contra Marcionem Tertullianus scribit: *Non reprobauit panem, quo ipsum corpus suum representat.* Sic vides pane non alio, quidem, quàm eo quo nos vtimur in cœna celebranda, ipsum corpus Christi repreſentari, id eſt, hunc panem eſſe (vt hîc loquitur) figuram corporis Christi. Tamen pergis aliquas interpretationis tuæ coniecturas colligere. Aliâs (inquis) dixiſſet, non Fuiſſet, ſed Eſſet. Argutè verò: quaſi hoc tanti ſit, aut quaſi non eſſet facilis verborum ſenſus: Panis ille, quem Chriſtus ſuum corpus eſſe dixit, non fuiſſet figura corporis, niſi corpus verum eſſet. Quod ſubiungis ex Tertulliano, concedo eſſe veriſſimum. Fuit enim panis in vetere lege figura corporis Chriſti. Sed ſi fuit in vetere Teſtamento figura, num proinde in nouo figuram minimè eſſe ſequitur? Quod verò de vino & ſanguine adducis, contra te facit. Iacobi enim de Iuda verba Tertullianus citat, *Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vua amictum ſuum.* Hæc ad Chriſtum accommodat, atque hinc Chriſti carnem & ſanguinem demonſtrat: *Stola & amictus* (inquit) *caro eſt, vinum ſanguis.* Quis negabit tibi, ſi id poſtulas, aut ſi valere aliquid ad cauſam tuam arbitraris, illum ſanguinis vuæ, id eſt, vinum, huius vini aut ſanguinem figuram fuiſſe? Sed hîc nouum argumentum oritur, omnium pulcherrimum, & Duræo noſtro digniſſimum. Si panis ac vinum (inquis) in vetere Teſtamento figura e-

rant corporis ac ſanguinis Chriſti, quis non videt, vt huic figuræ veritas reſpondeat, ex pane verum corpus, & verum ex vino ſanguinem confici oportere? Quod tandem huius connexi vinculum eſſe exiſtimemus? Panis & vinum in vetere Teſtamento figuræ erant corporis ac ſanguinis Chriſti: ergo in nouo Teſtamento (tu nouam legem impropriè vocas) neceſſe eſt ex pane confici verum corpus, & ex vino verum ſanguinem? Id quidem ſequitur, vt figuræ veritas reſpondeat, cùm hæc eſſent in vetere Teſtamento corporis & ſanguinis Chriſti figuræ, vt Chriſtus in nouo Teſtamento verum corpus & verum ſanguinem haberet, quod Tertullianus probare voluit, & ego facilè concedo. Vt verò ex pane corpus, & vino ſanguis fieret, id nulla figuræ & veritatis analogia flagitat. Si enim quia vetera Sacramenta noſtrorum typi ac figuræ erant, idcirco neceſſarium ſit, vt noſtra ſacramenta nullo modo figuræ ſint, ſed in res ipſas, quarum ſunt figuræ Tranſſubſtantientur, tum quia Diluuium, & mare rubrum, & nubes erant noſtri baptiſmi figuræ, ſequetur baptiſmum non eſſe figuram, aut ſymbolum, ſed in ipſum Chriſti ſanguinem conuerti. Id ſanè tua hæc ratio, ſi haberet aliquid rationis, neceſſariò euinceret. Sed cùm ego tibi tam multa de Tertulliano reſponderim, tu mihi nunc viciſſim aliquid etiam reſponde. Panem in ſacramento nullum eſſe ſtatuis: Nam panem Tranſſubſtantiatio extruſit. Quid ergo eſt

quod

quod ſpeciem panis habet? Phantaſma ſcilicet panis remanet, ſed nullum eſſe panem omnino tamen certum eſt. Itáne tandem ais? Et non vides hoc modo Tertulliani argumentum planè euerſum eſſe? Si enim ſacramentum hoc imaginem & ſpeciem panis oſtendit, ſed tamen panis naturam penitus amiſit: quid ni Tertulliano mox Marcion reſponſitarit, Ita Chriſtum phantaſma corporis habuiſſe, ſed corporis tamen vera propriáq; natura caruiſſe? Sic præclarè veſtra Catholica tranſſubſtantiatio cum hæretico Marcionis axiomate congruit.

DVRAEVS, Fol. 55.

Iudam (*inquit Auguſtinus*) adhibuit ad conuiuium, in quo corporis & ſanguinis ſui figuram diſcipulis commendauit. *Quis hoc Catholicus negat? Aut quis non intelligit figuræ nomine ſacramentum ſignificari? Quàm verò ridiculum illud eſt: quia figuram, ſiue ſacramentum corporis & ſanguinis ſui dedit, corpus ipſum ac ſanguinem non dediſſe? Cùm D. Auguſtinus de eodem Iuda alio in loco ſermonem faciens,* toleraſſe dicat Chriſtum Iudam inter innocentes diſcipulos ſumere, quod norunt Chriſtiani pretium noſtrum. Epiſt. 162.

WHITAKERVS.

16 In Auguſtino iterum coactus es, quemadmodum in Tertulliano fuiſti, vetera tuorum commenta relinquere, noua excogitare. Panẽ & vinum Auguſtinus corporis ac ſanguinis Chriſti figuram diſertè vocat. Quid dici illuſtrius potuit? Aut quis nobis vitio vertat, ſi ſacramentum cum Auguſtino figurã appellemus? Si enim Auguſtinus pani & vino Euchariſtico figuræ nomen *Auguſt. Pſa. 3.*

rectè

rectè vereq; tribuit, cur nobis non licebit in illis Christi verbis figuram statuere, & panem corporis, vinum sanguinis Christi figuram cum Augustino nuncupare? Aut ergo huius sermonis vsuram nobis concede, aut Augustinum malè loquutum esse conuince. *Sed Augustinus* (inquis) *figuræ nomine sacramentum significauit*. Etsi Christum dedisse discipulis sacramentum fateor, tamen Augustinus non sacramenti, sed figuræ vocabulum vsurpauit. Quanquam enim omne sacramentum est figura, tamen non omnes figuræ sunt sacramenta. Cùm autem nulla figura sit res ipsa, cuius est figura, (sic enim inter figuram & rem nihil interesset, & Relatorum natura ac discrimen tolleretur) panem non esse corpus Christi propriè, nec vinum sanguinem manifestum est. Iam si transsubstantiationem admittimus, nec figuram Christus, nec sacramentum discipulis dedit. Eruntné enim Duræe, illa spectra panis & vini aut figuræ, aut sacramenti nomine censenda? At inter figuram seu sacramentum, & rem ipsam cuius est figura vel sacramentum, aliqua saltem intercedere similitudo debet, quemadmodum docet Augustinus. Illa verò accidentia nihil habere possunt Christo simile. Ita vel corpus ipsum erit figura sui ipsius (quod tamen nimis absurdum esse natura ratioq; clamat, & figura esse non potest, quæ nusquam apparet) vel nullam Christus discipulis suis figuram in illo conuiuio tradidit. Quare necesse est, vt panem ac vinum dici ab Augustino corporis & sanguinis Christi figuram fateamur. Nec tamen dedisse

etiam

etiam discipulis Christum corpus & sanguinem suum negamus, & nunc etiam dare ijs minimè dubitamus, qui harum rerum sacramentum vera fide percipiunt. Quòd autem Augustinus Iudam ait pretium nostrum sumpsisse, quis vnquam tam improbus fuit syllabarum auceps, vt id quēadmodum diceretur, non attenderit? Si enim huius pretij Iudas verè particeps fuisset, huius certè pretij beneficium nunquam amisisset. Sed pretium nostrum vocat Augustinus figuratè, quòd est pretij nostri sacramentum. Sic enim in eodem loco scribit, *Et tamen primum sacramentum corporis & sanguinis sui, nondum illo excluso, communiter omnibus dedit.* August. Epist. 162.

DVRAEVS, Fol. 55.

Alium deinde Augustini locum profers: Non enim dubitauit Dominus dicere (*inquit Augustinus*) Hoc est corpus meum, cùm signum siue sacramentum daret corporis sui. *Cùm Manichæi varijs de causis vetus Testamentum reijcerent, atque inter alias illam etiam afferrent, quòd sanguinem Moses animam appellasset: acutè Augustinus respondet, præceptum illud in signo positum esse, quòd sanguis nimirum, etsi propriè anima non sit, signum tamen animæ intus latentis existat: quemadmodum & ipsum corporis Christi sacramentum, quod sensibus nostris obijcitur, corpus Christi appellatur, quia corporis Christi, quod continet, signum est. Vides, quemadmodum anima sanguine continetur, ita Augustinum sacramento Christi corpus verè contineri credidisse. Illud etiam te fallit, quod Augustinus nouæ legis sacramenta, non nuda & inania signa, vt existimas, esse putauit, sed quæ res ipsas, quarum signa sunt, verè contineant.*

WHITAKERVS.

17 Si quando Dominus dixit, Hoc est corpus

pus meum, signum corporis sui intellexit, quemadmodum perspicuè scribit Augustinus, tum figuratè loquutum esse Dominum constat, quod nos quia dicimus, à vobis sine causa reprehendimur. Si enim id suum corpus Dominus vocauit, quod sui corporis signum fuit, inesse in verbis Tropum nulla ratio negabit. Nunc quid Augustino respondeas excutiamus. Rem illi cum Manichæis fuisse satis manifestum est, à quibus illa veteris Testamenti sententia, *sanguis est anima pecoris*, improbata fuit. Hanc illorum calumniam Augustinus diluit, atque hæc verba figuratè accipienda esse ostendit, vt sanguis anima dicatur, non quia ipsa anima sit, sed quia sit animæ signum. Ita enim in nouo Testamento Christum id appellasse corpus suum, quod corporis ipsius signum fuit. Nihil sanè scribi contra transsubstantiationem disertius aut luculentius potuit. Tu sanguinem dici affirmas signum intus latentis animæ, & sic sacramentum esse signum corporis Christi, quod verè sacramento continetur. Num vero pecoris sanguinem comedi vetuit Dominus, dum in illo sanguine anima lateret? Nequaquam certè, nisi in bestiæ mactatæ sanguine aliquam latere occultam animam existimas. Effundi autem in terram sanguinem Dominus iussit, quia est anima pecoris: at in sanguine effuso nulla anima includi aut latêre potest: quare hic sanguis pecoris, de quo Dominus hanc legem tulit, non potest esse latentis in eo animæ signum, cùm animam prorsus nullam habeat.

August. contra Adimãtum. cap. 12.

beat. Siccine verò ineptum ac imperitum fuisse Augustinum censes, quem tamen acutè respondisse dicis, vt sanguinem pecoris in vasculo inclusum quandam continere latentem animam existimaret? Sic ista vides in suum caput reuolui. Anima nulla latet in sanguine pecoris effuso, ac proinde nullum in sacramento corpus continetur: Sanguis est signum animæ, quæ in eo minimè latet, ergo sacramentum est signum corporis Christi, quod in eo tamen minimè continetur. Atque vt latêre quandam animam fingamus, cuius signum sanguis sit, tamen in istam animam transsubstantiari sanguinem nequaquam affirmabis. At in sacramento non modò latêre Christi corpus, sed ipsum sacramentum in corpus Christi transsubstantiari statuis. Ita nihil in responsione tua cohæret. Quodnam autem illud sacramentum est, quod sensibus obiectum esse dicis? Si panem & vinum intelligis, transsubstantiationem tollis. Si tuas in aëre suspensas, atque ab omni materia abstractas harum rerum imagines, nihil fingi putidius aut peruersius potest. Sacramentum enim non est instar spectri, in quo nihil solidi subsit, sed naturam quandam & materiam habere debet. Quòd autem me existimare dicis sacramenta noui Testamenti esse nuda signa, nimis ieiunum est. Neque enim qui transsubstantiationem non agnoscit, noui Testamenti sacramenta nuda facit, nisi etiam non tantùm in cœna,

sed

sed in baptismo etiam & reliquis illis vestris noui Testamenti commentitijs sacramentis transsubstantiationem inesse arbitraris. At hæc ipsa inanissima transsubstantiatio, non modò nudum, sed planè nullum relinquit sacramentum.

DVRAEVS, Fol. 57.

Illud iam sequitur, quod de flagitio ex Augustini libris de doctrina Christiana affers, lib. 3. cap. 16. Si (*inquit Augustinus*) flagitium & facinus videtur iubere, aut beneficentiam vetare, figurata est loquutio. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & sanguinem biberitis, &c. *Equidem hic verba Augustini agnosco, à quorum te sensu longissimè video aberrare, quem tamen ex Augustino discere potuisti in comment. in Psal. 98.* Putauerunt quòd præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, &c. *& tract. 27. in Ioan.* Carnem sic intellexerunt, quo modo in cadauere dilaniatur. *Hoc verò immane facinus esse quis negat? In his verbis, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, tropum in carne & sanguine Caluiniani constituunt. Non carnem Christi manducare, sed laceram ac discerptam (vt Capernaitæ intelligebant) manducare flagitium Augustinus putauit. Integram enim carnem Christi sumere non magis Christiano homini flagitium est, quàm beatæ virgini fuit eam integram concipere, & in vtero suo alere. Et ex Augustino constat tam verè Christianos sanguinem Christi sumere, quàm veterum sacrificiorum sanguinem bibere erat prohibitum. Vide August. q. 57. in Leuiticum.*

WHITAKERVS.

18 Illa Christi verba, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habetis vitam in vobis, figuratè intelligenda esse tradit Augustinus, quandoquidem facinus

August. de doct. Christ. lib. 3. cap. 16.

cinus & flagitium præcipere videantur. Ex quo facilè intelligimus Augustinum nunquam sensisse Christi carnem aliter, quàm fide ac spirituali modo sumi, cùm & in verbis figuram inesse palàm scribat, & sine figura facinus horrendum præcipi confirmet. Tu verò nec figuram agnoscis in præcepto, nec flagitium esse arbitraris Christi carnem quotidie dentibus tuis conficere, atque in ventriculum traijcere, & tamen nihil te ab Augustini sensu putas aberrare. Sed quis non videt transsubstantiatione pontificia non modò figuram excludi, sed illud etiam admitti, quod tanquam flagitium Augustinus auersatur? Respondes non sic comedi carnem Christi, vt particulæ quædam de corpore Christi pręcidantur, quemadmodum Capernaïtæ somniabant. Non enim carnem Christi manducare, sed laceram ac discerptam manducare flagitium putauit Augustinus. De flagitio aliquid respondes, de figura omnino taces. At Augustinus in illis verbis figuram constituit, quæ nulla prorsus esse potuit, si carnem Christi vel totam, vel in partes minutas concisam sumeremus. Quando ergo hanc *figuratam* esse *loquutionem* affirmat, nullum locum vel Capernaïticæ, vel vestræ opinioni relinquit, quæ planè nihil à Capernaïtica differt. Et si immane facinus esset vt tu fateris, particulas de Christi corpore præcidere, nónne multò immanius ac truculentius esse meritò iudicemus totum Christum vno morsu deuorare? Vtrum enim ferum magis & flagitiosum est, Christi carnem particu-

latim exedere, an repentè totam in fauces demittere, nec satis præmansam deglutire? Si ergo illi sunt immanes, qui Christum volunt membratim depascere, multò maior illorum immanitas censenda est, qui membra pariter vniuersa eodem momento consumunt. Et quidem inter Capernaïtas & Pontificios hoc tantùm interest, quòd illi partes aliquas præcidendas putabant, hi nihil omnino præcidunt, sed totum voracissimè in os ventremq; inijciunt. Verùm Augustinus quemadmodum Christi caro comedenda sit, ostendit, quando quid hac figurata loquutione præcipiatur exponit, nempe *passioni Domini esse cõmunicandũ, & suauiter atq; vtiliter recolendũ, quòd pro nobis caro eius crucifixa est*. Ita Christi carnẽ edere Augustino interprete est, Christi passioni communicare, eiusque carnem pro nobis in pretium nostræ redemptionis datam fide accipere. Sic enim Augustinus, *Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, nec bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent: sacramentum aliquod commendaui vobis, spiritualiter intellectum viuificabit vos*. Et alibi, *Christum fas vorari dentibus non est*. Et rursum, *quid paras dentem & ventrem? Crede & manducasti*. Et in alio loco, *Credere in eum, hoc est manducare panem viuum: qui credit manducat, inuisibiliter saginatur, quia inuisibiliter renascitur*. *Est enim* (vt alibi scribit) *non ventris, sed mentis cibus, ad cuius manducationem qui inuitantur*

August. in Psal. 98.

De consecr. dist. 2. c. Vtrum.

Tractat. in Ioan. 25.

Tractat. 26. in Ioan.

uitantur, non ventrem, sed mentem parare iubentur. Sic Chrysostomus, *Carnale est* (inquit) *dubitare, quomodo nobis Christus carnem suam ad manducandum dare possit, cùm hoc sit mysticè, & spiritualiter intelligendum*. Quemadmodum autem olim ista Augustini verba, de quibus nunc contendimus, antiqui authores acceperint, ex Bertramo intelligi potest, cuius liber extat de corpore & sanguine Christi doctus inprimis ac pius: *Cernimus* (inquit) *quòd Augustinus mysteria corporis ac sanguinis Christi sub figura dicit à fidelibus celebrari. Nam carnem illius, sanguinemq; eius sumere carnaliter, non religionis esse dicit, sed facinoris*. Iam ergo si quando Christus ait, Nisi carnem meam ederitis, & sanguinem biberitis, non habebitis vitam, figuratè loquutus est, quique aliter loquutum illum esse intelligit, flagitium ab eo præcipi statuit, hinc & Christi corpus carnaliter nequaquam comedi, & transsubstantiationem horrendi facinoris ac flagitij ream esse constat. Quod autem subiungis Christiano homini non magis flagitium esse integram Christi carnem comedere, quàm virgini beatæ fuit eam integram concipere atque alere, omnem profectò opinionem superat. Perinde est enim ac si dicas, flagitium non est infantem concipere ac parere: ergo eundem in lucem editum deuorare flagitium non est. O te nobilem transsubstantiationis patronum, cui nihilò magis flagitiosum videtur homi-

Chrysost. hom. 46. in Ioan.

Bertramus.

hominem deuorare, quàm hominem generare. Illud verò quòd Caluinianos ais Tropum in carne & ſanguine conſtituere, falſum eſt, quemadmodum tu ipſe quidem noſti, ſi Caluini libros vel leuiter inſpexiſti. Veram enim carnem & verum ſanguinem, non vt tu ais, figuram tantùm iſtarum rerum à nobis percipi minimè dubitamus. Poſtremò, quod ex Auguſtino affers, Chriſti ſanguinem ab omni populo Chriſtiano bibi, libentiſſimè concedo. Sed bibi interim Chriſti ſanguis ſine tranſſubſtantiatione poteſt.

DVRAEVS, Fol. 58.59.

Venio ad Theodoretum: Symbola *(inquit)* myſtica non amittunt propriam naturam. *Quid apertius dici potuit quàm quod à Theodoreto pro noſtra ſententia ſcriptum eſt, corpus ac ſanguinem Chriſti ſub panis ac vini ſymbolis contineri? Eraniſtes.* Sed quid facta ſanctificatione reputas? *Orthodoxus.* Corpus & ſanguis Chriſti. Et creduntur eſſe quæ dicuntur, & tanquam talia adorantur. *Sed tranſſubſtantiationem tibi Theodoretus negare videtur. Hæreticos eo loco refellit, qui humanam Chriſti naturam, in diuinam prorſus fuiſſe mutatam docebant. Et Euchariſtiæ exemplo vtebantur. Quibus Theodoretus reſpondet non ita elementa in Chriſti corpus & ſanguinem abiiſſe, vt non retineat naturales proprietates. Apud Theodoretum naturæ nomine naturales proprietates rei intelligi debent. Si tranſſubſtantiationem Eccleſia tum non crediriſſet, nec Eutychiani rem tam manifeſtè falſam pro argumento attuliſſent, neque Theodoretus reſpondiſſet ſanctificari panem & vinum in carnem & ſanguinem Chriſti, atque μεταστοιχειοῦσθαι, id eſt tranſſubſtantiari.*

WHITA-

WHITAKERVS.

19 Theodoritum habes acerrimum in causa aduersarium, quem aut omnino reijcias, aut mox succumbas oportet. Sic enim palàm huius scripta transsubstantiationi pontificiæ infesta sunt, vt si transsubstantiationem consultò oppugnare statuisset, nunquam tamen insulsum commentum grauiùs affligere & conuellere potuisset. Obieci Campiano breuem ex hoc Patre sententiam, in qua affirmat, *Symbola mystica post sanctificationem non amittere propriã naturam*, quæ transsubstantiationem omnem necessariò euertit. Si enim panis ac vinum naturam propriam retinent, & si in sua propriaque natura persistunt, quo modo tandem in corpus & sanguinem Christi transsubstantiantur? Rem fuisse dicis Theodorito cum Eutychianis, qui humanam Christi naturam dicebant sic in diuinam prorsus abijsse, vt naturales humani corporis proprietates amiserit. Agnosco: & cùm illorum Patronus Eranistes à natura sacramentorum argumẽtum sumeret, id ipsum à Theodorito in hæreticos acutissimè retortum video. Huius autem argumentationis hic exitus est, vt quemadmodum panis mysticus post sanctificationem remanet quidem panis, & naturam pristinam retinet, etiamsi nactus est conditionem meliorem: ita Christi corpus post gloriam ac resurrectionem maneat corpus humanum, quantumuis ad statum gloriæ excellentissimum ascenderit.

Theodorit. dialog. 2.

Naturæ nomine naturales rei ꝓprietates significari respondes, quod quidem satis ad te refellendum valet. Si enim rei proprietates naturales maneant, rem ipsam manere constat. Propria enim adiuncta nunquam possunt à suis subiectis diuelli. Sed tu proprietates intelligis à re ipsa ac substantia secretas, quales in rerum natura nullæ possunt reperiri. Et quidem si quid eiusmodi in Ecclesia illo tempore receptum fuisset, Theodorito hæreticus mox respondisset, Quemadmodum panis post sanctificationem naturales proprietates panis, non naturam ipsam retinet, sic Christum post ascensionem proprietates istas corporis, sed non verum tamen corpus habuisse. Sic semper sunt responsiones tuæ ad hæreticarum partium, quàm Catholicæ religionis defensionem propensiores. Tuas verò has naturales proprietates à sua substantia abstractas & seiunctas nunquam aut Theodoritus, aut quisquam pater Catholicus agnouit, & ipse mox proximis verbis Theodoritus euertit. Sic enim statim scribit, μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας, καὶ τοῦ σχήματος, καὶ τοῦ εἴδους. Si ergo panis mysticus non tantùm in figura sua ac specie, sed etiam in substantia priore remanet, quid nobis proprietates, & qualitates, nescio quas, commemoras, cùm se naturæ nomine Theodoritus non modò istas qualitates, sed ipsam inprimis substantiam intelligere testetur? Et tamen ais nihil dici apertiùs potuisse, quàm quod à Theodorito pro vestra sententia scriptum sit, *Corpus & sanguinem Christi sub panis & vini symbolis contineri*. At hoc nusquam

nusquam scripsit Theodoritus. Profer enim, si potes, aliquem ex omni Theodorito locum, in quo sub panis vinique symbolis corpus ac sanguinem Christi contineri scribat. Nam quòd ait, *Symbola post sanctificationem esse corpus & sanguinem Christi, ac credi quæ dicuntur, & tanquam talia adorari*, ineptus es si id de tua Transsubstantiatione intelligi suspicaris. Fatetur quidem donum in altari positum post sanctificationem esse corpus & sanguinem Christi, nimirum sacramentaliter: & quanquam hæc symbola naturam propriam & priorem substantiam integram retinent, credi tamen esse quæ dicuntur, & adorari tanquam ea, quæ creduntur. Si verò corpus & sanguis Christi omnem symbolorum naturam ac substantiam penitus sustulisset, & corporea quadam ac reali præsentia adesset, tum hic honor non symbolis conueniret, sed ad ipsum corpus Christi pertineret. Sunt quidem symbola sacramentaliter idipsum, quod creduntur, & summo honore ac religione tractari sumique debent, cùm sint Dominici corporis ac sanguinis sacramenta: sed tamen nunquam propriam naturam mutant, aut in corpus & sanguinem Christi conuertuntur. Chrysostomus de mystico pane scribit apertissimè, *Dignus habitus est Dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in illo remanserit*. Id te etiam alio in loco Theodoritus docebit. Sic enim in primo Dialogo habet: *Symbola quæ videntur corporis & sanguinis sui appellatione honorauit, non naturam mutans,*

Chrysost. ad Cæsarium.

Theodor. dial. 1. ἄτρεπτος.

mutans, sed naturæ gratiam addens: atque eò illa Theodoriti disputatio spectat, vt quàm verè panis substantia in Eucharistia manet, tam verè corporis substantiam in Christo remanere confirmet. Aut ergo panis substantiam in sacramento saluam esse concede, aut palàm Christi corpus euerte. Si verò Eutyches aut quisquam alius tam delirus hæreticus symbola in res ipsas mutari credidisset, idne quicquam ad pontificiam hanc Transsubstantiationem nobis probandam valere debuisset? Quid si enim hæretici insaniunt? ergo Transsubstantiationem vetus Ecclesia approbauit? Quid dici futilius potuit, præsertim cùm hoc Eutychianum χῦμμα tanquam insulsum mox Theodoritus repellat atque respuat? Sed hoc contendit Eranistes, quemadmodum symbolũ mutat appellationem, & corpus Christi vocatur, sic Christum non hominem dici, sed Deum oportere. μεθαστοιχειοῦσθαι autem panem & vinum quo tandem in loco scripsit Theodoritus? Nam hic nusquam illud vocabulum reperio.

DVRAEVS, Fol. 60.

Theodoretum Macarius sequitur. In Ecclesia offertur panis & vinum ἀντίτυπα, *id est,* antitypa atque exemplaria carnis & sanguinis Christi. *Antitypon non idem est, quod figura vel τύπος, sed id quod in figuræ locum substituitur.* I. *Pet.* 3. *Sic Patres hoc nomine vsi sunt, vt nobis in nouo Testamento corpus & sanguinem Christi dari ostendant, tanquam ἀντίτυπα pro typis illis, quibus in veteri testamento adumbrabantur: eoq; libentiùs hoc nomine vsi sunt, quòd etsi corpus & sanguinem Christi verissimè in sacramento habemus, tamen tectum & velatum.* Damascenus ait, Non est τύποι panis & vinum corporis & sanguinis Christi

(absit

(*absit enim hoc*) sed est ipsum corpus Domini deificatum. *Et Cyrillus Hierosol. catech.4. ἐν τύπῳ τοῦ ἄρτου datur nobis corpus. hoc est enim habere nos ἀντίτυπα, corpus nempe & sanguinem Christi panis viniq; τύπῳ velata. Imo & Macarius mox addidit, Qui fiunt ἐκ τοῦ φαινομένου ἄρτου, id est,* ex eo qui apparet panis.

WHITAKERVS.

20 Transsubstantiationem vestram Macarius monachus planissimè refellit his verbis, in quibus diluendis admodum ac frustra desudas. Si sunt enim panis & vinum ἀντίτυπα, quemadmodum scribit Macarius, hoc est rerum aliarum exemplaria, tum certè res ipsæ, quarum exemplaria sunt, esse nequeunt. Quid tu nunc excogitare potes, quod illustrissimam huius testimonij lucem obscuret? *Antitypon* (inquis) *non est τύπος, sed id quod in figuræ locum substituitur*. Substitui quidem nonnunquam in τύπου locum ἀντίτυπον fateor: sed tamen ἀντίτυπον nihilò magis res ipsa est, cuius ἀντίτυπον vocatur, quàm τύπος fuit. Ista enim nomina non re diuersa sunt, sed ratione. Nam ἀντίτυπον alteri τύπῳ respondet, & verbum hoc vtrumque non rem ipsam, sed rei figuram atque exemplar significat. Id ex eo loco Petri, quem adducis, discere potuisti. Baptismum enim Petrus aquæ diluuij ἀντίτυπον esse dicit, & tamen non modò illa aqua, sed baptismus etiam figura est, nisi etiam aliquam fortè in baptismo Transsubstantiationem fingis. Ille prior τύπος Ecclesiæ liberationem adumbrauit, sic quoque hic alter τύπος illi per omnia similis & verè ἀντίτυπος eandem Ecclesię liberationem ac sanctificationem significat. Nec sẽper substituitur in τύπου locũ ἀντίτυπον.

Macar. homil.27.

1.Pet.3.21.

Heb. 9. 24. Quando enim tabernaculum Apoſtolus cælorum ἀντίτυπον appellat, quis non videt ἀντίτυπον pro typo ſumi? Sic Nazianzenus Abrahami ſacrificium ἀντίτυπον illius magni vocat. Denique quotieſcunque hoc verbum legitur, non rem ſed rei exemplar indicat. Cùm ergo ἀντίτυπα ipſum corpus & ſanguinem Chriſti interpretaris, nec mentem authoris, nec vocabuli vim intelligis. Sed te Macarius ipſe palam refutabit. Panem enim & vinum ἀντίτυπα appellat non alterius typi, ſed carnis & ſanguinis Chriſti. Si verò panis & vinum ſunt caro & ſanguis Chriſti, non poſſunt eiuſdem carnis ac ſanguinis ἀντίτυπα nominari. Nam quòd de corpore tecto & velato ſubiungis, dic verò, num antitypo corpus tegitur & velatur? Id fieri non poteſt, cùm ἀντίτυπον, vt tu vis, ſit ipſum corpus & ſanguis. Idem autem non poteſt eodem tegi ac velari. Sic cùm ἀντίτυπα dicuntur carnis & ſanguinis, neceſſariò efficitur non eſſe ipſam carnem & ſanguinem. Et hoc nomine ſæpe quidem appellantur. Baſilius panem vocat ἀντίτυπον corporis Chriſti, idq; poſt conſecrationem, quemadmodum ex ipſa liturgia conſtat: quo magis ineptus Damaſcenus fuit, qui ſic dici quidem à Baſilio, ſed tamen ante conſecrationem ſcribit: quaſi ante conſecrationem aliquid omnino à pane communi differat. Sic Nazianzenus de ſorore Gorgonia, *Si quid* (inquit) τῶν ἀντιτύπων *honorandi corporis aut ſanguinis manus collegerat*. Et Theodoritus, *Diuina myſteria ſunt* ἀντίτυπα *veri corporis*. Sed panē & vinū ἀντίτυπον quidē dici fateris, τύπον verò nullo modo dicen-

Baſil. in liturg.

Nazianzenus in Epitaph. Cæſarij.

Theodo. in dial. ἀσύγχυτος.

dicendum esse contendis, atq; id tanquam nefandum auersaris. In quo te Damascenus tuus mirificè fefellit. Si enim panem & vinum non tantùm ἀντίτυπα, sed τύπους etiam à patribus appellari ignoras, nihil legisti. Vbique enim Patres de cœna loquentes & hoc & illo nomine promiscuè vtuntur. Sic Theodoritus, *Cuius existimas Symbolum & τύπον sanctissimum cibum?* Sic Nazianzenus, *Accessimus ad sacram mensam, & τύπους nostræ salutis.* Sic Chrysostomus, *Hoc sacrificium illius τύπος est*. Quid plura desideras? Nonné etiam ipse tuus Hierosolymitanus Cyrillus dari nobis Christi corpus affirmat, ἐν τύπῳ panis? Est ergo panis τύπος corporis Christi. Non enim de accidentium inani specie, sed de sacramento loquitur, in quo nobis verum Christi corpus præbetur. φαινόμενος autem ἄρτος apud Macarium non panis vacuam similitudinem, sed verum panem omnium præsentium oculis subiectum significat. Et qui ex illo, quem aspiciunt, pane sumunt, illi carnem Christi comedunt, sed πνευματικῶς, vt ipse Macarius scribit, id est *Spiritualiter*. Si verò panis in carnem Christi conuersus ac transsubstantiatus esset, vt nihil præter panis vmbram remaneret, cum Christi carnem non πνευματικῶς, sed σωματικῶς comedi necessariò sequeretur. Sic quicquid apprehendis, mox tibi è manibus extorquetur.

Theodo.in dial. ἄτρεπτος
Nazianz.ad ciues Nazianzi.
Chrysost. ad heb.hom.17.

DVRAEVS.

DVRÆVS, Fol. 61.

Nullam (*ais*) in hoc iudicio antiquitatem refugio, nullum concilium, nullum patrem, nullum omnino syncerę vetustatis monimentum. *Quum vnico contentus sis, agam tecum liberaliùs. Primùm verò Ignatium proferam.* Eucharistias (*inquit*) & oblationes non admittunt, cùm non confiteantur Eucharistiam esse carnem seruatoris nostri Iesu Christi, quę pro peccatis nostris passa est, quam pater sua benignitate suscitauit. *Therdoret. Dial. 3. ex Epist'o. Ignatij ad Smyr.*

WHITAKERVS.

21 Si vel vnum potes syncerę antiquitatis proferre monimentum, Duræe, ex quo panem mutari atque in Christi carnem Transsubstantiari liqueat, concedam in causa tibi non inuitus. Sin nulla sunt vel scripturæ, vel piæ puræque vetustatis testimonia, quibus Transsubstantiatio pontificia confirmetur, non possum tuis lenocinijs induci, vt de suscepta sententia decedam. Acturum te mecum liberaliter profiteris, & verbis quidem nimiùm es profusus, re autem in summa inopia atque egestate versaris. Hæc enim quę profers, vanæ ostentationis indicia sunt, non veræ liberalitatis argumenta. Et primùm Ignatius Eucharistiam seruatoris nostri carnem appellat, non quòd sacramenti vim ac naturam amiserit, atque in carnis substantiam abierit, sed quia est carnis Christi symbolum, quo Christi vera caro demonstratur. Patres enim ex Eucharistia, quæ est corporis Christi sacramentum, veritatem illius corporis contra hereticos docebant

defendebant, quemadmodum suprà etiam de ertulliano accepimus. Itaq; hæretici Euchariam esse carnem seruatoris, hoc est, veræ carnis cramentum negabant, cùm Christum non rera, sed tantùm imagine atq; opinione carnem abuisse affirmarent. Citauit hanc Theodoritus Ignatij ad Smyrnenses epistola sententiã, quæ men in illa epistola, quæ nunc in Ignatio scrip- vulgò legitur ad Smyrnenses, nusquam repeur.

DVRAEVS, Fol. 61.

Iustinus Martyr Apol.2. Quemadmodum per verbum i incarnatus est Iesus Christus saluator noster, & carn & sanguinem pro nostra salute assumpsit, ita quoque preces verbi illius, cibum, ex quo sanguis & caro nostra imitationem aluntur, cùm benedictus fuerit, Iesu ipsius rnati carnem & sanguinem didicimus esse.

WHITAKERVS.

22 De hoc loco Iustini nonnulla iam priùs imus. Scribit Iustinus τὴν δι᾽ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν esse nem & sanguinem Christi incarnati, quemaddum Christus per verbum Dei incarnatus . Quod quidem de Transsubstantiatione intelli nullo modo debet. Quando enim Christus uator carnem nostram assumpsit, non est in nem nostram mutatus ac Transsubstantiatus: neque cibus iste quando precibus & gratiam actione fit caro Christi, in ipsam tamen risti carnem conuertitur. Est ergo caro Christi, id

ſti, id eſt carnis Chriſti ſymbolum ac ſacramentum, in quo caro ſeruatoris à fideli populo percipitur. Panis enim & vini naturam remanere ex eo conſtat, quòd hoc cibo carnem ac ſanguinem noſtrum per immutationem nutriri Iuſtinus ſcribit, idq́ue etiam poſt ipſam benedictionem, ſeu gratiarum actionem. Nam à te locus hic omnis admodum peruerſè & perturbatè poſitus eſt. Si ergo cibus iſte gratiarum actione conſecratus carnes noſtras & ſanguinem nutrit, quemadmodum diſertè Iuſtinus affirmat, tum naturâ ſuam retinet, & nulla tranſſubſtantiatione mutatur.

DVRAEVS, Fol. 61.

Irenæus libro 5. contra hæreſ. Quando & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia corporis & ſanguinis Chriſti, ex quibus augetur & conſiſtit noſtræ carnis ſubſtantia.

WHITAKERVS.

23 Quodnam illud corpus eſt, Duræe, & quis ille ſanguis Chriſti, ex quo noſtræ carnis ſubſtantia conſiſtit & augetur? An noſtra caro reuera Chriſti corpore ac ſanguine nutritur, atque hoc cibo reficitur, alitur, ſuſtentatur? Id ſi dixeris, Chriſti carnem cum noſtra commiſceri concesseris, quod valdè impium eſt, & plus quam hæreticum. Quare nega, ſi potes, de pane & vino loquutum eſſe Irenæum, quę cùm ſint corpus & ſanguis

[S]anguis Christi μυστικῶς, carnis etiam nostræ substantiam alunt.

DVRAEVS, Fol. 61.

Tertullianus de resurrectione : Caro corpore & sanguine [C]hristi vescitur, vt & anima Deo saginetur.

WHITAKERVS.

24 Siccine es à vero iudicio auersus, vt quid [s]ibi Tertullianus velit non attendas? Dic enim, [o]bsecro: nostra caro Christi corpore ac sangui[n]e vescitur, vt reliquis cibis? Si affirmas, tum [C]hristi corpus cum nostro in vna eademque hypostasi coniungitur. Cibus enim in eius rei, quā [a]lit, hypostasim transit. Si verò nostra & Christi [h]ypostasis vna atque eadem est, prçclarè quidem [n]obiscum actum erit. Sin hæc absurda sunt, ergo [d]e sacramento corporis ac sanguinis Christi sen[si]sse Tertullianum confitere.

DVRAEVS, Fol. 61.

Origenes homil. 5. in diuers. locos: Quando sanctum cibum [i]lúdque incorruptum accipis epulum, quando vitę pane & [p]oculo fruens manducas & bibis corpus & sanguinem Do[m]ini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur.

WHITAKERVS.

25 Quid hic Duræe, potissimùm vrges? E[p]ulum hoc sanctum & incorruptum esse fate[m]ur: sed nihil hoc ad Trāssubstantiationē valet.

Corpus

Corpus & ſanguinem Chriſti à nobis manducari ac bibi concedimus: quis id ſine tranſſubſtantiatione fieri poſſe dubitat? Credere enim in Chriſtum, eſt Chriſtum manducare, ſi credimus Auguſtino. Credunt autem in Chriſtum multi, qui nunquam ad cœnam acceſſerunt: ſic Chriſtum & in cœna, & extra cœnam fide accipimus, vt tranſſubſtantiationem omnino nullam deſideremus. Ingredi autem Dominum ſub tectum noſtrum, quando ſacramentum percipimus, non negamus: at hic ingreſſus nullam Tranſſubſtantiationem poſtulat. Nam ſi Chriſtum diligimus, eiuſque ſermonem ſeruamus, pater & filius ad nos venient, & nobiſcum manebunt. Et ipſe Origenes multis modis ingredi Dominum ſub tectum noſtrum ſcribit, ſi Euangelio credimus, ſi pium miniſtrum recipimus, ſi pauperes hoſpitio excipimus. Quare iſta nihil tranſſubſtantiationem tuam ſubleuant.

DVRAEVS, Fol. 61.

Panis ille quem Dominus diſcipulis dedit non effigie, ſed natura mutatus omnipotentis verbo Dei factus eſt caro. *Cypr. de Cœna Domini.*

WHITAKERVS.

26 Quid mihi ſuprà reſponderis, niſi valdè obliuioſus es, meminiſti: cùm tibi Theodoritum obijcerem, qui panem negauit propriam naturam amittere. Naturæ nomine non ſubſtanti-

am, ſed qualitates & proprietates ſignificari dixiſti. Patere nunc vt tibi ſimiliter reſpondeam, ſed multò veriùs, naturæ vocabulo non ipſam panis ſubſtantiam, ſed proprietatē ac conditionē declarari, quæ iam longè ſublimior ac præſtantior euaſit, quàm prius fuerit. Cùm enim antè eſſet panis cibarius ad vſum communem factus & paratus, nunc nouam naturam ac conditionem nactus eſt, vt ſit myſterium & ſacramentum Chriſti: atque hoc Dei omnipotentis verbo, qui ſolus potuit communi creaturæ vim & naturam ſacramenti impartire.

DVRAEVS, Fol. 62.

Hilarius lib. 8. de Trinit. Ipſe ait, Caro mea verè eſt eſca, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. De veritate enim carnis & ſanguinis non eſt relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipſius Domini profeſſione & fide noſtra verè caro eſt, & verus ſanguis eſt, & hæc accepta atque hauſta id efficiunt, vt nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit.

WHITAKERVS.

27 Hilarij verba agnoſco, & piam ſententiam probo: de Tranſſubſtantiatione verò tua nihil audio. Num enim panem ac vinum in corpus & ſanguinem Chriſti tranſſubſtantiari, aut Chriſti carnem ac ſanguinem ore noſtro propriè percipi vel hîc, vel vſquam ſcripſit Hilarius?

larius? Nihil certè minùs: nec illi vnquam tam impia atque absurda cogitatio in mentem venit. Sacramentum hoc esse carnem & sanguinem Domini confitemur. Neque enim sacramentum à reipsa, cuius est sacramentum, separamus: aut è cœna inane symbolum signumque facimus. Quare cùm panis & vinum sint corporis & sanguinis dominici sacramenta, non minus ipsam domini carnem & sanguinem à nobis fide accipi atque hauriri, quàm harum rerum sacramentum ore nostro sumi ac comedi dubitamus. Deniq; cùm Christi veram carnem verumq; sanguinē in cœna percipimus, & corporis Christi veritatem confirmamus, de qua Hilarius sermonem instituit, & in vnum cum Christo corpus coalescimus, vt sit in nobis Christus, & nos in Christo maneamus.

DVRAEVS, Fol. 62.

Basil. in regul. breuior. quæst. 172. Fidem faciunt verba domini, qui dixit, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.

WHITAKERVS.

28 Qui veniunt ad cœnam, ij secum timorem, & religionem, & veram pietatem adferre debent, quandoquidem illis dominus corpus suum proponit, & qui indignè ad hanc mensam accedunt, dominici corporis rei fiunt. Christus enim testatus est, hoc esse corpus suum. Sed quid quæso, ista ad Transsubstantiationem tuam pertinent?

DVRAEVS,

DVRAEVS, Fol. 62.

Gregorius Nyssenus in Catechetico : Quærebatur quomodo illud vnum corpus Christi omnem hominum in quibus fides est, naturam viuificaret, & in omnes ita distribueretur, vt nullam diminutionem subiret. *Et paulò pòst,* Corpus propterea quòd Deus verbum in illo habitauit, diuinam obtinuit dignitatem: quamobrem rectè nunc etiam Dei verbo sanctificatum panem in Dei verbi corpus credimus commutari, &c.

WHITAKERVS.

29 Vt de Nysseni huius authoritate nihil detraham, quid potes in his eius verbis reperire, quod nos non magnopere probemus? Distribui corpus Christi in omnes fideles, nec tamen diminui concedimus. Nam nullæ de corpore hoc particulæ decedunt, & fides Christi corpus non arrodit, sed spiritualiter integrum atque illæ sum sumit. Quorsum autem attinebat quærere, quemadmodum fieri posset, vt Christi corpus in omnes pios distributum nullam diminutionem pateretur, si de Transsubstantiatione apud Christianos opinio inualuisset? Nam transsubstantiatio non modò non minuit corpus Christi, sed mirificam etiam atque incredibilem accessionem nouorum corporum affert. Panem verò sanctificatum in Christi corpus commutari, quis negat? Sed hæc non substantialis est & naturalis, sed sacramentalis mutatio. Sic enim in eodem libro Nyssenus aquam baptismi, sic lapides altaris,

ſic ipſum ſacerdotem mutari ſcribit, vt quæ res priùs erant vulgares, ſanctificatione quadam in diuiniorem ſtatum commutentur? Sic autem panis in Dei verbi corpus mutatur, quemadmodum Dei verbi corpus in diuinam ſubſtantiam conuertitur, quod ſine Tranſſubſtantiatione fieri manifeſtum eſt. Sicut ergo Deus in Chriſti corpore habitauit, vt nulla Tranſſubſtantiatio ſequeretur, ſic iſtum panē Dei verbum ſanctificauit vt tamen interim nulla panis in Dei verbum conuerſio ac tranſſubſtantiatio fieret.

DVRAEVS, Fol. 62.

Cyrillus Hieroſolymit, Catecheſ. myſtag. 4. Cùm Chriſtus ipſe de pane pronunciauerit, & dixerit, hoc eſt corpus meum, quis audebit de myſterio ambigere? Aquam olim conuertit in vinum in Cana Galilææ, & eum parùm dignum exiſtimabimus, cui credamus, quòd vinum in ſanguinem mutet?

WHITAKARVS.

30 Qui de myſterio ambigit, profanus eſt & perfidus, cùm Chriſtus apertè dixerit, *Hoc eſt corpus meum*, id eſt myſterium ac ſacramentum corporis mei. Ad tuam quidem cauſam multò accommodatius fuiſſet, ſi iſto modo potiùs ſcripſiſſet, Cùm Chriſtus de pane pronunciauerit, hoc eſt corpus meum, quis audebit de Tranſſubſtantiatione ambigere? Sed hunc Tranſſubſtantiationis partum Eccleſia tua nondum ediderat. Mutari verò vinum in Chriſti ſanguinem credimus: ſed iſta mutatio nullam arguit Tranſſubſtantiationem.

tionem. Non enim omnis mutatio est transsubstantiatio. Mutantur symbola quia sunt corporis & sanguinis Christi sacramenta, nec ijs vtendum nunc est, ὡς ψιλοῖς, *vt nudis*, quemadmodum ipse Cyrillus loquitur, & quia cum his sacramentis corpus ipsum & sanguinem Christi percipimus. Nam hæc mutatio spiritus sanctificatione continetur, quemadmodum scribit in 5. Catech. myst. Cyrillus, *Quicquid spiritus sanctus attigerit*, τοῦτο ἡγίασαι καὶ μεταβέβληται, *Hoc* (inquit) *sanctificatum & mutatum est*. Si enim hæc vini mutatio talis esset, qualis illa aquæ fuit, tum hæc non minùs quàm illa in sensus ipsos incurreret. Non enim hanc mutationem illi similem esse Cyrillus affirmat, sed quia aquam verè potuit in vinum conuertere, quin vinum possit in sanguinem suum, id est, verum sanguinis sacramentum mutare, non est dubitandum.

DVRAEVS, Fol. 62.

Ambrosi. lib. 4. de sacrament. c. 4. & 5. & de ijs qui myster. initiantur c. 9. Si tanta vis in sermone Domini Iesu, vt incipiant esse, quæ non erant, quantò magis operatorius est vt sint, quæ erãt, & in aliud commutentur? Non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi, quia iam corpus est Christi. Ergo didicisti quòd ex pane corpus Christi fiat, & quòd vinum & aqua in calicem immittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cælestis.

WHITAKERVS.

31 In his Ambrosij verbis nullum tibi ad transsubstan-

ſubſtantiationem tuam præſidium poſitum eſt. Quis enim non fatetur & Chriſti ſermonem *imperatorium* eſſe, & panem poſt conſecrationem Chriſti corpus fieri? Verùm hoc tranſſubſtantiationem nihil iuuat, quam tu dum ornare ac tueri conaris, miſerrimè frigêre pateris. Panis in aliud commutatur, atquè ex pane fit Chriſti corpus ſermone Chriſti efficace: ſed tamen panis in corpus Chriſti minimè tranſſubſtantiatur. Fit autem vi dominici ſermonis ac conſecrationis ex communi pane ſacramentum, quod & dicitur, & eſt ſuo modo Chriſti corpus. Nam Tranſſubſtantiationem omnem hæc ipſa verba euertunt. Si enim poſt conſecrationem ſunt, quæ erant, vt ipſe teſtatur Ambroſius, nulla hîc rerum ac naturarũ propria tranſſubſtantiatio fuit. Quod enim tranſſubſtantiatur, non eſt, quod antè fuit, ſed in aliam naturam & ſubſtantiã migrauit. Nec ait Ambroſius, videntur eſſe, quę erant, ſed planè *ſunt, quæ erant*. Id ex alijs in hoc loco verbis erit adhuc magis manifeſtum: Sic enim mox ſequitur, *Tuipſe eras, ſed eras vetus creatura: poſteaquã conſecratus es, noua creatura eſſe cæpiſti: Accipe ergo quemadmodum Chriſti ſermo creaturam omnẽ mutare conſueuerit.* Num verò quando conſecramur ac regeneramur, & in nouam creaturã mutamur, priſtinã ſubſtantiam deponimus, & nihil antiquum præter formam ſpeciemq; retinemus? Aut hoc tibi dicendum erit, aut fatendũ ex conſecratione tranſſubſtantiationem non concludi.

DVRAEVS, Fol. 63.

Epiphanius in anchorato: Qui non credit eſſe ipſum verum

ſicut dixit, is excidit à gratia & ſalute. Quod autem audiuimus, id credimus, quod eſt ipſius, &c.

WHITAKERVS.

32 Epiphanium cùm non intelligas, mirandũ non eſt, ſi ipſum malè interpreteris. Quærit autẽ in hoc loco, quẽadmodum homo ad Dei imaginem conditus ſit, cùm illa non habeat, quæ diuinæ naturæ conueniunt. Reſpondet, habere hominẽ quaſdam Dei proprietates per gratiã, quibus Deum repreſentat, quod etiam Euchariſtiæ exemplo illuſtrat, quæ quamquã nihil habet corpori Chriſti ſimile, eam tamen Chriſtus per gratiam ſuum corpus appellauit. Et credendum eſt verum eſſe quod Chriſtus dixit. Quemadmodum autem homo non eſt in Deum ipſum conuerſus, etiamſi Dei imaginem refert, ſic panis & vinum, quibus caro & ſanguis Chriſti ſignificatur, nulla tranſſubſtantiatione in Chriſtum ipſum conuertuntur. Cùm enim hoc ipſum, quod Chriſtus ſuũ corpus eſſe dixit, Epiphanius ϛρογγυλοειδὲς atq; ἀναίσθητον appellet, Chriſtus autem nec rotundæ figuræ ſit, nec ſenſu careat: ſatis conſtat nihil minus ſenſiſſe Epiphaniũ, quàm iſta Symbola in ipſum Chriſti corpus ac ſanguinem tranſſubſtantiari.

DVRAEVS, Fol. 63.

Cùm leuiùs aliquantulum morbus vrgeret, confugit ad altare cum fide, Dominúmq; qui ſuper illud colitur, maximo clamore obteſtans, omnibus nominibus appellitans, &c. *Gregorius Nazianzenus in Epitaph. Gorgoniæ ſororis.*

WHITAKERVS.

33 Hoc vnum tibi Nazianzenus potuit pro tua transſubſtantiatione teſtimonium ſuppeditare? Equidem parùm illi debes, à quo tam leuiter adiutus es. Ad Altare Gorgonia accurrit. Quid tum poſtea? Dominum, qui ſuper illud colitur maximo clamore obſecrauit. Et quis in altari coli Dominum negat, aut eum, qui in altari colitur, Dominum à fideli populo precibus inuocandum eſſe non intelligit? Sed quis te hoc modo diſputantem ferat? Chriſtus in altari colitur, & inuocatur, ergo panis in altari poſitus & perceptus in Chriſti corpus tranſſubſtantiatur? Perge porro, Duræe, iſtis adminiculis labentem fulcire tranſſubſtantiationis machinam.

DVRAEVS, Fol. 63.

Chryſoſtomus homil. 24. in 1. Cor. Quando id propoſitum videmus, dic tecum, propter hoc corpus non amplius terra & cinis ego ſum. Hoc corpus affixum, verberatum, morte victum non eſt. Hoc idem corpus cruentatum, lancea vulneratum, fonte ſanguinis & aquę vniuerſo orbi ſalutare ſcaturiuit. *Et Dial. 3. de ſacerdo.* O miraculum! ô Dei benignitatem! qui cum patre ſurſum ſedet, in illo temporis articulo omnium manibus pertractatur.

WHITAKERVS.

34 Quo animo accedere quemq; noſtrûm ad ſacram Eucharistiam oporteat, exponit iſtis verbis

verbis Chrysostomus. Quando enim hæc mysteria celebramus, non aliter comparati esse debemus, quàm si ipsum Christi corpus coràm contemplemur, eamq; ob causam ipsius corporis nomen sacramento tribuit, vt in sacramento percipiendo mentis oculos in corpus Christi defigamus, cuius sacramentum nobis proponitur. Quare iubet, nos in ipsum cælum subuolare, quia cibus hic aquilarum est, non graculorum, in quo satis ostendit nihil se de transsubstantiatione cogitasse. Si enim non in terris consistere, sed sursum in ipsos cælos subuehi oportet, vt Christi corpore potiamur, nec mente licet in cælis simul & in terris versari: nusquam esse quærendum in terris Christum constat. At si Christus in mensa totus iaceret, quid opus esset mentem & cogitationem nostram aliò traducere, aut altius omnino aspirare? Qui ergo Christi corpus de cælo detrahit, is Christum non aquilarum, sed graculorum cibum facit. Christus autem sic omnium manibus pertractatur, quemadmodum *populus totus tingitur & rubet illius pretioso sanguine.* Sic enim in eodem loco scribit, *Cùm videris Dominum mactatum, & sacerdotem sacrificio incumbentem, & omnes illo pretioso sanguine cruentatos, num te cum hominibus in terra versari existimas, nec potiùs, in cælos eueheris?* Quis tam insulsus est, qui non multiplicem in istis verbis troporum varietatem agnoscat? Sed quanto quodq; est absurdius atq; immanius, tanto ad transsubstantiationis causam aptius videri solet.

πάντας ἐκεῖν… τῷ τιμίῳ φοινισσομένους αἵματι.

DVRAEVS, Fol. 63.

Augustinus in Psal. 33. Ferebatur Christus in manibus suis quando commendans ipse corpus suum ait, hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis. *Idem in Psal.* 98. Quia in ipsa carne sic ambulauit, & ipsam nobis carnem manducandam ad salutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adoret.

WHITAKERVS.

35 Quærit hoc loco Augustinus, quemadmodum intelligendum sit quod legimus, *Ferebatur in manibus suis*. Nam de Dauide non conuenit, quem se nunquam in manibus suis tulisse sacræ literæ prodiderunt. Quare hoc ad Christum pertinere existimat, *qui in manibus suis ferebatur*, quando corpus suum commendauit, & dixit, Hoc est corpus meum. Id quo sensu scripserit, ex secunda ipsius in hunc Psalmum concione manifestum erit, in qua eundem locum repetit, atque explicat. Sic autem ait, *Ipse se portabat quodammodo, cùm diceret, Hoc est corpus meum*. Etenim corporis sui sacramentum manibus portauit, suisq; discipulis tradidit, quod Christi corpus est *quodammodo*. Nam si panis ac vinum in veram corporis ac sanguinis Christi substantiam abijsset, non se quodammodo Christus manibus suis, sed omnino tulisset. Christus autem non nisi *quodammodo* se suis manibus gestauit: ergo nulla fuit panis ac vini transsubstantiatio. Quod deinde ex alio loco subiungis, perinde

perinde quidem ad transsubstantiationem valet. Dat nobis carnem Christus suam comedendam: & nos in cœna carnem Christi spiritualiter percipimus; Illam autem carnem quisquis manducat, priùs adorat, non factam ex pane, non ante oculos suspensam, sed ex virgine assumptam, atque in cælis regnantem. Si enim adorari in cœna Christus nullo modo potest sine ipsa corporis præsentia, tum quando vos ante ligneam crucē proiecti Christum adoratis, in ligno præsentem esse Christum iudicatis.

DVRAEVS, Fol. 64.

Hieronym. quæst. 2. ad Hedibiam: Non Moses dedit nobis panem verum, sed Dominus Iesus ipse conuiua, & conuiuium, comedens, & qui comeditur.

WHITAKERVS.

36 Christum à nobis in cœna comedi, quis nostrûm aut negauit vnquam, aut dubitauit? Cū autem de eo quidem certissimè persuasi sumus, cum transsubstantiatione nullum vnquam ineptius commentum fuisse affirmamus. Magnus scilicet transsubstantiationis author Hieronymus, qui productus in medium ab aduersarijs vt transsubstantiationem suo testimonio comprobet, nullum omnino aliud verbum facit, quàm Christum à nobis in cœna comedi, quod in quæstionem minimè vocatur. Nam comedi Christum sine omni dubitatione concedimus, sed de modo quo comedendus sit Christus, quærimus.

DVRAEVS, Fol.64.

Cyrillus Alexandrinus in epist. ad Cælesyrium: Nec dubites an hoc verum sit, eo manifestè dicente, Hoc est corpus meum, sed potiùs suscipe verba saluatoris in fide. Cùm enim sit veritas, non mentitur. Insaniunt ergo dicentes mysticam benedictionem à sanctificatione cessare, si quæ reliquiæ remanserunt eius in diem subsequentem. *Idem in interpret. Anathe.* 11. Sanctam & viuificatricē & sine sanguine immolationē in Ecclesia celebramus, tanquam proprium corpus factum, necnon & sanguinem omnia viuificantis verbi.

WHITAKERVS.

37 Hoc primum Cyrilli testimonium in Cyrillo non inuenio, etsi ab alijs citari satis memini. Nec quicquam ad rem facit, quia verum esse quod Christus dixit nemo dubitat. Sed de transsubstantiatione profer vnū, si potes, Christi verbum. Quod autem ad reliquias attinet, non ignoras olim in more positum fuisse, vt hæ reliquię peracta cœna statim comburerentur, quod minimè profectò factum fuisset, si latêre in illis reliquijs Christi carnem vetus ecclesia iudicasset. Christum enim comburere, non leuius flagitiū est, quàm Christum cruci suffigere. Quod iterū ex Cyrillo affers, transsubstantiationem plus lædit, quàm iuuat. Sanctum enim & incruentum sacrificium celebrari in Ecclesia cōfitemur. Sed sacrificij nomine Cyrillus illius vnici sacrificij memoriam ac monimentum significat. Cùm autem

ait, *factum esse tanquam proprium corpus*, Trāſ-
bſtantiationem excludit, quæ facit, vt panis nō
modò *tanquam corpus*, ſed ipſum reuera Chri-
i corpus.

DVRAEVS, Fol. 64.

Leo ſerm. 6. de Ieiunio: Sic ſacræ menſę communicare de-
tis, vt nihil prorſus de veritate corporis Chriſti & ſan-
inis ambigatis. Hoc enim ore ſumitur, quod fide credi-
r: Et fruſtra ab illis Amen reſpondetur, à quibus contra
quod accipitur diſputatur.

WHITAKERVS.

38 Eutychem his verbis Leo perſtringit, à
o veritas corporis Chriſti ſublata eſt. Eam, vt
j Patres ſolent, argumento ab Eucharistia du-
o Leo confirmat. Eſt enim Eucharistia veri,
n ficti corporis ſacramentum. Qui ergo ad ſa-
am menſam accedunt, ijs nefas eſt de verita-
corporis & ſanguinis Chriſti dubitare. Cùm
go fide Chriſtum credamus corpus verum ha-
iſſe, hoc ipſum corpus, id eſt, huius corporis
ramentum ore ſumimus. Quod enim ore ac-
pimus, illud eſt myſticè ac ſacramentaliter,
iod credimus, vt ſi contra illius corporis ve-
atem diſputare volumus, cuius verum viuum-
e ſacramentum ab ipſo Chriſto inſtitutum ore
ſtro ſumimus, Amen fruſtra reſpondeamus.

DVRAEVS, Fol. 64.

Damaſcenus lib. 4. ca. 14. de fide orthodox. Panis & vinum
tranſ-

transſmutatur. Et fecit hoc ſuum corpus & ſanguiné. Non eſt figura panis & vinum corporis & ſanguinis Christi. Absit enim hoc. *Theophylactus in ca. 22. Luc.* Panis qui à nobis in myſterijs manducatur non eſt, tantùm figura quædam carnis Domini, ſed ipſa caro Domini. Transformatur enim arcanis verbis panis ille, &c.

WHITAKERVS.

39 De Damaſceno ac Theophylacto, quos duos poſtremos adducis, parùm certè ſolicitus ſum. Nam & recentes admodum ſunt, & temporum ſuorum erroribus ac corruptelis laborant. Quare dabis mihi veniam, ſi iſtorum authoritatē non magni æſtimem. Quando enim antiquos teſtes euocamus, & vetuſtatis monimenta conſulimus, horum nulla ratio habenda eſt, qui præſtantes illos priſcæ Eccleſiæ Patres magno ſatè interuallo ſequuti ſunt. Nec tamen difficile mihi eſſet, horum dicta commodè interpretari, ſi id neceſſarium exiſtimarem. Damaſcenus enim cùm panem & vinum figuram eſſe negat, id intelligit, quod Theophylactus diſertè poſuit: non eſſe tantùm figuram, quod ipſum à nobis ſemper affirmatur.

DVRAEVS. Fol. 64. 65.

Poſſem equidem his patrum teſtimonijs infinita adiungere alia. Sed pluribus hîc non agam, quin potiùs vt tu fidem liberes vrgebo. Feci ego Campiani nomine, quod poſtulaſti, viciſſimq́; à te meo iure poſtulo, vt quod Patres crediderunt credas, quod docuerunt doceas, & in quo illi honore Euchariſtiam habuerunt habeas: ſic fidem præſtitam præclarè liberabis.

WHITA-

WHITAKERVS.

40 Commodè facis, qui modum tandem li-
eralitati tuæ præſcribis, nec ſimul vniuerſam
upellectilem exponis. Sed tamen nondum meo
eſiderio ſatisfeciſti, ſiue hæc tua ſit nimiæ par-
imoniæ, ſiue mea importunæ cuiuſdam auidita-
is culpa. Nam à te iamdudum alia expectabam,
hæc mihi longè priùs ſuppetebant, quàm vel
e te quicquam, vel de Campiano ipſo audie-
am. Nolim ergo me tibi aliquid debere exiſti-
nes, à quo ſum nullo beneficio affectus: tu
ræſta quod poſtulo, ego quod promiſi perſol-
am. Agimus de ſenſu verborum, *Hoc eſt corpus
eum*, quem ego figuratum, tu proprium eſſe
ontendis: Affers autem magnam teſtimoniorũ
ultitudinem, quibus nihil minùs euincitur,
uàm quod demonſtrare inſtituiſti, quemadmo-
um ſi antè neſcieras, nunc ſaltem planè perſpi-
s. Ne verò putes ingratum eſſe me hominem,
ui tuam liberalitatem contemnam, alio te dono
munerabo, & illis Patrum teſtimonijs tuis, qui-
us Tranſſubſtantiationem probare fruſtra co-
atus es, argumenta vera atque ἀποδεικτικὰ referã,
uæ ſententiam verborum figuratam eſſe doce-
nt, tuamq; Tranſſubſtantiationis Chimęram ex-
lodant. Vtar autem dialecticis ſyllogiſmorũ
ormis, vt breuior ſit, atque illuſtrior oratio.

Quod Chriſtus diſcipulos ſuos edere ac bi- 1.
ere iuſſit, id illi procul dubio ederũt ac biberũt:
t panem & vinum illos edere ac bibere iuſſit,
ũm diceret, *Edite, bibite*: ergo illi panem &
vinum

vinum ederunt ac biberunt, atque ita per consequens verba hęc figuratè intelligenda sunt, & Transsubstantiatio excluditur. Assumptio manifesta est, quia quando Christus dixit, Edite, bibite, nondum verba consecrationis, quæ isti vocant, pronunciata fuerant.

2. Si post consecrationem panis frangitur, tum necesse est panem remanere: at Paulus panem
1.Cor.10.16 ait post consecrationem frangi, eumq; esse communionem corporis Christi: ergo post consecrationem panis remanet.

3. Si quando Christus ait, hoc est corpus meum, panem in corpus suum transsubstantiauit, tum
1.Cor.12.27 Paulus cùm dicit, vos estis corpus Christi, ipsos homines in Christum transsubstantiauit, cùm multò magis homines æquum est in Christum mutari, quàm panem: at consequens absurdum, ergo & antecedens.

4. Si sumimus in cœna corpus illud Christi, quod in virginis vtero conceptum & formatum fuit, quemadmodum isti docet, tum Christi corpus simul ex substantia virginis & ex natura panis factum est, quia corpus hoc quod in cœna accipimus, ex pane fit vi Transsubstantiationis: at consequens blasphemum, ergo etiam antecedens.

5. Corpus Christi, quod sumimus in cœna, fit ex pane, corpus Christi quod sumimus in cœna crucifixum & mortuum est: ergo corpus Christi quod crucifixum & mortuum est fit ex pane, quo nihil absurdius dici potest.

6. Quisquis corpus Christi comedit, is Christi quoq;

quoq; ſpiritum percipit, quia Chriſtus non diſ-
ſoluitur, nec à corpore ſpiritus Chriſti ſeparatur:
quiſquis ad cœnam accedit, corpus Chriſti co-
medit, ſi panis in corpus Chriſti tranſſubſtantia-
tur: quiſquis igitur ad cœnam accedit, Chriſti
ſpiritum accipit, & per conſequens perire nullus
poteſt, qui cœnæ ſemel particeps fuerit.

Qui proprietates corporis Chriſti euertunt, 7.
ij corpus ipſum Chriſti deſtruunt: qui Chriſti
corpus in cœna collocant, & realiter adeſſe ſta-
tuunt, ij proprietates veri corporis tollunt: ergo
qui corpus Chriſti realiter in ſymbolis includũt,
ij corporis Chriſti veritatem euertunt, & Chriſto
nullum, aut fantaſticum corpus relinquunt.

Qui duas contradictorias propoſitiones ſi- 8.
mul eſſe veras affirmant, ijs nullo modo creden-
dum eſt, cùm id naturæ æterna lex nunquam pa-
tiatur: qui vnum & idẽ Chriſti corpus ſimul eſſe
veris humani corporis proprietatibus ac dimen-
ſionibus & præditum & priuatum confitentur,
quod Tranſſubſtantiatores faciunt, ij contradi-
ctorias duas ſimul veras eſſe ſtatuunt: horum igi-
tur ſententia prorſus repudianda eſt.

Si Chriſti corpus propriè à nobis in cœna ſu- 9.
mitur, tum Chriſti corpus propriè etiam tradi-
tur, nam Chriſtus ait, *hoc eſt corpus meum, quod
pro vobis traditur:* at conſequens impium eſt, igi-
tur & antecedens.

Si panis propriè in corpus Chriſti tranſſub- 10.
ſtantiatur, tum etiam in ſanguinem conuertitur,
& ſimiliter vinum non modò in ſanguinem, ſed
etiam in corpus mutatur, quia nec corpus ſine

ſanguine, nec ſanguis ſine corpore eſſe poteſt: ac hoc valde abſurdum eſt, nam tum altera ſpecies ſufficeret non tantùm populo, ſed ipſis etiam ſacrificis, & qui vtramq; ſumeret, bis Chriſtum comederet: ergo nulla eſt propria & naturalis tranſſubſtantiatio.

11. Si panis in corpus Chriſti tranſſubſtantiatur, & ore noſtro corpus Chriſti ſumitur, tum melius cum corporibus noſtris, quàm cum animis agitur, quia ſic corpora noſtra poſſunt Chriſti corpus *realiter* percipere, animi non poſſunt, cùm ſpiritus ſint, & corpora ſpiritibus miſceri nequeant: ac hoc inſulſum eſt, ergo illud.

12. Si Chriſtus ſuum ipſius proprium corpus diſcipulis tradidit, tum idem corpus ab eodem corpore tradebatur, & idem corpus ab eodem edebatur: ac hoc nullo modo fieri poteſt, ergo nec illud.

13. Si corpus Chriſti fit ex pane, tum hoc corpus, vel in noſtra corpora conuertitur, vel in nihilum recidit, vel in cælum auolat: at neq; in noſtra corpora conuertitur, tum enim nos in vnam cum Chriſto Hypoſtaſin coaleſcimus, neq; in nihilum abit, hoc enim horrendum eſt de Chriſti corpore cogitare, neque in cælum remigrat, quandoquidem in cælo antè fuit, ergo panis in corpus Chriſti minimè tranſſubſtãtiatur.

14. Aut panis natura remanet, aut accidentia ſine ſubiecto ſubſiſtere, & noſtra corpora nutrire poſſunt: vtrumq; ἀδύνατον eſt: ergo panis remanet.

15. Cum Chriſti corpore & ſanguine nullum miſceri venenum poteſt; cum his corporibus quæ in

in cœna sumuntur misceri venena possunt, quemadmodum experientia docuit: hæc ergo non sunt ipsum Christi naturale corpus & sanguis. Quid alia persequar innumera contra transsubstantiationem argumenta, quorum singula certę demonstrationis vim habent? Nec ista à tuis refutata iampridem fuisse responderis, quę nullus vnquam Transsubstantiator vera solidaq; responsione diluit.

DVRAEVS, Fol. 66. 67.

Quantò (inquis) rectius Augustinus, Scripturarum authoritatibus, non quorumcunque proprijs, sed vtriusq; communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet. Harum nos (*inquis*) iudicio, non vestro stare volumus. *Quàm hic ineptè, quàm ridiculè Augustinum agis? Qui scripturam communem esse veritatis testem voluit, tu iudicem. Augustino certè minimè vnquam dubium fuit Romani pontificis iudicium supremum in terris esse tribunal, ad quod omnes religione controuersiæ finirentur. Clarissimè enim pronunciata Melchiadis aduersus donatistas, & aduersus Pelagium ac Celestium Innocentij & Zozimi sententia nullam in terris aliam esse expectandam censuit. Sed vt ad locum respondeam: cùm hæreticos timeret Apostolicæ sedis tribunal, & Concilij Niceni iudicium declinare, & iam ad scripturas, iam ad Ariminensem prouocare synodum, non recusauit fortissimus miles quibus vellent aduersarij armis certare.*

WHITAKERVS.

41 *Ineptè* (inquis) *& ridiculè Augustinum tractaui*: quamobrem Duræe? scripturam Augustinus testem esse voluit, ego iudicem facio. Verùm si testis scriptura fuerit, quem tandem iudicem huic testi parē inueniemus? Eritne enim scriptura testis, iudex ecclesia? At iudex testem authoritatę

superat: sic Ecclesiæ grauior erit, quàm scripturæ fides, & maius pondus authoritatis, quod tamen ipsi nunc affirmare præ pudore desijstis. Scriptura Dei verbum est, ac proinde qui scripturæ iudex esse vult, is se Dei ipsius iudicem constituit, quique summum scripturis de religione iudicium derogat, hic Deum de solio suo detrudit. Quemadmodum autem Deus non modò testis est, sed etiam iudex, sic scriptura, quæ est Dei verbum ac voluntas, testis simul & iudicis authoritatem obtinet. Et quando Augustinus scripturis testimonium defert, non sibi aut homini cuiquam, sed solis ijsdem scripturis iudicium permittit. Sic alibi scribit Augustinus, *Ista controuersia iudicem quærit, iudicet ergo Christus, & cui rei mors eius profecerit, ipse dicat, Hic est, inquit, sanguis meus qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Iudicet cum illo & Apostolus, &c.* In quo vides scripturis non modò testimonium, sed etiam iudicium ab Augustino deferri. Et Basilius *scripturam diuinitus inspiratam* διαιτῆσαι oportere scribit, id est, *suo iudicio litē transigere, vt apud quos inuenta dogmata fuerint diuinis sermonibus congrua, ijs omnino veritatis suffragium deferatur.*

Augu[st]. de nupt. & conc. li. 2. ca. 33.

Basil. ep. 80.

Romani verò pontificis iudicium Augustino summum in terris tribunal visum esse nusquam constat. Num enim æquũ esse censes, aut id Augustino in mentem venisse putas, vt vos pro tribunali iudices sedeatis, Deus ipse vobis inseruiat, & testimonium vobis iudicantibus ferat? Contrà Augustinus. *Dominus* (inquit) *priùs per prophetas, deinde*

Aug. de Ciui. Dei l. 11. c. 3

deinde per seipsum, postea per Apostolos locutus, etiam scripturam condidit, quæ Canonica nominatur eminentissimæ authoritatis. Quid verò si Donatistas Melchiades; Pelagianos, Innocentius, & Zozimus damnauit, hoccine pontificis tribunal in summo gradu collocabit? Si semel legitimus aliquis index sententiam pronunciarit, quis illam putabit esse repetendam? Ita minimè necesse est, ut eius in terris supremum tribunal sit, cuius iudicio stare oportebit. Quòd autem respondes hæreticos Apostolicæ sedis tribunal declinasse, mirum non est: erant enim illis temporibus hæreticorum hostes Romani pontifices, qui nunc ipsi & hæretici sunt, & hæreticorum Patroni. Sed Arrianos Augustinus noluit vel pontificum, vel conciliorum authoritate premere, quanquam si hoc iudicium fuisset ab ipso Christo in Ecclesia constitutum, nec illud hæretici recusare, nec vti Augustinus aliquo meliore, quàm eo, potuisset. Cùm verò palàm & se in Niceno, & hæreticum in Ariminensi Concilijs præiudiciũ quęrere debere negat, nec se illius, nec illum huius authoritate teneri affirmat, & totam controuersiam ad solam scripturarum authoritatem traducit, perspicuum est Augustinum Romani pontificis tribunal aut ignorasse, aut per summam contumeliam atque iniuriam contempsisse. *August. con. Maximi. lib. 3. cap. 14.*

LIBER TERTIVS de Ecclesia.

DVRAEVS, Fol. 70.



Atholici (*inquis*) vestri turbulentis alia[...] disputationum procellis iactati in isto E[...] clesiæ portu libenter acquiescunt. *Bene[...] bet, quòd Catholicos nos esse agnoscis. Sic [...] maiores tui, id est hæretici omnes, Catho[...] vocare consueuerunt. Magnum verò nobis [...] men obijcis, quòd in Ecclesiæ portu libenter conquiescamus: [...] aduersus hæresium tempestates portus aliquis tutior inueniri [...] sit. Ad Ecclesiæ nos portum recipimus, vt qui diluuio regnan[...] arcam Noë sese receperunt.* Ecclesia est enim, *vt elegant[...] mè Cyprianus scripsit*, cuius fœtu nascimur, cuius lacte nu[...] mur &c. *De vnit. Ecclesiæ*. Sed & nos (*inquis*) Eccle[...] tanquam matrem colimus. *Cur ad illam ergo non confugi[...] cur illius authoritatem vos nunquam defenditis? Imò omni [...] potestis arte illius authoritatem eleuare studetis, adeo vt ne [...] horrendis blasphemijs interdum vobis temperetis, dum Christi [...] sam falli, errare, decipi posse sceleratissimè contenditis.*

WHITAKERVS.

1 

Ite nomen ipsum Catho[...] lici tantopere delectat, Du[...] ræe, hanc tibi voluptatem non inuideo, & te laruis tuis spectrísque pasci, quantum voles, facilè quidem patior. Dici enim vos Catholicos quid magnum aut præclarum habet, cùm nominum sit inanis vsurpatio, quando res ipsa

nomini

omini non respondet ? Nunquam enim mi-
i venit in mentem, vt vos aliter Catholicos ap-
ellarem, quàm ὁμωνύμως, quemadmodũ exanim
iccóque σκελετῷ, in quo præter ossa ac neruos ni-
il remanet, hominis tamen nomen tribui solet.
Noli ergo de titulis ψευδωνύμοις gloriari, aut ipsam
Ecclesiæ Catholicæ possessionem ad inane va-
uúmque nomen alligare. Catholicus est non
ui pontificiam ἀποστασίαν sequitur, sed qui Christi
octrinam profitetur : hanc si retines, Catholi-
us es : hanc si amittis, dici Catholicus potes, es-
e non potes. Nec vobis vitio verti, quod in Ec-
clesiæ portu conquiesceretis, quem vnicum sa-
utis portum esse non ignoro : sed quòd Eccle-
iæ nomen vestris erroribus prætexeretis. Quan-
o enim vos clarissimis argumentis & scriptu-
æ testimonijs conuincimus, vestrásque innume-
as hæreses ac superstitiones palàm redargui-
us, ad extremum cùm omnia deficiunt, Eccle-
iam iactatis, vos Ecclesiam esse clamatis, &
uicquid absurdissimè atque improbissimè do-
etis, Ecclesiæ ementita authoritate defenditis.
Quod quanquam infirmum est, tamen vobis
naximè opportunum videtur ad omnem erro-
um defensionem præsidium. Nihil ergo fuit,
uamobrem hoc loco Ecclesiæ laudes celebra-
es, quas esse summas minimè profectò dubita-
nus : sed aliud est in vera Christi Ecclesia ver-
ari, aliud falsum fictumq; nomẽ Ecclesiæ vestris
ómentis prętendere. Quòd autem quæris, si nos
Ecclesiam colimus, cur illius authoritatè nunquã

nos defendamus, respondeo, qui scripturæ authoritate nituntur, eos Ecclesiæ etiam authoritate defendi. Quicquid enim Ecclesia authoritatis habet, totum à scripturis accepit, vt qui scripturas consentientes habent, nullam certè authoritatem desiderare possint.

Eleuari autem à nobis Ecclesiæ nomen quomodo persuades? Nimirum falli atque errare posse Christi sponsam affirmamus, quod tibi blasphemum etiam & sceleratum videtur. Orator tu quidem vehemens es, sed disputator parum acutus. Num enim Ecclesiæ authoritatem eleuat, qui Deum esse Ecclesiam negat? An ij potiùs blasphemiæ meritò accusandi sunt, qui Deo ac Christo Ecclesiam exæquant? Etenim falli & errare nunquam posse, id soli Deo tributum est. Et quanquam Ecclesia est Christi sponsa, tamen quousque in terris à sponso peregrinatur, nòdum summam fælicitatem, atque errorum & peccatorum immunitatem adepta est. Cùm autem in multis rebus errare fallique Ecclesia potest, tum in mortifero errore ad finem persistere non potest. Quid enim? nonne Ecclesia Hierosolymitana ex Apostolis & discipulis collecta Christi vera sponsa fuit? Certè aut hanc Christus sponsam, aut nullam habuit. Et tamen hæc Christi sponsa errauit, cùm sponsi sui terrestre quoddam regnum somniaret, & pòst etiam cùm gentium vocationem ignoraret, nisi fortè alijs omnibus Petrus indoctior erat, quem in isto errore versatum esse manifestum est. Sed hic & Petri & omnium error fuit, quàm magnus nihil refert,

fert,tamen error fuit, & certè non minimus. Aut ergo doce,qui errant,non errare: aut Christi sponsam erroribus quibusdam duci posse confitere.

DVRAEVS, Fol.71.

His(*inquit Campianus*) proprietatibus delineant Ecclesiam,quæ penitus ipsam occulant,& tanquam Ideam Platonicam secretis obtutibus hominum perpaucorum subijciunt.*Tu respondes,*Ecclesiæ proprietates illas ascribimus,quę veram Ecclesiæ naturam continent, quæ, si adsunt, Ecclesiam constituunt, & tollunt, si auferantur. *Addis deinde,*Id nos veræ Ecclesiæ proprium esse iudicamus, vt verbum Christi audiat, & conseruet, vt sacramentis integrè puréque vtatur.*Hac responsione tenebras vestris sectatoribus offundis.Non his tanquam notis Ecclesia quærenda est, sed hæc ipsa ab Ecclesia discenda: Sic enim Isai.2.* Erit nouissimis diebus præparatus mons Domini &c. *Nos in tenebris versamur, Ecclesia nobis facem præferat est necesse.Irenæus lib.3.c.4.*Quid(*inquit*)si de aliqua modica quæstione disceptatio orta fuisset,nonnè oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias? *Et Tertullian.de præscrip.* Quid prædicauerint Apostoli, quid illis Christus reuelauerit, & hîc præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias,quas ipsi Apostoli condiderunt.

WHITAKERVS.

2 Ecclesiæ veras propriasque notas in verbi doctrina, & sacramentorum administratione constitui cùm negas, quid aliud facis,quàm Ecclesiam extra scripturas quæris, & non Christi Ecclesiam,sed nescio quā Synagogam à Christo alienam consectaris?Si enim Ecclesia est Christi ouile,Christique oues Christum pastorem suum

Ioan.10.4. 16. audiunt, Christus autem extra scripturam oues suas non alloquitur, necesse est eam esse Christi veram Ecclesiam, quæ Christi doctrinam in verbo traditam conseruat & tuetur. Deinde si Ecclesia fidelium cœtus est, fides verò nascitur
Rom.10.17. ex audito verbo: sequitur verbum Dei non modò notam, sed etiam causam esse & principium
Luc.16.29. 31. Ecclesię. Diuiti Abrahamus respondit, *Habent Mosen, & Prophetas: audiant eos*. Qui ergo cælestem doctrinam expetunt, solas scripturas audire, nihil præter eam desiderare debent. *Si enim Mosen & prophetas non audiunt, ne si quidem quispiam ex mortuis excitetur, assentientur*. Dedit Apostolis in mandatis Christus, vt gentes omnes docerent quæ ipse præcepit, ex quo Christi doctrinam Ecclesiæ notam esse constat. Hæc enim doctrina quam Christus Apostolis tradidit, Apostoli gentes docuerunt, Christianorum Ecclesias ab alijs hominum so-
Act.2.24. cietatibus distinxit. Quare in Actis Lucas scribit Christianos in doctrina Apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & precibus perdurasse: in quo vides Apostolorum doctrinam huius Ecclesiæ indicem extitisse.
1.Cor.4.15. Paulus ait, *In Christo Iesu per Euangelium ego vos genui*: ergo per Euangelium Ecclesiæ & generantur, & conseruantur. Eamque ob cau-
Ephes.2.20. sam Paulus Ecclesiam in Apostolorum & prophetarum fundamento positam esse, illud autem fundamentum Christo ipso niti affirmat. Si doctrina Apostolica ac prophetica est fundamentum Ecclesię, & fundamēto conuulso totum

ædificium

ædificium concidit, qui hanc doctrinam negat esse notam Ecclesiæ, perinde facit, ac si ædificium sine fundamento constituat. Si verò fundamentum totam ædificij molem sustinet, tum doctrina Apostolorum & Prophetarum Ecclesiam continet, ac conseruat. Cùm autem defectio à fide, falsæq; doctrinæ professio falsam Ecclesiã indicet, euincitur verã Ecclesiã veræ doctrinæ prædicatione cõprobari. Regnum cælorum Christus cõparat *homini semen bonũ in agro suo serenti*: Vbi ergo hoc semen diuini verbi spargitur, ibi cælorum regnum & Domini agrum esse constat. Præterea, si ille est perfectus minister, qui doctrinam scripturæ didicit, eamq; populo proponit, tum illam esse veram & perfectã Ecclesiam efficitur, quæ hanc eandem doctrinam recipit ac tuetur. Dominus ait, *Hæc est sapientia vestra ante oculos populorum*: si ergo Iudæos diuinæ legis obseruatio cunctis populis sapientiores effecit, perspicimus Dei verbo Ecclesiam illustrissimè demonstrari. Irenæus egregiè scripsit, *Euangelium in scripturis Apostoli nobis tradiderunt, columnã & firmamentum fidei nostræ futurũ*. Et Augustinus, *Ciuitatẽ Dei dicimus, cuius scriptura testis est*. Si scriptura Ecclesię testis est, notã esse Ecclesię scripturã negari nõ potest. Et alibi Augustinus, *Vbicũq; timetur Deus & laudatur, ibi est Ecclesia Christi*. Nusquã autem aut timetur aut laudatur Deus, nisi vbi Dei verbum prædicatur. Et iterum, *Ecclesiam in scripturis sanctis Canonicis debemus agnoscere, non in varijs hominum rumoribus & opinionibus & factis, & dictis, & visis inquirere*. Et in alio loco idem Augusti-

1.Tim.4.1. Mat.13.24. Deu.4.6. Irenæ lib.3. cap.1. August. de Ciuit. Dei, li. 3. cap.1. In Psal.21. exposit.2. De vnit. Ecclesiæ. c.16.

De Ciui. Dei lib. 6. c. 3. Augustinus, *Vera religio non à terrena aliqua ciuitate instituta est, sed planè cælestem ipsa instituit ciuitatem.* Si religio instituit cælestem ciuitatem, hoc est Ecclesiam, multò magis hæc eadem religio Ecclesiam indicat. Et Hieronymus, *Ecclesia non in parietibus consistit, sed in dogmatum veritate: Ecclesia ibi est, vbi fides vera est.* Quid dici illustrius potuit? Et Ambrosius, *Si qua est Ecclesia, quæ fidem respuat, nec Apostolicæ prædicationis fundamenta possideat, deserenda est.* Vnde perspicuum est fide & Apostolica prædicatione Ecclesiam Catholicam ab hæretica internosci. Quæ cùm ita sint, num tenebras sectatoribus nostris offundimus, quando ex scripturis agnosci Ecclesiam docemus? *Imò (*inquis*) non his tanquam notis quærenda Ecclesia est, sed hæc ipsa ab Ecclesia disci debent.* Acutè, vt soles. Qualis enim hæc tua argumentatio est, verbum Dei discitur in Ecclesia, ergo verbum Dei non est nota Ecclesiæ? Num enim sequitur, quia verbum Dei nusquam nisi in Ecclesia verè annunciatur, & sacramenta purè administrantur, proinde his notis Ecclesiam non esse quærendam? Multò melius contrà valet, quia non alibi quàm in Ecclesia purus sacramentorũ vsus, & legitima verbi prædicatio reperitur, idcirco his indicijs veram Ecclesiam demonstrari: si enim Aristotelis philosophiam nulli nisi Peripatetici profitentur: ergo Peripateticos hęc disciplina ostendit, atq; ab alijs philosophorum sectis distinguit.

Hierony. in Psal. 133.

Ambros. in Luc. li. 6. c. 9.

Quod autem Esaias de monte Domini vaticinatur, quomodo potes ad causam tuam accom-

commodare? Quid si enim ad montem Domini gentes omnes confluent, & sese ad domum Dei Iacob conferent, vt doceat illos Dominus vias suas? Quis Dei vias in domo Domini discendas esse nescit? Sed quæ causa gentes impulit, vt ad hanc Dei domum conuenirent? Eam propheta subiungit, *Nam Sione prodit doctrina, & verbum Iehoua Ierosolymis.* Sic ex doctrina verboq; Iehouæ agnosci & coli Ecclesiam vides. *Nos verò* (inquis) *in tenebris versamur*: At verbum Dei, quemadmodum propheta ait, *Lucerna est pedibus nostris, & lux itineri nostro*. Nec ipsa Ecclesia aliquid habet lucis aliunde, quàm ex hoc eodem Dei verbo: non enim sua, sed aliena luce lucet. Iræneum & Tertullianum fateor ad antiquissimas Ecclesias prouocare: id ipsum nos etiam facimus, & vestram Ecclesiam ab apostolica antiquissima Ecclesia damnari millies ostendimus. Tu verò non ad illas antiquas, sed ad tuam Romanam recentissimam Ecclesiam omnium controuersiarum disceptationem reuocas. Est autem considerandum quales illi hæretici fuerint, quos hi patres Ecclesiæ authoritate premebant, nempe eiusmodi, qui scripturas minùs curabant. Quare hos hæreticos doctissimi Patres Ecclesiarum illarum, quæ ab ipsis Apostolis institutæ fuerant, quæque Apostolicam doctrinam fidelissimè semper seruauerant, testimonijs refutarunt. Vestra planè alia ratio est.

Esai. 2. 3.

Psalm. 119. 105.

DVRAEVS, Fol. 72. 73.

Quid est aliud ex illis notis Ecclesiam inuestigare, quàm obscu-

rum

rum per obscurius quærere? Nam Ecclesia notior est, quàm verus sacramentorum vsus, & legitima verbi prædicatio, vt infantulus nisi inuenta nutrice, oreq; vberibus admoto, lac quo nutriatur nunquam inueniet. Si quis quærat ex vobis, quibus notis doctrinam sanam à corrupta, & à legitimo sacramentorum vsu adulterinum discernat, ad scripturas, opinor, illum remittetis. Et quid est aliud scriptura, quàm ipsum Dei verbum? Verbum ergo ex verbo inuestigabit. Ad extremum eas esse Ecclesiæ notas oportet, de quibus inter eos, qui omnibus anteactis seculis floruerint, ac eos qui nunc viuunt, controuersia nulla sit, quæ claræ sint, & adeo propriæ ac peculiares, vt ne ab alia Ecclesia probabiliter vendicari possint. Quæ tam absurda ac phanatica secta est, quæ non vestras has notas sibi summa arrogantia vendicet?

WHITAKERVS.

3 Ecclesiam velle ex scripturis dijudicare, id tibi perinde videtur, atque obscurum per obscurius quærere. Quasi scriptura magis obscura sit, quàm Ecclesia, & meliùs ex Ecclesia scriptura, quàm ex scriptura Ecclesia cognosci possit. Hoc verò absurdum est, atque ab omni sano veroq; iudicio alienum. Etenim si non in externa hominum corpora, sed in ipsam Ecclesię veram naturam inspicere volumus, scripturam Ecclesia multò notiorem atque illustriorem reperiemus. Scriptura enim Ecclesiam procreat, atque efficit, & tum demum aliquid cognoscimus, quando causam perspectam & cognitam habemus. Deinde Ecclesiæ variæ & multiplices sunt, scriptura constans, stabilis, & sibi semper similis. Postremò, si quando fuit de scripturis dubitatum, multò tamen maiores semper de Ecclesia dubitationes extiterunt. Nam scripturam Canonicam ferè omnes agnoscunt, de Ecclesia interim quæstiones multas, dubiasq; controuersias

sias agitant. Huc etiam accedit, quod scriptura regula sit, eaq; de causa Canonicæ nomen habet: regulam verò rectiorem atq; certiorē esse oportet, quàm quod ad regulā exigitur. Ex quibus efficitur Ecclesiam esse scriptura obscuriorē, non contrà, vt tu affirmas, clariorem. Nam quod de nutrice & infantulo affers, etsi non nego verbi ac sacramentorum fructum nusquam nobis prætterquam in Ecclesia constare, quēadmodū infantulus ex nutricis vberibus pēdet, & lacte illo alitur, quis tamen nō videt teipsum hoc tuo exēplo palàm refutari? Si enim vis nutricē quærere, quam notam adhibes, ex qua nutricē agnoscas? Nonnè hæc ipsa lactis copia nutricem & facit, & tibi indicat ac prodit? Sic quando cælestem nutricem desideramus, eam non aliter quàm ex diuino puroq; lactis fonte exquirimus.

Verùm sic fiet, inquis, vt cùm verā verbi prędicationē ac purum sacramētorū vsum ex scriptura quærimus, & scriptura nihil aliud est quā verbū Dei, verbū ex verbo inuestigemus. Hoccinè tibi ridiculum videtur verbum ex verbo inuestigare? Cur tu igitur Ecclesiā non ex verbo, sed ex Ecclesia agnoscēdā esse doces? Si enim Ecclesia potest ex Ecclesia cognosci, quid ni verbum etiā ex verbo percipi posse cēseamus? *Sed notas Ecclesiæ eiusmodi* (inquis) *esse oportet, de quibus inter omnes conuenit, & quæ propriæ sunt, nec possunt ab alia Ecclesia probabiliter vendicari.* Fateor, & nostræ tales sunt, vestræ non sunt. Nā & quæ scriptura sit ignotū non est, & qui dissentiunt, ex ipsis scripturis facilè refelluntur, & scriptura sic est verę ecclesię

propria, vt eam nulla nisi vera Ecclesia probabiliter vendicare possit. Successionem autem Episcoporum, quam vos Ecclesiæ summā ac præcipuam notam facitis, & hæretici multi iactare possint, & Græca Ecclesia ab ipsis Apostolorum temporibus ductam retinet. Vtri ergo successioni, vestræ an Græcæ credemus? Quòd autem ais, quæ secta vestras notas non vendicet, quid hoc ad rem facit? Quid enim si tu, quę mea sunt, vendices, an ergo mea non erunt mea? Et quanquam hæretici scripturas vendicant, id tamen probabiliter non faciunt, & ex scripturis solis, non aliter refelluntur. Ita quocunque te verteris nullam aliam Ecclesiæ notam certiorem, quàm scripturam inueneris. Augustinus ait, *In scripturis didicimus Christum, in scripturis didicimus Ecclesiam: has scripturas communiter habemus, quare non in ijs & Christum, & Ecclesiam communiter retineamus?* Et Chrysostomus, *Antea multis modis ostendebatur quæ esset Ecclesia Christi, nunc autem nullo modo cognoscitur nisi per scripturas.*

August. Ep. 166.

Chryst. hom. in Mat. 49.

DVRAEVS, Fol. 63.64.

Verissima; & certissima, & clarissima Ecclesiæ nota est, vt Catholica sit. Catholicam porro vocamus, quæ à Christo fundata impleuit terram, propheta teste Psal. 79. Operuit montes vmbra eius, &c. *Hieronymus contra Luciferanos,* In illa est permanendum Ecclesia, quæ ab Apostolis fundata vsque ad hanc diem durat: sicubi audieris eos qui dicuntur Christi, non à Domino Iesu Christo, sed à quoquam alio nuncupari, vtpote Marcionitas, Valentinianos, Montenses, scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam. &c. *Et Augustinus ad Honoratum,* Dubitabimus nos eius Ecclesiæ

condere gremio quæ vsq; ad confessionem generis humani ab Apostolica sede per successiones Episcoporũ frustra hæreticis circumlatrantibus culmen authoritatis obtinuit? *Et Tertullianus, eam esse veram Eccl esiam ostendit*, quæ antiquior est. *Hinc ille hæreticos irridet*, Qui estis vos? Vnde & quando venistis? Vbi tamdiu latuistis? *Quid Irenæum referam, qui ad veram Ecclesiam inuestigandam non aliam inuenit notam certiorem quàm perpetuam Episcoporum successionem? Quid Vincentium? Qui* quod semper, quod vbiq;, quod apud omnes fuit, *hoc esse Catholicum docet.*

WHITAKERVS.

4 Vnicam hanc instar omnium Ecclesiæ notam esse dicis, vt sit Catholica: in quo quis non videt, quàm te vel imperitum, vel obliuiosum ostendas? Quærimus enim de Ecclesiæ Catholicæ notis: tu Catholicę Ecclesiæ notã facis, vt sit Catholica. Dic ergo nobis, Duræe, vtrum horũ notius sit, Catholica ecclesia, an Catholica Ecclesia? Vt vera Ecclesia sit etiã Catholica concedimus, verùm non modò de vniuersali Ecclesia, sed de singulis etiam Ecclesijs disputamus. Id enim agitur vt quo indicio constet hunc particularem Christianorum cœtum esse veram Christi Ecclesiã intelligamus. Num autẽ vera non erit, nisi toto terrarum orbe fusa fuerit? Sic tuã notam, quæ singulis Ecclesijs minimè conuenit, parùm appositã atq; aptã esse perspicis. Scriptura verò tum Catholicam, tum particularem quamq; Ecclesiam declarat atq; demonstrat. Tum Ecclesię vera atq; essentialis nota eiusmodi esse debet, vt omnium temporum Ecclesiæ conueniat. At verò Ecclesia ante Christum non fuit Catholica. Sed vt

tibi de tua nota respondeam, dico nostras Ecclesias membra esse Catholicæ Ecclesiæ, quam Christus seuit ac fundauit, quæq; deinceps terram impleuit. Hîc iam tuas vires experiri cupio. Sed tu impetum omnem orationis tuæ aliò auertis. Quod autem ex Propheta adducis, id de Israëlitarum Ecclesia intelligendum est. Sic enim
Psal. 80.9. paulò prius, *Vitem ex Ægypto transtuleras.* Sin hinc Catholicam esse Ecclesiam contendis, audi
Vers. 13.14. quid sequatur, *Quare perrupisti macerias eius, adeo vt carpant eam omnes transeuntes, vt suffodiat eam porcus syluestris, & animal agreste depascat eā?* Fatêre ergo Catholicam Ecclesiam, quæ terram impleuit, & montes vmbra sua contexit, perrumpi, & diripi, & miserè vastari posse. Hieronymus verò quantam tibi & tuis plagam inflixerit, si non sentis, sensum certè omnem amisisti. Si enim illa est Synagoga Antichristi, vbi ij qui dicuntur Christi, ab alio quoquam nuncupantur, quid tandem de tua Ecclesia statuemus, vbi tam multæ sunt Benedictinorum, Franciscanorum, Dominicanorum, Iesuitarum sectæ & familiæ? Iam si potes, nega vestram Ecclesiam esse ipsius Antichristi Synagogam non nostro, sed Hieronymi testimonio. Ad rem quod attinet, fateor in ea semper Ecclesia permanendum esse, quæ ab Apostolis fundata ad hanc diem durauit. Sed quis non videt aliam illius, huius temporis aliam esse rationem? Nam noli existimare nos tibi daturos vnquam tuam Ecclesiam esse ab Apostolis fundatam. Nihil eorum quæ nunc Romæ visuntur, Apostoli fundarunt, non templa, non altaria,

altaria, non Cathedrã, non Vaticanum, non Bullas, non claues, non religionem, non quicquam. Idem Augustino responderi potest: nam illa successio verè Apostolica fuit, vestra nihil minùs. De Tertulliano atque Irenæo priùs respondi, quantum ad hunc etiam locum sufficiat. Si verò id Catholicum est, quod semper, quod vbiq;, quod apud omnes fuit, quemadmodum Vincentius tradit, nihil vestrum Catholicum erit. Id enim verè ac liberè profiteor, nullam pontificiæ religionis partem semper & vbique in Ecclesia receptam esse. Si nunc in medium eiusmodi aliquid adduxeris, quale hoc modo Catholicum esse constet, sanè viceris. Sed hîc tibi semper aqua hærebit.

DVRAEVS, Fol. 64.65.

Ista (*inquis*) verbum Dei nimirum, & sacramenta Ecclesiam in clarissima, & quasi meridiana luce constituunt. *Quid ergo est quòd tot annis vestram in tenebris latuisse Ecclesiam dicitis? Quid sibi vult quod mox subiungis*, Ecclesia Lunæ similis, nunc tota lucet solis radijs incensa, nunc Luminis magna parte priuatur, nunc lumen omnino nullum ostendit? *Quid tandem est quod ais*, Acabo dominante vsque adeo fuit Ecclesiæ Israëliticæ aspectus obscuritate infuscatus, vt Elias neminem præter se relictum esse quereretur? *Elias non de vniuersa Synagoga, sed de regno tantùm Israëlitico, in quo ipse tum agebat, loquebatur. Addis mirum non esse si in regno Antichristi mira esset solitudo*, non quin multæ Chiliades & myriades sanctorum remanserint. *Huic ego ænigmati explicando Oedipum aliquem quærendum censeo.*

WHITAKERVS.

5 Quid istæ sibi ineptæ argutiæ volunt? Quenquam putas posse tam exilibus captionum præstigijs falli? Verbum & sacramenta Ecclesiam in luce clarissima constituunt, quia sunt Ecclesiæ proprietates οὐσιώδεις, veramq; Ecclesiam ab adulterina distinguunt. Non tamen est necesse vt quæcunq; Ecclesia verbo ac sacramentis fruitur, eadem mox tam clara sit, vt hominum aspectum non magis, quàm sol tempore meridiano lateat. Verùm vt qui oculos habent lucentem solem videre possunt, sic qui intus cæci non sunt, ex his notis Ecclesiam agnoscunt. Nostra verò Ecclesia nunquam sic latuit, quin eam pontifex tuus senserit, nisi fortè vmbræ erant, quas ille tã multis seculis persequutus est. Ecclesiam verò Lunæ ab Augustino comparatam esse, opinor, non negabis. Sicut ergo Luna non semper lumine plena est, sic etiam Ecclesia interdum in magna obscuritate versatur, non vt nulla sit, sed vt parùm sit gloriosa. Sic alibi Augustinus, *Ecclesia est sol, & luna, & stellæ, &c. Quando sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur, Ecclesia non apparebit, impijs tunc persequutoribus vltra modum sæuientibus.* Iam ergo me doceas velim, quemadmodum Ecclesia & semper splendere, vt vos contenditis, & tamen aliquando non apparere possit. Eliam autem ais de regno tantùm Israëlitico, in quo tum agebat, loquutum esse: & tamen

Aug. Epist. 80.

men eo tempore Elias non in regno Iſraëlitico, 1. Reg. 19. 8.
vt tu putas, ſed in monte Dei Horebo agebat.
Verùm eſto, vt de Eccleſia Iſraëlitica loquutum
Eliam eſſe fateamur: tamen ex hoc Eliæ exemplo, quod volumus, efficitur. Quod enim in illa Eccleſia contigit, vt boni nulli apparerent, & multi tamen laterent, ſic in alijs etiam temporibus atque Eccleſijs vſuuenire poteſt, vt quanquam aut nullus aut perexiguus piorum numerus videtur eſſe reliquus, Deus tamen occultam quandam fidelium multitudinem conſeruet.
Atque in hunc finem hoc ipſum teſtimonium Rom. 11. 3.
Paulus adhibet. Deſine ergo nobis latebras exprobrare. Si enim in anguſto illo Iſraëlitarum regno ſeptem millia piorum remanſerint, quorũ nullus Eliæ notus erat, dubium non eſt Deum ſibi in orbe Chriſtiano maiorem hiſce multis ſeculis regnante Antichriſto multitudinem reſeruaſſe. Nunc igitur quid Oedipo opus eſt? Quæro enim, Erátne piorum eo tempore, quo hæc Elias conqueſtus eſt, ſolitudo, an non? Si non erat, ſine cauſa queſtus eſt Elias: ſi fuit, tum vides, & piorum ſolitudinem fuiſſe, & tamen χιλιάδας nonnullas incolumes remanſiſſe.

DVRAEVS, Fol. 66.

Ab Heliæ exemplo ad Hieroſolymitanæ Eccleſiæ ſtatum deſcendis tempore Chriſti, de quo tibi valdè ſubtiliter quærere videris: Illa ergo Eccleſia fuítne Campiane vera Eccleſia an non fuit? Si fuit, Chriſtum ergo vera Eccleſia odit, & morte dignum iudicauit. Si non fuit, vbi tandem, & quæ fuit? *Quid mirum ſi facta veræ fidei iactura Dei Eccleſia eſſe deſiit? Vis vno verbo dicam: In Chriſto ſanè & in Apoſtolis, & illis etiam Iudæis,*

qui inuincibili (vt Theologi loquuntur) aduentus Christi ignorantia laborabant, vera ecclesia eo tempore fuit.

WHITAKERVS.

6 Vtcunque ego tibi videor de Hierosolymitana ecclesia non satis subtiliter quæsiuisse, tu certè ad quæstionem parùm subtiliter & apposite respondes. Ecclesiam illam fateris fidei iacturam fecisse, ac proinde Dei ecclesiam esse desijsse: in quo tibi ipsi vulnus incautus infligis. Si enim veras ecclesiæ proprietates amisit, quando iacturam fidei fecit, est igitur fides vera & necessaria ecclesię nota, quod tu nullo modo concedis. Iā verò si ecclesia in Scribis, Pharisæis, Sacerdotibus, populoque Iudaïco cum his consentiente non fuit, successionis tuæ filum, à quo ecclesiæ statum perpetuò pendere contendis, abruptum planè fuisse constat. Sed fuit (inquis) ecclesia in Christo, in Apostolis. Ita est necesse Duræe: verū quod ex eo sequitur non explicas. Si enim in legitima successione ecclesia ab ipso Domino instituta fieri potuit, vt vera ecclesia apud eos minimè extaret, qui locum, nomen, dignitatem, ornamenta ecclesiæ amplissima habebant, ad paucos homines ab isto corpore quodammodo reuulsos pertineret, certum est ecclesiam non semper in multitudine aspectabili, & externa hominum successione quęrendam esse, sed nonnunquam in obscuris locis & summa infrequentia ac solitudine versari. Primùm enim quàm multi sunt, qui Christum natum agnoscunt? Pastores pauci, Symeon, Anna, Zacharias, Elizabet, Iosephus, Maria,

Maria. Exiguus sanè numerus. Deinde, docentem palàm Christum quàm pauci sequuntur? Postremò pendentem in cruce Christum quotusquisque non deserit? Si tum in paucissimis negas ecclesiam latuisse, illam ergo nobis ostende. Mariā opinor, proferes, & Ioannem, & Apostolos, qui tamen metu diffugerant, seque in latebras abdiderant. Euoca nunc, & nobis demonstra gloriosam illam celebremque ecclesiam, præ qua nostrarum ecclesiarum paucitas sordescat. Si tum fuit ecclesia visibilis, nostra ecclesia nunqnam certè fuit non visibilis. Nullum enim mundi seculum fuit, in quo non multò frequentiores, quàm hi, pontificios errores respuerint, sese ab ecclesia Romana disiunxerint, Christum purè coluerint. Quod autem de Iudæis subiungis *inuincibili ignorantia* laborantibus, id tuam inuincibilem ignorantiam ostendit. Si enim fuit Christi ecclesia in Iudæis ijs, quorum erat inuincibilis ignorantia, id est, qui non modò Christum non norunt, sed ne nosse quidem potuerunt, tum multò magis in gentibus fuisse ecclesiam Christi: & eo tempore, & nunc etiā consequetur, quia Iudæorum nulla esse tam desperata & inuicta ignorātia potuit, quam nō Gentium ignorantia longè superet. Et quis te hîc iterū pugnantia loqui non animaduertit? Qui enim cōtra latentē Christi ecclesiā disputas, eam tamē ibi quærendam esse statuis, vbi Christus penitus ignoratur. Si enim apud eos aliqua est ecclesia christi, qui Christū *inuincibiliter* (vt Theologi loquūtur) ignorant, lateat certè omnino est necesse.

DVRAEVS, Fol. 66.

Sed nouo nos rursus ariete quatis. Si hoc Hierosolymitanę ecclesiæ contingere potuit, non video quo minùs Romana ecclesia etsi nomen ecclesiæ retineat, corpus tamen iamdudum amiserit. *Quasi verò idem de Christi ecclesia, quod de Iudæorum synagoga iudicium esse debeat, cùm Prophetæ Christi ecclesiam nullo vnquam tempore interituram clarissimè vaticinati sint. Esai.* 59. Hoc fœdus meum cum ijs dicit dominus, &c. *Ierem.*31. Ecce dies veniet, dicit dominus, &c. *Ezech.* 37. Percutiam cum illis fœdus pacis, &c. *Sed quid Prophetis immoror, cùm Christus ipse tam disertis verbis dixerit,* Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. *Matth. vlt. ac rursum,* Super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. *Ex quibus nullo vnquam tempore interituram ecclesiam constat.*

WHITAKERVS.

7 Quod Hierosolymitanæ contigit synagogæ, id in Christi ecclesiam cadere posse negas. Quid ita verò? Nónne enim illa Dei, Christique ecclesia fuit, nonnę illam dominus amplissimis beneficijs, & maximis ornamentis affecit? Quid ergo huic accidit quod cuiuis accidere nequeat? At Christi ecclesiam Prophetæ nunquam interituram prædixerunt. Respondeo, hæc, quę commemoras, Dei promissa ad electorum ecclesiam pertinent, pontificiam non attingũt, cui nihil vnquam Dominus promisit. Ecclesiam suã Christus nunquam deleri patietur: sed aliud est deleri atq; interire, aliud ad tẽpus latêre, nec palàm ab omnibus agnosci. Latêre ecclesia potest, extingui

non

non potest. Incolumem fore aliquam semper ecclesiam dominus promisit, illustrem semper & valdè conspicuam fore nunquam affirmauit. Et quæ possunt ampliora cogitari promissa, quàm quæ Israëliticæ ecclesiæ, quam tu synagogam vocas, facta legimus? Sic Propheta Dauid, *Elegit Iehoua Sionem, expetiuit pro habitatione sua dicens, hæc est requies mea vsque in sempiternum, hic habitaturus sum.* Et sunt in Prophetis huiusmodi innumera vaticinia. Nunc Deo litem (si placet) intende, vt promissorum, quibus se Sioni alligauit, fidem liberet. Sanè verò, si quid vnquam Romæ tale promisisset, nullus importunitatis vestræ modus extitisset. Sed forsan Christi clariora ac firmiora promissa sunt. Christus enim se cum ecclesia sua futurum omnibus diebus ad mundi finem pollicitus est. Sic ergo disputas, Erit cum ecclesia sua Christus omnibus diebus quousque mundus perstiterit, ergo ecclesia Christi nunquã latebit, nec vnquam ad paucos redigetur? Quomodo hæc tandem nexa sunt? Quasi non idem Christus ibi se futurum, vbi duo aut tres in ipsius nomine congregantur, etiam promisit? At contra ecclesiam portæ inferorum nunquam valebunt: quasi contra veterem ecclesiam hæ portæ valuerint, in qua tamen sæpiùs paucissimos fuisse pios ne ipse dubitas. Non ergo sequitur, contra ecclesiam portas inferorum valuisse, si eam non omnes perpetuò florentem aspiciunt.

Psal. 132. 13.14.

Matth. 28.

Mat. 18.20

DVRAEVS, Fol. 67.

Neque est quòd frigido illo perfugio elabi te posse speres, veram quidem & Catholicam Christi ecclesiam deficere non posse, Romanam posse. Cùm in nullam planè aliam Catholicæ Ecclesiæ nomen, & quæcunque de Christi Ecclesia Prophetæ prædixerint, quàm in Romanam conuenire possint. Romanam verò nuncupamus ecclesiam, non eam quæ Romæ vrbis mœnibus cingitur, sed quæ per vniuersum orbem diffusa Romano pontifici tanquam Christi vicario adhæret. Quid tu verò pro Luthero respondeas audimus. Lutherum Romana damnauit ecclesia, ideóne hæreticus Lutherus? At Christū Hierosolymitana dānauit. *Tolerari vtcunque posset Romanæ Ecclesiæ & Synagogæ facta contentio, sed quòd Lutherum cum Christo comparas, omnes profectò modestiæ & rationis limites excedit.*

WHITAKERVS.

8 Etsi calidus satis es, multò tamen adhuc magis incalescas oportet, priusquam nobis Catholicam ecclesiam eandem esse ac Romanam persuaseris. Siccine enim nos desipere putas, vt quantum à Catholico Romanum discrepet, nesciamus? Cur obsecro Romana ecclesia magis sit Catholica, quàm Antiochena, Alexandrina, Constantinopolitana, denique quàm quæuis alia? Cadere enim in nullam ecclesiam præterquam Romanam, quæ olim Prophetæ de Christi ecclesia prædixerunt, tam falsum est, quàm in eam conuenire omnia, quæcunque de Antichristi synagoga spiritus sanctus prænunciauit, verissimum. Tum quòd Romanam ecclesiam non illam tantùm nuncupas, quæ vrbis mœnibus circumscribitur, sed quæ pontifici Romano paret: quid aliud facis, quàm somnias?

Verùm

Verùm, annon etiam quædam Romæ ſit particularis Romana Eccleſia, abs te ſcire cupio. Quomodo autem illam Romanam ab altera Romana diſtinguis? Et quis eſt huius particularis Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus? Si pontifex ſummus, tum ille eſt & particularis Epiſcopus, & vniuerſalis. Vnde fit, vt dum ſimul & particularis, & vniuerſalis Epiſcopus eſſe vult, nullum omnino Epiſcopi officium faciat, & pro Epiſcopo vniuerſali, Monarcham ſe nobis vniuerſalem prębeat. De capite Eccleſiæ quod narras, nimis iamdudum fruſtrà decantatum eſt.

Magnum verò proculdubio & intolerandum in eo ſcelus admiſi, quòd cum Chriſto Lutherum comparaui. Dico enim, ſi Chriſtus ab Eccleſia Hieroſolymitana & excommunicatus, & damnatus, & tandem trucidatus, tamen hæreticus non fuit, Lutherum non proinde hæreticum fuiſſe, quia illum Romana Eccleſia damnauit. Quam tu hîc modeſtiam, aut rationem deſideras? quaſi ſe Chriſti exemplo defendere, aut modeſtia careat, aut ratione.

DVRAEVS, Fol. 67.

Paulus (*inquis*) antequam Chriſtus ad iudicium venerit, ἀποϛασίαν futuram prædixit, quam patres antiquiſſimi de religione atque Eccleſia intelligunt. *Næ tu egregius es Pauli interpres. Niſi venerit* ἀποϛασία, *id eſt, niſi Eccleſia fuerit antrum & ſpelunca latronum. Cuius interpretationis authores, tu quidẽ eſſe patres dicis. Verùm ne te hîc pluribus detineã, patres profectò apud Paulũ vel Antichriſtũ ipſũ, vel certè à Romano imperio defectionẽ intellex-*

intellexerunt. Quòd ne tuus quidem Caluinus silentio præterijt, in commentar. in hunc locum.

Whitakervs.

9 Ecclesiam Hierosolymitanam Christus speluncam latronum appellauit, in quo vides veram Ecclesiam posse in latronum speluncam degenerare. Id si illi Ecclesię contigit, quam Dominus tam vnicè amauit, & tam multis beneficijs, ornamentis, promissis cumulauit, quid habet Romana Ecclesia, quod illam à simili mutatione perpetuò defendat? Omnino quidem nihil. Nam posse in noua Ecclesia tale aliquid contingere, ex eo (vt dixi) manifestum est, quòd Paulus futuram in Ecclesia ἀποστασίαν prædixerit. Nunc tuam nobis mirificam interpretandi solertiam ostende, quandoquidem meam interpretationem rides: Si Christi Ecclesia potest in ἀποστασίαν incidere, ex Ecclesia Christi latronum speluncam fieri posse constat: at illud futurum spiritus sanctus præmonstrauit: quare & hoc futurum etiam sequitur. Quod tamen de vera Ecclesia cogitandum non est, sed de externa Ecclesiæ larua, quæ inanem Ecclesiæ successionem, & nominis vsurpationem retinet, quemadmodum in Hierosolymitana Ecclesia vsuuenisse accepimus. Illam autem Pauli ἀποστασίαν de Ecclesia & religione ab antiquissimis patribus intelligi nemo ignorat. Cyrillus Hierosolymitanus, cui tu valde multum tribuis, de rectæ fidei ἀποστασίᾳ palàm interpretatur. Sic Chrysostomus, sic Oecumenius,

Cyril. Catech. 11.

us,ſic multi alij, ſic denique recentes illi veſtri Remenſes Theologi, ſi modò ita viſum fuerit Eccleſiæ. Iam ergo ſi futura eſt in Eccleſia fidei ac religionis tanta ἀποστασία, quantam Apoſtolus prædicit, vt Antichriſtus Dei templum occupet, atque vt ipſi pontificij ſuſpicantur, Romæ ſedeat depulſo pontifice, & veram Eccleſiam vaſtet, & verbi ac ſacramentorum adminiſtrationem prohibeat, & Eccleſiam in latebras cogat, quid tantopere lucem Eccleſiæ veſtræ iactatis, quam antichriſtus, vt vos ipſi conceditis, obſcurabit, atque ab oculis hominum remouebit? Si enim Antichriſtus ἀποστασίαν religionis inuehet in Eccleſiam, erit ergo religionis ἀποστασία aliqua, quod tamen negatis: ſique Antichriſtus Eccleſiam in latebras & ſolitudinem compellet, non ergo ſemper erit ſplendidus Eccleſiæ vultus, & aſpectus illuſtris, vt vos contenditis.

DVRAEVS, Fol. 68.

Rurſum Campianum ſic vrges, Chriſtus de ſuorum paucitate vaticinatur clariſſimè: Cùm venerit filius hominis, numquid inueniet fidem in terris? *Non te pudet ad Donatiſtarum, aliorumq́; hæreticorum perfugium diuertere? Auguſtinus aliter hunc locum ac tu interpretatur, de vnit. Eccleſiæ. c.* 13. Nos dictum (*inquit*) intelligimus, vel propter ipſam fidei perfectionem, vel propter illam iniquorum abundantiam, & paucitatem bonorum. *Et Hierony. contra Luciferanos:* Sciant illam fidem nominari, de qua ipſe Dominus aiebat, Fides tua te ſaluam fecit. *Et Cyprian. de vnit. Eccle.* Sic in nobis emarcuit vigor fidei. &c.

WHITA-

intellexerunt. Quod ne tuus quidem Caluinus silentio præterijt, in commentar. in hunc locum.

Whitakervs.

9 Ecclesiam Hierosolymitanam Christus speluncam latronum appellauit, in quo vides veram Ecclesiam posse in latronum speluncam degenerare. Id si illi Ecclesię contigit, quam Dominus tam vnicè amauit, & tam multis beneficijs, ornamentis, promissis cumulauit, quid habet Romana Ecclesia, quod illam à simili mutatione perpetuò defendat? Omnino quidem nihil. Nam posse in noua Ecclesia tale aliquid contingere, ex eo (vt dixi) manifestum est, quòd Paulus futuram in Ecclesia ἀποστασίαν prædixerit. Nunc tuam nobis mirificam interpretandi solertiam ostende, quandoquidem meam interpretationem rides: Si Christi Ecclesia potest in ἀποστασίαν incidere, ex Ecclesia Christi latronum speluncam fieri posse constat: at illud futurum spiritus sanctus præmonstrauit: quare & hoc futurum etiam sequitur. Quod tamen de vera Ecclesia cogitandum non est, sed de externa Ecclesiæ larua, quæ inanem Ecclesiæ successionem, & nominis vsurpationem retinet, quemadmodum in Hierosolymitana Ecclesia vsuuenisse accepimus. Illam autem Pauli ἀποστασίαν de Ecclesia & religione ab antiquissimis patribus intelligi nemo ignorat. Cyrillus Hierosolymitanus, cui tu valde multum tribuis, de rectæ fidei ἀποστασίᾳ palàm interpretatur. Sic Chrysostomus, sic Oecumenius,

Cyril. Catech. 11.

us,sic multi alij, sic denique recentes illi vestri Remenses Theologi, si modò ita visum fuerit Ecclesiæ. Iam ergo si futura est in Ecclesia fidei ac religionis tanta ἀποστασία, quantam Apostolus prædicit, vt Antichristus Dei templum occupet, atque vt ipsi pontificij suspicantur, Romæ sedeat depulso pontifice, & veram Ecclesiam vastet, & verbi ac sacramentorum administrationem prohibeat, & Ecclesiam in latebras cogat, quid tantopere lucem Ecclesiæ vestræ iactatis, quam antichristus, vt vos ipsi conceditis, obscurabit, atque ab oculis hominum remouebit? Si enim Antichristus ἀποστασίαν religionis inuehet in Ecclesiam, erit ergo religionis ἀποστασία aliqua, quod tamen negatis: sique Antichristus Ecclesiam in latebras & solitudinem compellet, non ergo semper erit splendidus Ecclesiæ vultus, & aspectus illustris, vt vos contenditis.

DVRAEVS, Fol. 68.

Rursum Campianum sic vrges, Christus de suorum paucitate vaticinatur clarissimè: Cùm venerit filius hominis, numquid inueniet fidem in terris? *Non te pudet ad Donatistarum, aliorumq́ hæreticorum perfugium diuertere? Augustinus aliter hunc locum ac tu interpretatur, de vnit. Ecclesiæ. c.* 13. Nos dictum (*inquit*) intelligimus, vel propter ipsam fidei perfectionem, vel propter illam iniquorum abundantiam, & paucitatem bonorum. *Et Hierony. contra Luciferanos*: Sciant illam fidem nominari, de qua ipse Dominus aiebat, Fides tua te saluam fecit. *Et Cyprian. de vnit. Eccle.* Sic in nobis emarcuit vigor fidei. &c.

WHITA-

WHITAKERVS.

10 His Christi verbis abusi olim Donatistæ sunt, vt Ecclesiam nusquam nisi in Africa saluam remansisse confirmarent. Mihi ergo non licebit eadem hæc ad rectam causam ac sententiam accommodare? *Filius hominis* (inquit Christus) *cùm venerit, num inuenturus est fidem in terra?* Quid apertius dici potuit de fidelium futura paucitate? Si enim vix in terris inueniet Christus fidem, raras esse Ecclesias, & perexiguas credentium multitudines est necesse.
Luc.17.26. Atque hinc Christus extremum tempus diebus Noæ comparat, quando pietas toto ferè orbe extincta oppressaque iacuit. Et pseudochristos
Mat.24.24. ait ac pseudoprophetas tantum effecturos, vt ipsi vix electi constantes in fide persistant. Tum
Luc.12.32. suum gregem Christus pusillum vocat. Quid tu his clarissimis scripturis opponis? Augustinum, & Hieronymum, & Cyprianum affers, qui fidem illam de vera electorum fide intelligunt. At quid si illi malè locum hunc interpretantur? Num tamen acquiescendum erit? Qui hic mos est, scripturis patres semper obijcere, & si quem eritis patrem nacti vobis aliquo modo astipalantem, scripturarum testimonia contemnere? Augustinus, & Hieronymus contra illos disputant, qui cùm essent in toto orbe frequentissimæ ac florentissimæ Ecclesiæ, tamen Ecclesiam vel angustis Africę finibus includebant, vel omnino ad paucissimos referebant. Et tamen quando Au-

do Augustinus his verbis *iniquorum abundantiam, & bonorum paucitatem* significari scribit, quid aliud dicit, quàm quod nos defendimus, malorum maximum, piorum paucissimum numerum fore? Si verò credentium numerus non valde magnus erit, fidem veram & perfectam necesse est in paucis reperiri. Sic patrum interpretatio cum nostra sententia minimè pugnat. Et nos patres etiam citare possumus nostræ interpretationi suffragantes. Nazianzenus ait: *Vbi modò sunt, qui de multitudine definiunt Ecclesiam, & gregem pusillum aspernantur?* Theophylactus in hunc locum Chrysostomum sequutus, de exiguo credentium numero, qui tum futurus est loquutum Christum intelligit: ad quem etiam Caietanus accedit, nisi vt sæpè vobis ille displicuit, ita hic quoque à vestro Catholico sensu aberrauit. Quanquam liceat mihi tecum tuo more disputare: Si tu Caietano tam docto & celebri Cardinali non credis, ego vt tibi nouo Iesuitæ credam postulas?

Nazianz. contra Arian.

Theophylac. in 18. Luc.

Caietan. in hunc locum.

DVRAEVS, Fol. 69.

Tandem ita concludis, Cuiusmodi hoc est? Ecclesiæ illę ad quas Christus & Apostoli scripserunt, erant manifestæ, ergo Ecclesia Catholica semper erit manifesta? *Atque hîc Campiani dialecticam irrides, magne magister Dialecticorum. Sed dic quæso, si singulæ Ecclesiæ ex quibus veluti partibus Ecclesia Catholica coalescit, sub aspectûs cadunt, nónne sequitur ipsam quoq; Ecclesiam aspectabilem esse? Et vt magnum te Dialecticum esse Academici videant, hûc mihi quæso nodum dissolue. Perijsse ais Ecclesias, Ephesinam, Smyrnensem, Perganenam, Corinthiam, & cæteras*

& cæteras ad quas Christus & Apostoli scripserunt. Quòd si Ecclesia inuisibilis esse potest (vt tu tanto studio contendis) quo argumento has periisse, vel tibi vel vlli hominum constare potest?

WHITAKERVS.

11 Aut nuper admodum dialecticam didicisti, aut te in disciplina magistro non bono tradidisti. Num enim qui sic disputat, eum dialecticè concludere existimemus, Particulares Ecclesiæ, ad quas Christus & Apostoli epistolas miserunt, erant visibiles, ergo Catholica Ecclesia semper erit visibilis? Qui sic argumentantur, fortunati sunt, si pro Dialecticis haberi possunt. Nam quo tandem medio ista extrema copulantur, vt quia erant multæ aliquando particulares Ecclesiæ, quas cuiuis aspicere liceret, proinde Catholicā Ecclesiam semper fore manifestam intelligamus? Neque enim eadem est ratio aut particularis & Catholicę Ecclesiæ, aut certi cuiusdam temporis, & omnium deinceps seculorum. Tunè potes tua dialectica fretus hæc tam dissoluta cōiungere? Si singulæ, inquis, Ecclesiæ sub aspectum cadunt, ipsa Catholica Ecclesia aspectabilis est. Quis te nimirum in dialecticis acutior? Verùm, quod primum sumis, ex singulis Ecclesiis Catholicam coalescere, explicandum tibi fuit. Catholica Ecclesia non modò nostræ ætatis finibus circumscribenda est, sed ipsos etiam patriarchas, prophetas, Apostolos, martyres, sanctosque omnes, qui vel fuerunt, vel futuri sunt, complectitur. Hæccine verò Ecclesia ex singulis horū tempo-

temporum Ecclesijs tanquam partibus constat? Nihil minùs. Deinde, vt Catholicam tuam Ecclesiam in hoc seculũ compingamus, tamẽ quousq; particulares sunt aspectabiles, Catholica aspectabilis non erit. Si enim Catholica ex partibus (vt tu dicis) coalescit, tum quando hæ partes coaluerunt, Totum quiddam ex istis partibus aggregatum videri potest, ipsæ verò partes singulæ videri nequeunt. Similiter dum partes singulę videntur, totum non videtur, quia nondum coaluit. Quare sic multò rectiùs conclusisses, Ecclesiæ particulares sub aspectum cadunt, ergo Catholica Ecclesia, quæ est singularum coaceruatio, aspectum fugit. Pręterea, si singularum Ecclesiarum aspectus Catholicam Ecclesiam aspectabilẽ facit, tũ singularũ ecclesiarũ euersio ac calamitas Catholicã Ecclesiam ab hominũ aspectu remouet. Illæ autẽ ecclesiæ, de quibus Campianus meminit, nusquam apparent: & quod illis vsuuenit, potest in quamuis cadere: ita si particulares obscurari possunt, & Catholica ex particularibus coagmentatur, Catholicã posse obscurari sequitur. Atq; hoc ne ipsi quidem futurum Antichristi temporibus negare potestis. Cùm ergo Antichristus ecclesias dissipabit, & nullos fieri piorum congressus patietur, & omnes homines, magnos paruos, diuites pauperes, liberos seruos aut ipsi seruire coget, aut interficiet, denique in solitudinem mulier, id est, ecclesia fugiet, quis tum ecclesiæ & rerum status erit? *Apoc. 13. 16*
Vbi tum tuam visibilem Catholicam ecclesiam inuenies? Quid tum tuo hoc argumento *Apoc. 12. 14*

fiet, Singulæ ecclesiæ ſunt viſibiles, ergo Catholica ecclesia ſemper viſibilis erit? Si enim multos in occultis locis remanſuros reſpondes, qui ſæuiente licèt Antichriſto Chriſtum tamen purè ſanctéque colent, id ipſum tibi de noſtris Eccleſijs refero, etſi ab Antichriſto crudeliter graſſante disiectæ multis ſeculis fuerunt, ſemper tamen aliquas incolumes permanſiſſe, in quibus pura doctrina viguit?

Sed me nunc nodum tuum diſſoluere oportet, quem ſic nectis: *Si Eccleſia eſt inuiſibilis, nullo argumento conſtare poteſt aliquam Eccleſiam perijſſe.* Sanè inuiſibilis Eccleſia, quæ eſt electorum multitudo nunquam perire poteſt: hanc ergo perijſſe nullo argumento conſtabit. Viſibiles verò Eccleſias ſic planè intelligimus perijſſe, vt tu hominem mortuum eſſe deprehendis. Cùm enim publicum verbi miniſterium ſit anima viſibilis Eccleſiæ, hoc ſublato viſibilem Eccleſiam interire eſt neceſſe. Suos tamen electos Chriſtus ibi etiam ſeruare poteſt, vbi nullæ ſunt viſibiles
1.Reg.19.18 cõſtitutæ Eccleſiæ, quemadmodũ Eliæ tempore
Rom.11.2. fecit, & vt Paulus ait, non abiecit Deus populum
Amb.li.2.de ſuum, quẽ præcognouit. Ambroſius ait, *Ibi Ec-*
Iacob.c.7. *cleſia in qua apparet Deus, & loquitur cum ſanctis ſuis.* Magnus verò & Duræo dignus nodus, ad quem expediendum noſtri Academici cõfluant.

DVRAEVS, Fol.70.

De vobis rectiſſimè dixit Campianus, non oppidum, non villam, non domũ reperiri potuiſſe doctrina veſtra imbutam.

Tu quidem Dialecticè valde respondes : Temporibus Apostolicis omnes Ecclesiæ, omnes vrbes, omnia oppida, familiæ omnes eandem fidem coluerunt, quam nunc nos profitemur. *Quasi non idem Arriani, Macedoniani, Pelagiani, Donatistę, omnes hæretici veteres eadem probabilitate dicere potuissent. Tuum erat ex omnibus Apostolicis Ecclesijs vnam saltem aliquam, vt Romanam, Ephesinam, Alexandrinam, Antiochenam, vel aliam quamuis ostendere.*

WHITAKERVS.

12 Si possunt Arriani, aut vlli hæretici suarum Ecclesiarum doctrinam ex sacris literis demonstrare, tum possunt idem, quod nos respondimus, respondere. Quæcunque enim Ecclesia doctrinam Apostolicam tenet, ea profiteri palàm potest sua doctrina omnes vrbes, villas, domos olim quæcunq; piæ erāt, esse institutas. Hæreticos scriptura redarguit, & ab Apostolica doctrina degeneres fuisse ostendit: nos scripturis nostras Ecclesias, nostramque doctrinam Apostolicam esse comprobamus: ijsdem tu, si potes, non esse conuince. Quòd verò postulas ex Apostolicis omnibus vnam saltem proferri, respondeo Christi Ecclesiam nullis certis locis, aut perpetua sedis alicuius successione alligari, id quod pulcherrimæ illæ, & maximæ, & celeberrimæ Apostolicæ Ecclesiæ indicant: quarum interitum ac calamitatem dolemus. Romana quidem Ecclesia vtcunque durauit, non vt illa quercus Mariana, sed tanquam truncus exanimis, & aridus, sine fructu, sine folijs, sine ramis, sine cortice, sine succo, stetit tamen & locum aliquem occupauit. Quæ dum amissa vita

paulatim computruit, interim Dominus viuas stirpes in diuersis locis excitauit, quemadmodum & vestræ, & nostræ historiæ testantur. Si mihi non credis, Illyrici librum consule, quem de testibus veritatis scripsit, ex quo numerum nobis nunquam defuisse intelliges. Ita igitur (vt Paulus inquit) *Et hoc tempore reseruatio secundum electionem gratuitam facta est.*

Rom. 11. 5.

DVRAEVS, Fol. 70.

Tanta (*inquis*) strages paulatim facta est: & paulatim varia superstitio manauit, cui patres sanctissimi quantum poterant restiterunt. *Dic ergo, à quibus & à qua ætate dogma aliquod religionis nostræ, quam tu superstitionem vocas, in Ecclesiam inuectum sit, aut qui vnquam patres restiterunt? sed quid illud sibi vult?* Quousque mysterium illud iniquitatis per omnes Ecclesiæ patres permearet, & totam tandem Ecclesiam occuparet. *Hic verò etiam teipsum superasti. Quid enim magis impium dici aut cogitari potuit, quàm mysterium iniquitatis totam occupasse Ecclesiam? Et mox addis,* Efficere tamen Antichristus nunquam potuit, quin sanctorum multitudo remaneret. *Hîc tibi noua opus est Dialectica: nisi fortè quos tu sanctos appellas, ad totam Ecclesiam minimè pertinent.*

WHITAKERVS.

13 Subitò mutari religionis & Ecclesiæ optimè compositus status haud potuit, præsertim cùm primæ illæ ætates tantam effuderint doctissimorum ac sanctissimorum patrũ copiam, quantam accepimus. Tamen paulatim crescēte latiusque manante superstitione magnam esse factam miseramque ἀποστασίαν res ipsa loquitur & testatur.

Quando

Quãdo autem doctrinam Apostolicã cum pontificia comparantes dissensionẽ maximam ac discrimen animaduertimus, quid attinet huius cõuersionis articulos ac momenta perscrutari? Solẽ ipsum, cuius est celerrimus motus, procedentem non videmus, processisse sentimus. Quòd ergo quæris qua ętate vestra superstitio in ecclesiam irrepserit, & qui patres restiterint, mihi non est necesse respondere. Vestra dogmata nõ esse apostolica ex scripturis intelligo: quo verò tempore & quemadmodũ quęq; superstitionis huius particula inualuerit, id meâ nihil interest. Num verò putas Duræe, Pontificis Romani talẽ initiò statũ fuisse, qualis postea fuit, & quam hodie esse perspicimus? Hoc quidem ab omni cogitatione abhorret. Erat enim olim & multis sanè seculis episcopus Romanus cæteris ecclesiarum omnium episcopis æqualis, præterquam quòd ei multum semper tributum est propter dignitatem illius ecclesiæ. Deinde distributo in quatuor ἐπαρχίας orbe Christiano, ordinis Romanus pontifex primas tenuit, & cæteris prælatus est patriarchis. Pòst in alias ecclesias authoritatem vendicare cæpit, Nicenam etiam Synodum ementitus: Sed à Concilio Africano repressus conquieuit. Tum Ioannem Constantinopolitanum Gregorius Magnus vniuersalis episcopi nomen ambientem grauissimè insectatus est, eumque ob hanc ambitionem Antichristi præcursorem vocauit. Postremò Bonifacius tertius hunc honorem à Phoca parricida magno pretio mercatus est. Hinc semper præci-

tauit, quousq; tandem non modò Ecclesias omnes, sed reges etiam, & ipsum Cæsarem Christianum ad pedis osculum demitteret. Num hos huius tam mirificæ conuersionis gradus ignoras? Aliud, si placet, exemplum accipe. Imagines olim in Ecclesijs fuisse nullas illud Epiphanij factū satis indicat, à quo velum discissum fuit, quod imaginem quasi Christi aut sancti alicuius habuit. Receptæ postea sunt in Ecclesias imagines, nullis tamen honoribus affectæ: receptas & positas pij Episcopi deijciunt ac confringunt, quemadmodum Serenum Massiliensem fecisse Gregorius scribit, quem tamen hoc nomine nonnihil reprehendit. *Quod* (inquit) *adorari vetuisti laudamus, quòd fregisti reprehendimus.* Ad extremum in Concilio Niceno, 2. decretum est imagines non tantùm non confringendas, sed piè etiam adorandas esse. Ita in reliquis causis factum est, atque ita futurum Paulus prædixit, quando ait, *nunc mysterium iniquitatis operatur.* Sed hîc (inquis) meipsum supero. Quamobrem Duræe? Impiumne est, quod dico mysterium iniquitatis totam Ecclesiam occupasse? Impius ergo Paulus fuit, qui ἀποστασίαν futuram prænunciauit, & Antichristum in templo Dei sessurum indicauit. Si enim ἀποστασία Ecclesiam peruasit, & Antichristus in Ecclesia sedem collocauit, Ecclesiam à mysterio iniquitatis occupatam esse constat. Interim electi, quas Dominus reliquias conseruat, incolumes semper remanserunt. Itaq; vetus mihi dialectica sufficiet, vt noua nihil opus sit. Totam enim Ecclesiam cùm dico occupatam, externam illam

Gregor. Regist. lib. 7. Epist. 9.

2. Thess. 2. 7.

illam ψευδώνυμον Episcoporũ & Ecclesiarum successionem, non sanctorum multitudinem intelligo.

DVRAEVS, Fol. 71.

Quod de Græcorum Ecclesiis ais, merum profectò mendacium est. Nam in Concilio Florentino imperator Palæologus cum Græcis atq; Armenijs Romanum Pontificem Christi vicarium lubens agnouit, & Romanæ Ecclesiæ fidem amplexus est. Immo quàm hodie à nobis in paucissimis dissentiant, Ieremias ille Patriarcha Constantinopolitanus edito libro satis declarauit.

WHITAKERVS.

14 Græcorum Ecclesias à vestris discrepare notum magis est, quàm vt meã orationem desideret. Si enim vobiscum sentiunt, cur pro schismaticis habentur? Aut si Romanum pontificem Christi vicarium agnoscunt, cur illi non obtemperant? Cur ad Concilium Tridentinum non venerunt? Tentatas esse multas sępe reconciliationes nõ ignoro, id vnum agente Romano pontifice, vt Gręcos etiam sibi subijceret, à quo se contemni dolebat. Venit ad Concilium Florentinũ Imperator Ioannes Palæologus, venit Iosephus patriarcha, venit Episcoporum magna multitudo. De quibusdam capitibus inter illos conuenit, de alijs minimè: nam transsubstantiationi subscribere penitus recusarunt. Extincto autem Iosepho morte repentina, cùm Eugenius pontifex cuperet valdeque instaret nouum eligi patriarcham, Græci tamen id se facturos negabant, donec Constantinopolin redijssent. Quàm verò malè hæc concordia coaluerit, facilè iudicare licet.

Sunt enim ab illo tempore Græci semper non minus, quàm prius fuerant, à Romanis alieni. Ieremiæ nullum librum vidi, vestrum vidi, quem ego vix credo esse Ieremiæ. Nam & olim Græci, & hic ipse etiam patriarcha Ieremias suum sæpe de nostris Ecclesijs præclarum iudicium testatus est, quemadmodum ex eius literis Græcè ac latinè editis manifestum est.

DVRAEVS, Fol. 72.73.

Virginem Lutherus (*inquis*) voto inconsiderato & superstitioso priùs alligatam, pòst in religione melius institutam sancto matrimonio sibi copulauit. *Verùm hìc tibi cum Paulo negotium est, qui disertis sanè verbis damnationem habere eas viduas dixit, quæ nubere volunt, quia primam fidē irritam fecerunt. Quæ verba haud aliter intelligi queunt, quàm quia quæ huiusmodi erant promissum Deo cælibatum incestis nuptijs violarant. Sic enim hunc locum Patres omnes vno ore exposuerunt. Epiphan. hær. 61. Hieronymus lib. 1. contra Iouin. Augustinus in Psal. 75. & de bono viduit. c. 8. Chrysostomus de virginit. cap. 39. Fulgentius in Epist. de coniugali debito. Isidorus lib. 1. de Officijs cap. 17. Quanquam quid ego hìc Patres commemoro. Tuus Caluinus eas viduas, quæ ad publicum Ecclesiæ ministerium recipiebantur, perpetui cælibatus conditionem sibi imposuisse fatetur. At si Diaconissæ matrimonio ineptæ sunt, quanto magis Ecclesiæ ministros cælibem ducere vitam oportet? Mirari satis nequeo cùm Christi Apostoli ab vxoribus, quas antè duxerant, sese abstinerent, nouos istos Apostolos, nisi vxores habeant Euangelio se ineptos iudicare.*

WHITAKERVS.

15 Lutheri vobis nuptiæ non placent: quod mirum non est, cùm totus Lutherus vobis maximè displiceat. Sed vxorem sibi Lutherus, non vobis duxit, quam ille certè nunquam duxisset, si

vestra iudicia tanti æstimasset. Vobis enim magis iucundi sunt, qui infandas libidines exercent, quàm qui sanctum & legitimum matrimonium contrahunt. Mihi verò cum Paulo aliquid esse negotij facilè patior, quocum cupiam semper esse occupatus: sed aduersari vel mihi, vel Luthero Paulum nunquã ostendes. Nam locus ille quẽ affers, nihil ad istam causam atque has nuptias pertinet. Quòd enim primam fidem de voto cælibatus intelligendã esse contendis, non verba tua, sed argumenta spectamus. Cùm autẽ huius interpretationis rationẽ in tuis verbis quæro, nullam planè reperio: nisi hoc sufficere nobis debere putas argumentũ, Apostolus ait viduas iuniores nubentes primã fidem reijcere, ergo hoc de voto cælibatus necessariò intelligendũ est? Quasi fides hoc loco non aliter quàm de voto cælibatus accipi possit, aut non perinde Apostolo facile fuerit, si quid tale sensisset, voti, ac fidei meminisse. Viduas apostolus natu minores ab illo ordine remouet, quia nullæ sunt idoneæ, nisi quæ sunt liberæ, & matrimonij vinculo solutæ: adolescentiores autem plærunq; coniugium repetunt, quod ipsis etiam Apostolus suadet. Viduã ergo nõ nisi sexagenariã deligi mandat, quæ possit & nuptijs carere, & huic muneri diligenter inseruire. Tum quid timendũ sit, nisi tales viduę sint, docet. Adolescentulæ enim nubent, & potiùs quàm nuptijs expetitis non fruantur, in Christum sese lasciuius efferent, primamq; fidem abijcient. Fides autẽ prima non votum, vt tu fingis, sed ipsam Christianæ religionis professionem significat, quam istæ leues

1. Tim. 5. 12. *Vers. 14.* *Vers. 9.*

leues fœminæ facilè contemnent, vt eo modo suis voluptatibus potiantur. Atq; id Apostolum velle, ne longè abeamus, ex ipso Apostolo disci potest. Sic enim mox sequitur, *Iam enim*
vers. 15. *nonnullæ deflexerunt, sequutæ Satanam*: in quo quid in quibusdam iam antè acciderit, demonstrat, vt posthac ne quid eiusmodi eueniat, cauendum esse moneat. Hic nunc Patres tibi subsidio veniant oportet, quos ais hunc locum omnes vno ore sic, vt tu facis, exposuisse: quod quanquam falsum est, tamen si verum esset, nihil omnino euinceret. Nam hoc argumentum, Patres hunc locum sic exponunt, ergo hæc expositio necessariò vera est, quantum in Theologia valeat, quis ignorat? Tu Patribus quantum voles tribue: Patrum expositio nunquam certè nostræ erit fidei fundamentum. At quid si Patres etiam prima hac fide religionem ipsam intelligi senserint? Quid tum deniq; respondebis?
Hiero. proœ. in ep. ad Tit. Audi ergo ipsum loquentem Hieronymum, *Licèt non sint digni fide, qui fidem primam irritam fecerunt, Marcionem loquor, & Basilidem, & omnes hæreticos, qui vetus laniant Testamentum.* Primam fidem Hieronymus vocat synceram Euangelicæ doctrinæ professionem, quam hæretici violant, atque irritam faciunt: nisi fortè putas Marcionem, Basilidem, aliosque hæreticos ab Hieronymo reprehendi, quòd votum non seruarint Monastici cœlibatus. Et alias potui Patrum similes sententias proferre.

Sed illæ Pauli viduæ quid (quæso) vestris

Moni-

Monialibus simile habebant, vt si Luthero viduam talem ducere nefas fuisset, tamen hanc, quam duxit, ducere minùs ei licuisset? Nam illæ veteres viduæ, quarum Paulus meminit, necessarium ecclesiæ munus administrabant: hæ monachæ nihil tale faciunt. Illæ pauperes, infirmos, aduenas curabant, hæ sibi viuunt, & totæ sunt otiosæ. At hîc præclarum, vt vidêris, nactus es contra ministrorum nuptias argumentum. Si enim Diaconissæ debebant esse ἄγαμοι, quia illis coniugium ad munus exequendũ impedimento futurum erat, *multò magis* (inquis) *ministris necesse est vitam cœlibem ducere*. Miror id Apostolum non vidisse. Cùm enim in Diaconissis cœlibatum postulet, tamen antè nuptias Episcopo permisit. *Oportet* (inquit) *Episcopum esse vnius vxoris virum*: & ne quis hoc de præterito tempore interpretetur, mox quales Episcoporum vxores esse debeant, subiungit: *vxores itidem honestas, non calumniosas, sobrias, fidas in omnibus*. Sed quis tam cæcus est, vt quid inter hæc munera intersit non perspiciat. Nam viduas in omnia tempora paratas esse, domos priuatas inuisere, ægros curare, egenos subleuare, peregrinis consulere, & semper illis negotijs vacare oportebat, quod, si nuptæ essent, facere non possent. Ministrorum longè dispar ratio est. Quod de Apostolis opponis, respondeo primùm, vt verum esset, quod miraris, valdè tamen dissimilem esse Ministrorum causam. Quid si enim

1.Tim.3.2.

vers.11.

Apostolis

Apostolis dominus hoc singulare donum dederit, quò essent in Apostolicam legationem expeditiores? Sed hoc falsum esse scriptura palàm demonstrat. Sic enim Paulus de Apostolorum vxoribus scribit, *An non habemus potestatem sororem vxorem circumducendi, vt & reliqui Apostoli, & fratres domini, & Cephas?* Nam de matronis illis, quas dicitis Apostolos assectatas esse, vt illis sumptus necessarios subministrarent, hoc intelligi nullo modo potest. Ita enim γυναῖκα verbum redundaret, nisi possit soror esse, quæ non sit mulier: ex quo perspicuum est γυναῖκα pro vxore accipi. Deinde Paulus nunquam dixisset, Apostolos illas matronas circumducere, quæ sponte sua sequebantur, cùm hoc vocabulo ius quoddam & imperium indicetur. Postremò hoc totum à Pauli instituto alienum fuisset. Probat enim se Corinthiæ ecclesiæ sumptibus pepercisse, cùm sororem vxorem minimè circumduceret: quam tamen ei circumducere exemplo Apostolorum liceret. Illæ verò matronæ non modò sumptus ecclesiæ non auxissent, sed etiam minuissent. Sic Apostolis suæ vxores remanserunt, nec id illis fuit ad muneris Apostolici functionẽ incommodum. Hic ergo nihil tibi admiratione tua dignũ accidit.

1 Cor. 9. 5.

DVRAEVS, Fol. 74.

Quærit Campianus num ecclesiæ subscribatis, quæ seculis anteactis viguit. Subscribimus (*inquis*) sed illi ecclesiæ, quæ in præceptis Apostolicis perstitit. *Quæsiuit ille non vtrum*

Ecclesiæ, quæ in præceptis Apostolicis perstitisset subscriberetis, sed num illi quæ seculis anteactis viguit. Huic enim si subscribatis, causa iam planè cecidistis, cùm nullam aliam seculis omnibus anteactis ad hanc vsque ætatem floruisse constat.

WHITAKERVS.

16 Magnum te semper & paratum dialecticum ostendis, qui tam facilè vbique potes argumentum expedire. Sed tamen cupio vt mihi huius connexi rationem ac consequutionem probes, Si Ecclesiæ subscribimus, quæ seculis anteactis viguit, tum Romanæ ecclesiæ subscribimus. Deinde, si Romanæ ecclesiæ non subscribemus, nulli ecclesię, quæ seculis anteactis viguit, subscribimus. Quasi nulla fuerit anteactis seculis ecclesia, prætcrquam Romana: aut si hęc sola nomen ecclesiæ hominum opinione multis seculis tenuerit, nullam præterea vsquam terrarum ecclesiam fuisse constet. Nos ecclesijs omnibus & anteactis, & nunc florentibus subscribimus, quæcunque Apostolicæ doctrinæ subscripserunt: perpetuam verò quandam vnius loci, sedis, successionis subscriptionem nobis esse necessariam nunquam profectò demonstrabis. Et quis non videt hoc argumento ipsum etiam Christum constringi? Cui enim ecclesiæ Christus subscripsit? Num Hierosolymitanæ, quæ tum floruit? Negabis? Cuinam ergo tandem, cùm nulla alia seculis omnibus anteactis ad Christi ætatem perstiterit? Si tu eo tempore vixisses, & Rabbinus aliquis aut Pharisæus inter Iudæos extitisses, quàm miserè hoc argumento

mento Christum, Christique discipulos pupugisses?

DVRAEVS, Fol. 74.

Ecclesiam (*inquis*) edocti sumus ex sacris libris distinguere, vt alia sit aspectabilis, alia hominum aspectū fugiat. *Vnam ego hactenus Catholicam Ecclesiam ex Apostolorum, & Nicenæ Synodi symbolo credidi: tu me nunc duas credere vis. Nos vnam Ecclesiam Catholicam credimus, quæ non electos modò complectitur, sed quotquot vera fide ac religione imbuti sunt.*

WHITAKERVS.

17 Iterum acutus Dialecticus nouos argumentorum laqueos nectit. Vna est Catholica Ecclesia, ergo ecclesia non distinguitur, vt alia sit aspectabilis, alia quæ aspectum lateat. At ista distinctio non magis ecclesię vnitatem tollit, quàm quando in triumphantem & militantem, in vniuersalem & particularem distinguitur, quæ distinctiones tritæ ac probatæ sunt. Illa enim ecclesia quæ aspectum fugit, ad eam pertinet, quam aspectabilem vocamus: & vbicunque hæc est, illam quoque esse intelligimus. Aspectabilis dicitur propter externam πολιτείαν, quæ sub sensum cadit oculorum: aspectabilis non est, quia Dei electio, & fides electorum ab oculis remouetur. At-

Atque hanc distinctionem Esaias Propheta dilucidè proponit. Quando enim visibilis Ecclesię corruptissimum statum deplorat, reliquias tamen & semen quoddam piorum superesse confirmat. Sic quanquam in omni visibili ecclesia multi vocantur, exiguus tamen numerus est eorum qui eliguntur. Visibilis Ecclesiæ membra sunt, quicunque piam religionem profitentur, quemadmodum multi hypocritæ faciunt: inuisibilis Ecclesia nullos nisi bonos, & ad vitam æternam ex hac multitudine aspectabili delectos complectitur. Tu me ad Apostolicum & Nicenum Symbolum reuocas, in quo vnam nos Catholicam ecclesiam credere profitemur. Sed quæ hæc vna est Catholica Ecclesia? Si enim nomen Ecclesiæ Catholicæ ad visibilem ecclesiam astringis, primùm cœlestem illam Ecclesiam Sanctorum excludis, atque illos etiam omnes, qui nondum nati tamen ad Ecclesiam Catholicam pertinent. Deinde fidem in sensibus constituis, cum fides sit earum rerum quæ non videntur, vt Apostolus docet. Quod enim aspicis & intueris, id quorsum credas? Illa ergo Catholica ecclesia, quam credimus, est electorum omnium cœtus, quicunque ab initio mundi fuerunt, & ad finem futuri sunt: eamq; ob causam & Apostolica, & sancta, & sanctorum communio appellatur. Ad hanc verò sanctorum communionem nulli profani, nulli impij, nulli hypocritæ pertinent, quia hi cum Christo communionem habere nequeunt. Sancta verò Ecclesia est mysticum corpus Christi, cuius corporis nullum mem-

Esai. 1. 9.

Matt. 22. 14

Heb. 11. 1.

membrum peribit aliquando. Augustinus de ecclesia Catholica sic scribit, *Corpus huius capitis ecclesia est, non qua hoc loco est, sed qua hoc loco & per totum orbem terrarum, nec illa, qua hoc tempore, sed ab ipso Abel vsque ad eos qui nascituri sunt vsque in finem, & credituri in Christum, totus populus sanctorum, ad vnam ciuitatem pertinentium.* Sic Epiphanius clarissimè, *vna est (inquit) columba mea, perfecta mea, hoc est, ipsa sancta sponsa, & Catholica ecclesia. Columba quidem vt dixi, propter mansuetudinem, & innocentiam, & puritatem vitæ: perfecta verò, quia perfectam ex Deo gratiam accepit, & cognitionem ab ipso seruatore per spiritum sanctum.* Sed quorsum alias Patrum sententias commemorem, cùm te tuus Aquinas satis refellat? Sic enim scribit, *Sicut videmus, quòd in vno homine est vna anima & vnum corpus, & tamen sunt diuersa membra ipsius: ita ecclesia Catholica est vnum corpus, & habet diuersa membra, anima autem quæ hoc corpus viuificat, est spiritus sanctus.* Iam vides, quam ecclesiam Catholicam credamus, non aspectabilem Christianorum multitudinem, ex bonis malisque permixtam, vt tu statuis, sed sanctum electorum cœtum, quicunque in Christum vllis temporibus credunt, qui spiritu sancto imbuuntur, qui ab hypocritis separantur, qui cum Christo capite cælesti atque æterna fælicitate perfruentur.

August. in Psa. 90. in 2. parte.

Epiphani. hæres. 35.

Thom. in expofit. symb. Aposto.

LIBER

LIBER QVARTVS, de Concilijs.

DVRAEVS, Fol. 77. 78.

*I quanta est, semperq́; fuit in Catholica Christi Ecclesia Conciliorum vtilitas, tanta esset eorum apud omnes Christianos authoritas, non esset Whitakere tantus tui similium numerus, qui spreta spiritus sancti per Concilia loquentis authoritate, nouorum sibi dogmatum Magistros quos sequerentur eligerent. Augustinus epist.* 118. Saluberrimam esse in Ecclesia plenariorum conciliorum authoritatem *scripsit. Idem Ambrosius sensit, de fide ad Gracian in prolog. & epist. 32. Taceo cæteros patres, quorum nemo fuit, qui non sacrosanctam legitimorum Conciliorum authoritatem agnouerit. Quos Caluiniani ne contemnere videamini, cùm omnia prorsus Concilia reijcere non audeatis, eorum tamen vim atque robur quibus potestis artibus eleuare conamini.*

WHITAKERVS.

1 E Concilijs verba facturus, Duræe, Conciliorum à nobis contemni minuique authoritatem initiò criminaris: quod quàm falsò obijcias qui nostrum de Concilijs iudicium intelligunt, non possunt ignorare. Quæ enim illa est Conciliorum authoritas, quam defendis? Aut quid nos tandem Concilijs deferre ac tribuere debemus, si nolumus illorum authoritatem violare? Idné postulas, vt quicquid Episcopi pariter congressi decreuerint, sanctum, diuinum, Canonicum habeamus? At multa sunt multorum Conciliorum im-

pia, falsa, blasphema decreta. Quis enim nescit Concilium Carthaginense sub Cypriano, Ephesinum secundum, Ariminense, Syrmiense, multaq; alia contra Nicenum concilium congregata grauiter errasse, & nunc meritò à pijs omnibus contemni? Si hæc vniuersalia fuisse negabis, at nonnulla horum erant vniuersalibus quibusdam frequentiora. Nam & Ariminense, & Syrmiense cōcilium duplo plures Episcopos habuit, quàm Nicenum. Quodnam est igitur Concilium vniuersale? & quando Concilij authoritatem firmam esse intelligemus? Nam vt ij peccant qui legitimorum Conciliorum authoritatem nō agnoscunt, ita non minore reprehensione digni sunt, qui Concilijs non legitimis summam authoritatem tribuunt. Si verò legitima sunt Cōcilia, quæ Romani pontificis iussu conuocantur, quid de Cōstātiensi & Basiliensi statuemus, quæ quanquàm coacta sunt à pontifice, tamen authoritatem infirmiorem habent? Iam ergo tuum erat exponere, quæ demum res legitimum Concilium faceret, & quibus cancellis illa Conciliorum authoritas circumscriberetur. Nam ipsi etiam multis Concilijs omnem authoritatem detrahitis, quibusdam etiam vniuersalibus non magnā impartitis. Sed hoc in quo præcipuè tuam orationem versari oportebat, non attingis: quod autem per se satis perspicuum erat, id patrum non necessarijs testimonijs confirmas. Quis enim *Conciliorum saluberrimam authoritatē esse dubitat*, aut quis non Concilijs multum tribui meritò debere intelligit? Sed illud quæritur, quàm

quàm magna sit Conciliorum authoritas, num tanta, quanta est scripturarum, vt quicquid concilio visum fuerit, id à nobis recipi necessariò debeat. Hoc sanè à vobis disputatur, & nos quia dissentimus, immanem scilicet Concilijs iniuriam facimus: quod vos quidem nullis vnquam argumentis, aut patrum suffragijs euinceretis. Etsi enim patres Conciliorum authoritatem laudant, tamen eam nunquam nisi scripturis munitam nobis præscribunt. Nam & errare posse Concilia confitentur, & à Concilijs ad scripturas prouocant, & conciliorũ sanctiones ad regulam scripturarum exigunt. Sic Augustinus *ipsa plenaria cõcilia sæpe priora à posterioribus emendari* scribit non modò in rebus externis, sed etiam in ipsa fidei doctrina. Agit enim de hæreticorum baptismo, quem Cyprianus & sensit, & concilio etiam habito sanxit esse repetendum. Hoc Concilium donatistæ obijciunt Augustino: Augustinus recurrit ad scripturas, & se scripturarum authoritate defendit: Concilia enim particularia plenarijs cedere, plenaria nonnunquam à plenarijs, priora à posterioribus corrigi, *scripturam autem Canonicam tam veteris quàm noui Testamenti certis suis terminis contineri*, eamq; omnibus episcoporum literis, & concilijs præponendam esse affirmat. Sic contra Arrianos disputans à Concilijs ad scripturarũ authoritates aduersarium reuocat, & negat ideo sibi credendũ esse, quòd in ecclesia sit, quã suorũ collegarũ cõcilia prędicarint, sed quia scripturarũ testimonijs nititur. *Hæc* (inquit) *sunt causæ nostræ documenta, hæc fundamẽta, hæc firmamẽta.* Et Hierony-

August. de Baptis. contra Donat. lib. 2. cap. 3.

Contra Maxim. lib. 3. cap. 14.

De vnit. eccle. cap. 16.

Hierony. in Galatas. ronymus, *Spiritus* (inquit) *sancti doctrina est, quæ Canonicis literis prodita est: contra quā si quid statuūt concilia, nefas duco.* Et Ambrosius Nicenum Conciliū recipit, Ariminense repudiat, quia illud cū scripturis cōspirauit, hoc à scripturis deflexit. Hæc enim ipsius verba sunt in eadē Epistola, quam tu Ambros. epi. 32. profers. *Hanc fidem Galliæ tenent, hanc Hispania, & cum pia diuini spiritus confessione custodiunt.* Et alibi, De fide lib. 1. cap. 8. *Sic nostri secundū scripturas dixerunt patres.* Ita Concilijs authoritatem omnem scriptura conciliat, atque inter pontificiam nostramque de concilijs sententiam id vnum interest, quòd pontificij ea concilia recipiunt, quæ pontifex confirmauit, nos concilia probamus, quæ cum scripturis consentiunt. Aut ergo doce æqualem esse scripturis conciliorum authoritatem, quod te nunquam in hac vita facturum recipio, aut fatêre concilij cuiusque sententiam ex scripturis esse dijudicandam, quod nos defendimus. Errare verò concilia si negas, velim mihi de vno nonnulla respondeas. Constantinopolitanum sextum in Trullo habitum, fuítne Concilium vniuersale legitimum, an non fuit? Si das fuisse, quod tibi est necesse, quæram deinceps, num huius Concilij decreta omni errore careant? Nisi id etiam concedis, causa cadis. Can. 36. At in hoc concilio cautum est, vt sedes Constantinopolitana æqualibus priuilegijs cum antiquæ Romæ throno perfruatur. Hoccine tibi ferendum videtur? Can. 55. Præterea audi quid alibi statuat, *Sanctæ synodo visum est, vt in Romanorum ecclesia Canon inconcussè obtineat, Si*

quis

quis clericus inuentus fuerit sancto dominico, vel sabbato ieiunans deponatur. Hoc verò nimis contumelio sum in Ecclesiam Romanam fuit. Tum illud cuiusmodi est, quod nec *Hypodiaconos, nec diaconos, nec presbyteros à suis vxoribus separari permittat*, præsertim cùm intelligeret id palàm Romanæ ecclesiæ institutis pugnare, quemadmodum in ipso Concilio manifestum est. Quòd autem vetat sanguinem cuiusquam animalis arte conditum comedi, & omnino à sanguine & suffocato omnes Christianos abstinere iubet, defendi non potest. Tibi certè molestum fore suspicor & huius concilij authoritatem, & harum legum æquitatem tueri. Et tamen vel hæc tuenda sunt, vel omnis (si tibi credimus) conciliorum authoritatas labefactatur. Can.13. Can.67.

DVRAEVS, Fol. 79.

Mirari verò te ais Nazianzenum de concilijs tam iniquè iudicasse, & acerbè scripsisse. *Absit tamen à Nazianzeno vt de vllo vnquam legitimo Concilio, aut tam iniquè quàm vos iudicarit, aut acerbè scripserit. In ea epistola nihil ille aliud, quàm de summa hæreticorum suæ ætatis nequitia queritur, quorum fraude atque malicia fiebat, nulla vt legitima synodus Episcoporum in vnum coire locum posset. Hæc enim ab eo ante Constantinopolitanum concilium scripta sunt. Nicena autem synodus illius ætatem præcesserat. Quod si illius de synodorum authoritate sententiam longè apertissimam desideras, quæ ad Cledonium aduersus Apollinarij hæresim scribit, attende.*

WHITAKERVS.

2 Si de Concilijs Nazianzenus idem sensit,

 quod

Nazianz. ad Procop. Ep. 42.

quod scripsit, durum certè illius de concilijs iudicium fuisse constat: scribere enim profectò nihil acerbius potuit. Tu id voluisse Nazianzenum affirmas; quod ipse Nazianzenus se planè dicit noluisse. Sic enim Nazianzeni verba interpretaris, quasi is hæreticorum fraudem & malitiam exagitet, qua factum sit, vt nulla legitima synodus haberi posset: cùm tamen euocatus atque inuitatus ad Concilium Nazianzenus, idq; etiam Imperatoris authoritate, veniendi necessitatem deprecetur. Quo minùs autem venire posset causas duas affert, suum de Concilijs iudicium, & corporis infirmitatem. Et iudicium quidem eiusmodi fuit, vt se diceret *omnem Episcoporum congressum fugere*; rationem etiam subiungit, qua inductus sit vt ab istis concilijs abhorreret. Ait enim *se nullius synodi bonum exitum vidisse, & malorum occasiones hoc modo non tam sublatas, quàm auctas fuisse.* Hoccine est conqueri, non posse Episcoporum synodos coire? Aut ego te putem hanc vel leuiter Epistolam inspexisse, qui tantum ab authoris mente aberrasti? Nicena synodus (inquis) illius ætatem præcesserat. Quid tum verò postea? An quia synodum ipsam non vidit, exitum illius synodi videre non potuit? Nam ille de euentu atque exitu conciliorum scribit, quem se nunquam vidisse commodum affirmat. Et quidem de Niceni concilij exitu quid Hilarius scribat, audiamus. *Conscij nobis* (inquit) *sumus inuicem, post Niceni conuentus synodum, nihil aliud, quàm fidem scribi: dum in verbis pugna est, dum de nouitatibus quæstio*

ὥστε πάντα σύλλογον φεύγειν ἐπισκόπων. μηδὲ λύσιν κακῶν μᾶλλον ἐσχηκυίας ἢ προσθήκην.

Hilar. ad Constant. Imperat.

quæstio est, dum de ambiguis occasio est, dum de authoribus querela est, dum de studijs certamen est, dum in consensu difficultas est, dum alter alteri anathema esse cæpit, propè iam nemo Christi est. Hæ Nicenam synodum sequutæ sunt tempestates, non synodi quidem, sed hominum improborum vitio: Ad Cledonium verò quid tandem scribit? Assensurum se nimirum Apollinarij sectatoribus, si possunt ostendere se à concilio Occidentali susceptos esse. Id verò quantulum quæso est? Satis enim nouit illos aut mentitos esse, aut si reuera suscepti sunt, ad sanam mentem redijsse: Sic enim ait, δῆλον γάρ ὅτι τῷ ὀρθῷ λόγῳ συνθέμενοι.

DVRAEVS, Fol. 80.

Cùm sacrosanctam Apostolici concilij authoritatem negare non audeas, arrepta occasione in ceremonias Ecclesiasticas inueheris, Augustinum verò in tam iniustę querimonię societatem vocari non patior. Hęc enim Augustinus scripsit non vt Ecclesiasticas ceremonias vestro more carperet, sed vt non temere à quouis pro arbitrio instituendas seruandasq́; ostenderet. Nam vt idem priori ad Ianuarium Epistola scribit, Si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia, hoc quin ita faciendum sit disputare insolentissimæ insaniæ est. *Vos ergo quid aliud facitis, quàm vestram insaniam proditis?*

WHITAKERVS.

3 Concilium Apostolicum omnem certè exceptionē superat: sed vestra concilia huic nec exæquanda, nec cōferenda sunt. Quid enim ista simile

simile habent, aut quis tam demens est qui res tam dissimiles comparare velit? Auditur quidem in Concilijs vestris spiritus sancti nomen, & vosmet ipsi in spiritu sancto congregatos esse dictitatis, & quod vobis videtur, id spiritui sancto placere scilicet affirmatis. Sed qui vestra decreta, instituta, dogmata perpendunt, & abfuisse spiritum sanctum, & his conuenticulis alium præfuisse spiritum facilè perspiciunt. Apostolicum illud Concilium coactum est, vt iugum Mosaïcum à Christianorum ceruicibus remoueret: vestra multorum sæculorum concilia nihil aliud egerunt, quàm vt nouum iugum Mosaïco longè durius atque intolerabilius nostris humeris imponerent. At spiritus sanctus sibi semper constat, & quod iugum semel sustulit, id repeti nunquam voluit, nisi fortè existimemus, illud nobis iugum detractum esse, vt pontificio locus fieret: ita non ademptum esse iugum, sed mutatum. Augustinus queritur Iudæorum suo tempore tolerabiliorem conditionem fuisse, quàm Christianorum. Quid ille dixisset, si tantam ceremoniarum accessionem, quanta post annis mille ducentis facta est, vidisset? Sed tu non pateris Augustinum in huius querelæ societatem vocari. Es enim Traditionum pontificiarum valdè studiosus, in quo certè me æmulum non habebis. Sed Augustinus siue tu pateris, siue non pateris, hanc ceremoniarũ multitudinem damnat, & nos illis paucissimis ceremonijs contentos esse vult, quæ in Canonicis scripturis commendantur. Sic enim ad Ianuarium, *Tenere te volo Dominum nostrum*

[Act. 15.]

strum Iesum Christum, sicut ipse in Euangelio loquitur, leui iugo nos subdidisse, & sarcina leui. Et paulò pòst, *Et si quid aliud in Canonicis scripturis commendatur.* Si quid vsquam scripserit quod cum hac sententia minùs conueniat, ego in conciliandis eius singulis dictis non magnam operam insumam. Deinde in altera ad Ianuarium Epistola ait, *Quamuis neque hoc inueniri possit quomodo contra fidem sint, ipsam tamen religionem, quam paucissimis & manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei liberam esse voluit, seruilibus oneribus premunt.* Si traditiones, quæ cum Dei verbo palàm non pugnant, religionem tamen premunt, & *pro seruilibus oneribus* haberi debent, quid de ijs sentiemus, quæ palàm impiæ ac profanæ sunt, quales Ecclesia pontificia innumeras celebrat? Denique humanas omnes præsumptiones Augustinus resecādas esse statuit, quales si non esse pontificias ostenderis, de pontificijs minimè loqui Augustinum euiceris. Quod autem ex priore epistola adducis, libenter amplector. Illas enim ceremonias quæ ad ordinem & decorum necessariæ sunt, & quibus Ecclesiæ omnes vbique terrarum vtuntur, quis tandem non probet, ac magni faciat? At tales esse pontificias nunquam probabis: etsi quando de Ecclesiæ ceremonijs agitur, illa oratio ad pontificias traditiunculas minimè pertinet, cùm Ecclesia pontificia multis seculis esse Christi vera Ecclesia, quam quærimus, desierit. Quare suas sibi ceremonias, suosque ritus ser-

August. ad Ianu. epist. 118. c. 1.

Epist. 119. 19.

uet, quibus tantopere delectatur; nobis ne molesta sit, qui istis opus non habemus.

DVRAEVS, Fol. 81.

Nicenæ synodi sextum vobis Canonem Campianus obiecit. Hoc tu Canone Metropolitanos omnes & patriarchas Romano Episcopo exæquari vis, cùm tamen ad Romanæ sedis authoritatem in omnes Ecclesias stabiliendam nihil dici clarius possit. Etenim cùm ad suam Alexandrino Episcopo authoritatem asserendam pro argumento patres Romanæ Ecclesiæ consuetudinem afferant, à Romana Alexandrinam velut à matre totam pendere ostendunt, à qua omnem quam habet authoritatem accepit. Hanc verò Nicenorum esse patrum mentem docere te possunt, quæ Paschasinus sedis Apostolicæ vicarius in Calcedonēsi synodo recitauit, Sess. 16. Atque alius etiam eiusdem concilij canon non minùs apertè Romani pontificis authoritatem probat, Canon 39. ex Arab. in latinum conuersus. Et ijdem patres postea penè omnes Sardis congregati summam Romani pontificis in cęteros omnes potestatem comprobarunt.

WHITAKERVS.

4 Si sextus Niceni Concilij canon nunquam perscriptus fuisset, id certè Romanus pontifex minimè doluisset. Nihil enim illam pontificis immensam authoritatem illustrius conuellit, quàm quod in illo Canone præscribitur. Iubent enim Niceni patres *antiquas consuetudines seruari*: Ex quo primùm discimus, quicquid hoc est iurisdictionis, non verbi diuini authoritate, sed sola consuetudine niti: cùm isti nobis persuadere conentur Romanum pontificem à Christo toti Ecclesiæ præpositum esse. Deinde

τὰ ἀρχαῖα ἔθη.

Deinde Alexandrino, & Antiocheno, & cæteris Metropolitanis sui fines assignantur, *quoniam illa est Romano etiam pontifici consuetudo*. Si verò Romanus pontifex toti Ecclesiæ imperaret, quàm absurdum esset huius exemplo certos & circumscriptos administrationis cancellos alijs præfinire? Quæ enim hæc ratio est, Alexandrinus Aegyptijs Ecclesijs moderetur, similiter singuli Metropolitani suis prouincijs præsint, quia Romanus pontifex omnes Ecclesias suo dominatu continet? Id ergo patres volunt, statuunt, scribunt, quemadmodum Romanæ Ecclesiæ Episcopus suburbanas Ecclesias curat, sic Alexandrinus, sic Antiochenus, sic reliqui faciant, & suis prouincialibus Ecclesijs præsideant, nec alij distinctas aliorum διοικήσεις inuadant.

ἐπειδὴ ϗ τῷ ἐν τῇ ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο συνηθές ἐστι.

Sed tibi tamen nihil videtur ad Romanæ sedis authoritatem stabiliendam clarius dici potuisse. Potes quidem meritò Duræe tuis tam claris oculis gratulari. Si enim hoc clarum est, nihil certè tibi obscurum esse potest. *Afferunt* (inquis) *Patres illi consuetudinem Romanæ Ecclesiæ pro argumento*, quo Alexandrino Episcopo suam authoritatem asserant. Quid tu verò ex hoc argumento colligis, vt interim de argumenti genere taceamus? *Ostendunt* (inquis) *Alexandrinam à Romana velut à matre totam pendere, à qua omnem authoritatem accepit, quam habet*. Argutè quidē tuo iudicio: sed omnino tamē ineptissimè. Num enim sequitur Alexandrinam Ecclesiam à Romana ecclesia totā pendere, quia ad exēplum

Romani

Romani Episcopi Alexandrinus certis Ecclesijs præficitur? Quasi qui alterius exemplum sequitur, is ab eo totus pendeat, cuius sibi exemplum proposuit. Quid obtusius & tanto disputatore indignius proferri potuit? Quis enim nescit exemplum ab eo sumi posse, qui vel parem, vel minorem authoritatem habet? Si verò Romanus Episcopus pro capite & præfecto totius Ecclesiæ habitus fuisset, nunquam isti Patres id sibi sumpsissent, vt eius prouincias ac præfecturas distribuerent. Et quando illa inter Romanos pontifices & Patres Africanos controuersia exarsit, miror hunc Canonem, si tam clarus erat, non esse ab illis animaduersum. Si enim ad stabiliendam Romanę sedis authoritatem nihil dici clarius potuit, vt tu arbitraris, cæcus pontifex fuit, qui hunc Canonem non vidit, & illo concilio nihil imprudentius fingi potest, in quo nullus fuit, qui, quod est clarissimum, perspexerit.

Paschasinus verò sedis Apostolicæ vicarius si Apostolicam sedem verbis, quantum potuit, extulit atque ornauit, nihil mirum fecit. Et tamen quod ille contendit, sedem Romanam esse primam, nos etiam agnoscimus. Sed prima fuit ordine, non authoritate. Vbi etiam illud non est prætermittendum hunc vicarium sedis Apostolicæ, cùm dignitatem Romani Episcopi defensam cuperet, nihil antiquius aut firmius, quàm huius concilij decretum attulisse. Alius verò tuus ille Canon ex Arabico conuersus in Latinum, Arabicus est, non Nicenus. Sunt enim Niceni concilij non nisi viginti Canones, ijq; Græcè non Arabicè

bicè conscripti. Sed accersendi scilicet ex Arabia Canones sunt, qui Romani pontificis authoritatem comprobent. Nónne isto modo pontificis tui causam prodis, & te bonis argumentis egentissimum ostendis? Nec tibi Sardicensis concilij testimonium opem aliquam feret. Nam hunc huius concilij Canonē suppositititium esse Patres Africani concilij vno ore omnes testantur. Etenim eiusmodi aliquid, quale in illo Canone decernitur, *in nulla Patrum synodo inueniri*, in literis ad Episcopum Romanum suis scribunt. Si verò Sardicensis concilij canon aliquis huiusmodi extitisset, his patribus ignotus esse nullo certè modo potuisset. Atque vt demus hoc priuilegium Romano pontifici delatum fuisse in Concilio Sardicensi, quid tandem hinc aliud lucratus eris, quàm pontifici totum hoc humano, non diuino iure contigisse?

Concil. Carthag. c. λ ... ἐν οὐδεμιᾷ τῶν πατέρων συνόδῳ.

DVRAEVS, Fol. 82.

Ad Calcedonensem deinde synodum accedis, in qua tam perspicua sunt quæ ad asserendam Romanæ sedis supremam in terris potestatem Campianus protulit, vt nulla arte, nullis fraudibus queas eludere. Cui enim obscurum esse potest quod illius Concilij Patres de Dioscoro scribunt hæretico, quem ob multa quidem alia crimina, sed ob illud potissimùm, quòd excommunicationem in Romanum dictare pontificem præsumpserat, ipsius Romani pontificis, qui tum magnus ille Leo erat, authoritate omni Episcopatus dignitate priuarunt? Act. 3. Et in Epistola ad Leonem hæc scribunt, Contra ipsum, cui vineæ custodia à saluatore commissa est extendit insaniam: contra te qui corpus Ecclesiæ vnire festinas. *Quin & sua ab eodem pontifice decreta confirmari postulant. Et Paschasinus ait,* Papa vrbis Romanæ, quæ est caput omnium Eccles-

Ecclesiarum, præcipit vt Dioscorus non sedeat in Episcoporum concilio. *Et Lucentius addidit*, Quia præsumpsit & synodum ausus est facere sine authoritate sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est. *Apud Euagrium lib. 2. cap. 4.*

WHITAKERVS.

5 Hic te nunc iactare maiorem in modum incipis, quod quo iure facias, facilè (vt spero) apparebit. In Calcedonensi concilio etsi multa de Leone, de sede Apostolica, de Petro Apostolo honorificè dicuntur, illa tamen summa authoritas, quam Romanus pontifex in omnem Ecclesiā sibi sumit, non modò nusquam in hoc Concilio confirmatur, sed etiam clarissimè euertitur. Si enim, quod Gregorius scripsit, *Romano pontifici oblatum est in hoc Concilio vniuersalitatis nomen*, vt ille vniuersalis Episcopus diceretur, quis non statim animaduertat, Romanum pontificē non esse iure diuino vniuersalem Episcopum, quemadmodum se esse gloriatur? Si enim Romanū pontificem Christus Ecclesiæ suæ vniuersalem Episcopum constituit, hoc illi nomen diuina authoritate impositum fuit, vt illud nec synodus offerre, nec pontifex recusare posset. At obtulit hoc synodus, & oblatum pontifex respuit: ergo pontifex Romanus non est vniuersalis Episcopus, nec authoritatem in omnem Ecclesiam obtinet. Deinde cùm Constantinopolitano Episcopo Romanus pontifex Leo summa contentione studioq; resisteret, efficere tamen nullo modo potuit, quin Constantinopolitanus à Concilio impetraret,

Grego. lib. 4. ep. 32. & 36

ret,

ret, quod cuperet, quodque Romano pontifici maximè displiceret. Si verò synodus Romanum pontificem esse Christi vniuersalem vicarium summa potestate præditum iudicasset, ab illo in re tam magna nunquam dissensisset, nec capitis sui authoritatem contempsisset: At synodus quantumuis inuito & reclamante pontifice Romano Constantinopolitanum Episcopum honore auxit & ornauit, eiq; quam petijt dignitatem adiudicauit: quare nihil minùs ea synodus, quàm pontificis supremam in terris potestatem, vt tu ais, agnouit. Itaque pontifex nunquam illud Concilium, *nisi ex parte quadam*, vt Gelasius Papa loquitur, approbauit. Hoc tu concilio speres te posse Romani pontificis vniuersalem authoritatem confirmare? *Act.16.* *Gelas. inter acta Concil. Tarracon.*

Cui (inquis) *obscurum est, quod illius Concilij Patres de Dioscoro scribunt?* Nulli certè, cui nota sunt illius Concilij acta. Sed argumentum attendo. Dioscorum Patres ob alia multa crimina, sed potissimùm, quia Romanum pontificem excommunicare voluit, omni Episcopatus dignitate priuarunt. Hoccine supremam Romani pontificis potestatem arguit, quòd Dioscorum patres de gradu deijciunt, cum alijs multis criminibus conuictum, tum eo etiam inter alia, quòd Leonem excommunicare Catholicum & pium Episcopum tentasset? Multa Dioscoro (vt nosti) obiecta crimina sunt, homicidium, blasphemia in sanctam Trinitatem, incendium, adulterium, Romani Episcopi excommunicatio: tum ad Concilium semel, *Act.3.*

iterum,

iterum, tertiò vocatus venire noluit. Quis hunc non dignum, cui Patres omnem Episcopi honorem detrahant, fateatur? Sic tamen fingendum est, quia de violato Romano pontifice accusatur, nisi huius criminis reus extitisset, cætera impunè fuisse omnia laturum. Meditari excommunicationem in Romanum Pontificem num grauius crimen Duræ fuit, quàm homicidium, quàm adulterium, quàm blasphemia in Trinitatem? Quousque tandem hæc pontificis tui ambitio procedet, vt admissum in pontificem crimen acerbius, quàm in sanctam Trinitatem vlciscendum putes?

Quòd autem Petro *vinea Dominica custodiam commissam* esse scribunt, exile admodum est. Nam tuum est docere non Petro tantum, sed Romano etiam pontifici, qui certè Petrus non est, non modò vineam, sed totam etiam, eiq; soli commissam esse. Nouimns enim Petro vineæ huius custodiam traditam esse, quemadmodum & cæteris Apostolis: sed aliud est, quod quærimus. Pergis iterum tuo more argumenta alia colligere. *Petunt enim* (inquis) *sua decreta ab eodem pontifice confirmari.* At concilij decreta confirmare, non est supremam in terris authoritatē exercere: hoc enim fuit omnium Episcoporum, maximè patriarcharum, atque adeo ipsorum etiam Imperatorum. Dum autem Paschasinus & Lucentius Dioscorum accusant, & pontificis, cuius erant vicarij, mandata exponunt, nullum certè verbum edunt, quod illam authoritatem euincat, de qua contendimus. Quanquam si

Romani

Romani pontificis legati ac vicarij pontificem Romanum ornant, quantum possunt, mirum professò non est. Sed quid vrges? Num quod Papa præcepit, ne Dioscorus in Concilio sederet? Et tamen id ei negatum est, quousque quid Dioscorus peccasset, cognitum esset, quemadmodum ex illius Concilij prima actione constat. Num quòd Paschasinus Romam caput omnium Ecclesiarum appellat? At hoc nihil aliud est, quàm Romanam Ecclesiam esse primam, maximam, clarissimam, celeberrimam Ecclesiam. Num quòd Lucentius licere negat sine sedis Apostolicæ authoritate concilium celebrare? At cui illud dubium est, qui temporum illorum disciplinam non ignorat? Nunc ista, si placet singula repete, atque hinc, si potes, mirificam pontificis tui authoritatem ostende: quod quidem tam facies, quàm aquam ex pumice elicies.

DVRAEVS, Fol. 83.

Plurima sunt huiusmodi, quæ Whitakerus vt eleuet, quædam ex alia eiusdem synodi actione profert de priuilegijs nouæ Romæ. Hæc sententia non toti Concilio tribuenda est, quæ non nisi quorundam fuit. Illud etiam imperitiæ Whitakere tuæ tribuendum est, quòd ne ea quidem intelligis, quæ de Constantinopolitanæ Ecclesiæ priuilegijs illius fautores à Concilio petunt. Non enim vt vtriusque par esset authoritas, sed, vt eorum vtar verbis, vt in Ecclesiasticis, sicut illa, maiestatem habeat negotijs, & secunda post illam existat, proposuerunt.

WHITAKERVS.

6 Quid hactenus attuleris, omnes vident, ex quo cuiusmodi sint quæ prætermittis, facilè licet existimare. Obieceram Campiano Ecclesiam Constantinopolitanam ijsdem priuilegijs ornatam esse à concilio Calcedonensi, quibus Romana Ecclesia fruebatur: quod cùm palàm ex Actis huius concilij constat, tum pontificis istam supremam authoritatem egregiè refellit. Si enim æqualia sunt Romanæ & Constantinopolitanæ Ecclesiæ priuilegia, eandem vtraq; authoritatem habet: æqualia autem esse synodus sanxit: Romanæ ergo Ecclesiæ Constantinopolitanam synodus æquauit. Negas vérò hanc totius concilij sententiam fuisse. At refragatum quenquã esse minimè legimus, præterquam Paschasinum, & Bonifacium, & Lucentium, Romani pontificis vicarios, qui valde quidem, sed frustra repugnabant. Episcopi enim dixerunt, *Hæc omnes dicimus, hæc omnibus placent*. Quam tu non nisi quorundã fuisse sententiam affirmas, eam liquet ex concilio omnibus Episcopis (si modò Romanos legatos exceperis) placuisse. Imperitiam hîc meam accusas, sed maiore certè imperitia. Si enim Constantinopolitanũ episcopũ patres illi priuilegijs Romano exæquant, nónne parem vtriusque & æqualẽ authoritatẽ faciunt? Tua nobis peritia opus est, vt quemadmodum vtriusque Episcopi æqualia priuilegia esse possint, & tamen Constantinopolitanum Romanus authoritate superet exponas.

Act. 16.

exponas. Quæ enim esse potest priuilegiorum æqualitas, vbi authoritas est inæqualis? Cùm ergo patres Calcedonenses Episcopum Constantinopolitanum ijsdē priuilegijs ornant, quibus Romanus ornatus fuerat, eiq; *in negotijs Ecclesiasticis*, id est, in omnibus officijs quæ ad Episcopum quemcunque pertinent, *maiestatem æqualem* tribuunt: quis tam imperitus est, qui non intelligat hoc decreto securim maximā pontificis authoritati inflictam esse, quam illi tu nunquam eripies? Ordinis tamen ratio habita est, vt Romanus pontifex primus esset, Constantinopolitanus secundus, Alexandrinus tertius, & sic deinceps reliqui, quandoquidem id necessarium est in omni congressu ad conseruandam εὐταξίαν. Ista autem πρωτεῖα nullam potestatem arguit. Si enim Romanus in Constantinopolitanum aliquid authoritatis habuit, quia ille primus fuit, hic secundus: tum Constantinopolitanus similiter in Alexandrinum, & Alexandrinus in Hierosolymitanum ius obtinuit, quia eadem inter hos fuit ordinis ἀναλογία.

DVRAEVS, Fol. 84.

Quid quod concilij patres intellexere nihil illud decretum sine Romani pontificis authoritate ponderis habiturum? Ob eam causam ad Leonem literas dederunt: & Martianus & Valentinianus Imperatores idem demum à pontifice per literas petiuerunt: quibus Leo grauissimè respondit Epist. 52. Quis iam non videt Constantinopolitanā sedem, vt Leo tantò antè prædixerat, pestifera hac ambitione propria perdidisse, atque in sæuissimam Turcarum tyrannidem incidisse?

WHITAKERVS.

7 Intellexiſſe patres, quod tu ſcribis, illud decretum ſine Romani pontificis authoritate nihil ponderis habiturum, non intelligo. Etſi enim literas ad Leonem ſcribunt, id tamen non eò faciunt, quò rem omnem illius iudicio permittant. Cupiunt quidem Romani pontificis ſententiam cum Concilij decreto coniungi, vt hoc modo plus ponderis haberet, quod decreuerant. Quanquam aut induci pontifex nullis literis, precibuſq; potuit, vt illud decretum confirmaret, decreto tamen ſuum pondus conſtitit, & illam pontificis querelam atq; exceptionem ſynodus reiecit. Hæc in Actis illius Concilij, atq; in Eccleſiaſticis hiſtorijs clariſſimè narrantur. Quàm grauiter autem Leo Imperatorum literis reſponderit, parùm refert. Proprium enim in ſua cauſa teſtimonium vim non magnam habet, nec tamen illa grauitate efficere potuit, quin concilij decretum obtineret. Iam ergo horum alterum mihi vel inuitus concedas eſt neceſſe, aut Concilium hîc erraſſe, aut pontificem tuum, qui non potuit vnico Concilij decreto obſiſtere, nondum ad hunc poteſtatis atq; authoritatis gradum aſcendiſſe, neque aut Imperatoribus, aut Concilijs imperaſſe. Vatem verò Leonem quo iure facias, ab eoq; tam multis antè ſeculis Conſtantinopolitanæ ſedis euerſionem prædictã eſſe dicas, non video: hoc quidem diuinare eſt, non diſputare. Si ambitio Conſtantinopolin perdidit,

metuat

metuat Roma, cuius ambitio iamdudum modum omnem transcendit, totumq; terrarum orbem peruasit.

DVRAEVS, Fol. 84.

Quàm verò magna authoritas Romani pontificis apud omnes fuerit, vel ex sola ad eundem Leonem Theodoreti appellatione intelligere potes. Theodoret. Epist. ad Leonem.

WHITAKERVS.

8 More tuo, vel morbo potius longam Theodoriti sententiam recitas, & quod vno verbo expediri potuit, tota pagina persequeris. Leonis opem Theodoritus implorauit. Quid mirum, cùm esset ab Alexandrino patriarcha iniustissimè excommunicatus, & Episcopi dignitate priuatus? Quid hoc ad illam infinitam potentiam pertinet, quam sibi pontifex assumit? Semper enim Episcopis licuit iniùria affectis & oppressis ad alios Episcopos confugere, quorum fides pietasq; nota esset, & quorum iudicio ac testimonio subleuari possent. Quòd autē ait, *vobis per omnia primos esse conuenit*, de eo quidem non contendimus. Fuisse enim Romanum pontificem ordine & honore primum satis constat. Si ergo Romanum Episcopum, qui erat patriarcharum primus, fautorem atque adiutorem in causa nactus esset, faciliorem sibi fore cum Alexandrino præsule litem sperabat. διὰ πάντα γὰρ ὑμῖν τὸ πρωτεύειν ἁρμόττει.

DVRAEVS, Fol. 85.

Denique quantam Leo in cæteros etiam Episcopos potestatem & habuerit, & sanè exercuerit, si illius legisti epistolas, ignorare non potes. An non Thessalonicensi Episcopo vices Leo suas per Græciam, vicinasq; alias regiones commisit? Epist. 84.

WHITAKERVS.

9 Quantum Leo sibi sumpserit, id mea nihil interest. Semper autem Romanos Pontifices nimium potiùs quàm parùm sumpsisse satis perspicimus. Fuerit Leo vir sanctus, fuerit doctus, fuerit omnibus boni Episcopi ornamentis præditus: honoris tamen paulò magis, quàm opus erat, appetentem fuisse ex illis, quas dicis, epistolis manifestum est. Neque id ille solus habuit, sed hoc ferè omnibus Romanis Episcopis insitum fuit, vt summis studiis suam sedem exornarent, atque augerent. Sed tamen nunquam illis venit in mentem, vt hanc infinitam authoritatem arrogarent, quam nunc Pontifex vendicat, nec si quid eiusmodi temporibus illis tentasset, pro sanis habiti fuissent. Quòd autem vices suas Leo Anastasio Thessalonicensi commiserit, etsi insolens fuit, tamen ad dominatum minimè spectauit. Nam interim Metropolitanis, & Concilijs prouincialibus Leo sua priuilegia reseruauit: quibus integris, nihil istis vicarijs relictum erat, quod agerent. Ex quo quicquid hoc fuit, tituli potiùs, quàm iurisdictionis fuisse patet: vtcunq; est, nisi causa pontificia certioribus testimonijs, quàm

quàm Pontificum epiſtolis nitatur, illam nemo prudens non contemnendam meritò iudicabit.

Dvraevs, Fol. 85.

Conſtantinopolitanum nunc Concilium ſequitur, cuius quintus ille, quem Campianus protulit, Canon maiorem quàm vlli alteri honorem Romanæ ſedi deberi affirmat. Sed præclarus ſcilicet interpres non hunc illum eſſe honorem ais, quem ſibi Pontifex Romanus vendicat. Nimirum rectiùs tu, quàm ipſi, qui Canonem condiderant patres quid ſibi voluerint intelligis. Nam à Damaſo petiuerunt, vt Nectarij, Fabiani, Cyrilli ordinationem confirmaret, & ſeſe cum magna modeſtia excuſarunt, quòd Romam euocati venire non potuerint.

Whitakervs.

10 Quis ille honor, Duræe, fuit, quem Romanæ ſedi Synodus Conſtantinopolitana maiorem, quàm vlli alteri tribuit? Num vt Romanus Pontifex toti Eccleſiæ imperaret? Si id dicis, tum idē etiam Conſtantinopolitano Epiſcopo conceſſum eſſe neceſſe eſt fatearis. Nam poſt Romanum Epiſcopum primatus honoris Conſtantinopolitano defertur. Ita ſi Romanus toti Eccleſiæ dominatur, idipſum etiam Conſtantinopolitanus facit, quanquàm poſt Romanum. Sed hæc prærogatiua honoris tantùm, non authoritatis fuit, vt Epiſcopus Romanus ordine & honore primus eſſet, ſecundus autem Conſtantinopolitanus, id quod ex ipſis verbis patet, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην, .i. *quia ipſa eſt noua Roma*, Quorū ratio ac ſentētia

Conſtan. concil. 1. cap. 5. in Græ. 3. τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς.

DVRAEVS, Fol. 85.

Denique quantam Leo in cæteros etiam Episcopos potestatem & habuerit, & sanè exercuerit, si illius legisti epistolas, ignorare non potes. An non Thessalonicensi Episcopo vices Leo suas per Græciam, vicinasq; alias regiones commisit? Epist. 84.

WHITAKERVS.

9 Quantum Leo sibi sumpserit, id mea nihil interest. Semper autem Romanos Pontifices nimium potiùs quàm parùm sumpsisse satis perspicimus. Fuerit Leo vir sanctus, fuerit doctus, fuerit omnibus boni Episcopi ornamentis præditus: honoris tamen paulò magis, quàm opus erat, appetentem fuisse ex illis, quas dicis, epistolis manifestum est. Neque id ille solus habuit, sed hoc ferè omnibus Romanis Episcopis insitum fuit, vt summis studiis suam sedem exornarent, atque augerent. Sed tamen nunquam illis venit in mentem, vt hanc infinitam authoritatem arrogarent, quam nunc Pontifex vendicat, nec si quid eiusmodi temporibus illis tentasset, pro sanis habiti fuissent. Quòd autem vices suas Leo Anastasio Thessalonicensi commiserit, etsi insolens fuit, tamen ad dominatum minimè spectauit. Nam interim Metropolitanis, & Concilijs prouincialibus Leo sua priuilegia reseruauit: quibus integris, nihil istis vicarijs relictum erat, quod agerent. Ex quo quicquid hoc fuit, tituli potiùs, quàm iurisdictionis fuisse patet: vtcunq; est, nisi causa pontificia certioribus testimonijs,

quàm

quàm Pontificum epiſtolis nitatur, illam nemo prudens non contemnendam meritò iudicabit.

DVRAEVS, Fol.85.

Conſtantinopolitanum nunc Concilium ſequitur, cuius quintus ille, quem Campianus protulit, Canon maiorem quàm vlli alteri honorem Romanæ ſedi deberi affirmat. Sed præclarus ſcilicet interpres non hunc illum eſſe honorem ais, quem ſibi Pontifex Romanus vendicat. Nimirum rectiùs tu, quàm ipſi, qui Canonem condiderant patres quid ſibi voluerint intelligis. Nam à Damaſo petiuerunt, vt Nectarij, Fabiani, Cyrilli ordinationem confirmaret, & ſeſe cum magna modeſtia excuſarunt, quòd Romam euocati venire non potuerint.

WHITAKERVS.

10 Quis ille honor, Duræe, fuit, quem Romanæ ſedi Synodus Conſtantinopolitana maiorem, quàm vlli alteri tribuit? Num vt Romanus Pontifex toti Eccleſiæ imperaret? Si id dicis, tum idē etiam Conſtantinopolitano Epiſcopo conceſſum eſſe neceſſe eſt fatearis. Nam poſt Romanum Epiſcopum primatus honoris Conſtantinopolitano defertur. Ita ſi Romanus toti Eccleſiæ dominatur, idipſum etiam Conſtantinopolitanus facit, quanquam poſt Romanum. Sed hæc prærogatiua honoris tantùm, non authoritatis fuit, vt Epiſcopus Romanus ordine & honore primus eſſet, ſecundus autem Conſtantinopolitanus, id quod ex ipſis verbis patet, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην, .i. *quia ipſa eſt noua Roma*, Quorū ratio ac ſentētia

Conſtan. concil. 1. cap. 5. in Græ. 3. τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς.

ex Calcedonensi Concilio dilucidè intelligi potest. In eo enim perscriptum est, , τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, hoc est *primum honoris gradum*, Romano pontifici tributum à patribus fuisse, propterea quòd vrbs illa sedes ac domicilium imperij esset, atque in ea senatus ille, qui gentibus populisque omnibus iura præscripsit, resideret. Quare cùm postea sedes imperij & senatus Constantinopolin translatus esset, & hæc instar alterius Romæ obtineret, æquum illis visum est, vt Episcopus Constantinopolitanus ijsdem illis, quæ prius Romano pontifici delata fuerant, ornamentis priuilegijsque frueretur: sic tamen vt Romanus pontifex primum locum non amitteret, sed primus Episcopus etiam deinceps remaneret. An hic honor ille sit, quem tuus pontifex expetit, tuum erit iudicare. At aliquid tamen nactus es, quod Campianus minimè vidit. Nam à Damaso (inquis) patres petunt, vt quorundam Episcoporum ordinationem confirmaret. Quasi id tritum multis præterea Episcopis fuisse quisquam nesciat. Et se excusant, quòd non venerint Romam euocati. Præclarum argumentum ab illorum modestia sumptum: Patres illi literas ad Damasum modestiæ plenas scripserunt: ergo Damasus supremam authoritatem in omnem ecclesiam tanquam caput habuit. Fælicem esse pontificem oportet, si istis argumentis summum in omnes ecclesias principatum vel acquirere, vel tenere possit.

Calced. conci. cap. 28.

DVRAEVS,

DVRAEVS, Fol. 86.

Superest Ephesina synodus, in qua nihil Romano pontifici delatum ais, quod non alijs etiam Episcopis conueniret. Quid ergo est quod ad Cælestinum pontificem scripserunt? Quoniam necessitas postulauit, vt omnia ad cognitionem sanctitatis tuæ referrentur. *Et pòst,* Ioannis Antiocheni temeritatem reseruauimus pietatis tuæ iudicio. *Et in ipsa Nestorij damnatione,* Tum ecclesiæ Canonibus (*inquiunt*) tum epistola sanctissimi patris nostri & collegę Cælestini compulsi, &c. *Illud erat quod ad Cyrillum Cælestinus scripsit. Et Cyrillus ad populum Constantinopolitanum,* Nisi Nestorius ad terminū à Cęlestino præfixum, &c. *Postremò vt risum lectori moueres, ipse tibi quod refelleres argumentum tanquam à Campiano propositum fingis. Pro cornuto aliquo, quem expectabam, syllogismo spe mea falsus nihil aliud quàm solæcismum inuenio.*

WHITAKERVS.

11 Ephesini Concilij epistolam ad Nestorium citauit Cãpianus, in qua nihil omnino perscribitur, quod summæ pontificis authoritati faueat. Hîc te mirificum Campiani patronum ostendis. Cùm enim, quod quærebas, in illa epistola minimè reperires, alia quædam vndique corradis, de quibus nulla inter nos controuersia fuit. Sic Campianum, quem defendere conaris, non posse defendi tacitè confiteris. Ista verò, quæ nunc affers aliunde, quorsum tandem spectent videamus. Scribunt patres ad Cælestinum, *Necesse est vt omnia ad cognitionem tua sanctitatis referantur.* Præcisè & cautè nobiscum agis. Si enim quæ mox sequuntur, citauisses, plagam pontifici, quam sanare minimè posses, intulis-

ses. Quid enim illud fuit, quod patres illi ad Cælestinum necessariò scribendum esse censerunt? Sic statim in epistola sequitur, *Quòd secundum voluntatem Seruatoris nostri omnium, & sanctionem pientissimorum ac Christi amantium Imperatorum, in Ephesiorum Metropoli ex multis & varijs prouincijs plus quàm ducenti numero Episcopi congregati sumus: &c.* Hoc illi putabant inprimis Romano Pontifici significandum esse, tum quid deinde in Concilio gestum sit, exponunt, quandoquidem id scire Pontificis Romani intererat. Iam illud ex communi patrum confessione liquet Concilium hoc non à Pontifice, sed ab Imperatoribus coactum esse, cùm tamen pontifex suum esse iactet vniuersalia concilia congregare. Quod subiungis, *illius temeritatem tuo iudicio reseruauimus*, hoc quidem se fecisse testantur, vt eam animi lenitate vincerent, si fieri posset: interim & Ioannem, & reliquos nonnullos communionis expertes reddidisse, & sacerdotali omni potestate priuauisse. Si verò Synodus iudicij partem aliquam pontifici delegauit, tunc ex eo potes pontificis summam authoritatem euincere? Quæ deinde affers, contra teipsum valent plurimùm. Ecclesiæ enim Canones Pontificis authoritati, Patres Ephesini anteponunt: tum Pontificem, non Dominũ, aut Episcopum vniuersalẽ, aut caput, *sed collegam & comministrum suum* appellant: quod quidem æqualitatis nomen est. Qui enim collegæ sunt, horum alteri non habent in alteros summã potestatem: sicq; isti patres Cælestinũ pro Christi vicario

Ephes. concil. in epist. ad Cælest.

capi-

capiteque totius Ecclesiæ agnouissent, illius se collegas nunquam profectò nisi per summam audaciam atque scelus inscripsissent. Sed præscripsit Nestorio tempus Cælestinus, & illud patres vrgent. Multa tu quidem in medium proijcis, sed nihil aliquo argumento constringis. Igitur hoc tibi argumentum confirmandum trado, Cælestinus pontifex, cùm haberetur Ephesi Concilium, Nestorio denunciauit damnationem, ni intra decennium hæresim abiuraret: ergo Cælestinus hoc facto se habere summam potestatem declarauit. Eiusmodi tua sunt argumenta omnia, quorum altera pars nunquam cohæret cum altera. Cæmentum tibi aliquod compares censeo, quo ista tam dissoluta conglutines. Sed tamen tibi homini tam faceto si risum mouere potui, est quod læter: mihi certè non tam risum, quàm stomachum tua hæc tam ἀσύστατα atque ἀσυγκρότητα mouent. Solæcismum verò à te mihi obiectum esse facilè patior, quem ego magnum Latinitatis magistrum agnosco. Sed bene habet, in eo non sunt positæ fortunæ Græciæ: Tu in verbis meis vnum solæcismum inuenisti, ego perpetuum in tuis argumentis solęcismum deprehendo. Et de hoc solæcismo facilis esset responsio, si ea vti vellem. Id mihi saltem, opinor, tribues, vt loqui Latinè possim sine solęcismis. Etsi verò solæcismos in tuo libro minimè capto, quia tamē sic tibi in hoc solęcismo places, quasi prædā nescio quam nactus fuisses, velim te primā Confutationis tuę paginam, primamq; periodum paulò atten-

attentiùs considerare: in qua aut solæcismum, aut quouis solæcismo turpius vitium inuenies. Cornutos verò syllogismos cornutis tuis collegis relinquo: Ego te quantumuis cornutum scripturis tamen pungam & confodiam.

DVRAEVS, Fol. 87.

Pro incruento corporis & sanguinis Christi sacrificio citauit Campianus Canonem Niceni Concilij 14. Hoc neque regula neque consuetudo tradidit, vt hi qui offerendi sacrificium non habent potestatem &c. *Quis hîc apertam fieri sacrificij mentionem non videat, quod cùm sine sanguinis effusione fiat, incruentum sanè nemo negauerit. Ac ne plura commemorem, illud unum instar omnium erit, quod inter illius διατυπώσεις legitur,* positum esse in illa sacra mensa Agnum Dei, qui tollit peccatum mundi, qui sine mactatione â sacerdotibus immolatur, & venerandum eius sanguinem.

WHITAKERVS.

12 Videor tibi illum huius Concilij Canonem, quem Campianus protulit, non legisse, quia vel sacrificij, vel incruenti, vel altaris fieri illic mentionem nego. Si quid temere affirmasse, dignus profectò tua animaduersione extitissem. Verùm & Canonem legi, & Campiano, vt ipsa res habuit, respōdi. In illo enim canone nulla aut *incruenti*, aut *Altaris*, aut denique *sacrificij* mentio reperitur. Tua quæ recitas, interpretis sunt, non concilij verba. Sic enim in Concilio legitur, ὥσπερ οὔτε ὁ κανὼν, οὔτε ἡ συνήθεια παρέδωκεν, τοὺς μὴ ἐξουσίαν ἔχοντας, προσφέρειν. Id est, *Quemadmodum nec canon, nec consuetudo tradit, vt ij offerant qui non habent potestatem.*

Concil. Nicen. can. 18. in Græc.

tem. Itaque depulsus ab hoc Canone ad διατάξεις, nescio quas, dilaberis, quarum semper dubiam fuisse in Ecclesia authoritatem constat. Et tamen quid hic nactus es, quod ego tibi dare petenti nolim? *Positum esse in sacra mensa Agnum Dei* fateor, nempe sacramentaliter, quia in sacramento Agnum percipimus. Atque hic agnus sine *mactatione immolatur*, quandoquidem non illud ipsum sacrificium, quod Christus semel peregit, offertur, sed illius sacrificij memoria ac mysterium celebratur. Eamq; ob causam præcipimur eodem in loco non panem & vinum, quæ proposita sunt spectare, sed sursum sublata mente Christum in sacrificio oblatum cogitare ac contemplari. Si verò in panis vinique specie corpus & sanguis Christi lateret, nunquam illi patres cogitationes nostras à pane vinoque abstraherent. Vbicunque enim est Christus, ibi nostræ cogitationes figi atque hærere debent. Sic semper quicquid affers, multò magis ad teipsum, quàm aduersarium refellendum valet.

DVRAEVS, Fol. 88.

In illis testimonijs quæ affers, cùm veteres Eucharistiam ἀναίμακτον θυσίαν *esse testentur, illud te fallit quòd nondum didiceris* ἀναίμακτον *dici, non quòd sanguinis expers omnino sit, sed quòd sine sanguinis effusione offeratur. Gregor. Nazianze. Orat. in laudem Basil.* In altaribus (*inquit*) saltantes & incruenta sacrificia hominum & victimarum cruore fœdantes. *Et in Iulianum,* Non iam altaria à purissimo & incruento sacrificio nomen habentia, &c. *Chrysostomus ad Innoc.* Christi sanguis in militum vestes effusus est. *Euseb. li.* 1. *c.* 10. *de Demonst.* Eius rei memoriam vt nos ipsi Deo pro sacrificio offerremus instituit.

Photius

Photius apud Oecumenium in cap. 5. ad Heb. Christus secundum ordinem Melchisedech incruentam obtulit hostiam, ac deinde suum ipsius corpus. *Denique Nyssenus Orat. 1. de Pasch.* Sese oblationem ac victimam offert pro nobis sacerdos simul & agnus Dei. Quando hoc accidit? Cùm suum corpus ad comedendum & sanguinem familiaribus ad bibendum præbuit. Qui igitur dedit discipulis suis corpus suum ad comedendum, apertè Demonstrat iam perfectam & absolutam factam esse immolationem.

WHITAKERVS.

13 Quo patrum plures de incruento sacrificio sententias cumulas, eo crebriores Missæ tuę plagas inijcis. Si enim est Missa totius Christi sacrificium, & Christi sacrificium cruentum fuit, Missa non potest esse incruenta, nisi quod est cruentum, idem simul esse possit incruentum. Sed hîc me aliquid (inquis) fallit: quod tu quidem facere sedulò conaris, si ego is essem, quem tu fallere posses. *Eucharistiam* (inquis) *veteres* θυσίαν ἀναίμακτον *appellant, non quia sanguinis omnino expers est, sed quia offertur sine sanguinis effusione*. Dignus certè sim qui fallar, si hanc tam putidam fallaciam non discutiam. Quid enim est ἀναίμακτον, si vim verbi expendimus, nisi in quo sanguinis nihil insit. Si est ergo hæc θυσία ἀναίμακτος, vt patres scribunt, eam sanguinis expertem esse sequitur. Tu verò ἀναίμακτον dici contendis, quia sanguis in ea nullus effunditur: quod si ita sit, non modò non esse illud Christi sacrificium, sed ne omnino quidem

ſacrificium efficitur. Nullum enim eſſe poteſt cruentum ſacrificium, quin ſanguis aliquis neceſſariò profundatur, atque adeo mors etiam victimæ conſequatur. Cùm ergo Eucharistiam ſanguinis profuſione carere ſtatuis, & tamen cruentum ſacrificium eſſe diſputas, quid aliud facis, quàm monſtra loqueris, & in ſacrificio nullum ſacrificium relinquis? At Chriſti ſacrificium fuitne hoc modo ἀναίμακτον? Nequaquam. Ergo ex tui ipſius confeſſione hoc ſacrificium non eſt illud Chriſti ſacrificium: nam in hoc nullus ſanguis effunditur, in illo autem Chriſti ſanguis in terram effuſus eſt. Non enim poteſt in eodem ſacrificio & non effundi, & ſimul effundi ſanguis. Quid quod Apoſtolus diſertè affirmat nullam fieri χωρὶς αἱματεκχυσίας remiſſionem? In quo vides in omni propitiatorio ſacrificio non ſanguinem modò, ſed ſanguinis etiam effuſionem neceſſariò requiri. Cùm ergo nullus in Miſſa ſanguis effundatur, nullam eſſe in Miſſa peccatorum remiſſionem inuicta conſequutionis neceſſitate concluditur. Iam quo ſenſu patres antiqui Euchariſtiam dixerint ἀναίμακτον θυσίαν, hoc eſt ſacrificium incruentum, facillimè licet exiſtimare. Nunquam enim illorum aliquis vel ſomniauit, quod noſtri pontificij tradunt, Chriſti ſanguinem adeſſe in cœna, ſed non effundi. Quemadmodum enim adeſt, ſic etiam effunditur, nempe in myſterio, quia illius effuſionis memoria recolitur. Cùm ergo illius vnici ſacrificij, quod Chriſtus cum ſanguinis

Heb. 9. 22.

ſui

sui effusione obtulit, in hoc sacramento memoriam renouamus, illud ipsum sacrificium offerimus, sed incruentum, quia non iam Christi sanguinem effundimus, sed mortis Christi sacramentum procuramus, & illud cruentum sacrificium gratis animis celebramus. Hoc patres sensisse vno Theodoriti testimonio faciam manifestum. Sic enim ille scribit, *Cur noui Testamenti sacerdotes mysticam liturgiam seu sacrificium peragunt, cùm Christus, qui est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, offerens sacrificium effecit, vt alia sacrificia non essent necessaria? Sed clarum est ijs, qui in rebus diuinis sunt eruditi, nos non aliud offerre, sed illius vnius & salutaris memoriam peragere. Hoc enim nobis præcepit ipse Dominus, hoc facite in meam recordationem: vt per figurarum contemplationem, earum quæ pro nobis susceptæ sunt perpessionum recordaremur, & in benefactorem beneuolentiam conseruemus, & futurorum beneficiorum perceptionem expectemus.* Hoc ergo sacrificium non *in reali* (vt loquuntur isti reales) corporis & sanguinis Christi sub panis ac vini imagine latitantis oblatione, sed in illius sacrificij, quod Christus semel obtulit, commemoratione atque recordatione consistit. Ita istis patrum testimonijs tuis vnica responsione satisfactum est. Tamen illa Nisseni postrema verba tuam aliquam explanationem desiderant. Num enim quando discipulis suis Christus corpus suum tradidit comedendum, *Perfectam & absolutam factam esse immolationem* demonstrauit? Si Christus in cœna perfectè atque absolutè

Theodorit. in c.8. ad Hebr.

immo-

immolatus fuit, quid opus erat postridiè denuò immolari? Perfecto enim quid potest esse perfectius? At nisi Christus in cruce mortuus fuisset, illa superior immolatio perfectam nobis redemptionem non attulisset. Quare certum est illud sacrificium non idem fuisse, quod Christus obtulit in cruce, sed tantùm illius perfecti sacrificij sacramentum. Atque vt hunc locum syllogismo concludam, Si sacrificium illud quod Christus in cœna obtulit, idem fuit, quo mundi peccata expiantur, tum & Christus in eo mortuus est, & illi postero die mori superuacaneum fuisset, quia iam antè redemptio perfecta erat: at consequens absurdum & blasphemum est: ergo similiter antecedens.

DVRAEVS, Fol, 89.

Quid tuam refellere sententiam apertius posset, quàm quod idem ille quem citasti Cyrillus scribit, in decla. Matth. 11. Sanctum & viuificum, incruentúmque in Ecclesia celebramus sacrificium &c. *Non ergo, vt nugaris, idem apud Cyrillum est incruentum sacrificium & gratiarum actio, sed incruenti sacrificij nomine ipsum corporis & sanguinis Christi oblationem intelligit,*

WHITAKERVS.

14 De incruento sacrificio satis iam multa diximus, quæ responsio valeret, si mille nobis paginas patrum testimonijs compleres. Incruentum enim ideo sacrificium vocant, quia in memoria & ἀνάμνησις, & in mystica rerum

per ſymbola repræſentatione verſatur, non, vt tu verè nugaris, quia ſanguinem habet, at ſanguinis effuſionem non habet. Quomodo enim Chriſti ſanguis niſi effuſus è corpore bibi poteſt? Et ille ſanguis, quem in calice conſecrato ſtatuis, num hæret in venis, atque in ipſo Chriſti corpore concluditur? At quis vnquam bibit & corpus, & corpus humanum, & corpus integrum? O mirificam Tranſſubſtantiationem, qua ſanguis editur, corpus bibitur! Quæ hæc Theologiæ portenta, quæ religionis inaudita prodigia ſunt? Sanguis eſt in calice conſecrato, liquidus tanquam aqua, & tamen hic ſanguis non eſt effuſus è corpore. Corpus certè liquidum, & valdè fluidum narras. Veniamus ad Cyrillum. ἀναιμάκτους θυσίας (inquis) *eſſe ipſam corporis & ſanguinis Chriſti oblationem intellexit*. Id facilè ex ipſo loco refelletur. Ait enim has θυσίας à ſpiritibus in cælo offerri: ſpiritus autem non offerunt in cælo Miſſæ incruentum ſacrificium: quare ἀναίμακτον θυσίαν nihil aliud eſſe quàm δοξολογίαν manifeſtum eſt. Sic Hieroſolymitanus Cyrillus ἀνθρωπίνην θυσίαν καὶ ἀναίμακτον λατρείαν appellat. Et Baſilius in liturgia, *Fac nos idoneos vt tibi offeramus ſacrificium laudis.* Et Nazianzenus hoc ſacramentum vocat ἀντίτυπον, ſiue *exemplar* magnorum myſteriorum. Et ille Dionyſius, quiſquis eſt, hanc fatetur eſſe συμβολικὴν ἱερουργίαν, hoc eſt *ſymbolicam ſacrificij oblationem*, quandoquidem, vt inquit Scholiaſtes, *ſymbola hæc ſunt, non ipſa veritas.*

Cyril. Hieroſ. myſt. Catech. 5. Baſil in liturg. Nazianz. in apol. Dionyſ. Hierar. Eccl. ſ. c. 5. Maximus, ὅτι σύμβολα ταῦτα, καὶ οὐκ ἀλήθεια.

DVRAEVS,

DVRAEVS, Fol, 89.

Pari ignorantia Eusebium interpretatus es. Non solam, nudámque, vt tu existimas, noui Testamenti memoriam sacrificium appellat, sed quòd in memoriam cruenti sacrificij incruentum in nouo Testamento sacrificium offeramus. Sic enim non ita multò pòst illud Malachię vaticinium interpretatur. Sic Chrysostomus homil. 17. ad Hebrę. Et Theodoret. in c. 8. ad Hebrę. Et August. lib. 20. c. 18. contra Faustum.

WHITAKERVS.

15 Ignorantiam rursus ab homine scientissimo meam notari æquo animo patior. Tibi verò ego tuam quantamcunque habes scientiam permitto: ea mihi profectò molesta non est. Quanquam modestum Theologum non oportuit, ista ingenij ac doctrinæ mediocritate immoderatiùs efferri. Sed quæ hæc ignorantia est, quam accusas? Me enim existimasse, vt tu dicis, sacrificium appellari solam nudamque memoriam, planè nego. Hæc enim memoria non est nuda, sed rem ipsam complectitur, eaque fruitur. Hîc ego non ignorantiam tuam reprehendo, sed conscientiam appello, nisi fortè illa scientiæ opinio, quæ vos inflauit Iesuitas, omnem conscientiam extrusit. *Christus pro salute nostrûm omnium* (inquit Eusebius) *admirabile sacrificium, & victimam eximiam obtulit, memoriam etiam & nobis tradens, quam pro sacrificio semper Deo offerremus.* Hanc memoriam esse Euseb. de Demonstr. lib. 1.

esse ipsum sacrificium affirmas, quod Christus obtulit, cùm tamen disertè Eusebius illud sacrificium ab isto distinxerit. Quomodo autem esse potest ipsum illud sacrificium, in cuius sacrificij memoriam offertur? Si enim hoc sit incruentum sacrificium, & cruenti sacrificij memoria: tum non est illud sacrificiũ quod Christus fecit, quia illud & cruentũ fuit, & nullius præterea sacrificij memoria. Sed Eusebium sui ipsius interpretẽ esse patiamur. Sic mox subiungit, *Huius sacrificij memoriam in mensa perficere per symbola & corporis, & salutaris sanguinis eius iuxta leges noui Testamenti didicimus*. Vides hanc memoriam non in corporis & sanguinis ipsius incruenta oblatione, sed in legitima symbolorum perceptione consistere. Et post, *sacrificamus memoriam magni illius sacrificij.* Quare hoc sacrificium non est illud ipsum magnum sacrificium, sed illius magni sacrificij monimentum. Malachiæ verò vaticinium Eusebius non de tuo incruento sacrificio, sed de precibus & pænitentia clarissimè interpretatur. Ita enim scribit, *Immolamus scilicet Deo Opt. Max.* θυσίαν αἰνέσεως, i. *laudis sacrificium. Immolamus sacrificium, cuius propheta meminit, spiritum contritum, & cor humiliatum: incendimus suffitum propheticum, in omni loco afferentes ei suauem fructum sanctæ religionis, per preces ad illum nostras offerentes.* Itaque has victimas vocat ἀσωμάτους καὶ νοερὰς, hoc est, *Incorporeas & intellectuales.* Hæc de incruento sacrificio intelligi nullo modo possunt. Atque hæc eadem est Tertulliani & Hieronymi de illa

τοῦ τοῦ θύματος μνήμην ἐπὶ τραπέζης ἐκτελεῖν διὰ συμβόλων.

θύομεν τὴν μνήμην τοῦ μεγάλου θύματος.

διὰ τῶν πρὸς αὐτὸν εὐχῶν ἀναφέροντες.

Tertull. cõtra Iudę. Hierony. in 1. Mala.

illa pura oblatione, quam Malachias commemorat, sententia. Chrysostomus, Theodoritus, Augustinus id ipsum confirmant, quod nos defendimus, sacrificium hoc omne μνημονικὸν atque ἀναμνηστικὸν esse, dum corporis & sanguinis Christi symbolis vtentes mortem illius & sacrificium viua fide grataque memoria celebramus. Augustini hæc verba sunt: *Huius sacrificij caro & sanguis ante aduentum Christi per victimas similitudinum promittebatur: in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur: post ascensum Christi per sacramentum memoriæ celebratur.* August. contra Faust. lib. 20. c. 21.

DVRAEVS, Fol. 90.

De Calcedonensis synodi actione 12. respondes, Nihil habet, quod quicquam ad istas causas spectet. Quid de noui Testamenti sacrificijs apertius dici potuit, quàm illa est Bassiani Episcopi querela? De incestis verò Monachorum nuptijs quid canone 16. clarius?

WHITAKERVS.

16 Bassiani querela nullam facit de incruento sacrificio mentionem, nec omnino aliquid habet quamobrem à Campiano proferri debuerit. Quid enim hoc ad institutam de sacrificio controuersiam spectat, quòd Bassianus malè sit à quibusdam post mysteria percepta & celebrata tractatus? Siccine enim argumentum contexis, Bassianum Episcopum quidam homines summis iniurijs ac contumelijs post Eucha-

ristiam peractam affecerunt: ergo Bassianus Episcopus incruentum sacrificium obtulit, quale pontificij suum esse fingunt? De Canone verò illo 16. etsi non est necesse mihi laborare, cùm id in me minimè susceperim, vt quosuis conciliorum canones defenderem, nec istum Campianus Canonem citaret, tamen quantum inter huius decreti sanctionem, vestramq; sententiam intersit, attingam. Monachorum nuptias incestas esse affirmas, atque id istius Canonis testimonio doces: ego ex hoc eodem Canone istas nuptias non esse incestas demonstrabo. Iubent quidem illi patres virgines Deo dicatas, & Monachos, si nuptias contraxerint, à communione submoueri: tamen statuunt Episcopo licere humanitatem illis ac relaxationem concedere. Ex quo perspicuum est synodum non sic de istis nuptijs, vt incestis iudicasse. Nuptijs enim incestis nullus est veniæ aut relaxationis locus, immo statim & istas nuptias dissolui, & ipsos homines meritis pœnis affici lex diuina præcipit. Nuptiarum dissolutionem synodus non requirit, animaduersionem quandam infligit, cuius tamen mitigationem Episcopo permittit.

Concil. Calce. can. 16. ὡρίσαμεν δὲ ἔχειν τὴν αὐθεντίαν τῆς ἐπ' αὐτοῖς φιλανθρωπίας τὸν κατὰ τόπον ἐπίσκοπον.

DVRAEVS, Fol. 90.

Quò pertinet & Socratis locus lib. 1. cap. 8. Ex illo enim facile perspicies veterem Ecclesiæ traditionem fuisse, vt qui in clerum ante conscripti erant quàm duxissent vxores, hi deinceps à nuptijs abstinerent,

WHITA-

WHITAKERVS.

17 In illo loco, quem indicas, nihil tale reperitur. Vndecimum autem caput est de Paphnutio, quem nosti in Concilio Niceno Clericorum nuptias scripturarum authoritate defendisse. Quod autem de ijs subiungit, qui cœlibes in ministerium delecti sunt, id consuetudine tantùm, & traditione Ecclesiastica confirmat, quæ contra scripturam nihil profectò valet. Quàm autem hæc consuetudo parùm antiqua fuerit, ex Ancyrana synodo constat, quæ paucis ante Nicenam annis habita est, in qua cautum fuit, si Diaconus professus esset in ordinatione cœlibem se deinceps minimè victurum, ei vt vxorem ducere, atque in ministerio tamen permanere liceret. Tu si quid inuenisti in octauo capite illius libri, quod huic causæ affine sit, tuum est proferre.

Socra.li.1. cap.11.

Ancyr.syno. Ca.10.

DVRAEVS, Fol. 91.

Quæ tua sit de sanctorum cum Christo regnantium precibus implorandis sententia expendamus. Num Martyres (*inquis*) diuíque cælites pro nobis supplicent nescimus. *Id vos nescire haud posse dixerat Campianus, si in fidei doctrina veterum patrum vestigijs insistere velletis. An hoc Ambrosius nescíuit lib. 2. de Cain & Abel. c. 9. Cyprian. Epist. 57. August. contra Faustum Manich. lib. 20. ca. 1. & 2. Hieronym. contra Vigilantium.*

WHITAKERVS.

18 Quid sancti in cælis agant, ideo nescimus, quia nos id nescire Dominus voluit. Si enim harum rerum scientia nobis necessaria fuisset, eam nobis in scripturis spiritus sanctus tradidisset. Cùm autem nihil habeas quod ex scripturis proferas, primùm accedis ad conuitia, deinde patrum quędam testimonia adhibes, quasi scilicet quæratur, aut quid de mortuorum precibus patres senserint, aut si pro nobis orare sanctos constiterit, ideo sanctos nostris precibus implorandos esse consequatur. Neutrum potes scripturis euincere, & tamen non abstines à maledictis. Quanquam autem nullus est Canonicæ scripturæ locus, qui mortuos pro viuis precari disertè planeq; testatur, tamen sanctorum Ecclesiam in cælis cum Christo regnantem de reliquis corporis sui membris in terra versantibus solicitam esse non negabo. Sed hæc communis cura est, quæ non ex certa conditionis nostræ notitia, sed ex insita in suos beneuolentia nascitur. Antequam autē euincas exorandos à nobis esse mortuos, id doceas est necesse statū cuiusq; hominis singularem mortuis cognitum ac perspectū esse, quod tu nunquam sanè efficies. Non enim valet argumentum, sancti in cælum recepti Ecclesiam in terris militantem non negligunt, eamq; suis ærumnis liberatam esse cupiunt, ergo genera ipsa calamitatum, totumq; statum Ecclesiæ norunt, ac proinde inuocandi sunt. Quicunque enim

enim ad Ecclesiæ corpus pertinent, fratribus suis ac membris, omnem fælicitatem exoptant. Sed hæc tamen studiorum coniunctio mutuam inuocationem minimè arguit. Nunc igitur vt probes sanctos mortuos quid hîc nos agamus, scire, perpendamus.

DVRAEVS, Fol.91.92.

Quid nos (*inquis*) agamus, sanctos ignorare certum est. *Quomodo verò id vobis certum est? Vósne de illorũ beatitudine certi eritis, illi vestram in terris miseriam ignorabunt? Quibus Christus adhuc in terris agentibus vt amicis suis diuina ac cælestia patefecit, ijs iam in cælo regnantibus ne eorum quidem quæ in terris aguntur quidquam patefaciet? Ioan.* 15. *Subuersurus Sodomam Dominus*, Num (*inquit*) cælare potero Abraham? *Gen.* 18. *Et Elizæus de Sunamitide*, Anima eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me. 4. *Regum* 4. *Et huic Elizæo futura reuelabat, vt regis Syriæ concilia, &c.* 4. *Regum* 6. *Quid Ioseph, quid Samuel, quid alios penè innumeros prophetiæ spiritu ornatos referam? Augustinus ita disserit lib.* 22. *cap.* 29. *de Ciuit. Dei. Et Eucherius eodem modo scribit, eundem scripturæ locum explicans. At tibi fortè ignorare sancti quid nos agamus videntur, quia modum quo scire id possint minimè intelligis. Augustinus non vnum tibi sed plures modos ostendet, de cura pro mortuis, cap.* 14. *&* 15. *Tibi ergo certum sit sanctos quid nos agamus ignorare, Augustino certum est cognoscere.*

WHITAKERVS.

19 Si res nostras sancti nesciunt, inuocandi à nobis certè non sunt. Quorsum enim attinet ab ijs opem implorare, qui quid agas, aut vbi sis, aut quibus rebus indigeas, ignorant? Tum nec illud

illud sufficit, vt externum statum cognoscant, nisi etiam in animum ipsum intueri atque inspicere possint. Quem enim inuocamus, eum esse oportet, qui desiderium sensumq; spiritus nouit, quod vnus Deus facere potest. Ille enim solus videt in occulto, eamq; ob causam solus inuocandus est. Sancti verò nec præsentes nobis adsunt, vt preces nostras audiant, miseriasq; videant, & multò minus internos animorum motus perspectos habent. Qui sanctis alterum horum tribuunt, non iam sanctos, sed Deos faciunt. Si enim Basilius firmo satis argumento spiritum sanctum esse Deum probauit, quia piorum preces vbiq; locorum exaudit, eodem argumento efficitur & sanctos etiam esse Deos, si omnium hominum preces in locis disiunctissimis factas intelligere possunt. Similiter Athanasius Christum esse verum Deum demonstrat, quia eius auxilium in rebus afflictis imploratur: si ergo sancti inuocantur, dij omnino sunt.

Rom. 8. 27. Math. 6. 6.

Basil. de spiri. sanct. cap. 22.

Athanas. contra Arian. orat. 2.

Sed tuas nunc ratiunculas discutiamus, quibus nihil in hac causa fateor me futilius vnquam legisse. Sic autem disputas, *Nos certi sumus de sanctorum beatitudine*: ergo sancti certi sunt de nostra miseria. Primùm non est ista æqualium rerũ comparatio. Qui enim in cælis versantur, eos esse beatos est necesse: at contrà non semper miseri sunt, qui in terris viuunt. Deinde sanctorum statum certum, & fælicitatis illius, qua nunc illi fruuntur, modum ac gradum nescimus: ex quo sequitur, si quid tuum argumentum concludit, nostræ conditionis ignotam esse illis rationem,

onem. Dic enim nobis obsecro Duræe, quid nunc in cælis Petrus, quid Paulus, quid reliqui sancti agant. Sin hôc nescis, & illi nihilo meliùs quid nos agamus sciunt, quàm quid illi nunc agant nos intelligimus, teipsum proprio refellis argumēto, quod acuti disputatores facere solent. Huic aliā non dissimilem adiungis: *Christus amicis suis in terra degentibus cælestia patefecit*, ergò multò magis iisdem in cælo regnantibus, quid in terris agatur declarabit. Et tibi dementes videntur, qui hoc fateri nolunt. Sed quis illum satis sanum putet, qui sic ratiocinetur? Num enim discipulis Christus, quid in cælis sancti agant, & quemadmodum sese gerant exposuit? Quis id vnquam præter teipsum finxit? Aperuit illis vt amicis omnia, quæ illis erant ad salutem necessaria: ista verò quæ tu somnias, quando tandem narrauit? Aut quomodo sequitur, Si nobis in hac vita Christus salutis mysteria declarauit: cùm erimus in cælesti fælicitate collocati, quid in terris agatur nobis etiam indicabit? Tui certè tam miserè disputantis nostros Academicos, quos tam sæpe affaris, miseret atque pudet. Eiusdem acuminis sunt, quæ de Abrahamo, Elizæo, & Prophetis sequuntur. *Abrahæ Dominus excidium Sodomiorum, Elizæo ac Prophetis multarum rerum scientiam patefecit*, ergo sancti res nostras intelligunt. Tum valebit argumentum, quando similem patefactionem comprobas. Doce ergo sic Deum sanctis nostra omnia indicare, atque olim Prophetis, quæ illorum

August. de Ciuit. Dei lib. 22. cap. 29.

Ioan. 15. 15.

August. de cura pro mortuis cap. 13.

ad

ad Ecclesiæ commodum scire intererat, explanauit.

Augustinus autem non iam videre Sanctos omnia affirmat, sed de futuro statu quærit, quando animis & corporibus in cælo versabimur: *Si corde Elizeus adiuto diuinitus seruum vidit munera accipientem, quanto* (inquit) *amplius tunc omnes munere isto abundabunt quando Deus erit omnia in omnibus?* Sed ista Augustinus proponit, vt probabilia, non statuit vt certa atque explorata. Sic enim initiò scribit, *Illa actio vel potius quies atque ocium, quale futurum sit, si verum velim dicere, nescio.* Eucherij prorsus eadem est quæ Augustini sententia. *At tibi* (inquis) *videntur ignorare, quid agamus, quia modum, quo id scire possint non intelligis.* Ego sanè, vt dicis, hunc modum non intelligo, & eum mihi à te exponi cupio, modò quod docere instituis, scripturarum testimonijs comprobes. Sed hoc tibi nimis molestum fuit, itaque me ad Augustinum remittis, cuius ego libenter me discipulum futurum profiteor, dum id me docet, quod ex scripturis ipse didicit. Nam liber ille *de cura pro mortuis gerenda* dubitationibus & suspitionibus plenus est, vt facilè quiuis perspiciat, ipsum sibi Augustinum non satis in hoc argumento placuisse. Tamen quod ais Augustino certum esse, sanctos quid nos agamus cognoscere, id ego Augustino incertum fuisse ex ipso Augustino ostendam. Hæc illius verba sunt, *Ibi sunt spiritus defunctorum, vbi non vident quæcunque aguntur, aut eueniunt in ista vita hominibus.* Atque id paulò priùs Esaiæ testimonio confir-

August. de Ciui. Dei, lib. 22. cap. 29.

August. de cura pro mort. cap. 13

firmauit, *Esaias Propheta dicit, Tu es enim Pater noster: quia Abraham nos nesciuit: & Israel non cognouit nos.* Tum subiungit, *Si tanti Patriarchæ quid erga populum ex his procreatum ageretur ignorauerunt, quomodo mortui suorum rebus atque actionibus cognoscendis adiuuandísque miscentur?* Atque hoc ipsum Glossa interlinearis in illum Esaiæ locum de Augustino obseruauit. Sic Origenes, *Si extra corpus positi, vel sancti, qui cum Christo sunt, agunt aliquid & laborant pro nobis, ad similitudinem Angelorum, habeatur hoc quoque inter occulta Dei.* Quod cùm ita sit, quis tibi deinceps credat, quem non pudet affirmare, quod palàm falsum esse constat? Orig. in 2. cap. ad Rom.

DVRAEVS, Fol. 93. 94.

Ne sine ratione insanire videaris, Ad Christum (*inquit*) potiùs accedimus, eúmque vnum obsecramus, qui & nouit quibus egemus, & vult & potest quæ petimus largiri. *Quid? An tu sanctissimos Patres hoc ignorasse existimas? Quanquam quid ego Patres commemorem? Si Whitakero credimus, neque Paulus ipse ab iniuria Christo inferenda sibi temperauit, cùm Romanorum preces, ac Corinthiorum pro se fieri postulauit. Non ignorarunt sanctissimi Patres omnia sibi in Christi, non Sancti cuiusuis nomine esse impetranda. Sed cùm satis intelligerent non eadem apud Deum omnes gratiâ & authoritate valere, eos potissimùm quos Deo esse gratissimos minimè dubitabant, sancti Patres adhibere consueuerunt. In promptu mihi in hoc loco esset miracula enumerare.*

WHITAKERVS.

20 Qui mortuos inuocandos esse negat, eum insanire

sanire existimas: sed hæc tuta insania est cum prophetis, cum Apostolis, cum scripturis insanire. Cum istis ego multò quidem malim insanire, quàm tecum tuisque collegis præclarè sapere. Tui enim maiores Iesuitæ coacti sunt fateri in scripturis nusquam sanctorum inuocationem præcipi. Si ergo me scriptura nulla docuit sanctos inuocare, cuius tandem hominis authoritate fretus sanctos inuocabo? Quid si autem etiam non esse inuocandos scriptura docuit? Tamen ero insanus, si non inuoco? Insanum me dum volent insani iudicent. Apostolus ait, *Quomodo inuocabunt eum in quem non crediderint?* Quis non videt & inuocationem & fiduciam ad solum Deum pertinere? Non oportet in sanctos credere, ergo non licet eosdem inuocare. Iterum Apostolus, *Nolite fieri serui hominum*. At δουλεία sanctorum, nos seruos hominum facit, ergo hæc δουλεία, quam sanctis præstandam esse pontificij docent, prohibetur. Et Christus toties Apostolos iubet *patrem in ipsius nomine rogare*, promittitque vt quicquid petunt certissimè impetrent. Si quicquid à patre in Christi nomine petimus, sine dubio impetramus, non est necesse ad preces sanctorum confugere. *Dominum Deum tuum* (inquit Christus) *adorabis, & illum solum coles*. Et rursum, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Tu iam quæris, an hoc patres ignorasse existimem. Quid patres aut scierint, aut nescierint, mihi non est necesse respondere. Si quam

Censura Coloniens.
Rom. 10. 14.
1. Cor. 7. 23.
Ioan. 16. 23.
Matt. 4. 10.
Matt. 11. 28

quam in fundamento stipulam paleamq́ue ædificarint, ferendum damnum est. Mihi de propria fide, non de illorum scientia laborandum est. Quanquam illos à vestra idololatria longissimè semper abfuisse satis intelligo. Hieronymus, *Quis, ô insanum, (inquit) caput, aliquando Martyres adorauit?* Et iterum, *Nos non Angelos, non Archangelos, non Seraphim, non Cherubim colimus & adoramus.* Augustinus, *Scias à Christianis Catholicis nullum coli mortuorum.* Vtri nunc insani, vtri hæretici sunt, nósne qui mortuos colendos esse pernegamus, an vos potiùs, qui mortuos assiduis sacris & summa religione colitis? Alibi Augustin. *Honoramus eos charitate, non seruitute. Nec eis templa construimus.* Iterum idem Augustinus, *Nos Martyribus nostris non templa sicut dijs, sed memorias sicut hominibus mortuis fabricamus.* Nulla verò vestra sunt extructa & dicata Martyribus templa? Adiungit eodem in loco, *Suo loco & ordine nominantur, non tamen à sacerdote, qui sacrificat, inuocantur.* Sanctos Augustinus negat inuocari, vos contrà inuocandos esse defenditis. Prætermitto multos, quorum potui sententiis abundare. Ex his intelligimus vestram religionem in mortuorum inuocatione pro maxima parte consumptam nihil ab insania atque idololatria differre. Sed tamen etiam scripturam profert Duræus, cùm aduersarij ipsi concedunt scripturis non posse istam inuocationem confirmari. Paulus à Romanis, ac Corin-

Hierony. cõtra Vigilant.

August. epist. 44.

August. de vera religione. cap. 55.
De ciuit. Dei lib. 22. ca. 10.

Corinthijs petijt, vt ipsum suis precibus adiuuarent. Quis hic stupor inauditus? Num Romanos Apostolus aut Corinthios inuocauit, num preces obtulit, num quicquam omnino fecit, quod isti in sanctorum inuocatione solent? Dum viuimus, fratrum nostrorum statum cognitum habere, alijq; alios precibus mutuis iuuare possumus: atque ita etiam facere iubemur. De mortuis nihil tale constat. Aliquid hoc quidem ad rem fecisset, si Prophetam aliquem Paulus, aut Iacobum Apostolum ab Herode interfectum, aut quenquam mortuum inuocasset. Fratrum viuorum preces postulare aliud est, atque hominibus mortuis supplicare. Verùm adiungis nobilem rationem, *Sciunt* (inquis) *non omnes eadem apud Deum gratiâ valere: itaque adhibent eos, quos non dubitant Deo gratissimos esse.* Quid? Erántne illi Romani, & Corinthij Deo gratiores, quàm ipse Paulus? Ideóne horum precibus indiguit Apostolus, quia minus ipse gratia & authoritate, apud Deum valuit? Quis non te somniare potiùs putet, quàm disputare? Si verò, vt dicis, adhibendi deprecatores sunt, qui gratiâ plurimùm apud Deũ possunt, potes mihi aliquem nominare quem Deus charum magis gratumq; habeat, quàm suum ipsius filium? Apostolus ait, *Effecit nos sibi gratos* (non in sanctis sed) *in illo dilecto*: de quo Deus ipse testatur, *Hic est filius meus dilectus, in quo acquiesco.* Christus ait, *Nemo venit ad patrem, nisi per me*: atque hic ille *vnus est mediator inter Deũ atque inter homines*. De miraculis verò, quibus inuocationem sanctorum postremò confirmare cona-

Ephes.1.6.
Matth.3.17
Ioan.14.6.
1.Tim.2.5.

conaris, id respondeo, vt verum sit quicquid de illis miraculis circumfertur, tamen non effici inuocandos esse sanctos. Nam Elias, Elizæus, Paulus, Petrus, alij sancti multa miracula ediderunt, quos tamen inuocatos fuisse nec viuos nec mortuos legimus. Deinde miraculis Euangelij doctrina sancitur, non noua superstitio cótra scripturas excogitata stabilitur. Ego vnam scripturæ sententiam mille tuis miraculis anteponam.

DVRAEVS, Fol. 95.

Paulus (*inquis*) sexagenarias ad minimum esse voluit, iste Canon quadragenarias. *Verùm de diaconissarum ætate nihil est diuino iure constitutum. Quod de sexagenarijs Paulus scripsit nascentis Ecclesię primordijs vtilissimum esse iudicauit. At iam Euangelium latissimè per orbem diffusum altiores in animis hominum radices egerat, & continentię virtutem nuptijs preferre passim Christiani cęperant.*

WHITAKERVS.

21 Nihil in scripturis de diaconissarum ætate præscriptum esse, quo ore dixeris, demiror. Nónne enim hanc legem Paulus de ætate viduarum tulit, vt nulla ad munus ecclesiasticum accederet, quæ non ad minimum sexagenaria esset. Hæc Apostoli verba sunt, *Vidua eligatur non minor annis sexaginta.* *At hoc* (inquis) *nascentis Ecclesiæ primordijs consentaneum fuit, insecuta ætas aliud postulauit.* Immo istas leges Apostolus scripsit, non ad diem, primamque ætatem, sed in omnia tempora duraturas. Itaque 1.Tim.5.9.

Corinthijs petijt, vt ipsum suis precibus adiuuarent. Quis hic stupor inauditus? Num Romanos Apostolus aut Corinthios inuocauit, num preces obtulit, num quicquam omnino fecit, quod isti in sanctorum inuocatione solent? Dum viuimus, fratrum nostrorum statum cognitum habere, alijq; alios precibus mutuis iuuare possumus: atque ita etiam facere iubemur. De mortuis nihil tale constat. Aliquid hoc quidem ad rem fecisset, si Prophetam aliquem Paulus, aut Iacobum Apostolum ab Herode interfectum, aut quenquam mortuum inuocasset. Fratrum viuorum preces postulare aliud est, atque hominibus mortuis supplicare. Verùm adiungis nobilem rationem, *Sciunt* (inquis) *non omnes eadem apud Deum gratiâ valere: itaque adhibent eos, quos non dubitant Deo gratissimos esse.* Quid? Erántne illi Romani, & Corinthij Deo gratiores, quàm ipse Paulus? Ideóne horum precibus indiguit Apostolus, quia minus ipse gratia & authoritate, apud Deum valuit? Quis non te somniare potiùs putet, quàm disputare? Si verò, vt dicis, adhibendi deprecatores sunt, qui gratiâ plurimùm apud Deũ possunt, potes mihi aliquem nominare quem Deus charum magis gratumq; habeat, quàm suum ipsius filium? Apostolus ait, *Effecit nos sibi gratos* (non in sanctis sed) *in illo dilecto:* de quo Deus ipse testatur, *Hic est filius meus dilectus, in quo acquiesco.* Christus ait, *Nemo venit ad patrem, nisi per me:* atque hic ille *vnus est mediator inter Deũ atque inter homines.* De miraculis verò, quibus inuocationem sanctorum postremò confirmare

Ephes.1.6.

Matth.3.17

Ioan.14. 6.

1.Tim.2.5.

cona-

conaris, id respondeo, vt verum sit quicquid de illis miraculis circumfertur, tamen non effici inuocandos esse sanctos. Nam Elias, Elizæus, Paulus, Petrus, alij sancti multa miracula ediderunt, quos tamen inuocatos fuisse nec viuos nec mortuos legimus. Deinde miraculis Euangelij doctrina sancitur, non noua superstitio cōtra scripturas excogitata stabilitur. Ego vnam scripturæ sententiam mille tuis miraculis anteponam.

DVRAEVS, Fol. 95.

Paulus (*inquis*) sexagenarias ad minimum esse voluit, iste Canon quadragenarias. *Verùm de diaconissarum ętate nihil est diuino iure constitutum. Quod de sexagenarijs Paulus scripsit nascentis Ecclesię primordijs vtilissimum esse iudicauit. At iam Euangelium latissimè per orbem diffusum altiores in animis hominum radices egerat, & continentię virtutem nuptijs prę ferre passim Christiani cęperant.*

WHITAKERVS.

21 Nihil in scripturis de diaconissarum ætate præscriptum esse, quo ore dixeris, demiror. Nónne enim hanc legem Paulus de ætate viduarum tulit, vt nulla ad munus ecclesiasticum accederet, quæ non ad minimum sexagenaria esset. Hæc Apostoli verba sunt, *Vidua eligatur non minor annis sexaginta.* 1. Tim. 5. 9. *At hoc* (inquis) *nascentis Ecclesiæ primordijs consentaneum fuit, insecuta ætas aliud postulauit.* Immo istas leges Apostolus scripsit, non ad diem, primamque ætatem, sed in omnia tempora duraturas. Ita-

que summa obtestatione sanxit in extremo, *vt hæc mandata ad illustrem aduentum Domini nostri Iesu Christi seruarentur.* Tua verò responsio quid tandem firmum aut perpetuum esse patitur? Nã quod subiungis, *Euangelium postea radices in hominum animis altiores egisse*, quenquámne putas tam desertum esse ab omni iudicio, vt non intelligat rem longè aliter habuisse? Latius quidem dimanasse Euangelium fateor, quo maior eiusmodi viduarum, quales Apostolus requirebat, copia esse potuit: at professores Euangelij acriore tẽporibus illis pietatis studio flagrasse, quàm ætate Apostolica, ab omni fide abhorret. In Ecclesiam enim Apostolicam primitiæ spiritus collatæ sunt, in eamque Dominus incredibilem atque extraordinariam donorum vbertatem effudit, quam seculis subsequentibus denegauit. Tũ pietatem cæpisse paulatim infirmari & languescere omnes historiæ testantur. Illud verò Lectores velim attendere, quod noster Duræus ingenuè confitetur, primis temporibus cœlibatum non ita fuisse à multis expetitum, & succedentibus sæculis continentiam nuptijs prælatam esse. Quantò autem satius fuisset instituta Apostolica seruare, atque istam coactam continentiam cum legitimis sanctisque nuptijs commutare, exitus ipse nimis luctuosus indicauit. Sed fateor Apostolum de pontificijs diaconissis nullas leges condidisse. Nolim enim quenquam existimare illas viduas, quas Paulus sexagenarias eligi mandauit, istis Monialibus pontificijs similes fuisse. Nam illæ in negotio & ministerio versa-

1. Tim. 6. 14

ban-

bantur, istæ nullam habent in ecclesia muneris functionem, & totæ viuunt otiosæ. Tales Apostolus nullas agnouit, quas si vidisset, næ illas ex ecclesia prorsus exterminandas sensisset.

DVRAEVS, Fol. 96.

Vouere (*inquis*) quod nequeas præstare est Deo illudere. *Audite quæso Academici &c. Quasi cælibem vitam ducere nemo possit, aut continentiæ virtutem Deus non impartiat ijs, qui precibus eam ac ieiunijs seriò impetrare contendunt. Vestales virgines, & sacerdotes Aegyptij sola duce natura continentiam coluerunt. Quid si res cuiusquam postulet, vt relicta domi vxore vel solus maritus exulet, vel multorum annorum peregrinationem instituat, quod de Syris mercatoribus Hieronymus refert?*

WHITAKERVS.

22 Si qui homini promittunt, quod præstare nequeunt, in iustam reprehensionem incurrũt: quantò magis illorum temeritas accusanda est, qui Deo aliquid vouere volunt, quod an possint persoluere non intelligunt? Quid enim hoc aliud est, quàm Deo illudere & votum stultum, incõsideratum, impium suscipere? Et cui tandem exploratum esse potest, an sit in omnem vitam futurus in cœlibatu continens? Vbi hoc nobis Dominus promisit? Aut si id nulli vnquam homini promissũ fuit, quæ hæc religio est, in nostra duntaxat voluntate, nõ Dei verbo & promissione cõstituta? Quis illum sanũ putet, qui se doctũ, eloquẽtem, robustum, prudentẽ, ingeniosum, prin-

cipem fore vouerit? Non minus hæc sunt in nostro arbitrio posita, quàm perpetuus cum castitate cœlibatus. *At Deus* (inquis) *hoc donum impartiet ijs, qui illud petunt*. Id verò Deus non promisit: itaque vouere te perpetuò cœlibem fore, antequam perspexeris id tibi daturum dominum, vt possis quem instituis cœlibatum, sanctè semper tueri, verbi ac promissi diuini authoritate caret. Non enim quicquid precibus assiduis petimus, id semper accipimus. Nam Pau-
2.Cor.12.8. lus multis precibus petijt, quod impetrare non potuit. Si ergo Paulum dominus voti sui compotem facere, atque illum ei stimulum auferre noluit, quem ablatum cupiebat, quo modo nos erimus certi, quicquid nobis vouere in mentem venerit, eo nos sine dubio potituros? Christus
Matt.19.11 ait, *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*. At capere omnes possent, si votum continentia sequeretur. Vouere enim cuiuis licet. Verùm hoc Dei singulare donum est, vt Apo-
1.Cor.7.7. stolus ait, *Vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ita, alius verò ita*. Et se Apostolus negat *laqueum* cuiquam velle inijcere.
1.Cor.7.35. Estné verò dubium, quin votum laqueus sit? Cur istum autem laqueum non plurimis imponit Paulus, præsertim tam facilem & laxum, si pontificijs credimus, vt eo quenquam præfocari posse, minimè sit metuendum? Sed multò esse difficiliùs præstare, quàm vouere vitam continentem infinita exempla demonstrant. His enim votis mundus iamdudum laborauit, pietasque omnis ac sanctimonia perijt. Parcam castis
san-

sanctisque auribus. Hieronymus quidem, vt ipse scribit, cùm in Eremo viueret, & se miseris modis cruciaret, tamen visus sibi est nonnunquam in Romanis delicijs, medijsq; puellarum choreis versari. Si Hieronymo in solitudine degenti, omnes illecebras fugienti, vitam in terris diuinam meditanti tam molestum fuit corporis & mentis castitatem seruare, quàm isti præclarè suis votis satisfaciant, facilè licet existimare. Et te Hieronymus luculente refellit, quando ait, *Si omnes virgines esse possent, nunquam & dominus diceret, Qui potest capere capiat, & Apostolus in suadendo non trepidaret.* Hieron. contra Iouinian.

Verũ exẽplis probas, quod instituis: & primum *Vestales virgines*, & *Aegyptios sacerdotes* cõmemoras. Nobiles certè pontificij cœlibatus authores. Sed quia cœlibes fuerunt, num proinde castitatẽ seruarunt? Quasi non sit multò facilius à nuptijs abstinere, quã castè sanctèq; viuere. Quãquã Vestæ virginibus post annum trigesimum nubere licuit, quemadmodum in historijs legimus: & Aegyptios sacerdotes perpetuò cœlibes fuisse non existimo. Sacerdotis enim Aegyptij filiam Iosephus duxit vxorem. Gen. 41. 45. Fecisses multò rectiùs, si huius continentiæ exemplum ex sacris literis petijsses. Sed hîc tibi nullum suppetere satis, opinor, intelligis. Quòd autem quæris, quid si necessitas postulet, vt vxore careat maritus, vel in exilium missus, vel peregrè profectus, vel huiusmodi aliqua occasione abstractus, id vnũ respondeo, multum interesse, nósne voluntariam necessitatẽ nobis ipsis imponamus, an impositã diuinitus subeamus.

Psal.90.12. eamus. Dominus se nobis affuturum pollicitus est, quousque in vijs nostris ambulamus: si excedimus è via, & nosmet præcipites in difficultates conijcimus, temere nobis diuinam opem tutelamq; promittimus.

DVRAEVS, Fol. 96.

Bern.lib.5. ad soror. *Iam nobis Bernardum obijcis,* In turpi voto muta decretum. *Adeoné cęcus es, vt virginitatis votum Bernardo turpe visum fuisse putes? Non agit Bernardus de cęlibatus voto, & ille liber ab alio quodam Monacho conscriptus fuit: quanquam nihil hoc ad rem pertinet.*

WHITAKERVS.

23 Votum turpe est, cuius obseruatio cum turpitudine coniuncta est: quid autem turpius esse potest, quàm assiduis vrgeri libidinum flammis, & tamen sanctum remedium contemnere? Cùm satis constet talem esse multorum conditionem, quantò satius esset fidem rescindere, & decretum mutare, quàm quod incautè vouerunt, in eo persistere, atque ad voti temeritatem etiam scelus adiungere? Quodcunque tandem votum sit, quod nisi scelere persolui nequeat, irritum esse Bernardus censet: si hæc Bernardi verba sunt. Ea Gratianus Isidoro tribuit. Ad rem vt nosti, nihil interest.

22.quest.4. In malis.

DVRAEVS, Fol.97.

Maioris tibi ponderis fortè videtur, quod ex Cypriano obijcis,

Si se

Si se ex fide Christo dicauerint (*inquit*) pudicè & castè sine vlla fabula perseuerent: sin autem perseuerare nolint, vel non possint, melius est, vt nubant. *Sanctissimus Martyr non de dicatis Deo virginibus loquitur, sed quasi dicat, si quę sunt einsmodi, quę nolint perseuerare, non se Christo dicant, sed nubant.*

WHITAKERVS.

24 Loqui de dicatis viginibus sanctum Martyrem negas: quod tamen ita certum est atque exploratum, vt Erasmus in margine obseruarit, *Virginibus sacris permittit nuptias*. Quis verò dubitet Cypriani mentem Erasmo, quàm tibi multò fuisse notiorem? Nec verò quę scripsit Cyprianus aliter omnino intelligi possunt. Virgines enim quasdam reprehendit, quæ postquam sese Deo dicauerant, tamen incontinentiæ & libidinis suspicionem præbuerunt. Iubet ergo vt *si Christo se ex fide atque animo dicauerint, pudicè & castè perseuerent: sin perseuerare nolint, vel non possint, nubant*. Cui nunc obscurum est de ijs virginibus loqui Cyprianum, quæ dicatæ Christo fuerant, quibus præcipit, vt vel sanctè persistant in proposito, vel si id facere nequeant, aut nolint, ad nuptias redeant & illam inhonestæ suspicionis occasionem fugiant? Quasi non eadem etiam aliorum patrum sententia extiterit. Augustinus de huiusmodi virginibus, quas voti suscepti pænitet, sic scribit, *Hæ igitur, quæ nubere volunt, & ideo non nubunt, quia impunè non possunt, quæ meliùs nuberent, quàm vrerentur*. Et apud Gratianum, *Quidam nubentes post votum asserunt adulteros esse.*

Cypr. li. 1, Ep. 11.

August. de sanct. virgin. c. 34.

Distinct. 27, Quidam.

Ego autem dico vobis, quod grauiter peccant, qui tales diuidunt. Epiphanius ſatius eſſe ſtatuit, vt qui prolapſus eſt in curſu cœlibatus, vxorem ducat, atque incidat εἰς κρίμα, i. in pœnitentiam eccleſiaſticam: quàm occultis quotidie iaculis ſauciari, atque ita incurrere εἰς κατάκριμα, i. in æternã condemnationem. Hieronymus de quibuſdam virginibus conqueſtus, quarum leuitas gloriam virginum infamia nonnulla aſperſerat, ſubiungit, *Quibus apertè dicendum eſt, vt aut nubant ſi ſe non poſſunt continere, aut contineant ſi nolunt nubere.* Iam vides, ſi videre vis, quàm longè veterum diſciplina à pontificia ſuperſtitione abfuerit. Si enim inceſtas antiqui patres iſtas fore nuptias iudicaſſent, nunquam illarum ſuaſores atque hortatores extitiſſent.

Epiphan. hæreſ. 61.

Hierony. ad Demetria.

DVRAEVS, Fol. 98.

Hîc tanquam de victoria certiſſimus pium Lectorem obſecras, omneſq́; Chriſtianos ad hanc plagam cernendam inuitas. Synodos omnes (*inquis*) & nominatim Tridentinam quatuor œcumenicis Concilijs pares eſſe Campianus affirmat: quatuor autem concilia Gregorius cum quatuor Euangelijs exæquat: hinc nunc efficitur omnium aliorum temporum concilia eiuſdem eſſe authoritatis cum quatuor Euangelijs. *Confeciſti hominem ſcilicet Whitakere. Immo ne legiſti quidem. Vbi enim legiſti Gregorium quatuor illa concilia cum quatuor Euangelijs exęquaſſe? Id ait*, ſe certa & indubitata fide, vt ſcripturis, ita quatuor illis œcumenicis concilijs credere. *Hoccine eſt quatuor Euangelijs concilia hęc quatuor exęquarę?*

Lib. 1. Epiſt. 24.

WHITAKERVS.

25 Neſcio quæ vos nacti nuper eſtis arma, quibus

bus induti nullos ictus pertimescitis. Si enim hærere omnino aliquod in vestris corporibus telũ fas est, hoc certè nulla declinatione vitari potest. Synodos omnes Campianus, & nominatim hanc recentem Tridentinam eiusdem fidei atq; authoritatis cum primis quatuor œcumenicis concilijs esse affirmat: illa autem Gregorius sicut *sancti Euangelij quatuor libros suscipit & veneratur*: quid hinc aliud sequetur, quàm omnes omnium temporum synodos, etiam illam Tridentinam, quod dictu nefas est, sicut sancti Euangelij quatuor libros suscipi oportere? & quid hoc quæso aliud est, quàm synodos omnes quatuor Euangelijs exæquare? Possumúsne enim aliquid suscipere sicut Euangelium, nec tamen illud Euangelio exæquare? Si est aliqua inæqualitas, tum non eodem modo vtrumq; suscipimus ac veneramur. Et quando Synodus Tridentina *traditiones non scriptas pari pietatis affectu & reuerentia suscipit ac veneratur*, qua libros veteris & noui Testamenti, quid aliud facit, quàm Traditiones non scriptas scripturis exæquat? Partire nobis ista Duræe paulò subtilius. Quæ vera synodi statuunt ac decernunt, ea nos vt ipsas scripturas suscipimus, non quia sic synodo placuit, sed quia sic placere spiritui sancto synodus ex scripturis declarat. At verò cuiusquam post Apostolica tẽpora synodi, nedũ Tridentinæ, quam nos pro legitima synodo nunquã agnoscemus, quamlibet sanctionẽ sicut Euangeliũ suscipere ac venerari, est infinita Euãgelia fabricari, hominũ cõscientias molestissimis laqueis irretire, nihil firmũ ac certũ relinquere.

Grego. Epi. li. 1. Epist. 24

1. Decret. 4. Seß.

DVRAEVS, Fol. 99.

Inter scripturam sacram & concilia discrimen est haud exiguum. Scriptores sacri sola nituntur diuina reuelatione, nec humanis presidijs ad veritatem inquirendam indigent: in concilijs patres Dei verbum siue scriptum, siue non scriptum consulere, & argumenta diligenter expendere necesse est. Quod & in primo illo Hierosolymitano concilio factum fuisse legimus, in quo magnam conquisitionē patres illi fecerunt. Deinde nihil in scriptura sacra tam paruum, quin à spiritu sancto profectum sit: conciliorum non ea maiestas est, sed ea tantùm, quę vera esse, ac Catholica fide ab omnibus credenda, ex instituto decernuntur, à spiritu sancto esse credendum est.

WHITAKERVS.

26 Nihil opus fuit, vt esse nonnullum inter sacram scripturam ac concilia discrimen comprobares, quod tamen ad extremum esse omnino nullum concludis. Non enim quæritur an sit aliqua circumstantiarum varietas, sed an conciliorum decreta de fide ac religione facta scripturarum authoritatem exęquent, vt non minùs istis conciliorum sententijs, quàm apertis scripturis credere debeamus. Quod quando affirmas, obsecro num vllum inter scripturam & concilia discrimen relinquis? Quorsum ergo & tuo ocio, & nostra patientia abuteris, vt differentiam externam atq; alienam ostendas, in re ipsa, in qua comparantur, nullam constituas? Et tamen quàm etiam turpiter in his tam paucis, & non necessarijs erratum à te fuerit, breuiter exponam. Primùm scriptores sacros ais sola niti diuina reuelatione. At hoc

hoc quàm imperitè dixeris, quis non intelligit? Etsi enim sacros scriptores spiritus sanctus gubernauit, tamen omnem ab illis conquisitionem, industriam, inuestigandæ veritatis laborem prætermissum esse nego. Nónne enim se Lucas operam dedisse testatur vt omnia accuratè perdisceret? Nónne hæc eadem ipsi tradita fuisse ab ijs, qui à principio spectatores, & ministri sermonis fuerant, confitetur? Quamobrem à sacris scriptoribus etsi spiritu sancto afflatis inquirendæ tamen veritatis studium non fuit alienum. Deinde quòd Dei verbum non scriptum in concilijs consulere patres oportere scribis, id quidem in priscis sanctisque concilijs nunquam factitatum est. Nam & Hierosolymitana synodus pseudapostolos, & Nicena Arrium, & Constantinopolitana Macedonium atque Eunomium, & Ephesina Nestorium, & Calcedonensis Eutychetem solis scripturis refutauit, quibus solis hæretici conuinci atque opprimi possunt. Quod subiungis de Hierosolymitano concilio, in eo tibi ipse aduersaris. Nónne enim in illo Concilio præsentes aderant Apostoli, atque Euangelistæ, Petrus, Ioannes, Matthæus, Paulus, Lucas, Marcus, Iacobus, Iudas? An hos diuina reuelatione putas in concilio caruisse? Tamen ab illis disquisitionem adhibitam esse confiteris. Quanquam sic istam ab Apostolis agitatam esse quæstionem, tanquam priùs dubiã, nec satis ipsis exploratam, id quidem falsissimum est. Multis enim ante illam synodum annis Apostoli ablatum esse nobis Mosaicæ legis iugum intellexerant & docue-

Luc. 1. 2. 3.

Act. 15.

docuerant, quemadmodum ex Actis apostolicis, Pauliq; Epistolis manifestum est. Postremò, illa tua est principij petitio decumana, quod verum esse ex instituto decernitur in concilio, id à spiritu sancto proficisci. Nos enim multa multorum conciliorum decreta citamus, quæ ne ipsi quidem sancta esse audetis affirmare. Vnius exemplo vtar, Carthaginiensis sexta synodus sciens prudensq; sanxit, ne liceret Episcopis transmarinis ad Romanum pontificem prouocare. Quod si decretum tanto omnium studio interpositum à spiritu sancto profectum est, quis non impium esse pontificem fateatur, qui spiritus sancti decreta non dubitet violare?

DVRAEVS, Fol. 100.

Sed Gerson (*inquis*) concilij Constantiensis moderator vnius hominis sententiã toti concilio anteponere non dubitauit. *Hæc ego te apud Gersonem, quem imperitè admodum concilij Constantiensis moderatorem appellas, legisse nunquam sat scio, cùm nihil ille huiusmodi scripserit. Sed valdè erras, si eundem nos Gersoni vel Panormitano honorem deferre putas, quem vos Luthero vestro, vel Caluino soletis.*

WHITAKERVS.

27 Fueritne Gerson Constantiensis concilij moderator, an non, ad ipsam causam, quam in manibus habemus, nihil interest. Fuit quidem illius Concilij pars non exigua, semperq; habitus est vir magni nominis atque authoritatis. An ista verò legerim, quæ citaui, tuum erit iudicare,

In illo libro, *de examinatione doctrinarum*, scripto Constantiæ sic habet, *Iungatur huic consideratio cum sua declaratione duplex veritas*. Primam autem hanc statuit, *Simplici non authorizato, sed excellenter in sacris literis erudito plus credendum esse in casu doctrinali, quàm Papæ*. Alteram verò hanc, *Talis eruditus deberet se generali concilio opponere, si sentiret maiorem partem ad oppositum Euangelij malitia vel ignorantia declinare*. Iam quid hoc aliud est, quàm quod ego dicere Gersonem affirmaui, vnius eruditi hominis sententiam toti interdum Concilio præferendam esse? Atque idipsum Panormitanus disertè scribit, *Plus credendum est vel simplici Laïco scripturam proferenti, quàm toti simul concilio*. Sed tu horum authoritatem non magni æstimas, quos tamen à te nouo Theologo tantos magistros contemni minimè profectò oportebat. Neutrum certè dixeris aut Caluinianum fuisse, aut Lutheranum.

Gers. de exam. doctr. 1. par. considerat. 5.

Panormit. ext. de elect. c. significasti

DVRAEVS, Fol. 101.

Cùm publicum vobis Campianus in causa fidei disputationis certamen obtulisset, neque Laïco id licere perspiceret, prudenter sanè presbyterum se esse professus est. Quid si à vobis ille vicissim ordinationis vestræ rationem postulasset? Nihil profectò aliud, quàm sine vllo ordine ordinatos vos esse respondere licuisset.

WHITAKERVS.

28 Factum se presbyterum Campianus ab Antonio Pragensi Archiepiscopo narrauit. Id quorsum spectaret, abs te nunc primùm intelligo.

telligo. Quanquam vix ſanè fidem facis, quod tu de Campiani conſilio prolixè admodum & ineptè diſputas, id ipſum in animo Campianum habuiſſe. Quid enim? Nullis fas eſt de religione diſputare, præterquam presbyteris? At Athanaſius Alexandrinæ Eccleſiæ Diaconus Niceæ contra Arrianos Epiſcopos acerrimè diſputauit: atq; ad illud concilium non Epiſcopi modò & presbyteri, ſed multi etiam Laïci diſputandi gratia conuenerant, quemadmodum ſcribit in hiſtoria Socrates. Quod verò tunc licuit, quamobrē hodie non licebit? Multi bene diſputant, qui non ſunt presbyteri, nec quicquam Campiano ad acumen & vim diſputandi profuit, quòd eſſet ab Antonio Pragenſi raſus atq; inunctus. Cur tū verò audes diſputationes Theologicas tractare, qui nondū à quo fueris presbyter creatus indicaris? Vide inquā, ne dum Campianū laudas, teipſū magnæ incogitantiæ atq; audaciæ cōdemnes.

Socrat. lib. 1. cap. 8. τούτοις γενναίως ἀντηγωνίζετο ἀθανάσιος, διάκονος μὲν. &c

Ordinationis autem noſtræ ſi Campianus rationem à nobis petijſſet, illi quidem reſponderi facilè potuiſſet. Nam vt Apoſtolicam ordinationem taceam, quam quiſquis nactus erit, pontificiam meritò contemnat, Lutherus, Zuinglius, Oecolampadius, Bucerus, cæteriq; illi præſtantiſſimi ac ſanctiſſimi heroes, erántne Laïci, an non erant? Si enim presbyteri erant, & docere Euangelium, & falſa dogmata refellere, & Eccleſias ſuas perpurgare, & miniſtros ordinare, & deniq; facere poterant, quicquid ad presbyterorum munus pertinebat. Si non erant presbyteri, quomodo facti ſunt ex presbyteris Laïci? Fuiſſe enim aliquan-

aliquando veros presbyteros non negabis. Sin autem ius & ordinationem amiserunt, quia non cõstantes in Catholica fide (quã scilicet vocatis) permanserunt, ergo externam successionem atq; ordinationem non esse firmam Ecclesiæ notam confiteris. Si quidem hi legitimi non erant presbyteri, quia pontificiam doctrinam abiecerant, multò minùs presbyteri pontificij pro legitimis habendi sunt, quos constat à Christi Euangelio ac fide turpissimè desciuisse.

DVRAEVS, Fol. 102.

Querenti Campiano cur fide publica ad Tridentinum concilium inuitati vestri non properarint, respondes, terruit nos exemplum Ioannis Hus. At ille nec inuitatus fuit à Concilio Constantiensi, neq; publicam ab eo fidem accepit. In Concilio Constantiensi (*inquis*) decretum fuit hæreticis non esse seruandam fidem. *Nihil in eo concilio de fide hæreticis non seruanda decretum fuit.*

WHITAKERVS.

29 Cur ad concilium Tridentinum nostri non venerint quantumuis inuitati, abundè in Apologia Ecclesiæ nostræ expositum est. Cumq; memoria recente teneremus, quid Hussio contigerit ad concilium Constantiense venienti, mirũ non est, si ad illam suscipiendam profectionem fuimus tardiores. Si enim ille euocatus è patria, & fide publica tanta munitus, quantã quisq; omnino potuit desiderare, tamẽ contra hanc fidẽ in ipso concilio morte crudelissima interfectus est, quis vestris promissis cõfidat, aut vobiscũ aliquid habere

habere commercij velit? *At nihil* (inquis) *Hussio concilium promisit.* At Hussio (inquam) Imperator Sigismundus publicam fidem dedit, quam à Concilio infringi indignissimum & turpissimum fuit. Illectus literis fideq; publica Cæsaris Hussius ad conciliũ venit, nullum periculum metuit, ad crimina respondet, capitur, in carcerem detruditur, condemnatur, exuritur. Tum sublato contra fidem publicam Hussio legem condunt

Concil. Constant. sess. 19.

fidem hęreticis concessam ab Imperatore, aut regibus, aut alijs seculi principibus nullum Ecclesiasticis iudicibus impedimentum allaturam, quo minùs cum illis ex iure agant. Quid quæso publica fides huic homini profuit? Aut vt nulla fide fretus venisset, quid grauius perpeti potuisset? Si Imperatorum, regum, principum apud vos authoritas tam parùm potest, vt quos illi saluos esse volunt, & quibus impunitatem sanctissimè promiserunt, horum tamen vitam defendere à crudelitate vestra nequeunt, quis verbis vestris ac promissis vllam fidem habeat? Quasi vobis artes desint, quibus incautos homines opprimatis. Illud ergo tutissimum erit, quod Epicarmus monuit, semper ἀπιστεῖν.

DVRAEVS, Fol. 104.

Concilia (*inquit Campianus*) generalia mea sunt, primum, vltimum, media. *Vel hoc Campiano concedendum erat, vel pro Caluinianis vnum saltem ex tam multis concilium proferendum: quod neque tu facis Whitakere, neque tota, vt tuo verbo vtar, Caluinianorum natio facere vnquam poterit.*

WHITA-

WHITAKERVS.

30 Vltimum hoc Tridentinum fateor quidem esse vestrum: in quo nullus fuit, nisi totus vester. Atque hoc nemo, opinor, sapiens vobis inuidebit. At neque primum, neque primo proxima vestra sunt. Et quia hoc nec Campiano, nec tibi concedam, proferã vnum, quod, quocunque te verteris, nostrum esse inuitus dederis. Carthaginiense concilium generale, cui Augustinus interfuit, & ad quod suos Romanus pontifex legatos miserat, hanc legem promulgauit, vt *prima sedis Episcopus non diceretur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid omnino einsmodi: sed tantùm Episcopus prima sedis*. Aut hoc caput tollant, deleantq; pontifices, aut se nec principes sacerdotum, nec summos sacerdotes, nec maximos pontifices, nec vniuersales Episcopos appellent. Si sunt enim primæ sedis Episcopi, quod libenter agnoscent, eo nomine contenti esse debent. Si hoc concilium tuum esse dixeris, pontificem à te, cuius hîc arrogantes ac superbi tituli prohibentur, in perpetuum alienaris. Quia vnum postulabas, vnius testimonium sufficiet: si plura desiderasses, in pluribus tuo desiderio satisfecissem.

Carthag. Concil. c. 39. ἔξαρχον τῶν ἱερέων, ἢ ἄκρον ἱερέα, ἢ τοιουτότροπόν τι ποτε.

LIBER QVINTVS, de Patribus.

DVRAEVS, Fol. 109.110.


D Patres quinto loco prouocat Campianus. Certaminis autem campum ingressurus primùm pro se in acie collocauit Magnum illum Dionysium Ariopagitam. Tu hunc Dionysium supposititium esse dicis: sed nullum argumentum vel leuissimum video. Ego grauissimos aliquot testes subijciam, qui hos ipsos de quibus nunc disserimus libros citatis inde sententijs Dionysio Pauli discipulo tribuerunt. Origen. hom. 1. in Ioannem, inter homil. in var. script. loc. Nazianzenus εἰς τὰ γενέθλια. Sophronius Hierosolymorum archiepiscopus ad Sergium patriarcham Constantinopolitanum. Damascenus lib. 6. cap. 12. Nicephorus lib. 2. cap. 20. Euthymius in panopl. part. 1. tit. 2. Serm. 57. Deniq; Dionysium archiepiscopum Alexandrinum in opera Dionysii Ariopagitæ scholia conscripsisse constat: quæ Maximus scholiastes, & Pachymerus citant in hoc opere.

WHITAKERVS.

1 
VM nos semper Duræe patribus tantum tribuamus, quantum vel scriptura permittit, vel ipsi postulant, quid nobis patres toties obiectatis, & quorsum ista de patribus querela vestra disputatioq; spectat? Contemni enim à nobis antiquissimos doctissimosq; patres dici non potest nisi vanissimè, quos & legimus studiosè, & de Ecclesia Christi optimè meritos esse confitemur.

Quid

Quid amplius est, quod requiras? Num enim æquum esse censes, vt horum libri ad Canonicas scripturas adiungantur, & quæuis dicta pro summis certisq; fidei oraculis habeantur? Videndum verò est non modò ne patres sua ac debita reuerentia spolientur: sed multò etiam magis ne illis nimium deferatur: cùm in hanc longè periculosius, quàm in illam partem peccari soleat. Nimium enim patribus tribuunt, qui illos fidei nostræ authores faciunt, & dogmata nullis scripturis cõfirmata, nudis patrũ sententijs proposita, populo Christiano obtrudunt. Hic ergo huius loci status est, num patribus sine scriptura aliquid affirmantibus credendũ sit, liceatq; è patrum scriptis doctrinam aliquam elicere, quam Christi Ecclesiæ tanquã necessariam præscribas, nisi eundẽ possis maiore verbi diuini authoritate comprobare. In quo patres ipsi, quos credibile est de seipsis rectiùs quàm istos sensisse, nobiscum omnes cõsentiunt. Id erit paucis testimonijs perspicuum. Tertullianus in hunc modũ scribit, *Nobis nihil licet ex nostro arbitrio inducere, sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus authores, qui nec ipsi quicquam de suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt: sed acceptam à Christo fideliter disciplinam nationibus assignarunt.* Si nihil Apostoli, nisi quod acceperant à Christo, quẽ solum religionis magistrum esse oportet, Ecclesijs tradiderunt, multò minùs patribus, quibus honorificum est vt sint Apostolorum filij ac discipuli, proprium aliquid, quod à Christo non didicerint, licebit inducere. Cyprianus similiter,

Tertull. de præscript.

LIBER QVINTVS, de Patribus.

DVRAEVS, Fol. 109. 110.



D Patres quinto loco prouocat Campianus. Certaminis autem campum ingressurus primùm pro se in acie collocauit Magnum illum Dionysium Ariopagitam. Tu hunc Dionysium supposititium esse dicis: sed nullum argumentum vel leuissimum video. Ego grauissimos aliquot testes subijciam, qui hos ipsos de quibus nunc disserimus libros citatis inde sententijs Dionysio Pauli discipulo tribuerunt. Origen. hom. 1. in Ioannem, inter homil. in var. script. loc. Nazianzenus εἰς τὰ γενέθλια. Sophronius Hierosolymorum archiepiscopus ad Sergium patriarcham Constantinopolitanum. Damascenus lib. 6. cap. 12. Nicephorus lib. 2. cap. 20. Euthymius in panopl. part. 1. tit. 2. Serm. 57. Denique Dionysium archiepiscopum Alexandrinum in opera Dionysii Ariopagitæ scholia conscripsisse constat: quę Maximus scholiastes, & Pachymerus citant in hoc opere.

WHITAKERVS.

1 

VM nos ſemper Duræe patribus tantum tribuamus, quantum vel ſcriptura permittit, vel ipſi poſtulant, quid nobis patres toties obiectatis, & quorſum iſta de patribus querela veſtra diſputatioq; ſpectat? Contemni enim à nobis antiquiſſimos doctiſſimoſq; patres dici non poteſt niſi vaniſſimè, quos & legimus ſtudioſè, & de Eccleſia Chriſti optimè meritos eſſe confitemur.

Quid

Quid amplius est, quod requiras? Num enim æquum esse censes, vt horum libri ad Canonicas scripturas adiungantur, & quæuis dicta pro summis certisq; fidei oraculis habeantur? Videndum verò est non modò ne patres sua ac debita reuerentia spolientur: sed multò etiam magis ne illis nimium deferatur: cùm in hanc longè periculosius, quàm in illam partem peccari soleat. Nimium enim patribus tribuunt, qui illos fidei nostræ authores faciunt, & dogmata nullis scripturis cõfirmata, nudis patrũ sententijs proposita, populo Christiano obtrudunt. Hic ergo huius loci status est, num patribus sine scriptura aliquid affirmantibus credendũ sit, liceatq; è patrum scriptis doctrinam aliquam elicere, quam Christi Ecclesiæ tanquã necessariam præscribas, nisi eundẽ possis maiore verbi diuini authoritate comprobare. In quo patres ipsi, quos credibile est de seipsis rectiùs quàm istos sensisse, nobiscum omnes cõsentiunt. Id erit paucis testimonijs perspicuum. Tertullianus in hunc modũ scribit, *Nobis nihil licet ex nostro arbitrio inducere, sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus authores, qui nec ipsi quicquam de suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt: sed acceptam à Christo fideliter disciplinam nationibus assignarunt.* Si nihil Apostoli, nisi quod acceperant à Christo, quẽ solum religionis magistrum esse oportet, Ecclesijs tradiderunt, multò minùs patribus, quibus honorificum est vt sint Apostolorum filij ac discipuli, proprium aliquid, quod à Christo non didicerint, licebit inducere. Cyprianus similiter,

Tertull. de præscript.

Cypr. li. 2. Epist. 3.

Non curandum est, quid hic aut ille senserit, sed quid Christus fecerit, & docuerit. Hieronymus, *Nec parentum, nec maiorum error sequendus est, sed authoritas scripturarum, & Dei docentis imperium.* Augustinus grauissimo Anathemate damnat, *quicquid annunciatur præterquam quod in scripturis legalibus & Euangelicis accepimus.* Et in alio loco, in quo ad patrum quorundam testimonia respondet, quibus suam interpretationem Hieronymus confirmare voluit, *Ego* (inquit) *solis eis scriptoribus, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem.* Quid alias recitem innumeras patrum sententias, istam pontificiorum superstitionem apertissimè ac grauissimè refutantes? Saltem Thomam suum audiant, à quo quid de patrum authoritate sentiendum sit, discere possunt. Sic ille scribit, *Sacra doctrina authoritatibus Canonicæ scripturæ vtitur, propriè ex necessitate argumentando: authoritatibus autem aliorum doctorum Ecclesiæ, quasi arguendo ex proprijs sed probabiliter. Innititur enim fides nostra reuelationi Apostolis & prophetis factæ, qui Canonicos libros scripserunt: non autem reuelationi, si qua fuit alijs doctoribus facta.* Nullæ ergo possunt, si Thomæ credimus, necessariæ firmæq; demonstrationes ex patrum sententijs peti, & fides nostra solis innixa est Canonicis scripturis. Si in hac magistri tui definitione acquiescis, inter te atque me de ista controuersia facilè conueniet. Modò enim concedas, fidem solis niti scripturis, & omnes omnium patrum sententias nullum nisi probabile argumentum efficere, te quidem ego tuorum

Hier. in 9. c. Ierem.

August. contra lit. Petil. lib. 3. cap. 6.

Epist. ad Hieron.

Thom. 1. p. quæst. 8. art. ad 2.

orum patrum testimonijs dictisq; patiar non inuitus oblectari. Sed quando nobis patrum quorundam testimonia obijciuntur, & nos quia dissentimus, hæreseos accusamur, atque ita omnes aduersarij disputationes instituunt, vt patrum potiùs quàm scripturæ sententijs vtantur, quis non intelligit fidem nostram humanis iudicijs alligari, quæ debuit à diuina duntaxat authoritate pendere? Huc illud etiam accedit, quod nonnullos adulterinos libros venditant, quos satis constat non esse ab illis authoribus profectos, quorum nominibus inscripti sunt, Talis iste Dionysius est, quē Campianus primum (vt tu ais) in acie collocauit, dignus certè, qui in postremum agmen retrahatur, aut omnino è castris excedere cogatur. Quis enim non indignè ferat hunc ψευδώνυμον Dionysium primum in acie versari, cui si illud ψευδεπίγραφον nomen Laruamq; inanem detraxeris, mox planè hominem esse nihili perspexeris? Num hoc etiam argumentis ostendi postulas? aut id nunc erit necessarium? At æquum fuit, vt Erasmi, Vallæq; vetera argumenta refelleres, priusquam noua desiderares. Tamen in hac tibi re etiam gratificabor, si te fortè possum ab errore huius iudicij remouere. Primùm, hos præclaros istius Dionysij libros antiquitas ignorauit, quod fieri non potuit, si à Dionysio Ariopagita scripti fuissent. Eusebius scriptores antiquos diligenter persequitur, & quos libros aut epistolas singuli ediderint, nominatim indicat; horum verò non meminit, nec quidē omnino veterum quisquam aut Græcorum, aut Latinorum.

At quis credibile putet, libros ab Ariopagita Dionyſio Pauli diſcipulo, de cęleſti atque eccleſiaſtica Hierarchia, de diuinis nominibus, de rebus tam mirificis conſcriptos non futuros in ſummo apud omnes precio fuiſſe? Deinde iſte Dionyſius Ignatij Epiſtolas citat, quas ſcriptas poſt Ariopagitæ mortem nemo dubitat: & Ioannis Euangelium atque Apocalypſin nominat, quorum editionem Dionyſij morte aliquot annis recentiorem fuiſſe veriſimile eſt: & Epiſtolam mittit ad Polycarpum, eumque ἱεράρχην ſalutat, cùm tamen ea tempore admodum adoleſcentem neceſſe eſt fuiſſe Polycarpum. Nam Dionyſium hiſtoriæ narrant occiſum eſſe in Gallijs anno Domini 96. Polycarpum verò anno 166. quando ætatis ſuæ annum agebat 86. Quid quòd iſte Dionyſius Timotheũ vocat filiũ, eumq; docet multa myſteria, quem tamen ſuum potiùs in fide parentem vocare debebat? cùm Timotheus ante Ariopagitam à Paulo ad fidem conuerſus fuerit. Tum quando ſuos præceptores confitetur iſtam ſcientiam ab Apoſtolis accepiſſe, nónne ſatis ſe Apoſtolorum diſcipulum minimè fuiſſe prodit? Quod autem in eccleſiaſtica Hierarchia, pontificum, præſulum, ſacerdotum, monachorum, templi, chori meminit, ſatis indicat ex qua officina prodierit. Hæc enim nomina temporibus Apoſtolicis ignota erant. Poſtremò ipſa dictio, formaque orationis, noua, arguta, obſcura, affectata iſtum Dionyſium non eſſe Ariopagitam, atque Apoſtolicum clamat. Tui quidem teſtes, quos tu grauiſſimos dicis, iſtis argumentis pares eſſe

Dionyſ. ca. 4. de diuinis nominibus.

Dionyſ. 1. ca. Eccleſiaſt. hierarc.

esse nequeunt. Et præter Origenem ac Nazianzenum omnes recentes sunt, quorum proinde in hac causa testimonium videri meritò debet leuissimum. Origenem verò Erasmus disertè negat, ex hòc Dionysio aliquid citare. Sic enim scribit, *Deinde mirum, si tam priscus author fuit, & tam multa scripsit, à nemine veterum, seu Græcorum, seu Latinorum fuisse citatum, non ab Origene, non à Chrysostomo, ne ab Hieronymo quidem, qui nihil intentatum reliquit.* Istam autem quam profers Origenis homiliam, suspectam esse, satis tute nosti. Nazianzenus Dionysium non nominat, sed tantũ ait, τινὶ τῶν πρὸ ἡμῶν πεφιλοσόφηται .i. *quidam ante nos Philosophatus est.* Quis autem iste fuerit, non narrat: & quisquis fuit, Philosophus potiùs Nazianzeni iudicio, quàm Theologus fuit.

Eras. annot. in Act. 17.

DVRAEVS, Fol. 121.

Dionysium Ignatius sequitur, quem ne tu ipse quidem dissimulare audes ab Hieronymo & Theodoreto citari. Atque Ignatij quidem scripta post tam longam tot seculorum præscriptionem ne sine causa reijcere videaris, dignum tuo acumine argumentum affers: Hieronymus & Theodoretus citant quędam ex Ignatio, quę nunc non circumferuntur, ergo quæ nunc circumferuntur, Ignatij non sunt. *Perinde sanè ac si diceres, Multa ex Platone, Aristotele, Cicerone, alijsq́, citantur, quę in eorum operibus minimè inueniantur: omnia igitur eorum, quę præ manibus habeamus, supposititia censenda sunt.*

WHITAKERVS.

2 Citari ab Hieronymo & Theodorito Ignatium

tium fateor: sed hæc citatio istas epistolas, quæ nunc Ignatij nomine leguntur, multò magis suspectas facit, quā si nunquam hunc illi citauissent. Hieronymus ait, *Ignatius vir Apostolicus & Martyr, scribit audacter, Elegit Dominus Apostolos, qui super omnes homines peccatores erant.* At hoc quidem, quod ille tam audacter scripsit, nusquam in his Epistolis reperitur. Theodoritus ex Ignatij Epistola ad Smyrnenses quandam de Eucharistia sententiam profert, quæ nunc in huius Epistolis desideratur. Ex quo Ignatij scripta parùm integra superesse constat. At istam argumentationem rides, quandoquidem etiam ex authoribus nonnulla citantur, quæ in eorum libris minimè inuenias: quorum tamen qui extant libri non sunt suppositititij. At vide quæso, dum acumen meum reprehendis, quàm ipse minimè acutus extiteris. Theodoritus enim Epistolam Ignatij scriptam ad Smyrnenses citat, ex eaque testimonium producit, quo Christi humana natura confirmatur: & extat hodiè quædam Ignatij ad Smyrnenses Epistola, sed illa hoc Theodoriti testimonio caret. Eusebius huius quasdam Epistolas commemorat, ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallenses, ad Romanos, ad Smyrnenses, ad Polycarpum, ad Philadelphenses, quas easdem etiam Hieronymus recenset. At hodie plures extant, in quibus de quadragesima, & sabbati ieiunio seuerissimè præcipitur: quam superstitionem eo tempore natam esse incredibile est. Et nuper admodum typis mandatæ hæ in lucem Epistolæ prodierunt,

Hieron. aduers. Pelagian. lib. 3.

Theodorit. dial. 3.

Euseb. lib. 3. cap. 35.

Hieron. in catalogo.

Ignat. ad Philip.

runt, quas proinde minoris esse fidei consentaneum est. Nec ista fingimus, quia harum Epistolarum testimonijs premimur, sed quia ementita patrum authoritate decipi ac ludi noluimus.

DVRAEVS, Fol. 121.

Irenæum Centuriatores vestri phanaticum quiddam edidisse clamant. *Respondes*, an si fortè phanaticum quid edidit Irenæus, mox vester totus erit? *Certè si cùm à nobis citatur, nihil vos aliud quàm phanaticum respondere potestis. Non nos peculiarem aliquam, propriamq́; Irenæi opinionem aduersus Caluinianos defendimus, quanquam hunc illius errorem, vos qui nihil præter scripturas admittitis, nullo argumento refellere potestis. Quod de Irenæo dicimus, idem quoque de Clemente, aut quouis alio Ecclesiastico scriptore dictum puta. Ecclesiasticos scriptores non vt fidei nostræ authores, sed tanquam illius doctrinæ, quam à maioribus in Ecclesia didicerunt testes sequimur, quemadmodum Augustinus lib. 2. contra Iulian.*

WHITAKERVS.

3 Irenæi libros agnoscimus & laudamus: huius tamen errores nobis fraudi esse nolumus. Itaq; si quid Irenæus de libero arbitrio scripsit, quod à Prophetica atque Apostolica doctrina discrepet, in eo nos Irenæum nihilo magis, quàm in alijs rebus errantem sequemur. Nec verò vnquam ab aliquo sancto authore dissentimus, nisi quando ille palàm à sacris literis discedit. Quid quòd ipsi, vt tu fateris, aliquas patrum opiniones respuitis? Nobis ergo date quæso veniam, vt similiter faciamus. Si enim patrum sententi-

as cum pontificijs decretis pugnantes reijcitis, nobis non licebit eorundem opiniones à Canonicis scripturis dissidentes repudiare? Quàm hoc iniquum est ipsos perpetuò factitare, quod in nobis tanquam immane crimen accusatis? Quod autem nos negas hunc Irenæi de tempore mortis Christi errorem aliquo posse argumento refellere, qui præter scripturas nihil admittimus, equidem tuam scripturarum singularem inscitiam doleo. Tu enim hunc errorem scripturis manifestis refelli non intelligis? Tu quoto ætatis anno Christus mortuus sit ex nullo scripturæ loco constare affirmas? Tu quod etiam quinquagesimo anno mortuum illum scribit Irenæus, id scripturis nullis refutari defendis? Quid quæso dici tanto indignius Theologo potuit? Quid enim de his scripturis iudicas? Christus quando Euangelium docere cœpit, natus est circiter annos triginta, quemadmodum Lucas testatur: post Christi autem baptismum Ioannes Euangelista tria Paschata commemorat, atque in tertio Christum cruci affixum esse scribit. Num tibi nō satis huius temporis expedita ratio videtur? At quid facilius esse potuit? Ex quo perspicimus patres interdum errasse, vbi vix errare quenquam credas potuisse. Nos verò & hunc errorem, & alios de religione omnes scripturis possumus refutare: quæ autem ecclesiastica doctrina nullis scripturis improbari potest, in ea nos nullum errorem agnoscimus.

Irenæ. lib. 2. cap. 29.

Luc. 3. 23.

Ecclesiasticos scriptores (inquis) *non vt fidei nostræ authores sequimur.* Nempe tum authores fidei

fidei vestræ non sunt, quando palàm vobis aduersantur: at quando alij arbitrium liberum defendunt, alij operibus merita affingunt, alij de purgatorio somniant, alij alia quædam vestra tradunt, tum vobis magni fidei authores sunt, & nos quia illam fidem non amplectimur, pro hæreticis condemnamur. Denique dum dicunt aliquid, quod vobis inseruiat, probatis; cùm displicent, tum nullas patrum peculiares opiniones defenditis. Quin vos aut omnia recipitis, aut nobis etiam, vt quædam respuamus, permittitis? Nam quod ais illos testes esse doctrinæ eius, quam à suis maioribus didicerunt, quomodo persuades quicquid patres tradunt, id se à maioribus didicisse? atque vt omnes quale hoc testimonium sit considerent, affirmo nullum planè esse doctrinæ pontificiæ caput quod vniuersi patres receptum in Ecclesia suis temporibus fuisse testentur. Cùm autem multa sunt, quæ non nisi multis post Apostolos seculis in Ecclesiam irrepserunt, exempli causa priuata Missa, Transsubstantiatio, mutilata communio, sacramenti adoratio, imaginum cultus religiosus, preces peregrinæ, pontificis principatus, atque huiusmodi permulta alia, tum nullum dogma pontificium est, quod patris cuiusquam testimonio cõstet ante annos à Christo centum, & propè ducentos in Ecclesia valuisse. Apostolicam de summis articulis doctrinam pastores diu fideliter propagarunt: at paulatim infici prauis opinionibus ac corrumpi religio cæpit, & maiorum errata posteri auxerunt.
Verùm

Verùm si patribus id tantùm tribues, vt testes sint doctrinæ, non authores, à tuis quidem magistris dissenties, quorum hæc axiomata sunt, *Sanctorum patrum dogmata, tanquam legem sancta Dei suscipiunt Ecclesia*. Præterea, *Sanctorum patrum omnium communis sensus certam fidem facit Catholicorum dogmatum, ac proinde ex omnium authoritate certa argumenta depromuntur Theologicis conclusionibus confirmandis.*

Melch. Canus li. 7 c. 3.

DVRAEVS, Fol. 122.

Tertulliani libellum repudiare non audes. Multa ais in eo libello præscripta esse diuinitus contra Romanam Ecclesiam. Sed quænam hæc sint, ne leuissimè quidem attingis: nisi fortè illud contra Romanam Ecclesiam proferre volebas, quòd Tertullianus B. Petrum Romæ dixerit omnem suam doctrinam cum sanguine profudisse, quòd Petrum petram, & fundamentum Ecclesiæ appellauit, quòd hæreticorum morem esse ad solas scripturas prouocare testetur, quódq; contra eos non tam ex scripturis quàm ex traditione instituendam esse disputationem censeat, quòd contra hæreticos perpetuam legitimæ successionis legem seruandam esse docuerit, & quòd vestros tam graphicè mores depingat.

WHITAKERVS.

4 Tertullianum Hieronymus scribit libros aduersus Ecclesiam edidisse, eiusque opuscula Gelasius pontifex in apocryphis reponit. Sed illud tamen de præscriptionibus volumen multis abundat præclarissimis monitis ad hæreses vitandas inprimis salutaribus ac necessarijs. Si verò dubitas an contra pontificiam Ecclesiam aliquid præscripserit, mihi necesse est, an illas præscriptiones

Hieron. in catal. Dist. 15. Sancta Roma.

tiones legeris, nonnihil dubitare. Quid enim contra Traditiones vestras diuinius præscribi potuit, quàm quando ijs Tertullianus Anathema denunciat, qui doctrinam aliquam inducant, quàm eandem illam, *quam nationes ab Apostolis, Apostoli à Christo* acceperunt? Quando ait, aliunde suaderi non posse de rebus fidei, *nisi ex literis fidei*? quando colligit, Si Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prędicatores, *quàm quos Christus instituit*? Quando *quod posterius immissum sit*, id extraneum & falsum esse affirmat? Quando ex *legalibus, & propheticis, & Euangelicis & Apostolicis literis portari fidem scribit*? Hæc ille aliaque eiusmodi multa contra hęreticos pręscripsit sapienter: hæc nobis contra pontificias superstitiones, putidaq; commenta inseruiunt. Tua verò hæc si contra nos aliquid valere existimas, multum quidem opinione tua falleris. Quis enim negat Apostolos totã Doctrinam Romæ cũ sanguine profudisse? Quo magis Romani pontifices meritò accusandi sunt, qui hanc Apostolicam perfectamq; doctrinã suis additamentis contaminarũt, & totam tandẽ cum inuentis nouis commutarunt. Quis Petrũ non fatetur esse petram, & Ecclesiæ fundamentũ, cùm id omnibus Apostolis commune sit? Hęreticorũ autem morem esse ad solas scripturas prouocare, id Tertullianus nusquam in hoc libro scribit, nec illum morem ad solas scripturas prouocandi reprehendit: sed illi res cũ hæreticis fuit, qui scripturas aut omnes, aut quasdam reijciebant. Hos cũ non posset scripturis quas illi contemnebant, refellere,

Tertull. de præscrip.

fellere, ad Ecclesias Apostolicas remittebat, in quibus Apostolica doctrina viguit incorrupta. Atque hæc illa successio est, quam Tertullianus vrget non hominum aut Episcoporum, sed multò magis fidei ac prędicationis Apostolicę. Hanc nobis successionem reddite, & nos ad vestram Ecclesiam accedemus. De moribus nihil est quod respondeam. Neq; enim aut hi nostri mores sunt, aut hæretici ex moribus æstimari debēt.

DVRAEVS, Fol. 123.

Hippolytum deinde contra vos Campianus in aciem produxit. Tu illud tuum supposititium nobis hîc rursum obtrudis. Qui verò tu id nosti? Occulto, vt arbitror, spiritus testimonio, quod Hieronymo certè defuit, cùm Episcopum eum fuisse, & nonnullos in scripturas commentarios scripsisse ait. Suppositititium tu etiam esse magno scilicet argumento confirmas: Hippolyti libellus (*inquis*) Antichristum fore dæmonem suspicatur. *An tu igitur si quo fortè in libro sententia aliqua minùs vera inueniatur, mox eum esse suppositititium contendes? Sed aliud fuit. Crucem vos & sacrificium odistis.*

WHITAKERVS.

5 Dignus certè Hippolytus iste fuit, cui singularem in acie locum Campianus assignaret. Tales ego vobis semper opto vel milites, vel duces, quos vbi parùm excusseris, omnino profligaueris. Quis enim stramineos hostes aut pictū exercitum pertimescat? Hippolytum non dubito præstantem virum fuisse, de quo Eusebium, Hieronymum, Theodoritum, Nicephorum honorificam fecisse video mentionem. Sed iste libellus quem Campianus citauit, cum illo antiquo cele-

briq; Hippolyto nihil vnquam commercij habuit. Id vnde norim, quæris, & de occulto spiritus testimonio ludis, vt soles. Quanquam quid opus erat occulto spiritus testimonio, vbi sensus sufficit? Quis enim tam cæcus est, qui non istum emissarium agnoscat? Nihil autem est, quod illum Hieronymus Episcopum appellauit, & nonnullos commentarios scripsisse tradit. Cui enim id ignotum fuit? Sed qualis ista argumentatio est, Hieronymus Hippolytum vocat Episcopum, & libros ab eo scriptos esse multos testatur, ergo hic libellus non est suppositititius. Cùm enim multorum Hieronymus nomina librorum recenset, tum de isto nullum verbum aut ipse, aut quisquã antiquus facit. De antichristo ab eo aliquid scriptum esse narrant, at istum de consummatione seculi commentarium ignorant. Tum nuper hunc inuentum librũ nescio quis primùm edidit: cuius principium puerile est, & Hippolyti eloquentia iudicioq; indignum. Quòd autem Antichristum scribit fore *Dæmonem*, quem Paulus *hominem* sceleratum vocat, in eo summam aut imperitiam, aut incogitantiam prodit: nec tu istam opinionem audes defendere. Hæc qui perpenderint, quid iste reiectaneus de Cruce, aut sacrificio, aut Antichristo, aut quauis causa scripserit Hippolytus, nihili æstimarint.

DVRAEVS, Fol. 124.

De Cypriano cùm loqueris, miseret me tui: ita titubas, ita hæres. Ais te meminisse apud Nazianzenum Cyprianum ineunte ætate dissolutum fuisse. Neque tamen Cyprianus hic noster, is fuit, si doctis plerisq; credimus, quem putas.

WHITA-

WHITAKERVS.

6 Bono te animo esse Duræe, atque istã miserationem deponere iubeo. Nihil enim est quod mihi metuas. Et quia te hominẽ video ad misericordiam propẽsum, tui ego etiã vicissim miserebor. De Cypriano scripsit aliquid Caussæus quidã, quod nobis obijcit Campianus. Respondi si quid eiusmodi scripsit, id de prima Cypriani ętate fuisse verum, si credimus Nazianzeno. Quid hîc est, cuius te misereat? Quod verò hunc negas illũ esse Cyprianum, quem ego puto, hîc me tui nunc miseret. Ille enim Cyprianus, de quo Nazianzenus scripsit, Carthaginiensis Episcopus & martyr fuit, cuius hodie sunt in omnium manibus libri. Ita enim Nazianzenus de hoc Cypriano prædicat, *Non modò Carthaginiensi Ecclesiæ præsidet, & Africæ, sed toti occidentali, & ferè etiam Orientali, & Australi, & septentrionali plagæ.* Hæc alteri Cypriano minimè, opinor, conuenient. Sin illa quæ retulit Nazianzenus de Cypriani maleficijs, ad alium Cyprianum pertinebant, inconsideratus valdè Nazianzenus fuit, qui quem laudare voluit, eum initiò maximis & alienis criminibus notauit.

Nazianzen. de Cyprian.

DVRAEVS, Fol. 125.

Tu ingenuè respondes, Non hoc vnius Cypriani fuisse, vt de pœnitentia admodum incommodè nonnulla scriberet, sed in eodem errore omnes penè illo tempore sanctissimos pa-

tres

tres extitisse. Nimirum (vt de Marcione Tertullianus dixit) liberanda veritas expectabat Whitakerum. O singularem impudentiam, & arrogantiam non tolerandam! Patres omnes, qui ea ętate floruerunt, in re tam magna, tam turpiter, tam perniciosè errasse. Quasi verò ignorarint ipsamet pœnitentię opera non aliunde, quàm ex Christi meritis ac sanguine vim omnem habere.

WHITAKERVS.

7 In rę frigida cales, in feruente friges. Quid enim isto opus erat orationis ęstu? Quorsum hęc impudentiæ, atque arrogantiæ exprobratio? Quis te non declamatorē potiùs aliquem, quàm disputatorem putet? Scripsisse patres dico nonnulla de pœnitentia incommodiùs atque imprudentiùs. Hîc tu ira vehementiore concitatus in probra erumpis, argumentum nullum affers. Fecisses verò, quod tuam personam magis decebat, si & verbis modestiùs, & argumentis fortiùs egisses. Non enim sufficit patrum nomina, doctrinā, antiquitatem, dignitatem, virtutē venditare. Cùm dixeris, quicquid dici à quoquam potuit, quin patres & homines fuerint, & errare potuerint, & grauissimè errarint, nūquā euiceris. Mitte ergo istam sine ingenio aut aculeo vehementiam, & doce tandem patres de pœnitentia nihil vnquam incommodè scripsisse. Hoc nunc agitur, hoc disputatur, hoc tuam operam atque industriam desiderat. Nec puto vim meriti mortisq; Christi patribus ignotam fuisse. Sed tuū argumentum (si modò nomen meretur argumenti) alio argumento & confirmatione indiget. Quid si enim patres sciuerunt opera sua ex Christi meri-

tis vim omnem habitura? Hinc ſequitur nihil illos de pœnitentia atque operibus ſuis ſcripſiſſe incommodè? Quaſi aut Chriſtus morte ſua & meritis id tantùm præſtiterit, vt nos poſſemus operibus meritiſq́; noſtris ſalutem æternam promereri: aut qui tenent fundamentum, non poſſint eidem lignum fœnumq́; imponere? Senſiſſe verò patres quod vos ſentitis, id quidem nunquam oſtendetis.

DVRAEVS, Fol. 125.

Iam de Chryſoſtomo, Nazianzeno, Ambroſio, Hieronymo, tu illos Campiani eſſe vltro fateris. Ac lepidè deinde interrogas, an hi patres tui toti ſunt? Nos qui veri illorũ filij ſumus, non illos pro ſemipatribus habemus, ſed totos nobis tanquam patres vendicamus.

WHITAKERVS.

8 Hos ego patres, Campiani eſſe fateor? Vbi, aut quibus verbis? Facerem verò illis iniuriam, ſi eos Campiano adiudicarem, à quo tam valde alieni ſunt. Hîc autem veſtram nobilitatem iactas, & vos veros patrum filios eſſe gloriaris. Nempe ſic vos patrum filij eſtis, quemadmodum Iudæi erant Abrahæ filij. At ſi patrum filij eſſetis, patrũ fidem teneretis. Non enim ſcribæ & phariſæi Moſis filij erant, quia in Moſis Cathedra ſedebant: *nec ſanctorum filij ſunt, quicunq; tenent loca ſanctorum*, vt ſcitè ait Hieronymus: *nec Petri hæreditatem habent, qui Petri fidem non habent*, quemadmodum Ambroſius ſcribit: *nec ex perſonis fidẽ, ſed ex fide perſonas probari oportet*, vt rectiſſimè præſcripſit Tertullianus. Nos etſi patres amore atq;

Ioan. 8. 39. Matth. 23. 2. Diſtinct. 40 Non eſt facile. Ambroſ. de pœnit. lib. 1. ca. 6. Tertull. de præſcript.

atq; honore consentaneo prosequimur, patrem tamen in cælis vnum, vnumq; doctorem Christũ agnoscimus. Si verò illos vt dicis, totos tanquam patres agnoscitis, cur illorum multas opiniones non defenditis? An repentè oblitus es, quid paulò prius de patribus responderis? Dixisti enim te illos nolle totos vendicare: nunc verò ne fortè semifilius videaris, totos vendicas. Age ergo, & quicquid patres vnquam scripserint, id tu, vt filium decet ingenuum, minimeque degenerem, fortiter ac perpetuò tuere. Mat. 23. 9. 10.

Dvraevs, Fol. 127.

Profers deinde Augustinum, nec Augustini verba, sed tua potiùs. Cum Augustino (*inquis*) profitemur, omnium scriptorum dicta iudicanda secundùm diuinam scripturam &c. *Verùm hoc examen non per Apostatas Monachos, sed per legitimos doctores & pastores fieri debet. Et si veterum patrum dicta omnia ad scripturam tanquam ad lapidem lydium examinare velitis: an nõ ęquo à vobis iure patres postulabunt, vt vestra etiam omnium scripta ad eundem lapidem expendant? Id iam fecerunt, & vos in maioribus vestris hęreticos pronunciarunt.*

Whitakervs.

9 Si nescis ista, non mea, sed Augustini verba esse, malè Augustinum legisti, in quo nihil ferè sæpiùs occurrit, quàm quod ista verborũ comprehensiòne proponitur. Nam scripturã Augustinus in altissimo gradu collocat, eamq; omniũ scriptorum iudicẽ constituit, vt quod cõgruit cũ scriptura, recipiatur: quod pugnat, repudietur. Augus.ait, *Quisquis aliud euangelizauerit, anathema sit: aut legat mihi hoc in scripturis sãctis, & nõ sit anathema.* Et in alio libro, *Ad Canonem* (inquit) August. de vnit. Eccles. c. 12.

Contra Cresc. lib. 2. c. 31. *Ecclesiasticum certi prophetarum & Apostolorum libri pertinent, quos omnino iudicare non audeamus, & secundùm quos de cæteris literis vel fidelium, vel infidelium liberè iudicemus.* Cùm hoc negare, quod est omnium patrum testimonio confirmatissimum, nequeas, de modo litem interponis, & monachos apostatas ab hoc examine repellis. Quid ita vero? Num quia monachi sunt? Non opinor. An quia discessionem à vobis fecerunt? Id credo est: quasi nullis liceat scripturas attingere, legere, examinare, nisi qui vobis fidem dederint, nunquam se scripturis assensuros, quantumuis pontificiæ doctrinæ apertissimè repugnarint. Legitimos pastores & doctores scripturam examinantes atque interpretantes libenter audimus, quales in vestris Ecclesijs nulli tolerantur. Etenim apud vos examinationes non ad scripturarum regulã, sed ad pontificis nutũ omnes exigũtur, & doctores pastoresq; pontificij in Romani Antichristi verba iurarunt: nec quod vident, videre tamen volunt, si id pontifici, cuius spiritu ducuntur, displicebit. Examen autem non coactum, sed liberum esse, nec ex hominum arbitrio pendere, sed ipsius scripturæ finibus includi debet. Quale enim hoc scripturarum examen est, non quid scripturæ perpetuò loquantur & postulent, sed quid maximè pontificiæ superstitioni conueniat, expendere, atque huc scripturarum sententias inflectere? Nec verò aliter de patrum scriptis, quàm de nostris sentimus. Non enim illorũ modò, sed nostra etiam scripta, & quicquid à quoquã traditur, ipso etiam sum-

mo

mo pontifice, sacræ scripturæ subijcimus. Hæreticos autem esse nos à patribus pronunciatos, falsissimum est. Illæ enim vestræ de Manichæo, Nouato, Aërio, Pelagio, Iouiniano, Vigilantio calumniæ millies fuerunt à nobis refutatæ.

DVRAEVS, Fol. 128.

Ieiunium (inquis) Quadragesimæ longo post Christum interuallo institutum fuit. *Quis vel primoribus, quod aiunt, labris veteris monimenta degustauit, qui non te facile mendacij coarguet? Ambros. serm. 25. Hierony. ad Marcellã. Ignatius ad Philip.*

WHITAKERVS.

10 Si quod narrat ex Apollonio Eusebius, certas de statis ieiunijs leges Montanus hæreticus primus introduxit, Quadragesimam satis longo post Christum interuallo institutam esse constat. Quis enim nescit quadragesimam certis diebus contineri, atque hoc ieiunium ad spatium quoddam temporis fixum ac perpetuum durare? Iam ergo quis istam Quadragesimam inuenerit, nõ est difficile iudicare. In scripturis certè aliquid de Quadragesima præscribi nunquã affirmabis. At patres (inquis) Quadragesimæ obseruationẽ antiquissimã & ab apostolis traditam agnoscunt. Quasi id nõ ego perinde nouerim, ac tu ipse, qui patres nõ tantũ primoribus labris degustasti, sed totos quodammodo hausisti. Antiquã esse Quadragesimæ obseruationẽ fateor, apostolicã non esse argumẽtis euincam. Id primum erit, quod de Montano refert Eusebius, vt diximus. Si enim Apostoli Quadragesimam instituerunt, tum pri- *Euseb. li. 5. c. 17.*

mæ leges de ſtatis ac certis ieiunijs non ſunt à Montano latæ, quod tamen Apollonius ſcribit, & Tertullianus, qui ad Montanum tranſijt, clariſſimè teſtatur in eo libro, in quo Montani ieiunia defendit. Deinde Apoſtolici nullam partem religionis in ciborũ generibus & delectu collocant. Paulus ait, *Regnum Dei non eſt eſca & potus*: Et alibi, *Ne quis vos iudicet in cibo aut potu.* Et iterum, *Mundis omnia munda.* Sic Apoſtoli nullum ciborum diſcrimen Chriſtianis præſcribunt, & per conſequens Quadrageſima non eſt ab Apoſtolis tradita. Poſtremò, ſi Quadrageſimã Apoſtoli obſeruandam eſſe decreuiſſent, Eccleſiæ Apoſtolicę Quadrageſimam eodẽ ritu ac forma omnes celebraſſent, præſertim cùm pontificij contendunt Eccleſias in Apoſtolicis inſtitutis fideliter perſtitiſſe: At verò maximam fuiſſe primis temporibus huius ieiunij varietatem, non modò in temporũ, ſed etiam in ciborum ratione ex Euſebio, & Socrate perſpicimus. Quicquid ergo vel Ambroſius, vel Hieronymus, vel fictus Ignatius, quem timidè poſtremum introducis, de Quadrageſima tradiderint, ab Apoſtolis traditam nunquam fuiſſe quadrageſimam ſatis demonſtrauimus.

Tertull. de ieiunijs. *Rom. 14. 17.* *Col. 2. 16.* *Tit. 1. 15.* *Euſeb. lib. 5. cap. 26.* *Socrat. lib. 5. cap. 22.*

DVRAEVS, Fol. 128.

Eiuſdem farinæ eſt quòd Auguſtinum ais, Quadrageſimam noſtram non agnouiſſe. Quadrageſima (*inquit Auguſtinus*) authoritatem habet in veteribus libris ex ieiunio Moyſi, & Heliæ, & ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit: *Epiſt. 119. ſimiliter in queſt. ſuper Geneſ. li. 1. c. 169. Poſſem huiuſmodi ſexcenta ex Auguſtino proferre, quem ſi legiſſes, non adeo turpiter ignorares Aërium ab illo ob eundem, quem tu errorem profiteris, inter hæreticos nominari, de hereſ.*

WHITA-

WHITAKERVS.

11 Verborum contumeliam, qua me hîc insectaris, prætermitto: de Augustino, quod dixi, verum esse satis intelligere potes ex illo testimonio, quod à me citatum non attingis. Scribit enim apertè Augustinus, *quibus diebus vel oporteat, vel non oporteat ieiunare nec Dominum nec Apostolos præcipisse.* Quid alibi scribat Augustinus, ipse viderit. Si enim Quadragesima ex veteri & nouo Testamento authoritatem habet, tum Augustino difficile non fuit dies agnoscere, in quibus ieiunare oportebat, quos tamen negat, aut à Domino, aut ab Apostolis præceptos ac definitos esse. Heliæ autem, vel Mosis, vel Christi ieiunium non est nobis ad imitationẽ propositum, id quod ex Chrysostomo discere potes. *Non dicit* (inquit Chrysostomus) *ieiunium suum esse imitandum, quãuis quadraginta illos dies posset proponere.* Tuum erit Augustinum & cum Chrysostomo, & cum seipso conciliare. Aërius, si fuit Arrianus, iustissimè damnatus est: Si nihil grauius errauit, quàm quòd statuta & anniuersaria ieiunia contempsit, immeritò illi crimen hæreseos inflictum fuit. Nec quidem à multis damnatum esse hoc nomine Aërium ex veterum monimentis constat. Nam illum neq; Theodoritus in hæreticis reponit, neq; historia Ecclesiastica tanquam hæreticum perstringit. Quod Epiphanius, aut aliquis doctor illustris non probauit, num id proinde hæreticum haberi in Ecclesia debuit?

August. Epist. 86.

Chrysost. in Matth. homil. 47.

mæ leges de ſtatis ac certis ieiunijs non ſunt à Montano latæ, quod tamen Apollonius ſcribit, & Tertullianus, qui ad Montanum tranſijt, clariſſimè teſtatur in eo libro, in quo Montani ieiunia defendit. Deinde Apoſtolici nullam partem religionis in ciborũ generibus & delectu collocant. Paulus ait, *Regnum Dei non eſt eſca & potus*: Et alibi, *Ne quis vos iudicet in cibo aut potu*. Et iterum, *Mundis omnia munda*. Sic Apoſtoli nullum ciborum diſcrimen Chriſtianis præſcribunt, & per conſequens Quadrageſima non eſt ab Apoſtolis tradita. Poſtremò, ſi Quadrageſimã Apoſtoli obſeruandam eſſe decreuiſſent, Eccleſiæ Apoſtolicę Quadrageſimam eodẽ ritu ac forma omnes celebraſſent, præſertim cùm pontificij contendunt Eccleſias in Apoſtolicis inſtitutis fideliter perſtitiſſe: At verò maximam fuiſſe primis temporibus huius ieiunij varietatem, non modò in tẽmporũ, ſed etiam in ciborum ratione ex Euſebio, & Socrate perſpicimus. Quicquid ergo vel Ambroſius, vel Hieronymus, vel fictus Ignatius, quem timidè poſtremum introducis, de Quadrageſima tradiderint, ab Apoſtolis traditam nunquam fuiſſe quadrageſimam ſatis demonſtrauimus.

Tertull. de ieiunijs.
Rom. 14. 17.
Col. 2. 16.
Tit. 1. 15.
Euſeb. lib. 5. cap. 26. Socrat. lib. 5. cap. 22.

DVRAEVS, Fol. 128.

Eiuſdem farinæ eſt quòd Auguſtinum ais, Quadrageſimam noſtram non agnouiſſe. Quadrageſima (*inquit Auguſtinus*) authoritatem habet in veteribus libris ex ieiunio Moyſi, & Heliæ, & ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit: *Epiſt. 119. ſimiliter in queſt. ſuper Geneſ. li. 1. c. 169. Poſſem huiuſmodi ſexcenta ex Auguſtino proferre, quem ſi legiſſes, non adeo turpiter ignorares Aërium ab illo ob eundem, quem tu errorem profiteris, inter hæreticos nominari. de hereſ.*

WHITA-

WHITAKERVS.

11 Verborum contumeliam, qua me hîc insectaris, prætermitto: de Augustino, quod dixi, verum esse satis intelligere potes ex illo testimonio, quod à me citatum non attingis. Scribit enim apertè Augustinus, *quibus diebus vel oporteat, vel non oporteat ieiunare nec Dominum nec Apostolos præcipisse.* Quid alibi scribat Augustinus, ipse viderit. Si enim Quadragesima ex veteri & nouo Testamento authoritatem habet, tum Augustino difficile non fuit dies agnoscere, in quibus ieiunare oportebat, quos tamen negat, aut à Domino, aut ab Apostolis præceptos ac definitos esse. Heliç autem, vel Mosis, vel Christi ieiunium non est nobis ad imitationẽ propositum, id quod ex Chrysostomo discere potes. *Non dicit* (inquit Chrysostomus) *ieiunium suum esse imitandum, quãuis quadraginta illos dies posset proponere.* Tuum erit Augustinum & cum Chrysostomo, & cum seipso conciliare. Aërius, si fuit Arrianus, iustissimè damnatus est: Si nihil grauius errauit, quàm quòd statuta & anniuersaria ieiunia contempsit, immeritò illi crimen hæreseos inflictum fuit. Nec quidem à multis damnatum esse hoc nomine Aërium ex veterum monimentis constat. Nam illum neq; Theodoritus in hæreticis reponit, neq; historia Ecclesiastica tanquam hæreticum perstringit. Quod Epiphanius, aut aliquis doctor illustris non probauit, num id proinde hæreticum haberi in Ecclesia debuit?

August. Epist. 86.

Chrysost. in Matth. homil. 47.

DVRAEVS, Fol. 128.

Homines luxui deditos & monasticæ vitæ osores Campianus asseruit Basilio, Chrysostomo, Hieronymo, Augustino non posse non esse inimicissimos, quorum libri de Monachorum instituto teruntur. Tu verò quid? Veritate ipsa superatus te ad detractionem vitæ nostræ, & maledicta conuertis. Sed nobis vestra conuitia gloriæ ducimus. Quis enim illos (*vt inquit Augustinus*) non admiretur, & prædicet, qui contemptis mundi huius illecebris, in communem vitam castissimam, sanctissimámque congregati sunt? Vbi simul ætatem agunt, viuentes in orationibus, & lectionibus, & disputationibus. de morib. Ecclesiæ cap. 32.

WHITAKERVS.

12 Monachorum vitam à multis patribus non ignoro fuisse olim celebratã. Sed tu debes Campiani argumentum comprobare, quo ille nos sanctis patribus inimicissimos esse contendebat. Quid si enim illi libros de Monachorum institutis ediderunt? Nósne illis necesse est esse inimicissimos, quia Monachis minùs quàm illi delectamur? At patres eo animo iudicioq; legimus, vt quæ illi scripturis consentanea tradiderunt, cũ illorum laude suscipiamus, quę sine scripturę authoritate docuerunt, in ijs humanæ infirmitati veniã tribuamus. De Monachis istis aut eorũ institutis nullum scriptura verbum protulit. Nam quod de Elia, & Ioanne Baptista iactatur, id cùm per se admodum puerile est, tum Hieronymo palàm displicet, quia hi prophetæ erant. Alia enim prophetarum, alia Monachorum instituta sunt, nec quisquam propheta vnquã Monachus fuit. Tum alios vitę Monasticæ authores cõmemorat, Antoni-

Hieron. in vita Pauli Eremitæ. August. de morib. Eccles. cath. cap. 33.

Antonium, Amatham, Macarium, Paulum Thebæum. Et quanquam Monachos habetis, tamen vestri Monachi ex alio ouo nati sunt, nec vlla inter veteres atq; hos similitudinis species intercedit. In vna re manifestũ discrimen apparet. Priscis Monachis obseruatio earum rerum libera fuit, quas nobis Dominus liberas reliquit, veluti ciborum, & vestium, & ceremoniarum: nostris monachis nihil seueriùs præscribitur quàm de istis nugis. Deinde veteres Monachi in assiduo labore viuebant, suisq; manibus victũ quærebant, quod Augustinus omnibus Monachis necessarium esse copiosè disputat: & Apollonius apud Socratem Monachos non laborantes suis manibus furum similes esse dicit. Nostri verò Monachi in summo ocio rerumq; omnium copia versantur, & tales sunt, quales his verbis notauit Augustinus, Tam multos hypocritas sub habitu Monachorum vsquequaq; dispersit, circũeuntes prouincias, nusquã missos, nusquam fixos, nusquã stantes nusquam sedentes. Quid reliqua instituta cõmemorẽ, quorum nulla reliqua sunt in pontificio Monasterio vestigia? Cùm ergo nostri Monachi ab antiquis illis toto disciplinę genere atque instituto discrepent, non sunt cum illis cõparandi. Nec ego vobis detrahã, aut maledicam: satis ipse mundus iamdudum, qui & quales sitis intelligit. Augustinum verò quorsum adduxeris nescio, nisi vt magis patefaceres, quantum recentes Monachi ab antiquis abhorreant. Pulchra hæc quidẽ sunt, quæ dicis, *castitas, sanctitas, orationes, lectiones, disputationes*. Sed quotusquisq; Monachus est, cui

August. in lib. de opere monach.

Tripart hist. lib. 8. cap. 1.

De oper. monach. cap. 28.

hæ laudes conueniant? Si repentè Monachi facti sunt meliores, illis ego sanè gratulor: non ita pridem de his religiosorum ordinibus alia hominum erant iudicia, idq; eorum, qui nullo odio vitæ Monasticæ laborabant. Sic enim Cardinales & presules Romani ad pontificem ipsum scribunt: *alius abusus in ordinibus religiosorum, quòd adeo multi deformati sunt, vt magno sint scandalo secularibus, exẽploq́; plurimum noceant. Conuentuales ordines abolendos esse putamus omnes*. Si hi Monachi ijsdem studijs dediti fuissent, quibus illi veteres vacabant, non illos prorsus tollendos amicissimi Cardinales statuissent.

Cardinales delecti ad Paulum .3.

DVRAEVS, Fol. 129.

Dic mihi Whitakere, vos qui Christiana funebria sustulistis, & qui diuorum reliquias succendistis, quomodo potestis placabiles esse Augustino? Ne planè mutus in hoc loco videaris, respondes: nos profanam superstitionem, & maiestati diuinæ iniuriosam ferre non potuimus: *Sanctorum ergo reliquias, & funebria Christiana, vt superstitiosa, & diuinæ maiestati iniuriosa sustulistis.*

WHITAKERVS.

13 Respondeo tibi Duræe, neutrum horum à nobis esse factũ. Neq; enim aut funebria Christiana sustulimus, aut sancti cuiusquam (quod sciã) reliquias succẽdimus. Augustino vt simus implacabiles, nihil est: quem nos meminimus vt hominẽ errare potuisse. Is si in vitam remearet, vestramq; superstitionem perspiceret, nunquã profectò vobis se placabilem præberet. Tu verò hîc disputas, vt semper soles. Cùm enim dico superstitionem profanam & Deo iniuriosam à nobis sublatam

ſublatam eſſe, ex eo colligis, reliquias ſanctorum & funebria Christiana ſuperſtitioſa & Deo iniurioſa à nobis cenſeri. Siccine eras inconſideratus, vt res ipſas à rerum ſuperſtitioſo vſu minimè ſecerneres? Non funebria Christiana, non ſanctorum reliquias, non legitimam ſepulturam, ſed funerum pontificium apparatum, & reliquiarum impium cultũ improbamus.

DVRAEVS, Fol. 129.130.

Obiecit Campianus tres de libero arbitrio Augustinum libros conſcripſiſſe. Reſpondes eundem de duabus etiam animabus, de mendacio, de quantitate animę libros ſcripſiſſe. Sed hîc contra Manichęos de libero arbitrio diſputationem ſuſcepit, vt liberum arbitrium quibus poſſet argumentis aſſereret. Illi enim duo principia inuexerunt, unum bonorum, malorum alterum. Sic enim Manichęi ratiocinabantur: Si mali origo ex libero arbitrio eſt, liberiq́ arbitrij Deus ipſe author eſt, Deum profectò mali etiam authorem eſſe neceſſe eſt, Augustinus captionem hanc ita diluit, vt Deum reſpondeat nulla hominem neceſſitate ad peccatum adigere, ſed liberam ei voluntatem dediſſe, ſine qua ne peccatum quidem eſſe poſſit.

WHITAKERVS.

14 Malé conſulis exiſtimationi tuæ, dum ineptiſſimi argumenti patrocinium ſuſcipis. Sed quid tam ineptum dici aut eſſe poteſt, quod non aliquem apud vos patronum inueniat? Tres Augustinus libros de libero arbitrio ſcripſit. Quis hoc neſcit? Ergo liberum arbitrium ſtatuit. Quis prudens iſto modo diſputet? Neque enim libri inſcriptionem arripere, ſed authoris ſententiam penitus cognoſcere oportebat. Augustinus autem palàm profitetur, non id ſibi in his

libris

Aug. lib. 1. cap. 9. Retractat.

libris propositum fuisse, vt de illo arbitrio diceret, quod gratia liberat, sed quod malorũ & peccatorũ principiũ fuit. Itaq; piè contra Manicheos malum non ab aliquo Deo creatum, sed ab arbitrio libero profectũ esse defendit Augustinus. Atque in hoc argumento omnes illi tres libri versantur. Quis iam ita imperitus esse potest, vt de isto arbitrio, quod nos ante peccatum liberrimum fuisse concedimus, inter nos nequaquàm contendi non intelligat? Et nunc etiam peccatur libero arbitrio, & semper peccatum ex hoc fonte liberi arbitrij fluit. Sed nostræ controuersiæ hic status est, vtrum arbitrium nostrum ante fidem ac regenerationem in rebus bonis & sanctis liberum sit, quod esse captiuum & scripturæ tradunt & Augustinus apertissimè multis in locis confirmat. Quàm ergo hoc captiosum est, quia arbitrij humani libertas peccatum procreauit, proinde post peccatum arbitrio nostro non renato libertatem in ijs rebus quæ ad salutem & vitam æternam pertinent affingere? Nihil opus erat vt Manichæorum argumentum, & Augustini responsum introduceres, quod à me prius satis dilucidè propositum & explanatum fuit. Id tibi restabat, vt tui collegæ sophismati succurreres, quod omnes quàm sit miserum agnoscunt, & tu cùm repetis, nec defendis, magis omnino prodis.

DVRAEVS, Fol. 130.

Addis deinde, Vt planè perspicias hos de libero arbitrio libros à te temere fuisse introductos: audi quid his ipsis libris

bris de humana voluntate scripserit: Tu tantum (inquit Augustinus) pietatem inconcussam tene, vt nullum tibi bonum, vel sentienti vel intelligenti, vel quoquo modo cogitanti occurrat, quod non sit ex Deo. *Quorsum hæc nisi vt tuam inscitiam prodas? Catholici omnes credunt boni nihil, quod ad promerendam beatitudinem valeat, sine diuina gratia hominis voluntatem quantumuis liberam præstare posse. Ignoras videlicet libertatis, de qua agitur, in eo vim ac naturam consistere, vt nulla in alterutram partem necessitate feratur: vt Hieronymus ad Damasum,* Nos verò dicamus, semper hominem & peccare & non peccare posse, vt semper nos liberi confiteamur arbitrij.

WHITAKERVS.

15 Augustini locus vestram de libero arbitrio sententiam funditus euertit. Si enim bonum nihil ne cogitare quidem possumus, nisi hoc nobis Deus iniecerit vt cogitemus, necessariò sequitur insitam nostram propriamq; voluntatem, antequam à spiritu sancto renouatur, totam esse à bono auersam. Etenim si cogitationem bonam Deus inspirat, & cogitatione nullum est in nobis bonum antiquius, necesse est vt nobis infundi omnem arbitrij libertatem, non in natura hærere fateamur. Itaque gratiam Augustinus scribit, *occultè humanis cordibus diuina largitate tribui.* Et Maxentius contra Pelagianos disputans, naturale nostrum arbitrium liberum non nisi in carnalibus & secularibus rebus valere affirmat: *Ad ea verò quæ ad vitam æternam pertinent, nec cogitare, nec velle, nec desiderare, nec perficere posse, nisi per infusionem & inoperationem intrinsecus spiritus sancti.* Sic in Arausicano concilio

August. de prædest. sanct. cap. 8.

Maxentius lib. contra Pelagian.

Arausic.2. Concilium cap.6. pij patres, *Si quis non diuinitus vt credamus & velimus per infusionem & inspirationem sancti spiritus in nobis fieri confitetur, eum Apostolo resistere* testantur. Et in eodem Concilio,

Cap.10. *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo. Nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstet, vt faciat homo.*

Cap.22. Iterum *Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum*. Hinc perspicuum est arbitrij nostri libertatem, qua volumus quæ pia sunt, quæque ad regnum cælorum pertinent, ἔξωθεν aduenisse, quam vos in natura nostra collocatis. Si enim quicquid bene volumus aut possumus, id per infusionem, inspirationem, inoperationem, donum, ἐνέργειαν spiritus sancti accepimus, de nostro autem nihil omnino *nisi mendacium & peccatum* habemus, quis non videt bonam nobis arbitrij libertatem nullam à natura relinqui?

*Sed Catholici (*inquis*) credunt voluntatem sine gratia nihil boni præstare posse.* Id ipsum etiam credebant olim Pelagiani. Sed vt Pelagius voluntatem nostram gratia tantùm adiuuari, non fieri bonam contendebat, ita vos voluntatem non infundi atque immitti nouam, sed naturalem iuuari atq; expediri gratia docetis, quod aut nihil, aut certè parũ admodũ à Pelagianismo differt. Vtriq; enim in natura corrupta reliquam esse arbitrij boni libertatẽ defenditis, vt non sit opus eam dari diuinitus, sed tantùm gratiæ beneficio elici, atque ex difficultatibus quibusdam extrahi, in quibus illam peccati corruptio reliquit. Quod verò me dicis ignorare, liberta-

tis

tis in eo vim consistere, vt necessitate nulla in alterutram partem feratur, agnosco, & hanc ignorantiam duco tua scientia doctiorem. Si enim qui agunt necessariò, non agunt liberè, tum neque Deus, neque Dæmones liberè agunt. Nam & Deus bene, & Dæmones necessariò agunt malè. In quo voluntati liberæ non opponi necessitatem vides. Libertatem enim voluntatis non necessitas, sed vis & coactio tollit. Hanc autem quam affers Hieronymi sententiam, semper hominem & peccare, & non peccare posse, si probas, cur Pelagium improbes non video. Quid enim aliud Pelagius ipse dicere potuit? Quantò sanctiùs Augustinus, *Quod autem* (inquit) *ex vitijs naturæ non ex conditione naturæ fit quædam peccandi necessitas audiat homo, atque vt eadem necessitas non sit, discat Deo dicere, De necessitatibus meis educ me.* Tum mox *Opitulante gratia per Iesum Christum Dominum, & mala necessitas remouebitur, & libertas plena tribuetur.* Ergo si ante gratiam necessariò peccamus, atque hanc peccandi necessitatē gratia remouet, tum non semper, vt scribit Hieronymus, non peccare possumus.

August. de Natur. & Gratia, cap. 66.

DVRAEVS, Fol. 131.

Augustino nemo acriùs liberum negantes arbitrium oppugnauit. De fide contra Manichę cap. 9. & 10. de vera religione ca. 14. Enchir. 30.

WHITAKERVS.

16 Tria affers Augustini pro libero arbitrio testimonia,

monia ex quibus quãta attentione ac iudicio Augustinum legas perspicio. Primus enim locus de primi hominis voluntate loquitur: itidemque secundus, quod ex eodẽ Augustino in Retractationibus discere debuisti. Cùm enim peccatum esse omni modo voluntarium definit, peccatum illud se testatur cogitare, quod tantũmodo peccatum est, non pœna peccati: quamuis & alia etiam dici posse quodammodo voluntaria confitetur. Tertius à te malè notatus fuit, cùm in illo capite nihil eiusmodi reperiatur.

August. in Retract. lib. 1. cap. 13.

DVRAEVS, Fol. 131.

Quod ex Augustino postremum affers, Hominem libero arbitrio malè vtentem & se & liberum arbitrium perdidisse: *quis tibi vel puer non facilè explicet? Ita hominem liberum perdidisse arbitrium, vt seipsum perdidit, quem tamen ita perditum, vt omnino homo non sit, nemo sanus dixerit.*

WHITAKERVS.

17 Si pueri vestri tantum possunt, est quod te tui pudeat, qui minus, quàm puer, potes. Quàm enim peritè hunc locum explices, quæso attende. *Perdidit homo* (inquis) *liberum arbitrium, vt seipsum perdidit*. Et quid nos amplius postulamus? Quemadmodum enim homo seipsum perdidit, & tamen homo esse perstitit, non qualis antè fuerat, bonus, iustus, sanctus, perfecta virtute præditus, sed prorsus alius: ita arbitrium liberum perditum est, non vt nullum relinqueretur,

retur, sed vt ex bono in malum mutaretur. Non enim dicimus nullum omnino restare liberũ arbitriũ, sed nullum bonũ arbitrium: quemadmodũ non hominem nullum, sed bonum hominem nullum remansisse affirmamus. An tibi verò rem fore cum pueris sperabas? Quid enim Augustini verbis illustrius esse potuit? *Cùm libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est liberum arbitrium.* Viden'tu de quo arbitrio loquatur Augustinus? De eo nempe, quod victum fuit à peccato: idque ille vsque adeo perditum esse statuit, vt homini occiso comparet. Homo autem occisus non nisi æquiuocè homo est: ita liberum arbitrium peccato victum atque oppressũ, est tantùm æquiuocè liberum. Quia enim peccato seruit, seruum veriùs quàm liberum appelletur. Atque vt homo occisus seipsum non potest ad vitam reuocare, nec omnino aliquam in se vitam retinet: ita arbitrium occisum iacet, nec aliquid bonum velle potest, antequam illi vita diuinitus inspirata fuerit. Hæc eodem in loco tradidit Augustinus, quæ vt vestri pueri intelligant tuum erit nobis explicare. Hoc sanè quod respondes tua ipsius confessione puerile est.

August. Enchirid. ca. 30

DVRAEVS, Fol. 132.

Succensere vos rursum Augustino ait Campianus, quòd contra Epistolam Fundamenti scribens, se profiteatur antiquitati, consensioni, successioni perpetuę, & ecclesię quę sola inter hęreses Catholicę nomen vsucapione vendicat assentire. Pręclare te respondisse putas cùm ex eodem veritatem his omnibus anteponendam esse ais. Id verò quis negat, si hęc omnia veritate destituantur? Destitui verò Augustinus non posse contendit. Quod olim Augustinus Manichęis, idem ego nunc vobis respondeo: Vos autem (*inquit*) & tam

 pauci

pauci,& tam turbulenti,& tam noui,nemini dubiũ est,quoniã nihil dignũ authoritate proferatis. *De vtilitat.cred.ca.*14.

WHITAKERVS.

18 Morosi admodum simus, si propter hanc sententiam Augustino succenseamus, præsertim cùm ea sit ejusmodi, vt nobis multò magis faueat, quàm vobis ipsis. Consentionem, antiquitatem, successionem obijcit Manichæis Augustinus. Et quis negat in his argumentis, magnã vim ad commouendos hominum animos inesse, vt illi potiùs ecclesiæ quæ ista habet, quàm quæ non habet assentiant? Sed tamen quantum his tribuat Augustinus apertè commonstrat, quando primo loco sapientiã ecclesiæ Catholicæ syncerissimã cõmemorat. Cùm enim hanc syncerã sapientiam nominat, puram ecclesiæ catholicæ fidem ac doctrinam intelligit, quæ veram ecclesiam ab omnibus hæreticorum conuenticulis tanquam suo proprioq; symbolo distinguit. Cùm hanc Manichęi sapientiam esse in Catholica ecclesia minimè crederent, alias Augustinus persuasiones adhibet: atque vt illam sapientiam omittat, se tamen multis præterea rebus in ecclesiæ gremio teneri profitetur. Et erat illa consensio fidelis, antiquitas pia, successio non ficta: quarum rerũ nunc exiguæ apud vos duntaxat vmbrę remanẽt. Et quanquam Augustinus se his teneri in Catholica ecclesia testatur, quandoquidem nihil tale fuit apud Manichæos, tamẽ aliquid præterea spectandum esse satis ostendit, quod plus, quàm hæc simul omnia valeat. *Apud vos* (inquit) *sola personat veritatis pollicitatio*. Promittebant enim illi veri-

*August. contra epist. Manich. cap.*4.

veritatem, ſed non præſtabant. *Quæ quidem* (adiungit Auguſtinus) *ſi manifeſta monſtratur, vt venire in dubium nequeat, præponenda eſt omnibus illis rebus, quibus in catholica teneor.* Sic veritatẽ Auguſtinus rebus omnibus anteponit, eamq́; facit ſummã, vel potiùs vnicam Eccleſiæ notam. Verùm hæc deſtitui poſſe veritate negas, atq; huius ſententiæ authorem Auguſtinum facis. Sed contrà palàm Auguſtinus hæc poſſe à veritate ſeiungi teſtatur. Si enim neceſſe eſſet in antiquitate, conſenſione, ſucceſſione veritatem ſemper reperiri, ineptè diceret Auguſtinus, ſe vnam veritatem his omnibus anteferre. Si nobis potes veritatis poſſeſſionem eripere, aut eam tibi vindicare, licebit in ſecundo loco de antiquitate, ſucceſſione, conſenſione quærere. Nos noſtrã certã & exploratã veritatem, veſtro antiquitatis, ſucceſſionis, conſenſionis εἰδώλῳ cedere nunquã patiemur. At ſumus (inquis) *Pauci*: & vos quoq; pauci eſtis, cum Turcis, Saracenis, Ethnicis comparati. Præclara religio, quæ hominum multitudine nititur: nec ita pauci ſumus, vt contemni à vobis debeamus. *Turbulenti* ſumus: certè nimis turbulẽti, qui tuo pontifici moleſtiam faceſſimus. *Noui* ſumus: at hoc nobis obijci, ab homine Ieſuita minimè debuit, quo genere hominum nihil orbis Chriſtianus magis nouum habet. Et quidem veſtri ordines Religioſorum itidem vt piſces, nequam ſunt, niſi recentes.

DVRAEVS, Fol. 133.

Ex Optato Campianus vobis communionem Catholicam, & Rom.

Pontif. successionem obiecit. *Respondes*, quia tum Romana ecclesia veræ fidei custos erat. *Quæ responsio etsi Caluini tui sit, tamen neque Optatum te, neq; alios, qui eodem vtuntur argumento, patres vidiße satis ostendis. Optatus hoc vtitur argumento, vt in Catholica ecclesia se eße probet, quòd Cathedræ Petri constanter adhæreat. Si patres nullum aliud argumentum adduxissent, quã Romanam cui adhærebant ecclesiam incorruptam hactenus fidei doctrinam seruasse, quàm vanum, quàm ridiculum, quàm contra aduersarios imbecillum fuisset argumentũ? Cælum ergo si lubet, terramq; replete clamoribus: vel nihil patres aduersus Donatistas effecerunt, vel vos hæreticos eße conuincimus.*

WHITAKERVS.

19 Meum de Optato responsum diluere conaris, sed vires conantem deficiunt. Nec Optatum me, nec alios patres vidisse putas, qui hoc vtuntur argumento. Hoc quidem puerile est, quantum ego aut viderim, aut non viderim diuinare. Sed hoc tibi disciplina Iesuitica imposuit, vt teipsum magnificè vendites, & hominem præ te nihil quenquam vidisse iactites. *Probat* (inquis) *Optatus se in ecclesia Catholica esse, quia Petri Cathedræ adhæret.* Et quam tu Petri Cathedram vocas? Externam sedem, aut Episcoporũ successionem? Id tu nunquam ostendes: & ego contrarium ex ipso Optato euincam. Syritium Romanæ ecclesiæ Episcopum Optatus suum socium, atque aliorum Episcoporum vocat, qui rectè & Catholicè sentiebant. Cum his omnibus Syritius *commercio formatarum* in vna communionis societate concordabat, vt scribit Optatus. *Formatarum* autem nomine literæ significantur quas Episcopi mutuò scribebant, consensionis in do-

Optat. lib. 1. contra. Parmenian.

doctrina,& legitimæ ordinationis testes. Se ergo Catholicum esse Optatus probat, quia Catholicam cum Syritio, atque alijs Episcopis Catholicis fidei confessionem,& coniunctionem retinebat. Disputat enim contra Parmenianum donatistam, qui cum ecclesia, cuius fidem & doctrinam non improbauit, communicare tamen noluit. Iam quis non videt firmissimum illud Optati fuisse contra Donatistas argumentum, si Donatistæ non consentiunt cum illis ecclesijs, in quibus semper & doctrina Apostolica,& ordinatio Episcoporum legitima viguit, à Catholicæ ecclesiæ communione discessisse? Tu me doceas, quodnam sit huius argumenti vitium: ego nullum contra schismaticos Donatistas firmius concludi arbitror potuisse. Nullis ergo clamoribus opus est: & te malim disputantem audire quàm clamantem.

DVRAEVS, Fol. 134.

Ad reliqua pergis, quæ tibi ex Optato obiecta sunt. Altaria quorum meminit Optatus non lapidea in Africa, sed lignea fuisse Augustino teste confirmas. Quid hoc ad rem spectat? Lignea Donatistæ, vos lapidea altaria euertistis. Quid interest? Quid altare est *(inquit Optatus)* nisi sedes corporis & sanguinis Christi? *Pulchrè verò euasisse videris, cùm ais,* Nos in sacris mysterijs sanguinem Christi percipi non negamus. *Non enim Optatus de mysteriorum perceptione loquitur, sed in altaribus Christi corpus & sanguinem habitare ait, & Deo à sacerdotibus offerri.*

WHITAKERVS.

2 Mensas sacras Donatistæ immani sacrilegio

gio disturbarunt: cū non ipsā sacramenti administrationē, sed Episcoporū ordinationem reprehenderent, quæ tamen etiam legitima fuit. Nos altaria ad impium sacrificium, & profanam idololatriam exercēdam per summum scelus erecta piè sustulimus atque amouimus. Nihil putas interesse? Quod autem de corpore Christi in altaribus habitante scribit Optatus, vide quàm paucis respondeam. Sacramentum corporis Christi, est aliquo modo corpus Christi: & rei nomen, vt fieri solet in sacramentis, ad symbolum accommodatur. Christi enim corpus ipsum nusquam propriè nisi in cælis, ad dexteram patris habitat, atque hęc illi perpetuò ad finem mundi sedes erit.

DVRAEVS, Fol. 134.

Cur quęso Melciadis Papæ contra Donatistas decretum tam alto silentio præterijsti: cùm ea res ad Romani pontificis authoritatem confirmandam tantum momenti habeat? De Chrismate etiam à Donatistis contaminato ne verbum quidem facitis.

WHITAKERVS.

21 Si tu illud Melchiadis decretum alto silentio præterijsses, multò meliùs pontificis tui causæ consuluisses. Quid enim introduci à te potuit, quod authoritatem pontificiam magis labefactaret? Cęlianum Episcopum Catholicum Donatistæ deferunt ad Constantinum Imperatorem: Constantinus rem Melchiadi, alijsque Gallica-

August. Epist. 162. Optat. lib. 1.

Caecilianum

Gallicanis & Italis Episcopis cognoscendam mandat: Hi Cæcilianum innocentem esse pronunciant: Donatistæ ad Constantinum prouocant: Constantinus causam iterum Arelatensi Episcopo iudicandam assignat: Quod certè omnino non fecisset, si Romanum pontificem Ecclesiæ caput, & summum causarum Ecclesiasticarum iudicem esse intellexisset. Chrisma nullum agnoscimus, quia nihil de Chrismate in scripturis accepimus. Potésne enim docere eo aut Christū, aut Apostolos vsos vnquam esse? Philippum non opinor affirmabis vllum in Aethiopis baptismo chrismatis vnguentum adhibuisse. *Act. 8.38.*

DVRAEVS, Fol. 135.

Athanasio cur minimè faueatis duplicem Campianus causam reddit. Priorem, quòd Antonium Eremitam Aegypti accurato libello dilaudauerit. Quasi nos (*inquis*) tam simus inuidiosi, vt laudari neminem æquo animo patiamur. *Sed num Eremitas, quos in Antonio laudat Athanasius, aliqua laude dignos censes? Aequiores fortè illi estis cùm iudicium sedis Apostolicæ vnà cum synodo Alexandrina suppliciter appellauit. Extat huius rei testis synodi Alexandrinæ ad Felicem Epistola:* At hæc Epistola (*inquis*) tota est supposititia, ex assentatione intoleranda & crebris mendacijs concreta. *Facilis & expedita responsio.*

WHITAKERVS.

22 Vt veteres Eremitas vel maximè probaremus, nihil tamen est, quamobrem de vestris Monachis non pessimè sentiamus, quemadmodum iamdudum & fecimus, & fieri à nobis

iustissimis de causis profitemur. Nam inter hos atque illos nulla prorsus est morum aut studiorũ cognatio. Antonius Magnus Eremitarum parens dicere solitus est, monacho non minùs periculosũ esse egredi è solitudine, quã pisci aquas relinquere. Si vos Antonium laudatis, & eius imitatores videri vultis, cur tantis numeris vrbes & celebritates frequẽtatis, nec vosmet potiùs in remotissimam solitudinem tanquã pisces immergitis? Sic certè Antonio similiores essetis, & has terras magno damno liberaretis. Illam autẽ synodi Alexandrinæ Epistolam quisquis legerit, eam facilè putidam, assentatoriam, commentitiam esse perspexerit. Hęc mihi responsio sufficiet, quam esse verissimam nemo sanus negabit.

DVRAEVS, Fol. 135.

Prudentius (inquit Campianus) quoties precatur martyres, quos decantat? Tu cum hoc vt poëtam fecisse ais. Quid? an quia poëta fuit, se esse Christianum oblitus est? Quin potiùs receptam in Catholica Ecclesia consuetudinem piè sequutus, hoc ille versibus fecit, quod innumeros ante se doctissimos sanctissimosq́; patres soluta etiam oratione fecisse, nec ipse ignorabat, nec tu, quamuis huius rei magnus artifex, dissimulare potes.

WHITAKERVS.

23 Ego hunc poëtam pro fidei magistro atque authore non agnoscam, nec tu debes poëtarum quantumuis sanctorum testimonijs pugnare. Quis enim nescit poëtis in more positum esse, quid versus potiùs quàm pietas postulet consi-

considerare, & elegantias poëticas multò magis, quàm accuratam scripturarum disciplinam consectari? Nec id vnquam poëtæ vitio datum fuit, vt ad Græcorum Latinorumque veterum poëtarum imitationem ἀποστροφὰς, εὐχὰς, & reliquas carminum χάριτας adhiberet. Esset certè admodum ineptum poëticas exornationes pro argumentis in religionis controuersia adducere. Fecisse verò Prudentium, quod innumeros patres ante se fecisse nouerat, quibus indicijs constabit? Si sunt innumeri patres, quorum sit exemplum sequutus Prudentius, cur nullum nominas? Trecentis sanè post Christum annis nulla fuit in Ecclesia huiusmodi consuetudo, qua tu innumeros patres vsos esse dicis: eaque paulò ante Prudentij ætatem cœpit in Ecclesijs inualescere. Sed cùm ista superstitio, tum aliæ omnes verbi authoritate corrigendæ sunt.

DVRAEVS, Fol. 136.

De Ambrosio quę protulit Campianus quàm solidè repellis? Immo verò quid aliud, quàm ridendo nihil esse quod respondeas fateris, cùm facile te ais permittere, vt suum ille Geruasium honestet atque ornet.

WHITAKERVS.

24 Cùm dixi istam superstitionem hoc tempore radices in Ecclesia altiores egisse, nónne satis respondi me quorundam patrum vitiosum ex-

emplum agnoſcere? Quid verò nactus es, ſi tibi hunc & illum patrẽ temporum illorũ morbis laboraſſe damus? quod quidem tantũ abeſt vt negemus, vt palàm & liberè perpetuò teſtemur. Sed etſi erant patres aliqua quaſi febricula malę conſuetudinis leuiter affecti, tamen ſanam ſolidamq; doctrinam in ſummis capitibus tenuerunt. Veſtram verò Eccleſiam peſtifera contagio peruaſit totamq; abſumpſit, & quæ in illis initia erant morborum, ea in vobis penitus inueterata curari nequeunt.

DVRAEVS, Fol. 136. 137.

Poſtremum Gregorius locum obtinet, quem tu nec Apoſtolum fuiſſe nec Angliæ Apoſtolum contendis. Hanccine gratiam ſanctiſſimo huic patri pro ea qua erga inſulam veſtram pietate fuit referendam putas? Quòd imagines illiteratorum libros appellauit, id (*inquis*) in ſchola ſpiritus ſancti non didicit. *Mihi verò reſpondeas velim homo Scholaſtice, in qua tandem ſchola tu imagines confringere didiceris. Non in Chriſtianorum, ſed in Iudæorum ſchola, in qua & Leo ille Iconoclaſtarum coryphæus inſtitutus fuit. De quo doctiſſimus Glycas in Bizantina hiſtoria ſcribit.*

WHITAKERVS.

25 Itáne verò in Gregorium ingrati ſumus, niſi illum & Apoſtolum, & noſtrum Apoſtolum agnoſcimus? Quis te docuit iſto modo ingratitudinem æſtimare? Quod nos magno beneficio affecit, id ſẽper gratiſſima memoria recolemus: Apoſtoli verò nomẽ nec ipſe vnquã ſibi aſſũpſit, nec illi tribuere fas eſt. Epiſcopus enim vnius vrbis, Apoſtolus eſſe non poteſt: & qui Apoſtoli erant

rant, hos Christus sua authoritate ἀμέσως in A- *Gal.1.1.*
postolico ministerio collocauit, quod de Gregorio atque Augustino nostro affirmari nulla ratione potest. Tum multis ante Gregorium seculis Christi Euangelium ad nostram insulam peruenerat, quemadmodum infinitæ historiæ testantur, quas non est hoc loco necesse persequi.

Imagines autem populo pro libris obtrudi, id quidem nunquam in spiritus sancti schola traditum fuisse defendo, & tu satis intelligis, cùm nullum ex hac schola præceptum, nullũ exemplum, nullum omnino monimentum profers. Imagi- *Ierem.10.3*
nes quidem spiritus sanctus falsitatis & mendacij *Abac.2.18.*
magistras esse clamat: tantum abest, vt doctri- *Rom. 1.25.*
nam ex illis salutarem discere nos iubeat. A me tantùm quæris, in qua schola imagines confringere didicerim: cui ego apertè respondeo, hoc me in ipsa spiritus sancti schola didicisse. *Non facies* (inquit Dominus) *tibi sculptile, nec similitudi-* *Deut.5.8.*
nem omnium quæ in cælis sunt de super, &c. Auferte *Iosu.24.23.*
Deos alienos de medio vestri, & inclinate corda vestra ad Dominum Deũ Israel. His verbis edocti sumus vnum Deum cultu sancto & religioso venerari, hominumq; statuas quantumuis optimorum è templis nostris eijcere, confringere, succendere. Vitulum Moses in deserto conflatum *Exod.32.20*
comminuit. Ezechiam spiritus sanctus laudat, *2.Reg.18.4.*
quòd æneum serpentem diuina authoritate constitutum contuderit, cùm eo semel Israëlitæ ad impiam superstitionem abuterentur: quantò ergo magis profana simulachra & idololatriæ execrandæ monimenta erant à nobis deturbanda?

In

Epiphan. in Epistola ad Ioan. Episc. Hierosolym. *Gregor. E-pist. 9. lib. 9.*

In hac ſchola educatus Epiphanius velum in templo ſuſpenſum, Chriſtiq; aut ſancti alicuius imagine intinctum diſcidit: ex eaq; prodijt Serenus Maſſilienſis Epiſcopus, qui imagines & ſuſtulit, & confregit. Hæc ergo non Iudæorum, non Ethnicorum, non idololatrarum, ſed Chriſtianorum ſchola eſt, quam imaginibus & ſimulachris pollui non oportet. Itaque εἰκονοκλάσται pium & neceſſarium bellum imaginibus indixerunt, quos non ratio, ſed authoritas & multitudo vicit, in εἰκονολατρείαν propenſa. Quæ autem hîc de Leone ex Glycæ tui hiſtoria tam verboſè recitas, quorſum quæſo ſpectant? An tu nos exiſtimas Glycæ huius profanum iudicium ac teſtimonium pro ſpiritus ſancti oraculo habituros? Quaſi mihi non facile eſſet multò plures paginas in Irenæ, Conſtantini, concilij Conſtantinopolitani, Niceni, Francofordienſis, Caroli Magni rebus narrandis exarare. Si nihil Leo, nihil Copronymus vitioſum magis habuit, quàm quòd imagines odit, vterque potuit in optimis & religioſiſſimis principibus numerari. Irenen equidem εἰκονολατρῶν principem, fæminam audaciſſimam & ſceleſtiſſimam fuiſſe res ipſa loquitur. Suum enim filium Conſtantinum ſextum in carcerem coniecit, & oculis atque imperio crudeliſſimè priuauit.

Sigebertus. Blondus.

DVRAEVS, Fol. 62.

Sed neque Gregorius (*inquis*) è patrum ſuperiorum libris hauſit. *Gregorius in eadem epiſtola multis ante ſe ſeculis morem hunc inter Chriſtianos receptiſſimum fuiſſe teſtatur. Si primus,*

vt

vt tu fingis, Christi & sanctorum imagines in Ecclesiam Gregorius inuexisset, qua fronte non confringendas imagines ex vetustissimo earum vsu comprobasset? Sed quanta est Whitakere tua hęc ignorantia, quem illa etiam latent, quæ passim apud patres obuia sunt? Apud Theodoretum de Simeone: Augustinum lib. 1. cap. 10. de consensu Euangelistarum. Damasum in vita Syluestri. Metaphrastem in vita Syluestri. Gregorium Nyssenum in orat. de Miletio. Athanasium de pass. imag. Christi. Sozom. lib 5. cap. 20. Hęc ad tuam vel ignorantiam, vel certè impudentiam ostendendam satis habent virium.

WHITAKERVS.

26 Imagines pontificias arrepta occasione defendis acerrimè: quod quamobrem facias non intelligo, nisi quia pictam religionem non posse pictis, fictisq; imaginibus carere existimas. Gregorius imagines Laïcorum libros nuncupat. Id illum dico è patrum superiorum libris minimè hausisse. Nullus enim pater ante hunc Gregorium Laïcos imaginibus pascendos ac docendos esse sensit. Tuum erat vetustum aliquem patrem protulisse, qui Laïcos imaginum aspectu informandos atq; erudiendos esse tradiderit. Id cùm minimè facias, fieri omnino nō posse satis ostendis. Quorsum ergo Lectorem alienis sermonibus ludis? Serenum Gregorius obiurgat, quòd imagines confregisset. Gregorio visum est imagines non esse confringendas: Serenus contrà pium esse statuit, vt illas imagines confringeret. Si hominum authoritate pugnamus, cur mihi non liceat in hac causa Gregorio Serenum opponere? Vterque Episcopus, vterq; sanctus, vterque doctus fuit. Adorationem imaginum Gregorius

gorius ipſe damnat, atq; id in Sereno ſaltem probat, quòd eas adorari vetuerit. At Ezechias æneum ſerpentem non modò vetuit adorari, ſed ne poſſet adorari, obtriuit. Ineptum eſt periculo cautiones præparare, cùm ipſum poſſis periculum tollere. Eraſmus ſcitè dixit, imagines poſſe multò faciliùs remoueri, quàm de modo, quo ſint colendæ, ſtatui ac definiri. Quàm autem fruſtra adoratio imaginum prohibeatur, quando ipſæ imagines in templo permittuntur, exitus apertiſſimè demonſtrauit. Pòſt enim in Secunda Nicena ſynodo, non tantùm fieri, ſed etiam adorari imagines iubentur: & mox paſſim cæptæ ſunt ab omnibus imagines adorari, non tantùm ciuili, ſed religioſo etiam & diuino cultu. *Ego* (inquit Conſtantius Epiſcopus Conſtantiæ) *imaginibus cultum honoris exhibeo eundem, qui debetur viuifica Trinitati.* Sic Nanclantus Clugienſis præclarus author. *Ergo* (inquit) *non ſolùm fatendum eſt, fideles in Eccleſia adorare coram imaginibus, vt nonnulli ad cautelam fortè loquuntur, ſed & adorare imaginem, ſine quo volueris ſcrupulo, quin & eo illam venerari cultu quo & prototypon eius. Propter quod ſi illud habet adorari latria, & illa habet adorari latria.* Sic Andradius, *Non inficiamur, hac nos latriæ adoratione Chriſti præclariſſimam crucem colere & venerari.* Imagines Gregorius negauit eſſe adorandas: vos illas non tantùm adoratis, ſed etiam λατρείᾳ, quæ ſoli Deo debetur, colitis. Ergo facitis, quod Gregorius fieri noluit, atque in turpiſſimam idololatriam incurritis. Factum hoc quidem ab aliquo ſacerdote Gregorius negat, quod

In libro Caroli Magni.

Nanclantus in Rom. c. 1.

Andradius orthodox. explicat. li. 9 pag. 284.

quod Serenus fecerat: & tamen idipſum antè Anablathæ feciſſe Epiphanium cōnſtat, quemadmodum ex epiſtola ipſius ad Hieroſolymitanum Epiſcopum perſpicimus, quam Hieronymus è Græco tranſtulit in Latinum. Sed nondum imagines in templa irrepſerant, vt alibi poſitas in locis prophanis minimè mirum ſit non eſſe confractas. Hiſtorias quidem ſanctorum in templis ante Gregorium depictas eſſe fateor, ſed imagines ſolidæ, & ſtatuę ex materia compoſitæ, quales in omnibus pontificiorum templis conſpicimus ante illam ætatem nullæ erant in Eccleſiás religionis cauſa introductæ. Hæc ergo teſtimonia patrum, quibus meam vel ignorantiam vel impudentiam coarguere voluiſti, tuam potiùs demonſtrant aut incogitantiam, aut fallendi voluntatem. Sunt enim partim ficta, veluti illud de Gregorio, Nyſſeno, & Athanaſio: partim aliena, vt reliqua vniuerſa, quibus factas imagines eſſe intelligo, in templis autem collocatas, & honore aliquo cultas non audio. Tuum verò argumentum nihil valet, Erant aliquæ inter Chriſtianos imagines ante Gregorij tempus, ergo hæ in templis collocabantur, vt populum docerent, atque à populo ſancta veneratione colerentur.

DVRAEVS, Fol. 139.

Neque verò me latet quanto hîc nobis faſtu idololatriæ crimen ſoleatis obijcere, quibus Tertulliani verbis, quàm meis reſpon-

respondere malo. Proinde (*inquit*) & similitudinem vetans fieri omnium, quæ in cælo, & in terra, & in aquis, ostendit & causas, idololatriæ scilicet substantiam cohibentes. Subijcit enim, Non adorabitis, neque seruietis illis, &c. *lib 2. contra Marcionem.*

WHITAKERVS.

27 Obijcimus sanè vobis, vt dicis idololatriæ crimen, idq; ego multis argumentis demonstrare potui, si hanc disputationem iste locus postularet. Vnum tamen attingam, vt lectores cogitent iuréne an iniuria reos vos immanissimæ idololatriæ peragamus. Qui creaturis sanctam προσκύνησιν & λατρείαν præbent, ij sunt idololatræ: vos id facitis: estis igitur idololatræ. Propositionem Christus confirmat, αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, & Angelus, τῷ θεῷ προσκύνησον: Assumptionem ipsi conceditis quando imaginem Trinitatis, & crucem eodem cultu, quo ipsam Trinitatem, & Christum adorari oportere contenditis, quemadmodum in Niceno concilio edocti estis, & Thomas vestrorum Theologorum Deus tradidit. Imago enim Trinitatis, non est Trinitas, & crux non est Christus: tum enim infinitæ essent Trinitates, & innumeri Christi. Quia nobis non potes tuis verbis apertè respondere, Tertullianũ adhibes patronũ, qui tamen nihil omnino pro te respondet. Quòd enim ait, non omnes imagines sed imaginum adorationem prohiberi, idq; scripturæ exemplis quibusdam demonstrat, quid hoc ad vestram causam pertinet, qui non solùm imagines facitis, sed etiam adoratis? Et illæ imagines quas Tertullianus comme-

Mat. 4. 10.
Apoc. 19. 10.
Thom. in 3. sentent. 2. distinct.

commemorat, diuino iussu atq; authoritate fabricatæ sunt, quod de vestris fingi non potest.

DVRAEVS, Fol. 139.

Sed iam tandem ad huius disputationis finem ventum est, & te iam iudice nostri sunt patres cùm pœnitentiam, & pro peccatis satisfactionem, cùm operum merita, cùm liberum arbitrium, cùm preces pro defunctis, cùm miracula ad martyrum sepulchra, cùm diuorum intercessionem, cùm altaria, cùm sacrificium, cùm chrisma, cùm virginitatis excellentiam prędicamus.

WHITAKERVS.

28 Quæ fusè hactenus tractata ac disputata sunt, ea nunc breuiter constringis, & quasi in globum conuoluis: Quod quamobrem facias non video, nisi vt omnes quàm inopē miseramq; defensionē susceperis, illustriùs perspiciant. Cùm enim in his causis nec multis, nec omnium grauissimis vestros esse patres contendis, in reliquis & multis & longè maximis nostros esse concedis. Quanquam ad vnumquodq; istorum sic tibi singulatim respondimus, vt neq; in istis quidem vestros esse patres clarissimè liquerit. Et quę hæc est tuæ disputationis σοφιστικὴ, cùm singulos ferè patres pro singulis causis antè adduxeris, nunc ad extremum vniuersos in vniuersis vestros esse concludere? Num enim sequitur si posses pro qualibet superstitione pontificia vnum aut alterum patrem citare, proinde totos patres esse in omni causa vestros? Sic tamen hoc loco argumentaris, Cyprianus de pœnitentia, satisfactione, meritis vobiscum sensit, quod falsum est;

Augustinus liberum arbitrium defendit, quod multò magis falsum, Hieronymus virginitatem nuptijs præfert, quod concedo: atque isto modo reliqui hoc aut illud vestrum probant: igitur omnes patres in his omnibus controuersijs vestri sunt. Siccine sperabas posse te nostris Academicis fallacissimam captiunculam obtrudere? Tum vt essent vestri patres, de quibus tantopere litigatis, quid tamen aliud nacti essetis, quàm humana præsidia, quibus quantum sit in religionis disceptatione tribuendum, quis non intelligit? Nos in certa firmaq; scripturarum possessione versamur: itaque de patrum finibus securius dimicamus.

DVRAEVS, Fol. 140.

Non patres asserimus, quod quicquid illorum aliquis scripserit certa ab omnibus fide credendum sit, sed quasi testes illius fidei adhibemus, quam & illi amplexi sunt, & illorum ætate Ecclesia credidit, vt si exemplo rem discere vis, Augustinum, Hieronymum, Ambrosium ex Africa, Europa, Asia, testes adhibemus, tum Ecclesiam credidisse offerendum esse sacrificium corporis & sanguinis Christi, extruenda esse altaria, initiandos sacerdotes, sanctos inuocandos, martyrum reliquias &c.

WHITAKERVS.

29 Noui nihil narras: totumq; hoc, quod affers, leue est & nugatorium. *Patres* (inquis) *tanquam testes adhibemus illius fidei, quam Ecclesia credidit.* At quis nescit patres non semper Ecclesiæ iudicium, sed suas pro maxima parte interpretationes atque expositiones proponere? Tum

Tum si testes essent, idem omnes dicerent, præsertim qui eiusdem ætatis erant: quos tamen non tantùm ab alijs, sed interdum etiam à seipsis dissidere constat. Deinde, si publicæ fidei testes sunt, quando aut vera tradunt, aut vobiscum sentiunt, quid ni pro testibus etiam habeantur, quãdo vel errores defendunt, quod solent aliquando, vel vobis aduersantur, quod in summis caussis faciunt? Postremò, quale hoc testimonium est hominum tam paucorum? Nunquid enim quia sic iste aut ille pater tradidit, ita totam Christi sensisse Ecclesiam credendum erit? Denique huc accedit, quod in nulla omnino controuersia omnium patrum testimonium vobis suppetat. Exẽplo rem illustras trium patrũ, quasi aut Ambrosius de omni Europa, aut de Africa omni Augustinus, aut quod absurdissimum est de tota Asia Hieronymus, in solitudine atq; antro habitans, testari posset. Atq; hi omnes quadringentis post Christũ annis vixerunt, cùm multis Ecclesia corruptelis laboraret, vt nihil interim dicã, quantũ illi à vobis in illis, quas nominas rebus discrepẽt.

DVRAEVS, Fol. 140.

Nos patrum doctrinam non aliqua ex parte admittimus, alia repudiamus, sed integram amplectimur. Neque enim patres censentur cùm suum aliquid, quod ab Ecclesia non acceperunt, vel scribunt vel docent.

WHITAKERVS.

30 Nunc ais, nunc negas, & ipse es tibi ad-

uersarius maximus. Si integram patrum doctrinam suscipitis, vt hîc affirmas, tum nihil quod patres docent repudiatis. Qui enim aliquid reijcit, is certè non recipit totum: Multa autem, vt tu fateris, reijcitis: ergo integram patrum totamq; doctrinam non recipitis. Sed hîc distinctionem egregiam excogitasti. *Patres non sunt* (inquis) *quando aliquid docent, quod ab Ecclesia non acceperint*: id est, vt vno verbo dicam, patres non sunt patres, si quid Romano pontifici aduersarium docuerint. Hoc istorum hominum est de patribus iudicium. Dum scribunt, quod pontifex Romanus probet, patres censentur: si fortè à pontificis sententia deflexerint, patrum nomen amittunt. O vestram prædicandam de patribus Ecclesiasticis existimationem! Vtri nunc de patribus & sentiunt, & loquuntur honorificentius? Vósne qui illos pro patribus nó agnoscitis, si vobis displicent? An nos, qui illos semper vt patres colimus, etsi errantes tanquam homines minimè sequendos esse iudicamus?

DVRAEVS, Fol. 141.

Respondes iure vos Catholicos libros prohibere. At ego summa iniuria id facere contendo: Etenim si vobis ipsi constare vultis, cùm ad Ecclesiam minimè pertinere dicatis veram fidei doctrinam à falsa discernere, sed ad internum spiritus cuiusque testimonium: an non summam alijs iniuriam facitis, quibus credendi leges præscribere non dubitatis?

WHITA-

WHITAKERVS.

31 Quenquam esse tam ineptũ putas, vt isto modo scribat, Nos negamus ad Ecclesiam pertinere veram doctrinam à falsa discernere? Quis te credat aut non omnino in nostris libris hospitem esse, aut non scientem de nobis, quod omnes norunt esse falsum, affirmare? Habet Ecclesia potestatem spiritus explorandi, falsamq; doctrinam à vera dijudicandi. Verùm hoc iudicium non ex hominum sensu, sed ex scripturis faciendum est. Tuum autem eiusmodi argumentum est, Pontifex Romanus, & eius fœderati non debent scripturas, prout ipsi volunt, interpretari, nec doctrinam aliunde, quàm ex Dei verbo aut approbare, aut condemnare: ergo Ecclesia Christi non potest doctrinam falsam à vera ex verbi authoritate distinguere, & hanc tanquam veram agnoscere, illam vt falsam improbare? Quare cùm ex scripturis constet pontificiam doctrinam esse & falsissimam, & hominum saluti inimicissimam, prudenter & piè magistratus fecerunt, cùm librorum, quibus ea nominatim defenditur ac propagatur, liberam importationem, venditionemq; publicam prohibuerunt.

DVRAEVS, Fol. 142.

Illud sanè præclarum est, quod ait, Totis iam viginti annis Catholicos omnes Iuello vestro nondum satisfecisse. *Nam Hardingus vel solus libello unico ita hominis temeritatem palàm*

 fecit.

fecit, vt meritò Campianus dixerit vix quidquam sua memoria Anglorum laboranti Ecclesiæ fructuosius prouenisse.

WHITAKERVS.

32 Quàm pulchrè doctissimo Iuello Hardingus responderit, ex eo iudicare licet, quòd nullum adhuc cuiusquam antiquitatis testimonium prolatum fuerit, quale desideramus. Viginti iam anni sunt, dum quæritis, nec quicquam inuenistis. Agite verò, & diligentiùs inuestigate, tempusque sumite vobis ad quærendũ, quàm vultis longissimum. Rem paruam requirimus: vnicum nobis certum, clarum, enucleatum testimonium sufficiet. Cùm huic à vobis nunquam adhuc satisfactum fuerit conditioni, Iuello nondum responsum esse liberè, verèque profiteor.

Liber

LIBER SEXTVS, DE Firmamentis Patrum.

DVRAEVS, Fol. 144.



Isputationis à Campiano institutæ hanc esse vim, hoc vinculum ais, Patres scripturas diligentissimè scrutabantur, sanctarum scripturarum testimonia densa cōglobabant, his primas partes tribuebãt: quare quas illi afferunt scripturarum interpretationes, his contenti esse debemus. *Non ille sic disseruit, neque vt disseruisset, tu reprendere potuisses. Non enim de vno patre, aut altero loquutus est, sed de omnium consensione, qui ętate aliqua floruerunt, quos vt Paulus testatur, Deus ecclesiæ suæ pastores & doctores dedit, & quorum doctrinam vt omnes sequerentur, Christus præcepit, cùm ait*, Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit. Ephes. 4. Luc. 10.

WHITAKERVS.



1 Ic te reprehendendi cupiditas transuersum abripuit, vt quę non potes emendare, in his tamē videri velis aliquid improbare. Nam aut isto modo Campianus, quo ego dixi, disputauit, aut disputationem omnino nullam instituit, in qua species aliqua esset argumenti. Quàm autem frigidum est minimeq; ingenuum disserendi genus, ambiguis orationis inuolucris sententiam occultare, nec quod aggrederis, explicatè & dilucidè proponere? Quanquã non multũ à Campiani mente,

vel tua confessione, aberraui: cùm non aliam illi sententiam tribuerim, quàm quæ tibi ipsi defendi posse videatur. Verùm an tu si esses in medio Theologorum consessu, hoc te posse argumentum nostris Academicis probare sperares, *Patres antiqui scripturas diligentissimo studio legebant & scrutabantur: ergo nunquam à vero scripturarum sensu discedebant?* Si enim hoc argumentum in patribus valebit, tum in alijs etiam omnibus verum erit, vt qui se ad scripturarum lectionem totos contulerint, & diligentiam fidelem adhibuerint, ijs necesse sit verum scripturarum sensum assequi: quod tamen si diceres, tuam ipse causam infringeres. Sed nunc aliquid tandem affers è scripturis, quod quanquam nihili est, tamen quia rarum est, non contemnam. Paulus ait, *Deus dedit Ecclesia pastores & doctores.* Audio: & patres Ecclesiæ pastores ac doctores fuisse fateor. Sed erant etiam alij pastores, ac doctores qui vel nihil scripserunt, vel quorum scripta perierunt. Quid isti patres senserint, quorũ libri extant, tenemus: quid innumerabiles alij, de quibus nihil accepimus, tradiderint, non tam facilè possumus existimare. Quàm ergo friuolum est, omnium pastorum ac doctorum consensionem iactare, cùm vix possis ex vna ætate eaque fœcundissima viginti nominare, quorum libri ad nostras manus peruenerunt? Tum omnium vnius ætatis patrum nisi seculis corruptissimis consentionem nunquam in vlla contra nos disputatione proferes. Et quanquam dedit Ecclesiæ pastores & doctores Christus,

Ephes. 4.

ftus, tamen eiusmodi dedit, qui & homines essent, & errare possent, & quibus nunquam promisit, quo minùs si quando à scripturis deflecterent, in errores inciderent: Immo (inquis) horum doctrinam Christus vt omnes sequerentur, præcepit. Nimirum quousque illi docerent, quod à Christo didicerant: non aliâs. Luc. 10. Nunc tuum argumentum perpende, Christus Ecclesiæ suæ pastores & doctores dedit, eosque audiri iussit, contemni vetuit, ergo nobis necessarium est in patrum interpretationibus acquiescere, & nefas est meliores desiderare.

DVRAEVS, Fol. 144.

Neque tamen hanc ille disputationem ingressus est, sed vos tergiuersari & latebras quærere ostendit, cùm patrum testimoniys atque authoritate superati ad scripturas prouocatis. Quis enim ferat venerandam patrum canitiem à vobis ignorantiæ argui? Nihil vos ad patres aliud, quàm noctuæ ad aquilas estis.

WHITAKERVS.

Et quid hoc, quæso, aliud est, quàm quod ego disputare dixi Campianum? Confer hanc tuam cum illa rationem: & vel eandem, vel peiorem inuenies. Quid ni verò à patribus ad scripturas prouocemus? Nónne enim scripturarum, id est Dei ipsius longè augustius tribunal est, quàm patrum simul hominumque vniuersorum? Si vellemus à patribus ad tuum pontificem prouocare, hanc quidem prouocati-

onē laudares, à patribus autem ad scripturas prouocari iniquo animo pateris. Sed noli nobis succensere, si quā tu pontifici prærogatiuam defers, eam nos scripturis vendicamus. Chrysostomus egregiè scribit: *Ne multorum opiniones circumferamus, sed res ipsas diligenter examinemus. Nónne enim absurdum est de pecunijs non credere alijs, sed hoc numero & calculo committere? de rebus autem amplioribus aliorum sententiā simpliciter sequi? præsertim cùm habeamus omnium accuratam trutinam, & gnomonem, & regulam diuinarum legum declarationem. Itaque hortor vos, & obtestor omnes, vt misso quid huic aut illi de his videatur, è scripturis hæc omnia inquiratis.* At ferendum (inquis) non est patrum venerandam canitiem à vobis ignorantiæ argui. Hoc est scilicet disputare: Patrum canities veneranda est, ergo nihil patres ignorarunt, neque à nobis reprehendi debent. Non est enim Deus προσωπολήπτης, nec Christi spiritus ad certas ætates adhærescit. Qui patrum libros nunquam inspexerunt, possunt ex scripturis scripturas intelligere: quæ quidem plerumque [redacted] minùs incertæ dubiæque sunt, quàm patrum commentationes. Noctuis verò vtri tandem similiores sunt, qui lucem scripturarum fugiunt, & ferre propiùs nequeunt, an qui suam omnem doctrinam in scripturarū luce collocant, eamque oculis acerrimis contuentur? Nam vestrum sanè aspectum scripturæ non minùs offendunt, quàm noctuarum obtutum dies.

Chrysosto. in 2. Cor. homil. 13.

ἀκριβῆ ζυγὸν καὶ γνώμονα, καὶ κανόνα.

DVRAEVS, Fol.145.146.

Miras (*inquis*) expoſitionum pugnas diſſenſionéſque in patribus animaduertimus. *Quas tandem Whitakere?* Auguſtinus Paulum exiſtimat ingenuè atque ex animo loquutũ, Hieronymus ſimulatè. Si hunc probas, illum improbes eſt neceſſe. *Errare quemlibet ex patribus ac decipi poſſe fatemur, in errorem fidei contrarium omnes alicuius ætatis patres incidere poſſe pernegamus. Tuum erat, vt diſſenſiones patrum Campiano iure obijceres, ex tam multis fidei dogmatibus, quæ vel contra hæreticos patres propugnarunt, vel nos aduerſus veſtra placita defendimus, vnum aliquod in medium proferre, de quo pugnantes patrum ſententias extare oſtenderes. Auguſtinus lib.2. de peccat. Origin. contra Pelag. & Cæleſt. c.23. eruditè docet, longè aliter ſe habere quæſtiones iſtas, quàm illas, in quibus ſalua fide, qua Christiani ſumus, aut ignoratur quid verum ſit, aut aliter quàm eſt; humana & infirma ſuſpicione conijcitur.*

WHITAKERVS.

3 Cogor importunitate tua de patrum erroribus verba facere, quos ego mallem aut non agnoſcere, aut excuſare, aut ſaltem minimè accuſare. Sed culpam aduerſarius præſtabit, qui me inuitum impulit ad dicendum. Reſpondi Campiano multas eſſe patrum pugnantes ac diſſentientes ſcripturarum expoſitiones, quod vno exemplo feci manifeſtum. Auguſtinus Petrum putat à Paulo grauiter reprehenſum; Hieronymus contrà non niſi ex compoſito & ſimulatè. Res ſumma contentione & multis Epiſtolis vltrò citroque miſſis diſputatur. Hieronymus ſeptem antiquiores patres *Galat.2. Vide Aug. ab.Eiſt.8. ad 19.*

tres

tres pro sua interpretatione citat, his Augustinus alios opponit: ex quo non hanc vnius Augustini ac Hieronymi, sed multorum fuisse dissensionem intelligimus. Tu hunc fidei ac dogmatis errorem fuisse negas. Sed quis non intelligit, ad fidem omnino pertinere, sitné mentitus Paulus, an Petrum, vt ipse profitetur, ingenuè libereque reprehenderit? Si enim Paulus cùm nihil minùs cogitaret, se tamen affirmat Petrum coram omnibus reprehendisse, quia reprehensionem maximam iustissimè merebatur, tum Pauli exemplo nobis licebit, & simulare & simulationem mendacio confirmare, quod vtrumq; cum sana doctrina pugnat. Quasi, vt hanc fuisse leuissimam de re nihili contentionem demus, non multis tamen exemplis clarissimum sit patres in fidei ac dogmatum errores incidisse, aliosque cū alijs de rebus maximis concertasse. Quis ignorat quàm acris inter Episcopos de Paschate pugna fuerit, nisi fortè Paschatis obseruationem nihil ad fidem spectare statuis? Quis Cyprianum martyrem à Stephano papa in causa grauissima dissensisse nescit, cùm ille hæreticos rebaptizandos esse affirmaret, hic negaret? Quàm multi, quamque præstantes doctrina & virtute patres Papiæ Millenariam opinionem amplexi sunt? Origenem quotusquisque non turpissimè errasse arguit? Quid illas celeberrimas Epiphanij cum Chrysostomo, Ruffini cum Hieronymo, Cyrilli cum Theodorito conflictiones pugnasq; repetam, non de caprina (opinor) lana, sed de fide & religione susceptas? Vis tecum apertiùs

ὅτι ἦν κατεγνωσμένος.

apertiùs agam, & tales tibi expositiones, quales postulas proponam? De illo igne, cuius Apostolus in Epistola prima ad Corinthios meminit, *1.Cor.3.* nescis quàm variȩ sint patrum sententiȩ? Augustinus in multis locis hunc ignem de afflicto huius vitæ statu intelligit, Hieronymus de examinatione iudicij, atque alij aliter: Gregorius, eumque secuti pontificij de igne purgatorio. *Hieron.in 1.Cor.3.* Quod Apostolus ad Thessalonicenses scribit, *State & tenete Traditiones siue per sermonem &c.* multi patres de tacitis Traditionibus interpretantur: *2.Thess.2. 15.* Ambrosius atque alij de ipso Euangelio. Cùm apostolus ait, *Non iustificabitur ex operibus legis*, *Ambros.in hunc locum.* Origenes & Hieronymus, circumcisionem & ceremonialia opera legis dici existimant: contrà Augustinus & Ambrosius totam legem intelligunt. Adamum Ambrosius scribit confessum esse peccatum suum, ac proinde veniam impetrasse: *Ambr.de parad.ca.14.* Augustinus eum in mulierem, atque in ipsum Deum peccati causam retulisse, vt quia ille non potuit esse par Deo, Deum sibi parem faceret, & Deum potiùs quàm se peccasse argueret. *August. de Gen.contra Manich.li. 2.cap.17.* Christum Origenes, Tertullianus, Ambrosius, Hieronymus aperto virginis vtero natum esse more aliorum infantium tradit: *Hieron.ad Eustoch. Origen.& Ambros.in Lucam. Tertull.de carne Christi.* aliter Augustinus, alijque multi iudicant, & illud pontificij hæreticum esse clamant. Hilarius de Christi humanitate errauit, eumque Erasmus de persona Spiritus sancti non ita loquutum esse scribit, quemadmodum Ecclesia loquitur. *Eras.in præfat.in Hilarium.* Hieronymus secundas nuptias stupro comparat. Quid alias huiusmodi opinionum atque expositionum multiplices

plices contentiones commemorem, quibus narrandis non multi libri sufficient? At hos patres negabis omnes similiter sensisse: quando omnes consensuerunt, tum errare non potuisse. Quàm hoc ineptum est, quod singulis contigit, id negare posse in omnes cadere? Verùm vt perspicias patrum consensionem non esse ab errore tutam atque liberam, vnum aut alterum exemplum recognosce. In synodo Constantinopolitana sub Leone consensus patrum fuit de tollendis imaginibus: hunc consensum in Nicena synodo sub Irene nouus consensus abrogauit: atque hunc iterum huius synodi consensum altera pòst synodus in Germania suo consensu damnauit. Hanc horum consensionem necesse est in altera parte fuisse deceptam. An tu oblitus es Augustinum cum Innocentio pontifice Romano reliquisque Ecclesiæ Episcopis sensisse Eucharistiam infantibus necessariò præbendam esse? atque hunc errorem in Ecclesia longissimo tempore perstitisse? An hæc non sunt fidei dogmata, quę proposui? An tu ista potes defendere? Quid ergo nugaris, quid latebras quæris, quid malā causam pessimè propugnas? Nesciri quidē multa sine damno posse fateor, cuiusmodi ista sunt, quæ refert Augustinus, de loco Paradisi, de Elia & Enocho, de elementis, de reliquis: sed num hæc illis similia sunt, in quibus errasse patres ostendimus? Id tu nunquam (sat scio) dices. Aliud enim est ignorare, quod disci ex scripturis non potest: aliud in ijs quæ scriptura tradidit, falsas opiniones pro veris amplecti

amplecti & tueri. Ita, quod meum fuisse dicis iam euici, patres in fide consentientes errasse, tuum nunc est rem veram atque exploratam agnoscere.

DVRAEVS, Fol. 147.

Quòd præceptum à Christo esse ais, non vt patrum scripta sed scripturas ipsas scrutemur, frigidum sanè est. Nos hoc qui faciunt, modò rectè faciant, vehementer probamus. Rectè autem scripturas scrutamur, cùm illarum sententiam non ex proprio ingenio, sed ex maiorum ratione & authoritate interpretamur.

WHITAKERVS.

4 Quod de scrutandis scripturis dixi, frigidum vobis videri minimè miror, quos certè totos frigescere necesse est, si homines Christiani fideli sanctoq; studio sacras scripturas scrutari cæperint. Quibus enim in locis scripturarum cognitio versatur, pontificijs friget quæstus, & quidem non dubito scripturas, si semel possent emergere, vobis perpetuum frigus allaturas. Eos qui scripturas rectè scrutantur, probas: in quo tuam humanitatem laudo, qui quod rectè fit nolis improbare. Sed quinã tuo iudicio scripturas rectè scrutantur? qui illarum (inquis) sentẽtiam non ex proprio ingenio, sed ex maiorũ authoritate interpretantur. Nullísne verò fas est scripturas scrutari, nisi qui aut munere interpretandi

tandi scripturas perfungantur, aut maiorum rationem omnem atque authoritatem cognitam habent? Erit ergo hic labor hominum sanè perpaucorum. At Christus scripturas, non maiorum opiniones vel expositiones scrutari iussit, idque omnibus præcepit, quicunque vitam quærunt, & Christum cognoscere cupiunt. *In ijs* (inquit Christus) *putatis vos æternam vitam habere, & illæ de me testantur.* Itaque Iudæos Christus reprehendit, *quòd illius sermonem non haberent in ipsis manentem*, hoc est, quanquam assiduè Mosem & prophetas legerent, harum tamen scripturarum verum sensum ignorarent, cùm Christum, quem illæ Messiam esse declarabant, contemnerent. Scrutari ergo scripturas iubet, vt planè perspiciant ex scripturis, quæcunque de Messia prædicta sunt, ad ipsum pertinere. Num verò Iudæos Christus ad maiorum rationem, authoritatem, interpretationem remisit? Quæ hæc impietas est, & quæ fallendi licentia? Ex his autem Christi verbis duo argumenta colligam, ad quæ mihi appositè respondeas velim. Primùm si Iudæi iussi sunt ipsas scripturas scrutari, atque ex ipsis scripturis, non aliunde, scripturarum sententiam addiscere, tum idem nobis faciendum est, vt ex scripturis scripturarum sensum assequamur. Deinde, si Iudæi in scripturis vitam æternam habebant, id est, scripturarum doctrina quicquid erat ad vitam æternam necessarium proponebat, quemadmodum Christus apertè docet, tum multò magis nobis scripturæ ad vitam salutemque sufficiunt, cùm noui Testamenti

Ioan. 5.39.

Vers. 38.

mẽti facta fuerit tam illuſtris ac nobilis acceſſio? Atque hoc eſt, quod Paulus affirmat, poſſe nos ſcripturis fieri ad ſalutem ſapientes. 1.Tim.3.15

DVRAEVS, Fol. 147.

Si Chriſtianis omnibus vt ſcripturas ſcrutentur à Chriſto dictum eſſe intelligis, in magno certè errore verſaris. Quomodo enim rudes & ignari literarũ ſcripturas ſcrutabuntur, quos, Auguſtino teſte, non intelligendi viuacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimos facit. cõtra epiſt. Fundam. c. 4. Cananææ Chriſtus dixit, Fides tua te ſaluam fecit, non exercitatio ſcripturarum, inquit Tertullianus, de pręſcript. Iudæis Chriſtus dixit, vt ipſum verum eſſe Meſſiam intelligerent: Chriſtianis verò etſi omnibus liberum, illis tamen ſolis pręceptum, quibus alios docendi munus incumbit: idq́ non vt ex ſcripturis fidem addiſcant quaſi de nouo, ſed quam auditu perceperunt, ſcripturarum teſtimonijs corroborarent. Promiſcuæ fidelium turbæ datos eſſe Paulus aſſerit non ſcripturarum libros, ſed paſtores atque Doctores.

WHITAKERVS.

5 Vter noſtrum erret, non erit difficile iudicare. Tu ſolis doctoribus præceptum eſſe dicis, vt ſcripturas ſcrutentur, ego omnibus Chriſtianis. Et quidem Chriſtus non tantùm doctores, ſed totum populum alloquitur, atque ad ſcripturas ſcrutandas cohortatur. Si verò Iudæis omnibus præceptum fuit ſcripturas ſcrutari, id ipſum etiam Chriſtianis omnibus præceptum eſſe conſtat, niſi cauſa aliqua proferri poſſit contrariæ rationis. Propheta beatum pronunciat, qui in Dei lege dies & noctes meditatur, Pſal.1.2.

ditatur. Nihil hoc ad Christianos pertinet? Sed te clarissimis testimonijs reuincamus. *Beraenses* (homines Laïci) scripturas quotidie scrutabantur, *an qua à Paulo audierant, ita se haberent*. Si istis necessarium fuit scripturas scrutari, & Apostolicam doctrinã cum scriptis propheticis comparare, idque eis à spiritu sancto laudi ducitur, tum omnibus Christianis similiter faciendum est, vt quod docetur & proponitur, ex scripturis *dijudicent*. Colossenses Apostolus iubet, vt scripturæ scientiam comparent copiosam, *Sermo Christi habitet in vobis copiosè in omni sapientia*. Si putes hoc præceptum ad populum minimè pertinere, Chrysostomum consule, cuius in hunc locum hæc verba sunt, *Audite quotquot estis seculares, & vxori ac liberis praestis, quemadmodum & vobis det in mandatis maximè scripturas legere, nec leuiter & negligenter, sed magno studio*. Sin te Chrysostomus minùs delectat, Hieronymum audi, qui sic in hunc eundem locum scripsit, *Hîc ostenditur verbum Christi non sufficienter, sed abundanter etiam Laïcos habere debere, & docere se inuicem vel monere*. Quod ergo Christianis omnibus præceptum esse negas scripturas legere, scrutari, meditari, in eo te turpissimè errare & scripturarum sententijs, & patrum testimonijs docui. Atque hîc te facilè potui omnium patrum telis conficere. Quid enim apertius dici potuit, quàm quod Origenes scribit, & tu à me prolatum prætermittis, *Vtinam omnes faceremus illud, quod scriptum est, Scrutamini*

Act.17.11.

ἀνακρίνοντες.

Coloss.3.16.

Chrysost.in Coloss.hom.9

Hierony.in Coloss.3.

Origen.in Esaiam, homil.2.

scrip-

ſcripturas? Chryſoſtomus in multis locis populum omnem ad aſſiduam ſcripturarum lectionem hortatur, atque hanc hominum negligentiam grauiſſimè reprehendit. *Quis* (inquit) *noſtrûm quaſo, repetita domo, aliquid Chriſtiano dignum opus aggreditur? Quis ſcripturarum ſenſus perſcrutatur? Nemo ſanè: ſed alueolos, & talos frequenter inuenimus, libros quàm rariſſimos.* Audis vt veſtros Laïcos Chryſoſtomus depingat. Vbi enim in ędibus Laïci cuiuſquam apud vos librum ſacrum inuenias? Talos, teſſeras, aleas probatis in Laïco, libros præſertim ſcripturarum comburitis. Aut hîc nega aliquid, ſi potes, aut te conuictum, & conſtrictum confitere.

Chryſoſt. in Euang. Ioan. hom. 13.

At *populus* (inquis) *rudis eſt & ignarus literarum.* Id ſanè vos curatis ſedulò, vt talis eſſe poſſit. Verùm qui Chriſtiani ſunt non debent rudes eſſe ſcripturarum: & quod in illis vitium eſt, id tu pro argumento adhibes. Quòd verò Auguſtinus populum ait tutum eſſe *non intelligendi viuacitate, ſed credendi ſimplicitate*, in eo quidem non iſtam populi ignorantiam defendit, ſed ſubtilem ſcientiam non requirit. Aliud autem eſt eſſe omnino rudem & ignarum, aliud non eſſe ratiocinandi acumine ac ſubtilitate præditum. Credendi ſimplicitas omnibus neceſſaria eſt: credere autem ſine ſcripturarum cognitione nemo poteſt. Viuacitas intelligendi non eadem in omnibus poſtulatur. Quid ſi verò Cananæam fides ſola,

non ſcripturarum exercitatio ſaluam fecit? An ignaram fuiſſe ſcripturarum ſtatuis, quia non fuit in ſcripturis exercitata? Quanquam minimè fuiſſe illam in ſcripturis exercitatam Tertullianus non affirmat, ſed fide non exercitatione ſcripturarum ſaluam eſſe dicit, quod etiam de peritiſſimis ſcripturarum magiſtris veriſſimum eſt, quos fides non ſcripturarum peritia ſeruat. Iudæis (inquit) Chriſtus dixit vt illum eſſe Meſſiam intelligerent: ergo ſi Iudei poterant ex ſcripturis ſolis Meſſiam agnoſcere, idem & nos multò magis poſſumus: cumque in Meſſiæ perfecta cognitione ſalus noſtra & vita conſiſtit, quid amplius deſideramus? Ad extremum nobiliſſimam ſententiam adiungis, *Promiſcua turba datos eſſe non ſcripturarum libros, ſed paſtores ac doctores*. Quaſi qui paſtores doctoreſque dedit, non idem libros etiam ſcripturarum dederit: aut aliud ſit paſtorum & doctorum munus, quàm vt libros ſcripturarum populis exponant, quos Deus vtriſque, tam his, quàm illis dedit. Itaque ſi diſces, quæ ſubordinata ſunt, non pugnare, tuum argumentum intelliges eſſe nugatorium. Id verò omnes velim perpetuò meminerint, quod hic noſter Duræus palàm affirmat, *Promiſcua fidelium turba non eſſe datos ſcripturarum libros.* Quoties ergo ſcripturas populus legit, in alienas poſſeſſiones irruit, & ſibi rapit, quod Deus nunquam dedit.

DVRAEVS,

DVRAEVS, Fol. 148.149.

Nos scripturas ita legimus, vt non ex nostro ingenio, sed ex Ecclesiastica traditione interpretemur. Sponsi vocem libenter audimus. Si ignoras te, inquit, ô pulcherrima inter mulieres, abi post vestigia gregum tuorum. Cant. 1. ad quem locum alludit Theodoretus in dialogis. Nos igitur dum patrum nostrorum greges sequimur, periculum nullum est, ne vagemur. Velim mihi respondeas, quem viæ ducem sequutus à Romana Ecclesia desciuisti. Iuellum credo, aut ex præceptoribus tuis alium. At quem ille? Bezam, opinor. Beza verò quem? Caluinum, ipse respondet. Caluinus, quem sequeretur, habuit neminem. Lutherum enim ducem sequi noluit. Et Lutherus cùm nullum quem sequeretur haberet, seipsum ducem sequutus est.

WHITAKERVS.

6 Et nos scripturas non ex nostro ingenio, sed ex spiritus sancti sensu in ipsis scripturis manifesto interpretamur. Ecclesiasticam traditionem pro norma interpretandæ scripturę non agnoscimus: quia tum huius traditionis, quàm scripturę authoritas potior esset, quod tamen ipse nunquam dixeris. Greges verò tuos sequere dum voles, ego nec te nec tuum gregem sequar. Et scitum certè est, quòd tuos magistros gregi comparas, in quo non tantùm homines, sed equi etiam & asini sunt, si Theodoreto tuo credimus. Sed hîc quæris aliquid, quod tibi responderi velis, quem ego viæ ducem sequutus à Romana Ecclesia desciuerim. Possũ ego tibi multos duces cõmemorare, à quibus sum in rectã viam deductus. Quot enim multis iam annis E-

uangelij præcones & doctores extiterunt, tot mihi duces huius viæ fuerunt. *At illi* (inquis) *nullos nisi seipsos sequuti sunt duces*: Immo Christum

Hebr. 12.2. inprimis fidei nostræ ἀρχηγὸν κ̀ τελειωτὴν sequuti sunt, tum omnes antiquiores Ecclesię patres, quicunque in his vijs ingressi sunt. Quis autem ducem meliorem, quàm Christum, & Apostolos, & purissimæ Ecclesiæ magistros desideret? Si verò quos duces esse viæ rectæ oportebat, ij sunt errorum signiferi, mihi non est necessarium tales duces ad certam calamitatem atq; exitium properantes sequi.

Math. 15. 14. *Sinite illos*, (inquit Christus) *duces sunt cæci cæcorum*. Cypriani de hac causa sententiam, quam Augustinus sine dubio optimam esse dicit, proponam. *In compendio est* (inquit

Cyprian. ad Pompei. contra Epistol. Steph. Cyprianus) *apud religiosas mentes, & errorem deponere, & inuenire atque eruere veritatem. Nam si ad diuinæ traditionis caput, & originem reuertamur, cessat error humanus: & sacramentorum cælestium ratione perspecta, quicquid sub caligine ac nube tenebrarum obscurum latebat, in lucem veritatis aperitur. Si canalis aquam ducens, qui copiosè prius & largiter profluebat, subitò deficiat: nónne ad fontem pergitur &c.* Tum mox, *Quod & nunc facere oportet Dei sacerdotes, vt si in aliquo nutauerit, & vacillauerit veritas, ad originem Dominicam & Euangelicam & Apostolicam Traditionem reuertamur, & inde surgat actus nostri ratio, vnde & ordo & origo surrexit*. Non ergo spectandi sunt qui nobis proximè præiuerunt, sed qui primi duces itineris fuerunt.

D v.

DVRAEVS, Fol, 150.

Aequúmne (*inquis*) iudicas, vt si patres in scrutando scripturas aberrarunt, eorum nos vestigijs insistamus? Et quod ipsi inuenimus verum abijciamus, quia illi inuenire non potuerunt? *Sed quis credat Whitakere, inueniße te, quod patres tam diu quæsitum inuenire tamen minimè potuisse contendis? Quis tu es, qui ignorantiæ errorisq́; patres audeas accusare, indice præsertim Academia?*

WHITAKERVS.

7 Ego patres omni doctrinæ genere excultos fuisse fateor: tantum abest, vt illos accusem ignorantiæ. Sed tamen, quandoquidem Academiæ mentionem fecisti, vt defensionis tuæ æquitatem nostri Academici perspiciant, cupio tuum te nobis argumentum probare, Patres veritatem diligentissimè inuestigarunt, & doctrina singulari excelluerunt: patres igitur nunquam à vero aberrarunt, nec falli, aut aliquid ignorare potuerunt. Hæc tua est patrum ἀποθέωσις. Si verò patres quanquam erant & diligentes & docti, tamen sæpe grauiterque errarunt, quod mihi concedi, quantumuis nolis, est necesse: cur nobis non licebit, quibus non minùs quàm illis præceptum est scripturas scrutari, quæ nos inuenimus, vera retinere, quæ illi non vera tradiderunt, repudiare? Si patres reuiuiscerent, errores suos agnoscerent, & vestram importunitatem sua authoritate coercerent: viui certè ingenuè professi sunt se multa ignorare, & in multis decipi, Nunc quia ex patrum erroribus

vester ille pontificiæ religionis cento consutus est, hos errores vobis tā necessarios ac salutares attingi non oportet. Sed tibi nunc iterum de patribus verbo respondeo, Cùm patrum scripta ad sacrarum literarum Canonicam doctrinam exigimus,& patres aliter sensisse perspicimus,quàm spiritus sanctus tradidit, etsi non nobis maiorem doctrinam arrogamus, quàm illis concedimus, tamen erratum ab illis esse intelligimus,& nolle nos cum illis errare testamur.

DVRAEVS, Fol. 150.

Videamus quàm acriter tuā aduersus nos causam patres defendant, illi præsertim quos nominatim ais apertum nobis bellum denunciare. Sic ais, Dionysius hic quisquis ille fuit tuus esse dum priuatam Missam defendis, non potest. *Priuatam Missam Catholici nec defendimus,nec agnoscimus,cùm omnes Missæ & à publico Ecclesiæ ministro, & totius Ecclesiæ nomine, & pro omnium Ecclesiæ filiorum salute offerantur.*

WHITAKERVS.

8 Si Missam priuatam non agnoscis, at talem certè Missam defendis,qualem Dionysij istius ætate nulla Ecclesia celebrauit. De verbo litigare puerile est:Priuatam dico Missam,quam vnus homo percipit, dum hanc defendis, Dionysium habes in causa inimicum. Illa enim forma *συνάξεως*, quam Dionysius proponit,multorum cōmunionem requirit: vestræ autem Missæ ab vno sacrifico procurantur. Si verò quod fit ab vno homine nec latius patet, priuatum verè dicitur, quis

Dionys. Ecclef.Hierar. cap.3.

quis missas vestras, quæ non nisi vnum sacrificum cum pusione postulant, priuatas esse dubitat? Nam populus aut totus abest, nec aliquid de Missa cogitat, aut si præsens fuerit, nullas habet nisi spectandi partes. *At fiunt* (inquis) *à publico ministro.* Quid tum? Si minister publicus, quod pertinet ad totum populum, sibi vni sumit, nónne ex publico priuatum facit? Quid enim commodi potest ex illa Missa, qua vnus sacrificus fruitur, ad populum peruenire? Hoc quidem perinde est, ac si dicas, eo cibo, quo sacrificus vescitur, populum pasci. Immo (inquis) totius Ecclesiæ nomine, & pro omnium salute offertur. Primùm Christus huiusmodi nullam oblationem instituit. Quæ enim oblatio omnes Ecclesiæ filios seruauit, ea semel in cruce peracta est, quam vnus Dei filius facere potuit. Deinde, si populus ex hac oblatione beneficium tantum percipit, quantum dicis, quid opus fuit, cum sacrifico interdum communicare, & quem maiorem ex hac communicatione fructum percipit, quàm si nunquam communicaret? Postremò, velim mihi dicas, qui fidei vim toties risisti, quonam tandem pacto fieri possit, vt populus totus ex illa Missa, quam nec participat, nec videt, nec somniat, salutem hauriat. Si enim absenti populo Missa salutaris esse potest, quid ni fidei nostræ præsentem esse Christum concedas, quantumuis nos ab ipsius corpore maximis locorum spacijs disiuncti sumus?

DVRAEVS, Fol. 151.

Sed quid tandem est, quod contra priuatam, vt vocas, Missam ex Dionysio affers? Publicam Ecclesiæ communionem, qualem & Christus instituit, & vetus Ecclesia semper tenuit, descripsit. *Quid? Num tibi Christus, cùm sacramentum instituit, quoties, quando, quo loco, quàm multis aut præsentibus, aut communicantibus, aut quibus ceremonijs esset celebrandum præscripsisse videtur? Quorsum ergo Paulus,* Cætera, cùm venero, disponam? 1. *Corint.* 11. *Vidit hoc Augustinus, & multa, quæ ad huius sacramenti administrationem pertinent, Apostolis disponenda Dominum reliquisse non dubitauit. Epist.* 118. *cap.* 6. *Quid iniquius, quàm ob populi impedimenta legitima, vel negligentiam, sacerdotes, & Ecclesiam, & fideles tam necessario fructu priuari? Augustinus illum quotidie communicandi morem, nec laudare se, nec reprehendere ait: epist.* 118. *Et Hieronymus cùm hanc Romanæ vrbis consuetudinem fuisse commemorat, satis eam non omnium fuisse Ecclesiarum significat. Postremò, si Laïcis olim etiam solis licebat domi suæ communicare, quid causæ erit cur sacerdoti absque populo sacrificium offerre non liceat?*

WHITAKERVS.

9 Quam vobis plagam Dionysius satis luculentam intulit, eam hîc si non sanare, saltem obducere conaris. Sed malè curatum vulnus facilè recrudescet. Si enim vester esset Dionysius, non ille à vobis in re tanta dissentiret. Quid autem Missa sanctius, atque augustius vestra opinione esse potest? At priuatam Missam Dionysius non agnoscit, cuius illa σωάξις multitudinem postulat. Quòd autem quæris, num Christus, quando sacramentum instituit, quoties, quando, quo loco, quàm multis, & quibus ceremonijs celebrandū esset, præscripserit, respondeo temere hîc à te

res

res ἑτερογενεῖς, planéque dissimiles misceri. Etsi enim Christus non præscripsit ista, quæ commemoras, tamen Christi præscriptio priuatis missis apertissimè aduersatur. Quoties quidem, & quando, & quo loco, & quàm multis, & quibus externis ceremonijs sacramentum administrari oporteret, Christus non exposuit. Nam ista sacramenti naturam atq; οὐσίαν non attingunt, nec harum rerum varietas aliqua cum Christi præscriptione formáque pugnat. Itaque cum Paulus sacramentum Corinthijs, quale Christus instituit, commendasset, quæque erant necessaria, atque ad ipsam essentiam sacramenti pertinebant, docuisset, de cæteris se cùm venerit, præscripturum promittit, id est, quibus vti externis ceremonijs deberent, traditurum. Atque hæc illa sunt, quæ Christum Apostolis reliquisse constituenda scribit Augustinus, cuiusmodi est à ieiunísne sumendum sit sacramentum, an post cibum, & quo ordine, vt ipse Augustinus testatur. Sed aliud est, quod quærimus, cùm de priuata Missa disputamus. Nã illa sacerdotum pontificiorum μονοφαγία ipsum sacramentum euertit, & Christi præscripto palàm repugnat. Etenim in hoc sacramento numerus aliquis, & multitudo hominum Christi mortem celebrantium necessariò requiritur, id quod primum ex ipsa, nominum notatione constat. Cùm enim Cœna, & communio, & σύναξις, & λειτουργία appellatur, satis indicat non vnum hominem huic rei peragendæ sufficere. Et quia nobis res est cum Dionysio, κοινωνίαν vocari Pachymeres Dionysij Paraphrastes

Pachym. in 3. cap. eccle-siast. Hierarch. phrastes scribit, διὰ τὸ τότε κοινωνεῖν τοὺς ἀξίους πάντας τῶν μυστηρίων: id est, *quia tum omnes communicabant, qui digni erant mysterijs*. Deinde, cùm Christus ait, Matth. 26. Luc. 22. 1. Cor. 11. *Accipite, edite, bibite omnes, diuidite inter vos, Hoc facite ad mei recordationem*: Et Paulus, *Quotiescunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciatis*, nónne hoc à multis fieri oportere demonstrat? Sed quid his Apostoli verbis illustrius desideramus, 1. Cor. 10. 17 *Vnus panis, vnum corpus multi sumus: nam omnes vnum panem participamus*? Iam ista rem planè conficiunt, 1. Cor. 11. 33 *Itaque fratres mei, cùm conuenitis ad vescendum, alius alium expectate*. In quem locum sic Thom. in 1. Cor. 11. Thomas scribit, *Cũ conuenitis, scilicet in ecclesia, ad mãducãdũ, scilicet corpus christi: inuicẽ expectate, vt, scilicet simul omnes sumatis*. Et ante Tho. Haymo, Haymo in 1. Cor. 11. *Cũ conuenitis ad manducandũ corpus & sanguinem christi in ecclesia, inuicẽ expectate, vt multorũ oblatio simul celebretur & omnes cõmuniter ex vno pane cõmunicetis, quia illa oblatio vnus panis est, & cõmunis debet esse omnibus*. Postremò hanc Christi præscriptionẽ vetus ecclesia sexcentis annis obseruauit, & illam pontificiorum μονόφαγον Missam ignorauit. Chrysost. ad popul. Antioch. homil. 6 Apertè Chrysostomus loquitur, *Omnis qui mysteriorum participatione non fruitur, impudens, & procax est, si adstat*. Et Hieronymus, Hieron. in 1. Cor. 11. *Dominica cœna omnibus debet esse communis, quia ille omnibus discipulis suis qui aderant, æqualiter tradidit sacramenta*. Nam Apostolorum canones, quanti facias, nescio: si tamen aliquid valent, vestram certè Missam grauissimè perstringunt. Sic enim Canon. Apost. 9. præcipiunt, *Omnes introeuntes fideles, & scriptu-*

ras audientes, non permanentes autem in oratione & sancta communione, velut inordinatum quiddam perturbationémque facientes in ecclesia separari oportet. Qualem ergo hanc Missam esse censeamus, quam vnus sacerdos toto spectante populo conficit? Quod de impedimentis & negligentia populi criminaris, nihil est quamobrem propter populi vel legitimas occupationes, vel prophanam negligentiam lex institutióque Christi violetur. Si officium suum episcopi & pastores fecissent, populus nunquam à pietate tam auersus extitisset. Sed hac populi negligentia præclarè sacerdotum vel ocio vel lucro consulitur.

Augustinus autem & Hieronymus, tantum abest vt Missam priuatam confirment, vt contra populum olim quotidie communicasse testētur: quos proinde à te in hac causa miror esse introductos. Quid enim magis cum priuata Missa dimicat, quàm populi quotidiana communio? Si verò non ita mos obtinuit in quibusdam locis, vt populus [redacted] quotidie sacramentum sumeret, at sacerdotem solum sine populo sumpsisse nullis vnquam testimonijs liquebit. Nam quod postremò de *laicis* subiungis domi communicantibus, vide quæso, quàm sit ab instituta disputatione alienum. Laici interdum priuatim domi communicabant: igitur sacerdos debet in publico cœtu priuatam Missam celebrare. Deinde, quod Laici domi sumpserūt, id vel præsentes in cōmunione secum detulerant domum, vel absentes ab episcopo acceperāt, vt hæ quædā fuerint partes publicæ

licæ cõmunionis. Postremò ex vno more vitioso aliũ similem comprobare, nimis improbum atq; ἀθεόλογον est.

DVRAEVS, Fol.152.

Secundas tenet Iustinus Martyr: Quando formam *(vt ais)* eius disciplinę, qua Christiani in sacro conuentu vsi sunt, exposuit. Panem & vinum eo tempore populus accepit, nunc neutrum. *Si Iustinum vel obiter legisses, non eò impudentiæ esses progressus. Nam in hoc loco nostram de Eucharistia sententiam confirmat. Vbi quęso legisti apud Iustinum tum panem & vinum in Eucharistia Christiano populo exhibitum, cùm nihil ille de pane & vino, sed de corpore, & sanguine Christi tanta perspicuitate loquatur?*

WHITAKERVS.

10 *Si Iustinum* (inquis) *legissem, nunquam tam impudens fuissem:* quo magis mihi persuasi à te Iustinum nunquam esse perlectum. Vestram Iustinus de Eucharistia sententiam neq; hîc, neque alibi confirmat: de quo satis multa respondi priùs. Populum Iustinus hoc loco & totum communicasse, & sacramenti partem vtramque sumpsisse testatur. Quid magis Missis vestris ac μονοφαγίαις contrarium esse potuit? Quòd autem quæris vbi apud Iustinum legerim, *panẽ & vinum in Eucharistia populo exhiberi,* istuc quidem me in hoc eodem loco legisse testor. Sunt enim hæc Iustini verba, οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος: hoc est, *Qui apud nos diaconi vocantur, dant vnicuique eorum qui adsunt partem panis, pro quo gratiæ actæ sunt, & vini, & aquæ participandam.* Vide verò Duræe, ne dum mihi impudentiam obijcis immeren-

Iustin. Apolog. 2. lib. ἡ διάδοσις καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται.

merenti, te ipsum non satis modestum fuisse palàm ostendas.

DVRAEVS, Fol. 153.

Tertius in acie est Beatus Cyprianus, qui Apostolos omnes Petro, (*vt ais*) exęquat, eósque pari & honore, & potestate præditos disertè affirmat. *Quid Cyprianus de Romani pontificis authoritate senserit, plurimis sanè locis ostendit: Epist. 55.* Neque aliunde hæreses obortæ sunt, &c. *Sic Hieronymus contra Luciferianos. Pares Apostolos Cyprianus dixit, quia æquè omnes Apostoli fuerunt: ita tamen vt à Petro cæteri tanquam à capite penderent. Hoc enim ea verba ostendunt*, vt vnitatem manifestaret, vnam Cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua authoritate disposuit. Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis: sed exordium ab vnitate proficiscitur. Primatus Petro datur, vt vna Christi ecclesia, & Cathredra vna monstretur.

WHITAKERVS.

11 Pontificis Romani summum in ecclesia principatum Cyprianus ignorauit: id quod ex hac ipsius illustrissima sententia facilè cognoscitur, Si enim omnes Apostoli idem erant, quod Petrus fuit, pari & honoris & potestatis consortio præditi, certum est omni modo æqualem reliquis Apostolis fuisse Petrum, & tum nullus pótifici Romano in ecclesias & Episcopos omnes dominatus relinquitur. Quicquid enim pontifex authoritatis habet, id totum Apostolo Petro acceptum refert. Verùm (inquis) quid Cyprianus de pontificis Romani authoritate senserit, plurimis locis ostendit, quod

Lib.4. epist. 2.

quod ego facilè agnosco, cùm illum videam de hac immensa authoritate nihil vnquã somniasse. Romanum enim episcopũ non aliter, quàm collegam, & coëpiscopum suum appellat, nec quicquam omnino scriptum vspiam reliquit, quod huius pontificiæ Monarchiæ vel leuissimam approbationem aut significationem præ se ferat. Nã quod affers ex epistola 55. id quidem nihilo magis ad Romanum pontificem, quàm quenquam alium vllius ecclesiæ Episcopum pertinet, quemadmodum pontificij ipsi iamdudum agnoscunt: quod etiam de illo loco Hieronymi statuendum est, quem cùm Hardingus ad pontificis authoritatem confirmandã afferret, in eo lapsũ esse Hardingũ Stapletonus cõfitetur. Itaq; mirari satis nequeo, quid tibi homini Iesuitæ in mentem venerit, vt explosas iampridem sententias, nimiumq; obsoleta patrũ testimonia nobis reponeres. Sed do veniam egestati tuæ.

Stapletonus contra Iuellum: arti. 4. pag. 25. Ibid. pag. 58

Iam verò doces quomodo Petro reliqui Apostoli pares fuerint, in quo te non satis fidelẽ Cypriani interpretem præbes. Quando enim hoc de potestate Euangelij prædicandi interpretaris, etsi planè constat, nullam aut Petro, aut vllis Apostolis aliam fuisse datam potestatem præterquã Euangelij annunciandi, tamen quando non tantùm ista potestate, sed etiam honore omnes Petro pares fuisse Cyprianus scribit, nihil omnino reliquit, in quo impares esse possent. Si enim Apostolos omnes Petrus authoritate superauit, tum quanquam erat Euangelij annunciandi par omnium potestas, tamen honoris summã inæquali-

Cypr. de Simplicit. prælat.

qualitatem fuisse manifestum est: omnes autem Petro non modò *potestate* sed *honore* etiam pares Cyprianus facit. Atq; hoc est, quod in eodē libro mox sequitur, *Episcopatus unus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur*: in quo omnes similiter Episcopos æquales esse pronunciat, quantumuis se pontifex Romanus singulari quodā modo Episcopum esse alijs vniuersis superiorem glorietur. In ijs autem, quæ pòst ex eodem Cypriano commemoras, Pamelium potiùs Cypriani deprauatorem, quàm Cyprianum sequeris. Nam illa verba, *Primatus Petro datur*, nolim quisquam existimet esse Cypriani, Sunt enim à Pamelio è margine in ipsam Cypriani orationem traducta, quemadmodum ex antiquis verisq; exemplaribus, ipsoque adeo Gratiano animaduerti potest. Quis non istam pontificiorum perfidiam & quiduis peruertendi immanem audaciam miretur, quos non pudet notissimas patrum sententias tam egregiè & palàm corrumpere?

Causa.24.q.1. Loquitur.

DVRAEVS, Fol.154.

Illud fortasse grauius, quod de appellatione ad Romanum pontificem adnectis. Sed ne omnino de appellatione eo loco quidquam agit. Ad Cornelium Cyprianus scribit in hunc modum, Cùm statutum sit omnibus, & æquum sit pariter ac iustum vt vniuscuiusque causa illic audiatur, vbi est crimen admissum, vt & accusatores habere, & testes sui criminis possint. *Ita enim à Fabiano, qui Cornelium præcessit, statutum erat. Nisi ea ætate omnibus fuisset persuasum supremum esse in terris Romani pontificis iudicium, quomodo vel Romam Fortunatus Felicissimum, aliosq; misisset: vel Cyprianus ipse tam seriò laborasset, vt illa causa Africæ fines non excederet?*

Whitakervs.

12 Si locus hic omnis Cypriani integrè & bona fide transcriptus à te fuisset, ipse per se tuas commentationes diluisset. Inuehitur in pseudoëpiscopos quosdam Cyprianus, qui cùm in Africa multis criminibus, atque Episcoporum iudicijs damnati fuissent, causam dicere Romæ de integro apud Cornelium Episcopum Romanum voluissent. Hanc illorum impudentiam Cyprianus, & illam iudicij Translationem, tanquam iniquissimam acerbissimè exagitat, atque in hunc modum scribit, *Cùm statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter ac iustum, vt vniuscuiusque causa, illic audiatur, vbi est crimen admissum, & singulis pastoribus portio gregis sit ascripta quam regat vnusquisque & gubernet, rationem sui actus domino redditurus, oportet vtique eos quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola, & fallaci temeritate collidere. Sed agere illic causam suam, vbi & accusatores habere, & testes sui criminis possint, nisi paucis desperatis & perditis minor videtur esse authoritas Episcoporum in Africa constitutorum.* Primum cuiusque causã illic audiri oportere docet, vbi crimen admissum fuit: Romæ ergo nulla crimina iudicanda sunt, nisi quæ Romæ sunt admissa: atque hoc modo non licebit ad Romanum pontificem prouocare. Si verò Romani pontificis supremum esse in terris iudicium Cyprianus existimasset, hanc horum Episcoporum delationem isto

Lib. 1. epist. 3

cer-

certè nomine nunquam improbasset. Nullam enim reprehensionem meretur, qui querelas suas ad legitimum iudicem defert. Deinde si *singulis pastoribus portio gregis ascribitur, quam vnusquisque regat actus sui rationē Domino redditurus*, quemadmodum Cyprianus ait, quis non videt nec totum gregem Romano pontifici cōmissum esse, nec illi reddendam esse administratæ huius prouinciæ rationem? Denique cùm illos desperatos & perditos vocat, qui minorē esse Episcoporum Africanorum, quàm exterorum authoritatem putant, supremā Romani pontificis potestatē non modò non agnoscit, sed cum summa etiam contumelia reijcit atq; auersatur. Ex his facilè iudicari potest, quid de Romani pontificis primatu Cyprianus senserit. De Fabiano quod affers Pamelium tuum sequutus, etsi nihil ad rem facit, tamen quia sumptum est de suppositititia Epistola, reijcio. Sed illud præclarum est, quòd ex ista pseudoepiscoporum Romanorum legatione, & Cypriani responsione, supremum Romani pontificis in terra iudicium arguis, quasi non tritum olim fuerit, qui se à domesticis Episcopis læsos iudicabant, ad alios Episcopos confugere, præsertim antequam propitius esset Episcopis magistratus. Tum si delatus falsò ad Collegam suum Cyprianus se diligenter purgauit, fingendúmne erit, id eum fecisse, quia illius supremum tribunal metuebat?

DVRAEVS, Fol. 155.

Ad Lactantium venio. Religio (*inquit*) nulla est vbicunque

cunque simulachrum est. *Non de Christianorum imaginibus, sed de infidelium idolis loquitur.* Religio (*inquit ille*) ex diuinis rebus est. Diuini autem nihil est nisi in cælestibus rebus: carent ergo religione simulachra, quia nihil potest esse cæleste in ea re, quæ fit ex terra. *Nihil ergo Lactantius, quàm nullam esse religionem, vbi quæ ex terra fiunt, pro dijs coluntur. Quis ignorat Iudæis sacrarum rerum imagines fuisse? Nisi fortè non legisti intra sancta sanctorum duos Cherubim aureos collocatos fuisse.*

WHITAKERVS.

13 Si pontificiæ imagines aliquid habent, quod ista Lactantij simulachra non habebant, de imaginibus vestris minimè loquutum esse Lactātium fatebor. Cùm verò nullam non modò cum idolis, sed ne cum simulachris religionem consistere posse dicat, & imagines istæ, quas defenditis, si non idola, tamen procul dubio sint simulachra, in regno pontificio tam pleno imaginum ac simulachrorum nullam iamdudum restare religionem constat. Num verò ita es imaginum tuarum specie formaque captus, vt eas diuinas, atq; ex cælesti, non terrena materia factas esse putes? Si ergo non minùs quàm veterum idola, vestra etiam ex terra fiunt simulachra, omnia hæc, itidē vti illa religione cultuque planè careant est necesse. Sunt enim vestræ imagines nihilo magis cælestes, quàm illorum simulachra. Nec debes nobis persuadere, id Lactantium Ethnicis vitio vertisse, quòd ista simulachra pro dijs coluissent. Nam in eodem libro priùs ipsos introduxerat suam idololatriam excusantes, quòd non illas statuas & simulachra, sed diuorum numina illis imagi-

Lactans. lib. 2. cap. 19.

Lactant. lib. 2. cap. 2.

maginibus expreſſa adorarent. Atque hæc eadem vobis etiam cõmunis eſt cum priſcis idololatris defenſio. Quid multis opus eſt? Concilij Eleberini antiquum decretum eiuſmodi extat, *Placuit picturas in eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur*. Hîc vides non idola tantùm, ſed veſtras etiam imagines diſertè prohiberi. Et quidem Lactantius nunquam fore putauit, vt Chriſtiani veterem Ethnichorum morem reuocarent, & ſanctam religionem profanis imaginibus contaminarent. Iudæis autem imagines fuiſſe non ignoro. Sed tu etiã nõ debes neſcire has à populi coſpectu remotas fuiſſe, atq; in templi ſecreto adyto poſitas, quò adire nulli præterquam ſummo ſacerdoti licuit. Illi enim *Cherubim* arcam fœderis in intimo ſacrario collocatam obtegebant: quem locum ingredi populo aut inſpicere nefas fuit. Tũ oſtende peculiare aliquod Dei de veſtris imaginibus præceptum, cuiuſmodi de illis extat, & nos facilè acquieſcemus. Sed qui has fieri præcepit, idem alias in vniuerſum omnes vetuit.

Concil. Elebert. Canon. 36.

DVRAEVS, Fol. 156.

Athanaſiũ adiungis, quem traditionum eccleſiaſticarum oppugnatorem videri vis, tanta profectò impudentia, vt me tui valdè pudeat. Athanaſius (*inquis*) ſacras & diuinitus inſpiratas ſcripturas ad omnem veritatis inſtitutionem ſufficere affirmat, in quo veſtras illas traditionum copias vno dicto fugauit. *Nónne te impoſtorem eſſe Academici meritò clamabunt?* Sufficiunt quidem per ſe (*inquit*) tum ſacræ & diuinitus inſpiratę ſcripturę ad veritatis indicationem, tùm plurimi de eadem re libri à ſanctiſſimis magiſtris conſcripti, quos

si quis euoluat, intelliget aliquo modo scripturarum mentem. *An non vides scripturis sacris patrum monimenta adiungi?*

Whitakervs.

14 Video sanè Duræe, & te hîc sine causa acerbum fuisse intelligo. Sed hoc tibi in more positum est, quando perspicuis sententijs vrgeris ad contumelias confugere. Quid enim? Negare potes ab Athanasio disertè scribi, *Scripturas ad veritatis indicationem sufficere*? Nisi id Athanasius suis verbis affirmet, fuisse me impudentem & impostorem fatebor: Sin hoc ab Athanasio clarissimè dicitur, quid istis opus erat verborum conuitijs? Libros quidem à sanctissimis magistris conscriptos Athanasius cum scripturis in hac orationis complexione copulat: sed non aliter, quàm vt scripturarum duntaxat interpretes. Sic enim ait, *Quos si quis euoluat, intelliget aliquo modo scripturarum mentem.* Si legendis patrum commentarijs mentem scripturarum aliquo modo intelligimus, num hinc concludes scripturas non sufficere ad veritatis indicationem? At *per se sufficere scripturas* Athanasius testatur: libros tamen patrum legi posse scribit, non vt traditiones à scripturis alienas colligamus, sed vt scripturarum mentem discamus. Quis apertiorem sententiam desideret? Sed ipsum loquentem Athanasium audiamus. Hæc ipsius in principio libri verba sunt; *Pia quidem religionis & veritatis de vniuerso ratio cognitióque*

Athanas. contra idola ad Macarium in initio.

nitióque non tam indiget humana institutione, quàm ipsa se suis notis, indicijsq; prodit: quum propè quotidie ipsis id operibus clamitet, & per Christi doctrinam sole clariùs sese demonstret: tibi tamen Macari de ea audiendi cupido, age pauca de fide Christi pro viribus nostris in medium adducamus. Hæc cùm ita sint, tibi certè, non mihi nostrorum Academicorum judicia pertimescenda sunt.

DVRAEVS, Fol. 156.

Epiphanius sequitur: qui stultas quasdam (*inquis*) mulierculas exagitat, quę Mariam nouo quodam religionis genere coluerunt. *τὴν μαρίαν (inquis) μηδεὶς προσκυνείτω. Vbi nihil contra sanctorum cultum, sed eas tantùm reprehendit mulieres, quæ Mariæ tanquam Deæ sacrificia offerebant. Hunc errorem ita confutat, ut neque ex nouo Testamento fœminis, neque etiam Diaconis, sed solis sacerdotibus sacrificij offerendi potestatem diuinitus esse concessam ostendat. Impudens verò est, quam mox adiungis calumnia. Nemo enim Catholicus vel sacra facit, vel vota virgini, sed Deo soli & sacrificamus & certè vouemus, quamuis in virginis & sanctorum honorem, vt beatus olim Augustinus Manichæis respondit lib. 8. de Ciuit. c. 27. & contra Faust. Manich. lib. 20. c. 21. Quemadmodum igitur stultus ille mulierculárum error Epiphanio visus est: ita vestram hæresim, quæ honore illo, quo semper eam Christianus populus prosequutus est, spoliatis eodem sanè modo damnauit.*

WHITAKERVS.

15 Nihil hîc contra sanctorum cultum scripsit Epiphanius? Quis id præter te diceret? at quid sibi illa volunt omnia, quæ contra istas mulierculas disputantur? Si enim hanc harum mulier- *Epiphan. hæres. 79.*
cularum nouam religionem damnatam ab Epi-

 phanio

phanio esse putas, quia eam non viri, sed fœminæ procurabant, tibi ipse respondeat Epiphanius, οὐ λέγω γυναιξὶ, ἀλλ' οὐδὲ ἀνδράσι: in quo istam superstitionem non modò in fœminis, sed etiam in viris improbat. Verùm vt de *collyride* taceamus, quam nec in viris, nec in fœminis defendes, non modò sacrificium sanctis factum, sed sanctorum etiam venerationem atque adorationem ab Epiphanio damnari perspicuum est. Sic enim Epiphanius postquam de quibusdam præstantissimis hominibus meminit, tandem concludit, οὔτις τῶν ἁγίων προσκυνεῖται: *Nullus denique sanctorum* (inquit) *adoratur. Non enim nobis antiquus error dominabitur, vt relinquamus viuentem, & adoremus, quæ ab illo facta sunt.* Quid autem aliud est προσκυνεῖν, quàm nos ipsos supplices prosternere, atque abijcere, & sancto honore alium colere? Quod cùm soli Deo debeatur, à vobis ad Mariam, innumerosq; sanctos impiè transfertur: nisi id fortè à vobis fieri negabis, quod incredibili quadam εἰδωλομανίας superstitione fieri totus mundus testatur. *Verùm* (inquis) *nemo Catholicus vel sacra facit, vel vota virgini.* Fateris tamē ista in honorem virginis & sanctorum fieri. Cuiusmodi autem quæso est, sacrificia & vota facere Deo in honorem sanctorum? Liceat mihi abs te quærere, quod ab istis fœminis, de quibus verba facimus, quæsiuit Epiphanius: ποία τις γραφὴ διηγήσατο περὶ τούτου? *Quæ scriptura aliquid de hac re narrauit?* Tum responde, Missæ vestræ num Mariæ, aut pro Maria offeruntur? Sic enim illas Epiphanius aggreditur, quod vobis perinde conuenit,

Alterum

Alterum enim est necesse, vt vestra hæc Missarum & collyridum tam crebra sacrificia, vel Mariæ, vel propter Mariam fiant. Vtrumque autem (inquit Epiphanius) *stultum est, & alienum, & à dæmonum spiritu profectum.* Preces autem & vota virgini à vobis cunctisque Diuis fieri quis ignorat? Quotus enim quisque est in vestro regno, nisi aut nimium auarus, aut parùm superstitiosus, qui non aliquid sancto alicui, inprimis Mariæ vouerit? Num ista nuper apud vos vota desierunt? Augustino verò iniuriam facis, quando id illum dicere fingis, quod nunquam cogitauit. Vbi enim scribit Augustinus, *Christianos Deo sacrificare, & vouere solitos in honorem sanctorum?* Fiebant quidem sacra olim ad martyrum monimenta: sed ea ad Dei, non martyrum honorem cultumq; spectabant. Postremò nec Mariæ, nec cuiquam sancto eum honorem denegamus, quem illis scriptura tribuit. Est enim illorum apud nos, semperq; erit sanctissima memoria, & illud Epiphanij eodem in loco libenter vsurpamus; ἐν τιμῇ ἔστω μαρία, ὁ δὲ πατὴρ καὶ υἱὸς, καὶ ἅγιον πνεῦμα προσκυνείσθω; τὴν μαρίαν μηδεὶς προσκυνείτω.

DVRAEVS, Fol. 157.

Venio nunc ad Basilium Epist. 80. ad populum Neocæsar. Ille (*ais*) author est, in more positum fuisse cunctis Ecclesijs illo tempore, vt populus Psalmos in sacro cœtu recitaret. *Non ait cunctis Ecclesijs positum fuisse in more vt populus Psalmos recitaret. Rebus postea in melius commutatis, hic mos non immeritò sublatus est. In Laodiceno Concilio statutum legimus, vt præter Canonicos psaltas nemo in Ecclesia psallat, can. 15. At in*

veſtris Eccleſijs (*ais*) populus audire & intelligere ea non poteſt, quæ leguntur: *quaſi publicæ precationes Eccleſiæ niſi à populo intelligantur, nihil illi prodeſſe poſſint. Quid hoc ſomnio ſtultius, quid abſurdius fingi poteſt? Vt de Orientali Eccleſia dicam, in occidentali Eccleſia nunquam profectò publica Eccleſiæ officia aut precationes publicas alia quàm Latina habitas inuenies. Ante quingentos annos Gregorius ſeptimus Bohemiæ duci poſtulanti, vt vulgari idiomate diuina peragerentur officia, negauit.* Quod vniuerſa tenet Eccleſia (*vt inquit Auguſtinus*) quomodo ab Apoſtolica traditione manaſſe dubitabimus? *Ex Auguſtino diſce quanta ſemper religione Chriſtiani Hebraïcam illam vocem,* Amen, *retinuerint.*

WHITAKERVS.

16 De illo antiquo ψαλμῳδίας more non contendam vehementer, cuius ob eam cauſam feci mentionem, vt ſacra publica ſermone noto facta olim fuiſſe conuincerem. Si enim populus potuit in Eccleſia ἀντιψάλλειν ἀλλήλοις quemadmodum ſcribit Baſilius, non ignarum illius linguæ, qua in publicis officijs Eccleſia vſa eſt, fuiſſe populū ſatis cōſtat. At in pontificijs Eccleſijs nec populus, nec plerumq; ſacerdos quicquā intelligit eorū, quæ leguntur. Quid diſſentaneum magis eſſe, fingíue potuit? Quòd autem negas Baſilium affirmare, id cunctis Eccleſijs in more poſitum fuiſſe, Baſilium quantum video non legiſti. Si enim Baſilij hanc Epiſtolam non ad populum, vt tu ais, ſed ad Clericos Neocęſarienſes ſcriptam inſpicies, hæc in eodem loco verba reperies, *Mos qui nunc obtinet, omnibus Dei Eccleſijs conſonus eſt & conſentaneus.* Tum Aegyptios, Afros, Thebanos, Palæſtinos, Arabas, Phænices, Syros, Caldæos commemorat, & quicunque pſalmo-

Baſil. in Epiſt. ad Clericos Neocæſar.

πάσαις ταῖς τοῦ θεοῦ ἐκκλησίαις συνῳδά ἐστι καὶ σύμφωνα.

psalmodias celebrant. Quid autem preces populo prodesse possint, quas populus non intelligit, ego me non posse diuinare fateor. Tuum erat hoc somnium, quod stultum & absurdum vocas, aliqua scripturarum vel rationis luce discutere. Nos cum Apostolo somniare, quàm tecum vigilare malumus. Sic enim Paulus scribit, *Qui loquitur lingua* ignota, *non hominibus loquitur, sed Deo:* nec quenquā præterquā se ipsum ædificat, nisi interpretatio accesserit. *Quare* (inquit) *si veniam ad vos linguis loquens, quid vobis prodero?* In quo linguæ incognitæ nullum esse fructum perspicuè docet, nisi vestræ linguæ quàm Apostoli vim quandam diuiniorem nactæ sunt. Chrysostomus ait, *Quæ vtilitas esse ex voce non intellecta potest?* Hic mihi Orientalem, atque Occidentalem Ecclesiam obijcis, cùm tamen nullum possis cuiusquam Ecclesiæ, vel Orientalis, vel Occidentalis exemplum commemorare, quæ ante sexcentos à Christo annos sacra publica sermone incognito fecerit. Itaque Gregorium septimum introducis post mille annos natum, & quædam Augustini fragmenta ab instituto prorsus aliena. Quasi aut hunc morem vniuersa Christi Ecclesia semper tenuerit, vt populus preces publicas ignoraret: aut quia vox Hebraïca, *Amen*, & aliæ quædam consimiles omnium linguis tritæ erant, proinde publicè omnia populo lingua externa & ignota proponebantur. Quis te isto modo docuit argumentari, vel potius somniare?

1. Cor. 14. 2. 4. 5. 6.

Chrysost. in 1. Cor. homil. 33.

DVRAE-

DVRAEVS, Fol. 158.

Basilium apud te sequitur Nazianzenus. Hic de vita hac ciuili non minùs honorificè, quàm de illa Monachorum solitaria (*inquis*) iudicat. *At neque id Gregorius sensit aliquando, quod tu illi falsò ascribis. Eodem enim in loco monasticam ille vitā præclaram & humana conditione superiorem appellat. In eadem sententia Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, cæteriq; veteres doctores ac pastores fuerunt. Vt tibi de Nazianzeno respondeam ciuilem ille vitam, non communem illam Christianorum, sed eam quæ tota in caritatis officijs erga proximum exercendis occupata est appellauit, vulgò actiuam vocamus: quam hac sanè de causa solitariæ interdum anteponendam dixit, quòd maior ex illa ad quàm plurimos vtilitas manaret.*

WHITAKERVS.

17 Quid pleriq; patres de vita monastica senserint, ad istam causam nihil pertinet. Itaque non erat opus vt veterum patrum de monachorum instituto, vitæque genere iudicium commemorares, quod quanquam est in se satis incommodum, vestros tamen monachos non attingit, quales si quos in Ecclesia futuros prisci patres præuidissent, eos iamdudum, vt isto nomine indignissimos, è suis lustris extrudi præcepissent. Nunc id agitur num vitam κοινωνικὴν Nazianzenus ἐρημικῇ exæquet, quod tu negas, ego facilè ex ipsis verbis ostendam. Hieronem philosophum ait id primum sibi proposuisse, *vt viarum nostrarum vtra optatior & vtilior esset*, cognosceret, eamq; deligeret. Cùm autem nostrûm quemq; non sibi tantùm, sed omnibus etiam alijs natum sciret, qui

Nazianzen. de Hierone philoso.

sunt

sunt eiusdem naturæ participes, hanc potiùs vitam communem, quàm illam solitariam amplexus est. Quis iam negare potest hanc vitam sic cum illa comparari, vt hæc illi præponatur, hominiq; Christiano magis consentanea iudicetur? Et quanquam laudatur altera vita, vt eximia, & plusquam humana, tamen (vt inquit Nazianzenus) non latiùs, quàm ad ipsos solos patet, qui eam sequuntur, ob quam causam minùs fructuosa est. Verùm *ciuilem vitam, non communem* (inquis) *Christianorum vocat*. Et quæ est vita ciuilis, nisi hæc Christianorum communis? Ea nimirum ais, quæ tota in charitatis officijs occupata est. Quasi hæc illa non sit, quæ omnibus Christianis communis esse debeat. Sic enim hæc hominum societas tuenda est, vt charitati semper mutuisq; officijs inseruiamus, in quo illi veteres Monachi vel maximè peccarunt, dum vitam hanc communem necessarijs adiumentis priuarent, & quæ illis Dominus ad publicum totius Ecclesię beneficium dona contulerat, hæc illi procul ab hominum consortio remouerent.

DVRAEVS, Fol. 159.

Quid verò Ambrosius aduersum nos scripsit? In illos acerbissimè inuehitur (*inquis*) qui sibi putant esse necessarium, quando ad Deum accedere volunt, suffragatorem priùs adhibere. *Facilis est & expedita responsio. Illos suffragatores appellas, qui principi, qualis quisque sit, exponunt. Neque nos adeo stupidos esse velim existimes, vt hoc modo sanctos nobis suffragatores quæramus, sed cum Ambrosio ipso intercessores tantùm pro nobis esse optamus. Ambros. de Viduis.*

WHITA-

18 Expedita ista est, vt dicis responsio, sed aliena. Suffragatore nobis Ambrosius opus esse negat, quando ad Deum accedimus, quia Deum nihil latet: ad reges autem per tribunos & comites itur, cùm homines sint & multa nesciant. *Suffragatores* (inquis) *appellat, qui qualis quisque sit exponunt*. Quasi Deus minùs intelligat quid petamus, quàm quales simus. Si verò nulli suffragatores necessarij sint, qui nos Deo commendent, & quales homines simus exponant, cùm ipse nos totos penitus norit, num opus erit, vt aliquos quæramus & comparemus *intercessores*, qui nostras ad Deum petitiones precesq; perferant? At hoc illud est quod Ambrosius summæ dementiæ atque impietatis accusat. Sic enim habet: *Age, numquid tam demens est aliquis, vt honorificentiam regis vendicet comiti? Et isti se non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ & relicto Domino conseruos adorant, quasi sit aliquid plus quod reseruetur Deo.* Qui ergo sanctos inuocant & adorant, quod vos factitatis, ij Deum honore suo spoliant. Tuam verò distinctionem nostri Academici non agnoscunt *intercessionis & suffragationis*. Sanctos (inquis) non suffragatores, sed intercessores quærimus. At quænam ista est nisi suffragationis intercessio? Aut quid aliud à sanctis postulatis, quàm vt vobis apud Deum suffragentur? Aut quam suffragationem intellexit Ambrosius, nisi intercessionem, cùm dixit, *Suffragatore non opus est, sed mente de-*

Ambros. in Rom. cap. 1.

notat? Quid alibi scripserit Ambrosius, id ipse viderit. Mihi illius quodque dictum non est præstandum, præsertim quale hoc est, quod hic proponis, quo nihil Ambrosio indignius fingi potuit. Repete enim paulisper tecum hanc Ambrosij sententiam, quam affers, *Possunt martyres pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam si qua habuerunt peccata, lauerunt.* Si hoc recipimus, quid ni Christi sanguinem missum facimus? *Ambros. de Viduis.*

DVRAEVS, Fol. 160.

De Hieronymo sic scribis, Hieronymus in vestrum pontificem, & vestros illos splendidos Episcopos nimium contumeliosus fuit, quando presbyterum & Episcopum iure diuino eundem esse scribit. *Bona verba quæso. Nunquam enim dubitauit Hieronymus inter Episcopum ac presbyterum etiam iure diuino discrimen esse maximum. Nam ad Euagrium scribens, hoc inter presbyteros, Episcopos, & diaconos interesse docet, quod in veteri Testamento inter Aaronem, ac filios eius, ac Leuitas interfuit. Et eodem loco,* Quid (*inquit*) potest Episcopus, quod non potest presbyter excepta ordinatione? *Neque ignorare Hieronymus potuit, Aërium hæreseos damnatum fuisse, quòd inter Episcopum ac presbyterum discrimen esse nullum dixerit. Aequalitas illa ad iurisdictionem pertinet, non ad ordinis potestatem.*

WHITAKERVS.

19 Non debes tam confidenter affirmare, quod palàm falsum esse omnes perspiciunt, si vis verecũdi Theologi existimationẽ retinere. Quid enim tam notum est, quàm hoc ipsum, quod non agnoscis? Verba Hieronymi in initio epistolæ sũt. *Hieron. ad Euagr.*
Audio quẽdã in tantã erupisse vecordiã, vt diaconos presby-

presbyteris, id est, Episcopis anteferret. Nam cùm Apostolus perspicuè doceat eosdem esse presbyteros quos Episcopos, quid patitur mensarum & viduarum minister, &c. Annon eosdem esse presbyteros ac Episcopos apertè scribit? Atque hanc sententiam multis deinde scripturæ testimonijs confirmat, vt illum de diuina lege & sanctione loqui intelligas. Si locum illustriorem postulas, consule eiusdem in epistolam ad Titum commentarios, in quibus ad hunc modum scribit, *Sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei qui sibi præpositus fuerit esse subiectos: ita Episcopi nouerint se magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate presbyteris esse maiores.* Si Episcopi *consuetudine* non *dispositione Dominica* presbyteris maiores sunt, tum humano non diuino iure totum hoc discrimen constat. Quod autem affers ex eadem Epistola, ad humanam, non diuinam constitutionem pertinet. Etsi enim ortu suo ijdē erant ambo, *Postea tamen* (inquit Hieronymus) *vnus electus est, qui cæteris præponeretur*: atque inde natum est illud Episcopi ac presbyteri discrimen. Aërius verò si hæreticus fuit, Hieronymum eiusdem hæreseωs affinem fuisse sequitur. Quorum enim causa eadem est, eorum esse pœnam similem oportet. Eandem Aërius, quam Hieronymus sententiam ijsdem planè scripturis defendit, quem Epiphanius frigidissimis rationibus refellit. Dic ergo quamobrem ille fuerit hæreticus, hic non fuerit, si potes. Iam illud meam expectationem superat, quod presbyteros Episcopis iurisdictione æquales fuisse concedis. Si enim iure diuino

Hieron. in 1 cap. ad Tit.

diuino presbyteri parem atque eandem habent cùm Episcopis iurisdictionem, igitur illa inæqualis cum aliorum Episcoporum, tum inprimis Romani pontificis iurisdictio humano tantùm iure nititur. Atque hanc tibi nec opinanti veram arbitror confessionem excidisse.

DVRAEVS, Fol. 161.162.163.

Iam de Gelasio quæ tua est sententia? Gelasius pontifex ipse Romanus cœnam vestram siccam & parte altera diminutam sacrilegij damnat, seueréque præcipit vt integra vel sumatur, vel omittatur. *Vobis profanam vestram cœnam relinquimus, in qua nihil est, quod non Iudæi & Turci in suis etiam cœnis habeant. Vt tibi respondeam, totis penè quadringentis annis Christiano populo liberum erat sub vtraque specie Eucharistiam sumere, sed ita tamen, vt nullo ad id præcepto quisquam astringeretur. Quis enim nescit in suis olim ædibus Christianos Eucharistiam quam quotidie sumerent in arcis seruaße? Tertullian. lib. 2. ad vxorem. Cyprian. serm. 5. de lapsis. Ambros. in orat. funeb. de Satyro. Nota est etiam Eusebij de Serapione historia lib. 6. cap. 36. Est & apud Prosperum historia de puella. lib. 4. cap. 6. de promiss. & prædict. Celeberrimum est etiam Nestorianæ illius mulieris factum. Sozom. lib. 8. cap. 5. Quid plura? Quod de abstemijs Romæ virginibus scribit Hieronymus, satis ostendit nullam tunc Romæ Eucharistiæ sub vtraque specie sumendæ necessitatem fuiße. Ne Manichæi, qui impia quadam superstitione sese à sanguine abstinebant, latêrè inter Catholicos possent, præcepit Leo pontifex vt Catholicorum nemo à Christi sanguine abstineret, Serm. 4. de Quadr. Quid ergo mirum si quartus post Leonem Gelasius, quod ab illo sancitum fuerat, sua deinceps authoritate confirmarit? Quanquam non deeße scio, qui de solis hîc sacerdotibus Gelasium loqui existiment.*

WHITAKERVS.

20 Blasphemiam de Iudæis & Turcis tuam prætermitto. Nobis cœna talis est, qualem Chri-

ſtus inſtituit, Apoſtoli ſanxerunt, vetus ſexcentorum annorum Eccleſia celebrauit. In noſtris cœnis mortem Chriſti, quemadmodum ipſe præcepit, annunciamus, quod in ſuis, opinor, Iudæi Turciq; cœnis nunquam faciunt. Aut doce noſtris cœnis aliquid deeſſe, quod Chriſtus in ſuis perpetuum eſſe voluit, aut fatere hanc contumeliam in Chriſti cœnam, ipſumq; Chriſtum redundare. Nam σαρκοφαγίαν veſtram, atque ἀνθρωποφαγίαν nihil eſt quòd in noſtris cœnis requiras, quā meritò nos Iudæorum potiùs & Turcorū, quàm populi Chriſtiani cœna dignā iudicamus. Sed quid Gelaſio reſpondeas videamus. Et primùm concedis totis penè *quadringentis annis populo Chriſtiano liberum fuiſſe ſub vtraq; ſpecie Euchariſtiam ſumere*, cùm tamen ſatis ſcias id nunquā ante Conſtantienſe concilium poſt annos mille quadringentos habitum non licuiſſe. Sexcentis verò poſt Chriſtū annis ſummi inſtar prodigij fuiſſet, ſi quis cœnā Dominicam iſto modo mutilaſſet. Verùm quod annis quadringentis tua confeſſione liberum fuit, cur Conſtantienſis ſynodus tam multis pòſt ſeculis non permiſit liberum remanere? Quid enim cauſæ eſſe potuit, quo minus ſēper valeret, ꝙ optimis eccleſię temporibus vſitatū fuit? Conſtantienſes patres aliquid viderunt, quod Chriſtum, ꝙ Apoſtolos, quod quadringentorū annorū Epiſcopos latuit, præſertim in hoc tam ſancto, tā auguſto, tam celebri myſterio? Explica nobis ſi potes probabilē huius mutationis poſt tā multos annos rationē. Hiſtorijs hoc loco abundas, quibus ego ſigillatim reſponderē, niſi illas nulla reſponſione

dignas

dignas esse scirem. Quærimus enim de publico Ecclesiæ more, qualē nunc videmus in Ecclesia pontificia receptum esse. Tu mihi quorundā priuata exēpla proponis, & quid illi domi suæ fecerint, cōmemoras. In quo tamen non attendis argumenti tui vitium. Num enim sequitur, si panē isti domi sumpserunt, vinum igitur non sumpserunt? At contrà ex Nazianzeno vtrāq; olim sacramenti partē domi seruatā sumptamq; esse cōstat. Sic enim de Gorgonia Sorore scribit, εἴπου τι τῶν ἀντιτύπων τοῦ τιμίου σώματος ἢ τοῦ αἵματος ἡ χεὶρ ἐθησαύρισεν. Et Exuperium Hieronymus testis est corpus Domini in canistro, sanguinē in vitro circūtulisse. Ita Iustinus scribit vtrāq; partē ad absentes delatam à Diaconis fuisse. Tum Satyrū Ambrosius non pane tantùm, sed vino etiā vsum esse apertè indicat. Ait enim Satyrum fratrem, *id quod orario inuolueret ore sumpsisse, & fusum in viscera hausisse*, quod de vino intelligamus est necesse. Nestoriana mulier si potuit in pane fraudē adhibere, quid ni etiam similiter facere eam putemus in poculo potuisse? Sed iam missis coniecturis, quibus vti in re tanta non oportet, ad Gelasij decretū veniamus. *Aut integra sacramenta* (inquit Gelasius) *percipiant, aut ab integris abstineant*. De Manichæis (inquis) Leonem sequutus Gelasius legem tulit. Hoc quanquam cum Gratiano pugnat, tamen recipiamus. Et quis negabit causam pontificiam præclarè à te defensam esse, qui diminutæ & pontificiæ cœnæ primos authores facis Manichæos? Siccine Romanam Ecclesiam decuit cœnam Catholicam cum hæretica cōmutare,

Nazianzen. de Gorgon. Sorore.

Hieron. ad Rusticum.

Iustin. in Apolog. 2.

De consecrat. dist. 2. Comperimus.

& Manichæorum ſacrilegium imitari? Ita enim Gelaſius hanc ſacramenti dilacerationem cum ſummo ſacrilegio coniunctam eſſe teſtatur, à quocunque ea tandem fiat. Hæc eius verba ſunt, *Quoniam diuiſio vnius eiuſdem myſterij ſine grandi ſacrilegio non poteſt peruenire.* Quiſquis ergo myſterium diuidit, quod ij faciunt, qui à calice abſtinent, is ſe grandi ſacrilegio obſtringit. In quo vides pontificiam omnem Eccleſiã ſacrilegij & ſceleris à pontifice condemnari. Quòd autem ſcire te dicis non deeſſe, qui de ſolis ſacerdotibus loquutum Gelaſium exiſtiment, rectè facis, qui hac defenſione vti nolis. Eſt enim ſanè incredibilis, nec antiquitatis teſtimonio confirmari poteſt.

DVRAEVS, Fol. 164.

Vigilius (*inquis*) Chriſti humanam naturam à nobis abijſſe ſcribit. *Ignoras videlicet de Chriſti in cælum aſcenſione loqui Vigilium, vt nihil illi ſit aliud receſſiße Chriſtum à nobis, quàm in cælum aſcendiße, & aſpectabilem ſuæ humanitatis præſentiam mundo ſubtraxiſſe. Chryſoſtomum audite, qui admirari ſatis non poteſt Chriſti in Euchariſtia potentiam,* qui eodem temporis articulo in cælo eſt, & hominum manibus in terris tractatur. *lib. 3. de Sacerdot. Et alio loco ad illud de Heliæ pallio elegantiſſimè alludit: hom. 2. ad populum Antioch. Chriſtus ait, hæc loquutus ſum vobis cùm eſſem vobiſcum: non ergo mirum ſi ob aſpectabilem quam ab oculis hominum in cælum ſuſtulit formam, receſſiſſe Chriſtum patres affirment. Quid quod ipſe Vigilius quod frumentum, vinum & oleum in veteri teſtamento, chriſma, ac corpus, ac ſanguinem Chriſti præfigurari in Euchariſtia apertè dixit? lib. 3. contra Eutychem.*

WHITA-

WHITAKERVS.

21 De Christi humana natura loqui ~~Gela-~~ Vigi-
sium intelligo, quam Eutyches in diuinam prorsus abijsse impiè docuit. Et quid magis Eutychi aptum fuisset, quàm vestræ transsubstantiationis commentum, si quidem temporibus illis percrebuisset? Vigilius autem & reliqui etiam patres Christi humanitatem contra hæc opinionum portenta diligentissimè defendunt. Atq; vt intelligas nostrum Vigilium, & verè quidẽ nostrũ, non de aspectabili corporis Christi præsentia, sed de ipso Christi corpore loquutum esse, sic mox in eodem loco subiungit, *Est igitur nobiscum, & non nobiscum, quia quos reliquit, & à quibus discessit humanitate sua, nõ reliquit, nec deseruit diuinitate sua.* Vigil. lib. 1.
Nónne id palàm pro Eutyche fecisset, si Christi occulta in nobis humanitas latuisset? Quid enim inter diuinitatem atq; humanitatẽ Christi interest, si vt illa adest nec aspicitur: sic ista nobiscum versatur, sed sensum oculorum fugit? Hoccine est hæreticum confutare, vel potiùs ad hæreticorum castra apertè transire? Sed audi loquentem iterũ Vigilium, *Quando in terra fuit, non erat vtique in cælo; & nunc quia in cælo est, non est vtique in terra.* Et mox, *Apparet vnum eundemq́, Christum vtriusque esse naturæ, & esse quidem vbique secundùm naturam diuinitatis suæ, & loco contineri* (non secundùm aspectabilem præsentiam corporis sui, sed) *secundùm naturam humanitatis suæ. Circumscribitur loco secundùm naturam carnis suæ,* Vigil. lib. 4. contra Eutychem.

 &

& Manichæorum ſacrilegium imitari? Ita enim Gelaſius hanc ſacramenti dilacerationem cum ſummo ſacrilegio coniunctam eſſe teſtatur, à quocunque ea tandem fiat. Hæc eius verba ſunt, *Quoniam diuiſio vnius eiuſdem myſterij ſine grandi ſacrilegio non poteſt peruenire.* Quiſquis ergo myſterium diuidit, quod ij faciunt, qui à calice abſtinent, is ſe grandi ſacrilegio obſtringit. In quo vides pontificiam omnem Eccleſiã ſacrilegij & ſceleris à pontifice condemnari. Quòd autem ſcire te dicis non deeſſe, qui de ſolis ſacerdotibus loquutum Gelaſium exiſtiment, rectè facis, qui hac defenſione vti nolis. Eſt enim ſanè incredibilis, nec antiquitatis teſtimonio confirmari poteſt.

DVRAEVS, Fol. 164.

Vigilius (*inquis*) Chriſti humanam naturam à nobis abijſſe ſcribit. *Ignoras videlicet de Chriſti in cælum aſcenſione loqui Vigilium, vt nihil illi ſit aliud receſſiße Chriſtum à nobis, quàm in cælum aſcendiße, & aſpectabilem ſuæ humanitatis præſentiam mundo ſubtraxiſſe. Chryſoſtomum audite, qui admirari ſatis non poteſt Chriſti in Euchariſtia potentiam,* qui eodem temporis articulo in cælo eſt, & hominum manibus in terris tractatur. *lib. 3. de Sacerdot. Et alio loco ad illud de Heliæ pallio elegantiſſimè alludit: hom. 2. ad populum Antioch. Chriſtus ait, hæc loquutus ſum vobis cùm eſſem vobiſcum: non ergo mirum ſi ob aſpectabilem quam ab oculis hominum in cælum ſuſtulit formam, receſſiſſe Chriſtum patres affirment. Quid quod ipſe Vigilius quod frumentum, vinum & oleum in veteri teſtamento, chriſma, ac corpus, ac ſanguinem Chriſti præfigurari in Euchariſtia apertè dixit? lib. 3. contra Eutychem.*

WHITA-

WHITAKERVS.

21 De Christi humana natura loqui Gela-sium intelligo, quam Eutyches in diuinam prorsus abijsse impiè docuit. Et quid magis Eutychi aptum fuisset, quàm vestræ transsubstantiationis commentum, si quidem temporibus illis percrebuisset? Vigilius autem & reliqui etiam patres Christi humanitatem contra hæc opinionum portenta diligentissimè defendunt. Atq; vt intelligas nostrum Vigilium, & verè quidẽ nostrũ, non de aspectabili corporis Christi præsentia, sed de ipso Christi corpore loquutum esse, sic mox in eodem loco subiungit, *Est igitur nobiscum, & non nobiscum, quia quos reliquit, & à quibus discessit humanitate sua, nõ reliquit, nec deseruit diuinitate sua.* Nónne id palàm pro Eutyche fecisset, si Christi occulta in nobis humanitas latuisset? Quid enim inter diuinitatem atq; humanitatẽ Christi interest, si vt illa adest nec aspicitur: sic ista nobiscum versatur, sed sensum oculorum fugit? Hoccine est hæreticum confutare, vel potiùs ad hæreticorum castra apertè transire? Sed audi loquentem iterũ Vigilium, *Quando in terra fuit, non erat vtique in cælo; & nunc quia in cælo est, non est vtique in terra.* Et mox, *Apparet vnum eundemq́ Christum vtriusque esse naturæ, & esse quidem vbique secundùm naturam diuinitatis suæ, & loco contineri* (non secundùm aspectabilem præsentiam corporis sui, sed) *secundùm naturam humanitatis suæ. Circumscribitur loco secundùm naturam carnis suæ,*

Vigil. lib. 1.

Vigil. lib. 4. contra Eutychem.

 &

& non capitur loco per naturam diuinitatis suæ. Hæc est fides & confessio Catholica, quã Apostoli tradiderunt, Martyres roborauerunt, & fideles nunc vsque custodiunt. Cùm hæc fides & confessio sit catholica, eadem vos non esse Catholicos demonstrat, cùm longè aliter de humana Christi natura sentiatis. Hìc mihi duas Chrysostomi tritas sententias obtrudis. De prima antè responsum est: de altera, quis dubitat Christum suam nobis carnem reliquisse, eamque à nobis in mysterio verè percipi? Et quemadmodum pallium Eliæ fuit Elias: sic sacramentum Christi Christus est. *Erat enim* (inquit Chrysostomus) *sursum Elias, erat deorsum Elias*: & tamen interim Elias non nisi vnum corpus habuit. Ita est Christi corpus in cælo, & tamen idem à nobis in cœna Dominica per fidem sumitur. Quid tibi nunc Eliæ pallium profuit?

Luc.24.44. Verùm (inquis) si Christus dixit, Hæc loquutus sum vobis, cùm adhuc vobiscum essem, non mirum est si patres illũ recessisse dixerint ob aspectabilem, quam in cælum sustulit formam. Quid audio? Quis vnquam pater aliam esse corporis Christi formam, quàm aspectabilem dixit? Iam ergo quin duplex Christi corpus sit, negare non potes, si tibi ipse constas. Est enim aliud corpus quod formam aspectabilem habet, aliud quod spectari nullo modo potest. Idem enim & spectari, & non spectari simul est ἀδύνατον. Nam (vt inquit Vigilius) *Una natura contrarium quid & diuersum non recipit in seipsa.* Sed si rectè colligis, etiam præsentem & aspectabilem abijsse

Lib.4.

se

ſe Chriſtum patres dicere potuerunt. Cùm enim iſta Chriſtus dixit, in Apoſtolorum cœtu fuit, eúmque illi præſentem ſpectarunt. Quod è Vigilio adducis, libenter agnoſco. Corpus enim & ſanguis Chriſti priſcis veteris Teſtamenti ſymbolis adumbratur, & in nouis ſacramentis percipitur. Quorſum hoc ad carnalem præſentiam, & pontificiam *μετουσίαν*?

DVRAEVS, Fol. 165. 166. 167.

Multum fortaſſe aduerſum nos ponderis habet, quod ex beato profers Chryſoſtomo, cùm ais, Chryſoſtomus homines Laïcos totúmque populum hortatur, vt ſibi ſacra biblia compararent, ſcripturas legant, domi vir &c. At hoc in veſtra Eccleſia fieri nec poteſt, nec licet, &c. *Nos neque ſacrarum literarum lectionem populo interdicimus, neque hæreticos eſſe, qui eas legunt, cenſemus. Tridentina ſynodus ſapienter decreuit, in indice librorum prohibitorum. Reg. 4. Neque enim in veteri ſynagoga vel Cantica Canticorum, vel prima Geneſeos capita, vel principium ac finis Ezechielis cuiquam legendi facultas, niſi qui trigeſimum expleſſet annum, concedebatur, vt ex Hieronymo diſcimus, in proœm in Ezech. Cur non Marcus Aegyptiorum, Matthæus Indorum aut Parthorum, Thomas Germanorum lingua Euangelium ſcripſit? Cur ad Romanos Paulus græco idiomate conſcriptam Epiſtolam miſit? Multa ſunt in diuinis literis intellectu difficilia, vt Apoſtolorum princeps loquitur. 2. Peter. 3. Hoc in rudibus indoctiſq; hominibus Hieronymus reprehendit, Epiſt. ad Paulum. Vide & Auguſtinum de vtilit. credend. cap. 7. Et Nazianzen. de moderat. in diſput. Huic tu voto ſi contraria optaſſe Chryſoſtomum putas, falleris Whitakere. Cùm pleroſque cerneret Chryſoſtomus, ita theatris ludiſq; ſecularibus ac ſpectaculis impijs deditos, meritò monet ne à ſcripturarum lectione abhorreant.*

WHITAKERVS.

22 Quantum ponderis Chryſoſtomi teſtimoniū

 ha-

habeat, statim expendemus, quando tuas leuissimas rationes discussimus, quibus aliquid detrahere de huius testimonij pondere conaris. Synodi Tridentinæ sapientissimum decretum laudas, quo scripturarum lectio laïcis certa quadam cõditione permittitur. Nempe sapientes illi patres erant, qui sibi sapiebant, & de futuro regni sui statu callidè ac cautè cogitabant. Permittunt aliquid, ne palàm impij videantur: at hæc permissio ijs legibus alligatur, quæ libertatem aut nullam aut perexiguam relinquunt. Sic enim legi à populo scripturas permittunt, quemamodum de rebus illicitis facultates veniasque extra ordinarias largiuntur. Episcopus, vel inquisitor bibliorum à Catholicis authoribus versorum lectioné quibusdam concedere possunt, quos intelligunt ex huiusmodi lectione non damnum, sed fidei augmentum capere posse. Qui ergo volunt aliquid ex scripturis legere, ij primùm tales esse debent de quibus Episcopus præclaram opinionem conceperit: tum nisi illis potestas facta fuerit, sacros libros attingere non debebunt. Si huic decreto obtemperare homines vellent, multò sanè commodiùs cum pontificijs ageretur. Sed istam tuorum sapientiã Dominus iam olim condemnauit, quando toti populo suo scripturarum lectionem & scientiam imperauit: Sic enim dominus multò sapientiùs, quàm Tridentini patres sanxit. *Sunto verba ista in corde tuo: eáque acutè ingerito filijs tuis, ac loquitor de eis cũ sedes domi tuæ, & cùm ambulas per viam, cùm cubas, & cùm surgis: alligato ea in signum manui tuæ: inscribito ea postibus domus*

Deuter. 6:6. 7.8.9.

domus tuæ, & portis tuis. Ego hanc legē Tridentina qua tu nihil prudentius aut sāctius excogitari potuisse existimas, longè sapientiorem & sanctiorem esse defendo. Quid si autem veteris Testamenti quædam non ante annum trigesimum cuiquam legere licuit ex more? Nihil ergo vel ex vetere, vel ex nouo Testamento quisquam nunc per omnem vitam leget? Quædam obscurissima legenda non sunt, quousque animus fuerit iudicio sano confirmatus: ergo quæ apertissima sunt, & à quouis percipi atq; intelligi possunt, ne à viris quidem senibus degustanda sunt? Aequissimè hoc procul dubio comparatum est. Quod verò de Marco, & Matthæo, & Thoma quæris, nimiū puerile est: Aegyptiorū, Iudæorū, Parthorū linguæ externis hominibus ignotæ erāt. Itaq; Euangelistæ & Apostoli linguam celeberrimam & vulgatissimā delegerunt, qua sanctam doctrinam perpetuis monimentis mandarent: Ex quo illorum consilio manifestum est, id in eorū votis primū & præcipuum fuisse, vt sacri libri à plurimis legerentur. Aliâs enim obscurissimo sermone vsi fuissent, quem homines paucissimi intelligerent. Esse tamē multa vt Petrus ait, in scripturis *δυσνόητα* fateor. An igitur aut omnia eiusmodi sunt, aut vt essent, legi non debebant? Sed Chrysostomum audi, *Omnia clara & plana sunt in scripturis diuinis: quæcunque necessaria sunt, manifesta sunt*. Et August. *Sacra scriptura ea quæ aperta continet, quasi amicus familiaris sine fuco ad cor loquitur indoctorum atque doctorum*. Quæ verò ex Hieronymo recitas, ad istam causam imperitè admodū

Indorum

2. Petr. 3. 16
Chrysost. in 2. Thess. homil. 3.
πάντα σαφῆ, ... δῆλα.
August. ep. 3

accommodantur. Non enim lectionem scripturarum, aut cognitionem in aliquo hominum genere improbat, sed ambitionem, & κενοδοξίαν, & impiam licentiam quorundam, qui scripturis ad hæreses & futiles disputationes propagandas abutebantur, quod nos perinde atq; Hieronymus semper damnauimus. Nunc restat, vt quid consilij populo Chrysostomus dederit, consideremus. Nec verò negas, quin omnes etiam Laïcos hortetur ad diligentem & assiduam scripturarum lectionem. Ita enim sæpe, ita perspicuè, ita vehementer istam exhortationem vrget, vt nihil tibi aliud, quod respondeas reliquum sit, quàm id illum fecisse, vt populum à Ludis, & Theatris, & spectaculis auocaret. Esto: & quis non videt eandem hodie iustissimam esse huius exhortationis causam? Nullíne enim apud vos ludi sunt, nulla spectacula impia, nulla profana exercitia? An hæc eiusmodi videntur, vt populus nequeat legẽdis scripturis sanctiùs & religiosiùs occupari? Et tamen apud vos cùm quiduis facere populo liceat, scripturas legere non licet. Suam verò mentem Chrysostomus in multis locis illustrissimè declarauit, *Admoneo* (inquit) *& maiorem in modum rogo, vt libros comparemus*. Alio in loco, *Audite obsecro seculares omnes, Comparate vobis biblia, animæ Pharmaca: si nihil aliud vultis, vel nouum Testamentum acquirite.* Iterum alibi, *Semper hortor & hortari non desinam, vt non hîc tãtùm attendatis ijs, quæ dicuntur, verùm etiam cùm domi fueritis, assiduè diuinarum scripturarum lectioni vacetis. Quod quidem & ijs, qui priuatim mecũ* ingres-

Chrysost. in Ioann. homil. 13.
In epist. ad Coloss. homil. 9.
Hom. 3. de Lazaro.

ingressi sunt non destiti inculcare. Iterum, *Ne negligamus nobis parare libros*. Iterum, *Sume librum in manus, lege historiam omnem, & quæ nota sunt memoria tenens, ea quæ obscura sunt parumq; manifesta, frequenter percurre*. Si hoc suos auditores omnes facere Chrysostomus voluit, quanto id nobis magis faciendum est, qui libros multò, quàm illi, faciliùs & commodiùs comparare possumus? Vide iam ne te istius testimonij pondus paulò inferiùs, quàm putabas, depresserit.

DVRAEVS, Fol. 168.

Iam quæ tua sit de Gregorio Magno sententia audiamus. Gregorius Magnus (*inquis*) etsi erat Ecclesiæ Romanæ pontifex, tamen contra vos nobiscum stabit. Quid enim? parúmne tuum pontificem perstringit, quando quisquis se vniuersalem Episcopum vocat, eum Antichristi præcursorem procul dubio appellat? *Ioannes patriarcha Constantinopolitanus vt erat homo apprimè ambitiosus, eam sibi in reliquos Episcopos potestatem arrogare conatus est, quam in subiectos sibi reges Cæsarem habere videbat. Ex quo illud efficiebatur, si ad hunc modum vniuersalis Episcopus aliquis diceretur, alios omnes non propriè Episcopos esse. Hoc Antichristum summo studio acturum Gregorius sciebat, vt Episcoporum cùm nomen, tum dignitatem penitus abrogaret: quod à Caluinianis factum cernimus. Atque hanc Gregorij fuisse sententiam ex Pelagio secundo clarissimè constat in Epist. ad omnes Episcopos. Et Gregorio in Epist. ad Eulog. Alexandrinum lib. 7. Epist. 30. Hoc ipsum vniuersalis Episcopi nomen etsi aliter acceptum Leoni pontifici à Calcedonensis synodi patribus tributum legimus. Neque nos vobiscum hîc de nomine contendimus.*

WHITAKERVS.

23 Vniuersalis Episcopi nomen Gregorio Magno

Magno impium, blaſphemum, intolerandum ſemper eſſe viſum, ex eius tam multis Epiſtolis intelligimus. Num ergo tuum pontificem perſtringat, à quo nomen illud multis iam ſeculis occupatur, facilè licet iudicare. Et hîc quidem in cauſa palàm cadis. Si enim id Ioannes Conſtantinopolitanus ambiebat, vt quemadmodum Cęſar in reliquos reges dominabatur, ſic ille in Epiſcopos omnes ius ac poteſtatem exerceret, id Romanum pontificem facere nemo neſcit. Nec iamdudum Epiſcopis modo cunctis imperat, ſed ipſum quoque Cæſarem ſibi ſubiugauit, quod ille Conſtantinopolitanus Ioannes nunquam tentauit. Quare cùm illum Gregorius Antichriſti præcurſorem fore ſignificet, qui *ſe vniuerſalem Epiſcopum* vocat, id eſt, vt ipſe Gregorius interpretatur, *qui cuncta Chriſti membra ſibimet conatur vniuerſalis appellatione ſupponere:* grauiter Romanum pontificem perſtringi neceſſe eſt, qui ſe vniuerſalem Epiſcopum vocat, & cuncta Chriſti membra ſibimet tanquam capiti ſupponit. Quis enim Epiſcopus, quis ſacerdos, quis homo Chriſtianus viuere omnino, ſi tolli poteſt, permittitur, qui pontificem Romanum pro vniuerſali Epiſcopo, & capite Eccleſiæ non agnoſcet? Num Cæſar vnquam in reges ac ſatrapas, aut Turcarum Imperator in ſuos Baſſas duriùs dominatus eſt, quàm pontifex Romanus in omnes omnium Eccleſiarum Epiſcopos? Quis ergo hunc eſſe illum dubitat, quem bonus ille Gregorius futurum præmonſtrauit?

Gregor. li. 4. Epiſt. 34.

Gregor. li. 4. Epiſt. 38.

Epiſcoporum verò aut munus aut nomen à

Caluinianis, quos vocas, ſublatum eſſe, crimen falſum eſt. Sed veſtri Epiſcopi, præter nomen Epiſcoporum, nihil habent, quod veri paſtores, quos gregis ſui Epiſcopos Chriſtus conſtituit, habere debent. *Hoc nomen* (inquis) *aliter acceptum Leoni obtulit ſynodus Calcedonenſis*: nec tamen doces, quomodo acceptum hoc nomen fuerit. Id quidem conſtat, ſi Gregorio credimus, recuſatum illud à Leone nomen fuiſſe. Iam verò reſpondeas mihi velim, ſi legitimum hoc nomen fuit, & Romano pontifici conſentaneum, cur illud Leo reſpuit, eoq́; vti noluit? ſin erat eiuſmodi, vt piè recipi non poſſet, cur illud ducentis pòſt annis Bonifacius tertius non oblatum, ſed redemptum arripuit? Te verò, vt videtur, pudet nominis: itaq; vos negas nobiſcum de nomine contendere. At nos ex nomine Antichriſtianam veſtrorum pontificum arrogantiam ac tyrannidem conuincimus.

Lib.4.ep.32.

DVRAEVS, Fol.169.

Verùm de re nomini ſubiectâ vobiſcum diſputamus. Gregorius vniuerſalem dici Epiſcopum debere etiam illum negat, cui vniuerſalis Eccleſiæ curam à Chriſto eſſe commiſſam non dubitauit. Cunctis (*inquit*) Euangelium ſcientibus liquet, quòd voce Dominica ſancto, & omnium Apoſtolorum principi Petro totius Eccleſię cura commiſſa eſt: *lib.7.Epiſt.64. Et ipſe ſibi vniuerſalis Eccleſiæ curam incumbere fatetur, Epiſt.7. li.2. & li.5.Ep.24. Ex quibus vel ipſe Caluinus in cæteros eum Epiſcopos iuriſdictionem exercuiſſe ſatis perſpexit. li.4.Inſtit.c.7.ſect.12. Et Petrus Martyr in cap.8.Iudic.*

WHITA-

24 De nomine non placet diſputare: quanquam ſi res nomini ſubiecta ſit ſancta & legitima, expone nobis Duræe, quamobrem nomen aut ſuperbum, aut temerarium, aut ſceleſtum, aut peruerſum, aut ſuperſtitioſum, aut vanum, aut hypocriticum, aut blaſphemum cēſeatur. Sic autem Gregorius in nomen inuehitur, vt ſatis indicet ſibi rem ipſam multò magis, quàm nomen diſplicere. Id enim Gregorium malè habuit, quòd huius nominis vſurpatione Ioannes ſeipſū cunctis vniuerſalis eccleſiæ Epiſcopis ac mēbris præponeret, quemadmodū in multis locis ipſe
Li.4.Ep.38. teſtatur. Si enim poteſtatem atq; authoritatem, quam nomen ſignificat, Gregorius probauiſſet, inanem de nomine litem commouiſſet. Rebus enim nomina inſeruiunt.

Commiſſam tamen vniuerſalis eccleſiæ curā Petro Gregorius affirmat. Primùm etſi Romani pontificis teſtimonium contra Romanū pontificē multum valet, tamen in re liteq; propria minus authoritatis habet, præſertim eo tēpore, quo illa inter duos patriarchas contentio viguit. Deinde hanc curā & hunc principatū, quem Petro Gregorius tribuit, ei nō denegamus. Sed hāc poteſtatē & curam petrus cū reliquis Apoſtolis æqualē ac cōmunem habuit. Neq; enim aut Petrus vni-
Li.4.Ep.32. uerſalis Apoſtolus fuit, quemadmodū Gregorius diſertè teſtatur, aut Apoſtolo cuiquā eccleſia tāquam capiti ſubiecta eſt, quod etiam Gregorius
Lib.4.Ep.38. apertè ſcribit, his verbis: *Sic ergo ille membra Dominici corporis certis extra Christū quaſi capitibus,*

& ipſis

& ipsis quidem Apostolis subijci peculiariter euitauit. Nulli ergo Apostolorũ Ecclesia tanquam capiti subijcitur, tuusq; pontifex, qui sibi Ecclesiam vt capiti subijcit, non modò nomen, sed authoritatẽ etiam Christi nefariè sibi vendicat. Quantũ autẽ sibi Gregorius sũpserit, quid attinet narrare? De eo tibi Caluinus abundè respondit. Maiorem certè huius, quàm superiorum pontificum fuisse authoritatem nulli dubium est. Sed ab isto tamen dominatu, quẽ pòst pontifex exercuit, longè quidem abfuit.

DVRAEVS, Fol. 170.

Imperitißimè igitur in hunc modũ concludis: Mitte ambages: dic Cãpiane, si fuit illud nomen in Episcopo Constãtinopolitano antichristi instantis indicium, quid ni in Romano põtifice eiusdem Antichristi insigne illustrissimũ existimemus? *Aegrè profectò, nisi experientia doctus, tã habetẽ te esse credidissem. Quis enim non videt quo sensu Romani pontifices, hoc vt nomen vniuersalis Episcopi noluerint, etiamsi vniuersalis se Ecclesiæ episcopos, & Christi in terris vicarios esse semper professi sint, & de se idẽ senserint, quod Leo pontifex expressit, Serm. 2. de anniuersar. die, assumpt.*

WHITAKERVS.

25 Si mihi tecum homine mirificè acuto rem fore prȩuidissem, aliquid procul dubio dignũ tuo acumine attulissem. Tamen aut nimiùm quidem hebes sum, aut te hoc loco parum acutum fuisse perspicio. Quis enim horum verborũ sensus est? Explica nobis inuolutam orationis huius sententiam. Quis vnquam isto modo loquutus est, qui se intelligi loquentem voluit? Quid ais? Estnè pontifex Romanus vniuersalis Episcopus, an

non est? Quid hæres? Quid timidè & perplexè respondes? Loquere disertè, & absque ambagibus dic, quod quæro. Quid tandem inquam, potes pontificis ambitioni prætexere, quo minùs quod in Constantinopolitano Episcopo horrendum fuit, idem in Romano iustissimè reprehendatur? Pelagius, & Gregorius pontifices Romani, id quod Ioannes Constantinopolitanus sibi sumpsit, omni verborum acerbitate damnant, Me iam doceas velim, quando hoc ipsum postea Romano pontifici tributum est, quo pacto repentè sic inuersum, mutatumq; fuerit, vt ex Antichristiano Catholicum & sanctum euaserit. Illud enim ipsum quod Episcopus Constantinopolitanus insolentissimè ac superbissimè vendicauit, atque ad tempus occupauit, non ita multò pòst Bonifacius tertius summa contentione illi eripuit, & ad se suosque successores transtulit, quemadmodum & Platyna, & Sabellicus, & Vrspergensis, & reliqui testantur. Cùm nihil tibi quod respondeas suppetat, orationem aliò detorques, & de Leone nobis aliquid narras, acutè forsan, sed parùm appositè. Quantum enim Leoni de se magnificè prædicanti tribuendum sit, quis non videt? Quanquam primatem fuisse Episcoporum omnium pontificem Romanum non negabo. Sed hic ordinis, non authoritatis & imperij primatus fuit.

Platyn. in vita Bonif. 3
Sabellicus Ennead. 8. lib. 6.
Vrspergensis in Phoca.

DVRAEVS, Fol. 171. 172.

Illud ergo in hac causa maneat, cùm nostros esse patres euicerimus, qui & scripturas diligentissimè legerunt, & multò sanè, quàm Caluinus aut Beza fœlicius intellexerunt, Caluinianos omnes ac Lutheranos,

rano, ceterosq; nostræ ætatis hæreticos, qui dum se patrum authoritate superatos vident, ad scripturas tam impudenter appellant, nihil aliud, quàm Labyrinthis sese, vt Campianus dixit, inuoluere.

Quis aliquando in vlla cum Catholicis disputatione vos dogmata vestra praxi Ecclesiæ, pontificum successione, œcumenicis concilijs, traditionibus Apostolicis, cruore martyrum, scitis præsulum, visis, atque euentis mirabilibus confirmantes audiuit?

WHITAKERVS.

26 Pulchram disputationem præclaro argumento concludis. *Euicimus* (inquis) *nostros esse patres.* Quid tu euiceris Academici iudicabunt, qui non tam hebetes sunt, vt tuis verborum præstigijs falli possint. De patribus tibi respondi cumulatè, eosque palam pontificijs contraria sensisse ac docuisse demonstraui: Id quod innumeris præterea exemplis & testimonijs illustrare potui. Sed tamen vt maximè darem, quod nec tu vnquam euinces, nec quisquam tuorum collegarum ostendet, patres esse in causis maximis vestros, quid hinc efficies? Igitur nos hæretici sumus, qui à patribus dissentimus? igitur nobis non licebit scripturas post patres scrutari? igitur si ad scripturas à patribus prouocamus, labyrinthos quærimus? Qui sic disputabit, eum certè nostra Academia meritò contemnet: eum patres ipsi explodent. Augustinus ait, *Auferantur de medio chartæ nostræ, procedat in medium codex Dei.* Et patrum testimonijs oppugnatus ingenuè respondet, *Ipse mihi pro his omnibus, immo supra hos omnes Apostolus Paulus occurrit. Ad ipsum confugio, ad ipsum ab omnibus, qui aliud sentiunt literarum*

August. in in psal. 57.

Epist. 19.

rarum

rarum eius tractatoribus prouoco. Et Basilius, *Quanquam (inquit) hoc nobis non sufficit, à patribus esse traditum.* Tua verò Demonstratio hæc est, sic patres tradiderunt, sic scripturas intellexerunt: ergo nobis aliter sentire nefas est: quæ quã sit indigna theologo omnes intelligunt. Ad illud autem quod postremò quæris, cum Augustino respondeo. *Vtrum ipsi Ecclesiam teneant, non nisi diuinarum scripturarũ Canonicis libris ostendant: quia nec nos propterea dicimus nobis credere oportere, quod in Ecclesia Christi sumus, quia ipsam quam tenemus commendauit Optatus, vel Ambrosius, vel alij innumerabiles Episcopi, aut quia nostrorum collegarum concilijs ipsa prædicata est, aut quia tanta mirabilia fiunt, aut quia ille somnium vidit, & ille spiritu assumptus audiuit.* Ita vos quantumuis reluctantes & tergiuersantes, in omni disputatione ad scripturarum Canonicos libros obtorto collo retrahemus.

Basil. de spiritu sancto. ca. 7.

August. de vnit. Eccles. cap. 16.



LIBER SEPTIMVS, de Historia.

DVRAEVS, Fol. 174.



Vi muneris erat, quod regium professorem maximè decebat, scholæ more respondere: Vel Romanam Ecclesiam, cuius illi historici historiam descripserunt, veram esse ecclesiam, vel certè nullam veræ Ecclesiæ historiam extare. Quid ni te virum præstas, & vel omnes, vel plurimos, vel certè aliquos, immo verò vel vnum ostendis, qui huiusmodi Ecclesiæ qualis vestra est, initia, progressus, incrementa, res varijs ætatibus præclarè gestas literis mandauit? Ecclesiæ inquam, in qua nulla altaria, nulli sacerdotes, nullū sacrificium, nullus sanctorum cultus, nullus reliquiarum honor, nulli dies festi, nulla stata ieiunia, nulla neque virorum, neque virginum monasteria, nulla in ęgrotorum aliorumue fidelium vsum reseruata Eucharistia, nullum chrisma, nullæ pro defunctis preces, nullæ oblationes, nullę deniq; ceremonię fuerunt. Nunquam ab vllo vetere historico tam prodigiosum monstrum fuisse descriptum ostendere potes.

WHITAKERVS.

1 

TA hunc omnem de historia sermonem tuum puerilibus ineptijs refersisti Duræe, vt me in ijs refutandis occupatum esse sanè pigeat. Quis enim huius disputationis tam abiectæ, tamq; ab omni theologia remotæ exitus erit? Quo tādem loco consistemus, ac finem controuersię reperiemus? Quid agis? quid laboras? quid argumentaris? Hiccine est huic orationi propo-

situs οὐκ ὤν· nostram ecclesiam non esse veram, ac Catholicam, quia nulli sunt historici, qui res eius gestas literarũ monimẽtis certa quadã ratione prodiderunt? At quis hoc tibi vnquã concludendi genus in schola Theologorum concedet, Historia non facit perpetuam nostræ Ecclesiæ mentionem: nostra igitur ecclesia quibusdam temporibus omnino nulla fuit? Huc enim omnia, quæ vel hoc loco Campianus attulit, vel tu pro Campiano disputas, tandem referuntur: quæ, quàm malè cohæreant, omnes profectò vident. Nos Ecclesiam nostram in scripturarum libris, non recentiorum temporum historijs quærimus, quæ vt nullæ nobis suppeterent, tamen Ecclesias nostras cum scripturarum sancta doctrina consentientes, esse Christi veras Ecclesias defenderemus. Quid si enim historici aut parum fideles sunt, aut studijs partium laborant, aut apertè scribere metu prohibentur, aut in receptis temporum atque hominum erroribus versantur, aut qui liberiùs de statu Ecclesię scripserunt, non siniuntur promulgari? Tui muneris erat Campiani argumentum communire, non à me expectare, quod mihi nulla disputandi lex imposuit. Satis enim mihi fuit, huius loci argumentum à Cãpiano propositum diluere; historias persequi, non erat quidẽ meũ: de quibus tamen id tibi nunc respondeo, primùm historias, quæ ante ἀποστασίαν à spiritu sancto prædictã editæ fuerunt, nostrę Ecclesiæ res gestas perscripsisse. Quanquam enim in externis ceremonijs, & quibusdã doctrinæ capitibus aliqua, sed perexigua fuit commutatio, eandem tamẽ in summis articulis fidem, quam nos profitemur,

mur, illæ primę multorum seculorũ Ecclesiæ, de quibus tam multæ historiæ extant, propagarunt. Deinde post ἀποστασίας inuectam & tyrannidem antichristi constitutã nullus vnquã historiam scripsit, qui non ecclesię nostræ doctrinam, mores, instituta, semina, aduersarios commemoret. Ita in vestris historijs nostræ ecclesiæ memoria viget: & qui pontificij regni res narrare conati sunt, ij nostræ ecclesiæ testes sunt. Est enim in manibus historia Magdeburgensium, & Testium veritatis Catalogus: ex quibus quod dico verissimum esse potes cognoscere. Et quando formã ecclesiæ quã describis, tibi à me ostendi postulas, id ego faciã perlibenter. Profero autẽ sanctissimã, & antiquissimam à Christi Apostolis atq; Euangelistis conscriptã, in qua nulla ecclesia præterquam nostra describitur & cõmendatur. Hæc illa est Ecclesia, cuius imaginem quæris: huic nostra vt matri filia similis est. Quæ tu in nostris Ecclesijs desideras, eadem hæc in illa nusquam cõspiciuntur: non altaria, non sacerdotes, non sacrificium, nõ cultus aliquis sanctorũ, non honos reliquiarũ, non dierũ festorum solennitates, non statorum ieiuniorum præscriptiones, nõ virorũ, nõ virginũ monasteria, non Eucharistiæ reseruatio, nõ chrisma, nõ preces pro defunctis, non oblationes, deniq; non omnino vllæ pontificiæ ceremoniæ. Quã potes aut historiam veriorẽ, aut ecclesiam puriorem inuenire? Hanc historiam tuis historijs, hanc ecclesiam tuis ecclesijs opponimus: quæ hæc habuit, nostrę habent; quę non habuit, nostræ non expetunt. Si tuam Ecclesiam cum hac comparas, pontificij mõstri prodigiosam deformitatẽ facilè agnosces.

DVRAEVS, Fol. 176.

Nos qui Catholici sumus, à veteris Ecclesiæ doctrina ne latum quidem vnguē discedimus, nullos illius errores, nulla vitia in fidei moríbusue doctrina, neq; fuisse olim, neq; esse omnino posse asserimus. Hic scholæ vestræ mos est, vt disputationem misceatis, & modò ab historicis, à concilijs, à patribus, ab Ecclesia ad scripturam, modò à scripturis ad occultum spiritus testimonium prouocetis.

WHITAKERVS.

2 Latos admodū vobis vngues esse oportet, si verum est quod dicis, vos ne latum vnguē à veteris Ecclesiæ doctrina discessisse. Satis enim iam docui doctrinā pontificiam cum veteris Ecclesiæ patrumq; sententia pugnare. Nā vt de Apostolis, & Apostolicis magistris taceam, quę vnquam ecclesia, aut quis antiquus pater vestras Missas, peregrinas liturgias, transsubstantiationem, panis adorationem, sacrificium pro viuis & mortuis, cultum statuarum, cōmunionem diminutam & Manichæanā, pontificis Monarchiam, rasos sacrificulorum vertices more Donatistarum, alias infinitas putidę religionis ceremonias sexcentis post Christum annis celebrauit? Quis pater pontificis pompam plusquā Persicam probauit? Quis pontificē concilio maiorē esse dixit? Quis indulgentias pontificias sibi salutares putauit? Quis errare pontificē nunquā posse affirmauit? Quis ecclesiā Christi ad Romanorum pontificum successionē alligauit? Quis scripturæ interpretationem Romani pontificis arbitrio submisit? Quis traditiones scripturis æquauit? Quis concilium, cui pontifex Romanus præsidet, nihil vnquā errare scripsit? Quis pontificem posse regibus sua regna adimere,

mere,& ad alios transferre existimauit? Quis fraterculorum, qualis tu es, varios ordines comprobauit? Quid huiusmodi alia commemorem, quæ vos defenditis, quæ prima multorum annorũ Ecclesia penitus ignorauit? Euolue nunc annales, explica historias, ecclesias designa, patres nomina, libros profer in quibus extent harum rerum monimenta: aut te fatere plusquam latum vnguẽ ab antiqua doctrina fideq; discessisse, cuius tam multa sunt professionis capita veteris ecclesię patrumq; disciplinæ dissentanea. Quòd autem Ecclesiæ nullos esse errores asseris, nulla aut fidei aut morum vitia, talem mihi ex historijs Ecclesiam ostende, quæ nihil vnquam vel in doctrina, vel in moribus peccauit. Romanam certè non potes, cuius maxima & doctrinæ errata, & morũ vitia historiæ produnt. Quàm multos enim possum errantes pontifices, & hæresi laborantes cõmemorare? De vitijs alij iudicent. Consuetudo verò nostræ scholæ, quã tu reprehendis, eiusmodi est, vt dicis. Etenim ab historijs, concilijs, patribus, ecclesia ad scripturas, hoc est Deum ipsum cælestis doctrinæ vnicum magistrum nos in suo verbo alloquentem, & docentẽ prouocamus: ad hanc normam quicquid à quoquã traditur, exigimus: in scripturarum iudicio acquiescimus, nullum cuiusquam spiritus priuatum testimoniũ admittimus: hic sistimus, hîc quærendi & litigandi finem facimus, nullum præterea iudicem appellamus. Qui in hoc foro lites suas disceptari nolunt, ij palàm tergiuersantur, & sibi se suæque causæ diffidere testantur.

DVRAEVS, Fol. 177.178.

Ne alienam à scripturis hanc de historia disputationem putes, multa in prophetarum oraculis de vera Christi Ecclesia diuinitus prædicta legimus; Psal. 18. In omnem terram exiuit sonus &c. *Psal.* 2. Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem. *Psal.* 71. Dominabitur à mari vsq; ad mare, &c. *Neq; minùs perspicua sunt, quæ perpetuam fore Christi Ecclesiam ostendunt, Daniel 2. Quid illa? De Ecclesiæ amplitudine, & confluentium vndiq; populorum frequentia quàm præclara, quàm illustria? Isa.* 60. *& 49. & Mala.* 1. *Innumera sunt huiusmodi à B. Augustino atque Optato, alijsq; priscis patribus contra Donatistas olim diligenter collecta. Vos quam tandem historiam proferetis? Qui Ecclesiam Romanam reijcitis, quam historici omnes solam agnouerunt. Maiorem fore Ecclesiæ Catholicæ, quàm terreni cuiusquam regni gloriam Daniel vaticinatus est. cap.* 2.

WHITAKERVS.

3 Scripturarum fidem historia cõprobauit, & prophetarum oraculis euentus ipse respondit. Quicquid ergo de Ecclesiæ propagatione, amplitudine, gloria veteres prophetæ prædixerunt, id perfectum esse (fateor) historia luculentissimè testatur. Ita vaticinijs prophetarũ ecclesiasticam historiã suffragari nulla controuersia est. Sed hic argumentũ claudicat, Historia testis est propheticis oraculis in Ecclesia Christi satisfactum esse: igitur historia pontificiam Ecclesiam esse Christi veram Ecclesiam demonstrat. Nam vt pontifex cum sua Ecclesia perierit, vel in nouas Indias cõmigrarit, Ecclesiæ tamen diuinarum promissionum veritas fidesq; cõstiterit. Ad scripturas quas hoc loco varias adhibes, breuiter tibi respondeo,

Prophetæ

Prophetæ prædixerunt Ecclesiã è Iudææ finibus excessuram, & totum terrarum orbem occupaturam esse: id eo modo suis temporibus euenisse historiæ loquuntur. Sed hoc nihilo magis ad Romanam Ecclesiã, quàm ad vllam in toto orbe aliam ecclesiã pertinet. Non enim legimus in prophetarum prædictis illa Dei promissa in vna Romana Ecclesia exitum & cõplementum habitura, de quã nullus propheta verbũ vnum edidit. Etsi ergo de Ecclesia nonnullas prophetarum sententias profers, de Romana tamen & pontificia Ecclesia nullam audio mentionẽ. Donatistæ ecclesiam Africæ angustissimis finibus includebant, & nusquã gentium nisi apud se incolumẽ remanere Ecclesiam delirabant. Horum amentiã patres his prophetarum prædictionibus refutarunt, quibus Ecclesiam latissimè in orbe terrarum fusam ac disseminatam esse constabat. Nos verò Ecclesiam nullis locis, aut regionibus coarctamus, sed vbicunq; Christi Euangelium annunciatur, ibi esse Christi Ecclesiam minimè dubitamus. Vtri nunc Donatistis similiores, & diuinis promissis inimiciores videntur, nósne qui Ecclesiam nullis locorum terminis circumscribimus, an vos qui illam in Romanam sedem tanquam in pistrinum compingitis, & de pontificis Cathedra suspenditis? Ita Christi apud Græcos, Armenios, Aethiopes, Moscouitas, & alios populos, qui cum Romano põtifice nihil habere volunt negotij, maximas & frequentissimas Ecclesias excluditis. Deinde quanquam prophetæ Ecclesiam Christi latissimam & gloriosissimam fore pręmonstrarunt,

 tamen

tamen hanc amplitudinē & gloriam semper fore sibi similem & perpetuā nunquam prædixerunt. Quàm autem hoc vitiosum est genus argumentandi, Prophetæ splendorē & amplitudinem ecclesiæ commemorarūt: ergo semper Ecclesia erit splendida, frequens, gloriosa. At Apostolus futuram in hac eadē Ecclesia ἀποστασίαν præmonuit: &
2.Thes.2.3.
quanquam hæc prophetarum vaticinia satis intellexit, tamen excisionem huic Ecclesiæ minatus est, ni in fide & Dei benignitate permaneret.
Rom.11.22.
Sic Ioannes mulieris, hoc est, Ecclesiæ fugam in solitudinem præmonstrauit. Quando autem Ecclesia latet in solitudine, & cogitur saluti suæ fuga consulere, quis tum splendor, & regni maiestas in Ecclesia conspicitur? Quid tum de istis prophetarum vaticinijs respondebis? Solam verò ab historicis agnitam esse Romanam Ecclesiam, quis tam vecors est, qui falsum esse nesciat? Quàm multæ enim Græcorum sunt de suis Ecclesijs historiæ? Nullámne Eusebius, Socrates, Theodoritus, Nicephorus Ecclesiam, præterquā Romanam agnouit? Qui de Aegyptijs, Aethiopicis, Armenijs, alijsque remotissimis Ecclesijs scribunt, num de Romana Ecclesia historiam contexunt? Miror si non erubescis, quoties huius dicti memoria succurrit.
Apoc.12.6.

DVRAEVS, Fol. 179.

Augustino teste clariora sunt de Ecclesia Christi, quàm de ipso Christo prophetarum oracula, in psalm. & aduersus Ecclesiam, ne ipsas quidem portas inferi præualituras suo Christus ore promi-

promisit, Matth. 16. Ad nos quod attinet, qui Catholici nominamur & sumus, fidelissimis omnium temporum historijs demonstramus in illa Ecclesia, cuius nos filios profitemur, hæc quæ dicimus Prophetarum vaticinia abunde esse completa. Quod olim Augustinus ad Honoratum scripsit, idem ego tibi hoc loco dicere iure videor posse: Dignare rescribere nobis, vt sciamus quomodo fieri possit, vt Ecclesiam suam Christus de toto orbe perdiderit, & in vobis solis habere cœperit: *Epist. 161. Et vt cum Hieronymo loquar, quo modo non profani estis, qui plures synagogas asseritis esse, quam Ecclesias? &c. Epist, 173. contra Luciferian,*

WHITAKERVS.

4 Quid si de Christo Prophetæ obscuriùs quã de Ecclesia loquuti sunt? Erit igitur ecclesiæ status illustris & gloriosus? Quæ te schola nouam hanc Dialecticam docuit? De Christo Prophetæ multa typicè prædixerunt, Ecclesiæ frequentiam ac celebritatẽ proprijs & perspicuis verbis præmonstrarunt: Num ergo quia Prophetarum de ecclesia loquentium oratio plana est atque aperta, ipsam etiam ecclesiam semper esse claram ac manifestam oportebit? Neq; vlla vis aut impetus hostium inferorum ecclesiam Christi extinguet. Semper enim electorum multitudo manebit, quantumuis Antichristus & Satanas, & omnes infernæ copiæ repugnabunt. Verùm an sequitur, si quando piorum numerus minutus, & Ecclesiæ spicies obscurata fuit, contra Ecclesiam portas inferorum valuisse? At ne tum quidẽ Ecclesia interibit, vel tuo iudicio, quando in solitudinem compulsa hominum aspectũ fugiet.

Sed

Sed tua argumenta scopis dissolutis similia sunt, quæ statim vt tractantur, dissiliunt. Nominari vos quidẽ Catholicos non ignoro, sed fides & veritas in rebus, non in nominibus consistit. Fuit illa ecclesia aliquando Catholica, cuius iã multis annis vos solam vmbram retinetis: & quanquam vosmet illius germanos filios inscribitis, ac nominis inani vsurpatione freti, nobis tanquam hæreticis insultatis, nos tamen & nostram doctrinam atque Ecclesiam verè Catholicam, & vestram hæreticam esse sine vlla dubitatione intelligimus.

Quòd autem postulas vt tibi rescribam, quomodo Christus suam ecclesiã de toto orbe perdiderit, & in nobis solis habere cæperit, rescribo Christum ecclesiam suam nunquam de toto orbe perdidisse, quemadmodum impij Donatistæ fingebant, quam ille etiam in medijs hostium suorum castris perpetuò conseruauit. Quid autem sit, quo minùs Christus tam apud nos, quàm vos ecclesiam habeat, tu mihi, si placet rescribes. De Luciferianis meritò Hieronymus conquestus est, qui florentissimas Ecclesias condemnabant, quales eo tempore in omnibus locis innumerabiles erant. Si temporum subsequentium mutationem vidisset, de fideli ciuitate meretricem, de Templo Dei speluncam latronum fieri dixisset.

Esai.1.21. *Matth.21.23.*

DVRAEVS, Fol.180.181.

In eo admodum exultas (*inquis*) quando quæris, quo tem-

tempore vrbem & orbem religio peruasit aliena. *Quid ni verò Campianus exultet, & fidei Zelo accensus impudentiæ vestre, atque sycophantiæ vehementer exultet? Quid enim ineptius? quid absurdius? quàm Romanam Ecclesiam innumeris penè hæresibus refertam voceferari, quarum ne vna quo pontifice, qua via, qua vi, quibus incrementis vrbem & orbem inuaserit, queas demonstrare. Præclarè Hieronymus scriptum reliquit*, hæreses ad originem reuocare, est refellere. *Quid quod tuus ille præceptor Iuellus omnes quicunque intra salutis annum sexcentesimũ claruerunt patres idoneos Catholicæ fidei testes admisit. Quin igitur quo deinceps pontifice, quo imperatore dogma aliquod nouum inuehi cæptum sit clarè ostendis.*

WHITAKERVS.

5 Impudentiæ, sycophantiæque accusationem tuam nihil moror. Si bonam causam defenderes, argumentis pugnares, à conuitijs abstineres. Controuersiæ status in eo versatur possétne tanta fidei ac religionis in Romana ecclesia fieri mutatio, quantam nos contendimus, vt non necesse esset, de temporis momento, quo quodque mutari cæperit, constare. Ita respondi Campiano, & tibi itidem respondeo, nobis non esse necessarium huius mutationis initia quærere in historijs, cùm ea sit tam manifesta, vt negari nequeat. Quid enim? qui morbo pestifero laborat, eum esse sanum & valentem dixeris, nisi ipsum temporis articulum noris, quo primùm non bellè se habere cæpit? Cùm vrbem luxu, malisque moribus perditam esse constat, id non credes factum fuisse, nisi principium & progressum malorum intelligas? Si domum ruinosam aspicies, probari tibi iubebis, quoto anno, aut quo domi-

domino, primùm aliqua in parte laborare cœperit. Submergi nauem negabis potuisse, nisi quo die primùm rimas egerit edoctus fueris? Et quid à nobis postulas, cùm satis manifestum sit euersam esse omnem in regno pontificio religionem, vt historias euoluamus, & huius interitus ortum atque omnem rationem inuestigemus. Nobis sufficit, ex pontificiorum dogmatum, & scripturarum collatione discrimen & dissimilitudinem agnoscere: historicis liberum relinquimus scribere quod velint, quod nolint omittere. Et quando verisimile est imbutos fuisse temporum suorum vitijs & erroribus historicos, ab illis quidem non omnia expectanda esse liquet, quæ ad huius iudicij disceptationem pertinet. Tamen vt nobis historiam non omnino deesse intelligas, aliquid proferemus ex antiquitatis memoria, quod vel maximè ad istam causam spectat. Nicephorus de Apostolorum successoribus ad hunc modum scribit, *Qui verò eis successere aliquantò illis inferiores, virtutem eorum non sunt assequuti: propè tamen vitæ splendore ad eos accessere, non ita simplicem vt magistri eorum, orationem consectantes.* Sic vides statim post Apostolos cæptum esse in vita simul, & doctrina declinari. Clemens Alexandrius ait, primos Apostolorum successores, doctrinam ab Apostolis, tanquam filios à patribus accepisse: sed adiungit *perpaucos filios patribus esse similes.* Ita apud Nicephorum Egesippus Ecclesiam viuis Apostolis ad Traiani tempora virginem puram permansisse: illis mortuis mox corruptam fuisse scribit. Si de Romana ecclesia nomi-

Niceph. lib. 4. cap. 1.

Clemens lib. 1. στρωμ.

Niceph. lib. 3. cap. 16.

nominatim audire aliquid desideras, Socrates Cælestinum pontificem Romanum extra sacerdotij fines egressum esse testatur. Basilius Ecclesiæ statū miserabilem elegantissimè depingit ac deplorat multis verbis: quem locum si inspicies, quanta fuerit eo tempore facta rerum mutatio intelliges. Quid? Nónne queritur Nazianzenus theologiæ genus quoddam περιττὸν καὶ κατάτεχνον μὲν, καὶ ἰσχυρὸν in Dei Ecclesiam irrepsisse? Augustinus sic creuisse suo tempore ceremonias testatur, vt Iudæorum, quàm ecclesiæ tolerabilior conditio videretur. Tempore verò creuisse morbum dubitas? Quid amplius quæris? Annon ex istis testimonijs Ecclesiam post Apostolorum mortem indies factam esse corruptiorem atque impuriorem perspicis? Tu verò sic nobis insultas, quasi nullis historijs euincere possemus, aliquid in Ecclesijs à prima doctrinæ puritate aberratum esse. Multum autem ad hæreses refutandas conferre, earum originem nosse, nemo negat. Sed an refutari hæreses nequeunt, nisi illarum authores cognoscantur? At quàm multæ sunt hæreses, quarum Epiphanius & principia, & primos magistros ignorat? Si constat de doctrina, quid opus est authorem aut principium requirere? Quando tamen sic instas, & vrges, & quo pontifice, quo imperatore dogma aliquod nouum inuectum sit tam confidenter quæris, an tu hunc nobis valdè difficilē fore laborem censes? Quasi non id ex vestris historijs abundè constet, quid quisq; pontifex inuenerit: quid nouū suūq; inuexerit. Ceremoniarum ineptias prętermittā,

Socrat. lib. 7. cap. 11.
Basil. de spiritu sancto capite vltimo toto.
Nazianzen. de Athanas.
August. ep. 119. c. 19.

quas nul-

nullus pontifex non aliquas introduxit nouas: res pauculas maioris momenti breuiter perstringã. Qui primus in ecclesias externas potestatẽ exercere voluit, is Victor pontifex fuit: hũc Zozimus, Zozimũ Bonifacius, Bonifaciũ Celestinus, & reliqui deinceps sequuti sunt. Qui verbi ministris perpetuum cœlibatum primus iniecit, is Syricius pontifex fuit. Qui communionem in altero duntaxat symbolo primi administrabant, ij erant Manichæi, quemadmodum ex Leone intelligimus. Qui statuas sanctorum coli atque adorari primi sanxerunt, ij erant patres Nicenæ synodi secundæ. Qui primus docuit corpus Christi *sensualiter* tractari, frangi, & dentibus atteri, is Nicolaus secundus fuit. Qui transsubstantiationem primus excogitauit, is fuit Innocentius Tertius in Lateranensi concilio. Qui Concomitantiam primus inuenit, is Thomas Aquinas fuit. Qui papam inumeras animas secum ad Tartara detrudentem à nullo mortali iudicandum esse decreuit, is Bonifacius fuit. Qui Romanam Ecclesiam primus caput omnium Ecclesiarum inscripsit, is Bonifacius tertius fuit. Qui purgatorium primus vt certum dogma tradidit, is Gregorius Magnus fuit. Varij ordines Monachorum principium à Benedicto Nursino sumpserunt. Papam esse Concilio maiorem in Florentino concilio primum decretum fuit. Confessionem auricularem primus instituit vt necessariam Innocentius tertius; & ieiunium quatuor temporum Calixtus. Quid plura? Possunt huiusmodi sexcenta è veris historijs exempla sumi,

quæ

Euseb.lib.5. cap.24. *Distinct.82. ca.Proposuisti.* *Leo Sermo. 4.de Quadrag.* *Synod. Nicen. pontifice Adriano.* *De cõsecrat. dist.2.Ego Berengarius.* *Dist.40. Si papa.* *Platyn.in Bonif.3.*

quæ vestrorum dogmatum nouitatem arguunt. Tu contra profer nostrum aliquod dogma si potes, cuius non in ipsis scripturis fons & principium ostendi possit. *Constat autem* (vt ait Tertullianus) *id verius esse quod prius, id prius quod ab initio, id ab initio quod ab Apostolis.* Hæc nostra antiquitas est, *praestructa* (vt idem Tertullianus loquitur) *diuina literatura.* Tertul. apolog. ca. vlti.

DVRAEVS, Fol. 182.

Non simul omnia (*inquis*) sunt in ecclesia Romana euersa: paulatim ad hanc sceleris & nequitiæ senectam peruentũ est. *Num Arriana hęresis, num Nestoriana, aliáue huiusmodi simul vt cœpit, in immensum creuisse, putanda est? An non hoc D. Paulus hæreticis esse commune testatur, vt eorum sermo velut cancer serpat?* 2. Timoth. 2.

WHITAKERVS.

6 Istæ hæreses natę sunt optimis ecclesiæ tẽporibus, cùm maxima esset piorum episcoporum copia: qui tamen nulla contentione efficere potuerunt, quin latè admodum manarent. Et quidem sic Arriani numero aucti sunt, vt frequentiores Catholicis euaserint, quemadmodum Nazianzenus conqueritur: Et mundus quodammodo ingemuerit, se factum esse Arrianum, vt scribit Hieronymus. Quare si hæretici, quibus docti, sanctiq; patres, quantum poterant, resistebant, paulatim tamen maximam ecclesię partem occupabant, quid mirũ si superstitio & hypocrisis antichristiana sensim creuit, quæ tam facilè aduerti non potuit? Tũ doce argumentum valere, si Arri- Nazianz. ad Arrian. de se

anę, & Nestorianæ hæresis nota sunt exordia, & incrementa: proinde nullas in ecclesiam irrepere mutationes posse, quin statim sentiantur. Quanquam enim quædam zizania, cùm primùm seritur, apparent: tamen occultam etiam Satanas zizaniorum sementem facit, quæ statim non perspicitur, & ipsos patrisfamilias diligentissimos seruos latet. Itaque Antichristi ἀποστασίαν Paulus μυστήριον vocat, quod se viuo peragi cæpisse affirmat: & historia testis est statim post Apostolorum ætatem maximas in ecclesiam falsorum doctorum copias irrupisse. Sic Apostasia pontificia primis temporibus orta tanquam cancer paulatim serpens tandem ecclesias omnes peruasit.

Matth. 13. 27.
2. Thessal. 2. 7.

Dvraevs, Fol. 182.

Similitudines aliquot valdè scilicet ad hanc rem appositas affers. Pili (*inquis*) non subitò omnes canescunt. *Quàm egregiè! Num tu aliquando canum hominem vidisti, cui canities paulatim obrepserit, & tamen quem nemo canescere animaduerterit?* Domus (*inquis*) initio firmissimè extructa, si neglecta fuerit, rimas aliquo loco incipit agere, &c. *At verò quæ domus rimas agere incipit, quæ paulatim tempore augentur, neq; priùs ab illis qui illam incolunt cernuntur? Quid quòd pili ne decem quidem cani canum mox hominem reddunt, vna tamen hæresis ecclesiam ita corrumpit, vt ex Christi sponsa adulteram faciat.*

Whitakervs.

7 Similitudines istæ satis sunt ad rem ipsam appositæ, quam illis declarare atq; illustrare volui. Nam vt capillorum canitiem, atque ædificij ruinam animaduertimus, etiam si tempus ignoramus,

mus, quo primum ea cæpit, nec progressus modum tenemus: ita collapsum religionis, atq; ecclesiæ statum agnoscere licet, vt interim nescias, quibus gradibus ad ipsam peruersitatis ἀκμὴν peruenerit. Nec tamen dico nullam vnquam mutationem esse à quoquam animaduersam, quod tu me dicere fingis, quam à multis & notatam & deploratam ostendi. *At pili* (inquis) *ne decem cani hominem canum faciunt.* fateor, & superstitio quæuis aut error ecclesiam non euertit. Dum enim fundamentum ecclesia tenuit, etsi multis erroribus vitijsq; laborauit, tamen ecclesia Christi permansit. *Hæresis verò* (inquis) *sic corrumpit Ecclesiam, vt ex Christi sponsa adulteram faciat.* Quid igitur de Cypriano Martyre statues, quid de Papia, quid de Irenæo, Iustino, Lanctantio, Victorino, Tertulliano, quid deniq; de Innocentio primo pontifice Romano, & infinitis penè alijs, qui palàm senserunt, quod hæreticum esse negari non potest? An verò etiam omnium illorum deploratam salutem esse dices, qui quarto decimo die primæ Lunæ Pascha celebrabant? Tam multas ecclesias præsertim Orientales pro adulteris damnabis? Vides ergo grauiter errare ecclesias posse, vt tamen non omnino esse, quæ fuerunt, ecclesiæ desinant.

DVRAEVS, Fol. 183.

Argumentum in Campianum retorquere niteris: In Ecclesia Hierosolymitana magnã esse factã rerum & religionis mutationem ais. Quid? An illa subitò extitit? Dicite ergo quo

temporé, &c. *Non te tantæ ἀγνωσίας pudet? Quasi verò ex Philastrio, atque Epiphanio Iudæorum hæreses cognoscere difficile sit. Iosephum si lubet euolue, ex quo facilè disces, & quæ fuerint Iudæorum sectæ, & quo tempore cœperint: Soli Sadducæi heretici palàm fuere habiti. Ex Iosephi historia satis constat longè post captiuitatem Babylonicam sectas cœpisse, & in Hierusalem ad Christi vsque aduentum verum Dei cultum permansisse.*

WHITAKERVS.

8 Ecclesiam Hierosolymitanam diuinis legibus optimè temperatam fuisse nemo dubitat: quæ tamen sic omnino tandem à pristina virtute deflexit, vt eam Christus non modò pro sua ecclesia non agnouerit, sed latronum etiam speluncam dixerit. Cùm ergo & quale fuerit illius ecclesiæ principium intelligimus, & exitus quàm principio dissimilis extiterit, omnes perspiciunt, quod à nobis de Romana ecclesia quæritis, idem ipsi de Hierosolymitana respondete. Tempus notate, pontifices designate, viam ostendite, incrementa exponite. Cũ id præstare minimè possitis, huius vestræ postulationis summam importunitatem atque iniquitatem agnoscere debetis. Nam quod tu hîc respondes, non meam ἀγνωσίαν (quis enim ista nescit?) sed tuam ἀναιδείαν arguit. *Nõ est* (inquis) *difficile Iudæorum hæreses cognoscere.* Quasi minùs facile sit Christianorum hæreses intelligere: aut quasi non multò plures in ecclesia Christiana, quàm in Hierosolymitana hæreses extiterint. Et hi quos nominas, Pharisæi, Esseni, Sadducæi, quid aliud erãt in ecclesia Hierosolymitana, quàm quod postea in Christiana Fraterculorum & Monachorum varij ordines &

genera fuerunt? Nam quòd Sadducæi palàm impia falsaq; defenderunt, id nihilo magis sacerdotibus & doctoribus Iudaicis vitio vertendũ est, quàm quòd in Ecclesijs Christianis nefarij hæretici sua dogmata propagarunt, id ecclesiæ Catholicæ, & pijs Episcopis tribui debet. Pharisæos autem & Essenos pro hæreticis habitos esse cùm negas, ab Epiphanio dissentis, qui illos apertè hæreticos vocat. Et nisi hæretici fuissent, cur Christus ab illorum fermento suos sibi discipulos cauere iussisset? *Luc.12.1.* Si ergo Hierosolymitanæ ecclesiæ mutatio satis cognita est, quia hæreses in illa natas Philastrius, Epiphanius, Iosephus describunt: ita etiã Christianæ ecclesię ἀποστασία prodita est literarũ monimentis, quia de Christianorum hæresibus multi libri conscripti sunt.

Quòd verum Dei cultum Hierosolymis ad Christi vsq; aduentum permansisse dicis, agnosco. Sed hic verus cultus hominum fuit interdum perpaucorum, quemadmodum eo tempore apparuit, quo Christus in terris vixit. Atq; vt in illa ecclesia quantumuis deprauata misere, erant tamen aliqui, quos veros cultores Christus habuit: ita etiam in Romana quantumlibet perdita ac profligata suam Christus ecclesiam conseruauit, in qua pius sanctusq; cultus viguit.

DVRAEVS, Fol. 184. 185.

Iam de Græcorum ecclesia quæris. Illas mihi nunc, *(inquis)* circumstantias in hac expone. *Rem petis Whitakere minimè arduam. Tu si Nicephorũ, Zonaram, & Glycam, aliósq; Græcorũ historicos euoluisses, nihil esset profectò cur Græcorum schismatũ initia atq; progressiones ignorares. Quemadmodum igitur nos earum hæresium, quæ apud Græcos fuerunt, primos inuentores, vt Paulum*

Samosatenum, Macedonium, Eutychium, Sergium Monothelitam, Pirrhum, Arrium, Nestorium proferimus, ita quas tu Romanæ Ecclesiæ hæreses appellas, à quibus primùm inuentæ sint palàm demonstrare debuisses. Sed illius fortaſſe schismatis originem & incrementa requiris, quod inter Constantinopolitanum Episcopum, & Romanum exortum est. Circa annum ab orbe redempto 580. Ioannes Constantinopolitanus Episcopus, & qui ei succeſsit Syriacus aduersus Apostolicam sedem ceruices erexit. Sub Bonifacio tertio res tota composita est. Quando Romana Ecclesia ipsum Ecclesiæ spiritum amisit? Quicquid sanè responderis, impudentiſsimum te calumniatorem probabis.

WHITAKERVS.

9 Quàm tibi molesta harum Ecclesiarum ἱστορία fuerit, ex responsione tua facilè conijcio. Nihil enim affers, quod non peræquè Romanam Ecclesiam attingat. Schismata & hæreses Græcorum commemoras, quasi de eo quæsiuissem, aut vnquam dubitassem. Sed quid si hæreses apud Græcos multæ extiterint, an easdem nescis à Græcis esse in multis concilijs damnatas? Quomodo ergo possunt istæ hæreses Græcorum ecclesias opprimere, quas omnes olim à Græcorum ecclesijs refutatas & explosas esse constat? An ita es in Græcorum ecclesijs hospes, vt putes hodie Græcos veterum hæreses tueri, de quibus isto loco meministi? At Græci non minùs, & forsan etiam magis à Samosateni, Eutychis, Sergij, Arrij, Nestorij, Macedonij hęresibus auersi sunt, quàm pontificij. Et quis non miretur istas à te hæreses Græcis obijci, qui scias, non minùs & multas & horrendas in Romana ecclesia mediaque penè Roma exortas? Romæ Valentinus,

nus, Marcion, Cerdõ, Florinus, Blasius, Tatianus, Nouatus, Pelagius, Iulianus, Celestinus, alijque consimiles multi sua pestifera dogmata proseminarunt: quos si damnatos à Latina Ecclesia fuisse dixeris, idem tibi de Græca respondebo. Si ergo tu præclarè functus es officio tuo, cùm quasdam Græcorum hæreses percurris, fatêre tibi etiam à me de eo quod quæris satisfactum esse. Sed tibi fortasse illius schismatis originẽ & progressionem requirere videor, quod inter Constantinopolitanum, & Romanum episcopum extitit. Quasi ego putem Græcam Ecclesiam esse schismaticam, quia à Romana abhorret. Si verò Constantinopolitanus Episcopus Græcam Ecclesiam in hæresin & ἀποστασίαν pertraxit, quia honores impios affectauit, id ipsum Romanus etiam in Latina Ecclesia fecit, cujus ambitio non minor, fęlicitas in ambitione maior fuit. Illa enim dignitas, de qua contendebatur, Constantinopolitano erepta, Romano delata est: *eoq; modo res (vt dicis) composita fuit*. An tu nunc aliquid ad rem respondisti? Et tamen pergis quærere, quando Ecclesiæ veræ spiritum Romana amiserit: quod tum dicam, cùm tu mihi temporis ipsum momentum definieris, quo vel Hierosólymitana, quam fuisse Dei excellentem Ecclesiam constat, vel Græcam, quam vos pro Christi Ecclesia non agnoscitis, spiritum Ecclesiæ amiserit: quod cùm facere nequeas, ineptam hanc omnem de tempore disputationem depone.

DVRAEVS, Fol. 186.

Sed maius aliquid deinceps moliris, & Polycratis Ephesiorũ Episcopi testimonio viuis Apostolis virginem fuisse Ecclesiam, illis vita functis statim corrumpi cæpisse: quo nescio quid vel à Turcis atque Paganis dici in Christum atque Ecclesiam contumeliosius queat. O indignum facinus! O scelus auribus Christianis minimè ferendum! Vbi frons, vbi pudor, vbi modestia? Nónne tibi in mentem venit tot diuinarũ promissionũ, quibus hanc sponsam viro suo Christo fidem perpetuò seruaturam Christus ipse pollicetur? Osee.2. Sponsabo te mihi in sempiternum &c. *Isai.59.* Hoc fœdus meum cum ijs &c. *Psal.88. Psal.131 Ioan.14. Matth.28. Mat. 16. Quantò rectiùs Cyprianus,* Adulterari non potest sponsa Christi; incorrupta est & pudica; *de vnit. Ecclesiæ.*

WHITAKERVS.

10 Ferreus sit necesse est, quem tui tam miserabiles clamores non commoueant. Nunc demum te virum fortem ostendis, cùm clamare incipis, *O indignum facinus! ô scelus non ferendum!* Si paria essent tuis clamoribus argumenta, quis tecum auderet contendere? Sed noli nimium triumphare, atq; istos clamores paulisper reprime. Quodnam enim quæso hoc scelus est, quod tanta orationis acerbitate, tantisq; vociferationibus insectaris? Corrumpi Ecclesiam qui posse dixit, in Christum atque Ecclesiam contumeliosus fuit? At Christus patrisfamilias agrum, hoc est, Ecclesiam zizanijs corrũpi docet. Et Paulus ait, paulo fermenti totam Massam corrumpi: & se vereri scribit, ne quam virginem vni Christo desponderat, serpens fallat & corrumpat. An verò

Mat.13.25. *1.Cor.5.6.* *2.Cor.11.3.*

verò Hierosolymitanam Ecclesiam corruptam esse dubitas, quàm Isaias palàm vocat meretricem? Et Ecclesiam Galatarum tum negabis fuisse corruptam, cùm illam in aliud Euangelium pseudapostoli abduxisset, & quibusdam quasi fascinis ac veneficijs incantassent? Tum quid ego aliud dixi, quàm quod Eusebius, & Nicephorus scriptis prodiderunt, vt mea nulla sit, quàm istorum maior culpa? Nec tamen est quod existimes, mihi hæc scribenti memoriam Diuinarum promissionum excidisse. Meminerám quidem ista omnia, & multò etiam plura Dei præstantissima promissa, quibus & se Ecclesiæ, & sibi Ecclesiam perpetuò deuinxit. Sed illa ad electorum Ecclesiam pertinent, nec impediunt, quo minus Ecclesiæ particulares erroribus, & praua doctrina infici ac corrumpi possint. Quod autem ex Eusebio adduxi, eo spectabat, vt docerem publicam omnem doctrinam non ita puram atque incorruptam post Apostolorum ætatem permansisse, atque antè extiterat. Etsi enim viuis Apostolis nonnulli conati sunt ἑτεροδιδασκαλεῖν, & in agro Domini quem Apostoli fidelissimi coloni optimis seminibus conseuerant, sua lolia inspergere, tamen neque liberè id facere potuerunt, & mox Apostolorum authoritate compressi coactique sunt vel desistere, vel palàm ab omni Ecclesia pro falsis magistris haberi. Recipe nunc te paululum, & quantos spiritus temerè profuderis recognosce.

Isai.1.21.

Gal.1.6. & 3.1.

Euseb.li.3. c.32.

Niceph.li. 3.c.7.& 16.

DVRAEVS, Fol. 187.

Neque hæc Eusebius ex Polycrate Ephesiorum Episcopo, vt tu hallucinaris, sed ex Hegesippo narrat. Quorum verborum si ea est, quam tu fingis sententia, nulla certè ætate post Apostolos integram atque synceram in terris Ecclesiam Christus habuit. Ecclesia igitur Apostolorum ætate virgo appellata est, quòd nondum illam hæretici palàm aperteq; oppugnarent, & quasi collectis viribus Episcoporum sedes ab ipsis Apostolis constitutas inuaderent.

WHITAKERVS.

11 Siue Polycratis illa, siue Hegesippi verba fuerint, nihil ad rem interest; verborum sensum eum esse, quem dixi, qui locum inspiciunt, facilè deprehendent. Tuam verò hîc fidem nonnihil desidero. Cùm enim Hegesippi verba primùm Græcè recitas, tum Latinè interpretaris, illis Græcis Latina tua non respondent. Dum Apostoli, quique docentem Christum audiuissent, vitam propagarent, virginem fuisse Ecclesiam testatur Hegesippus puram atque incorruptam: tu virginis nomen in versione prætermittis, in quo tamen sententiæ momentum maximum fuit. Hegesippi hæc verba sunt, μέχρι τῶν τότε χρόνων παρθένος καθαρὰ καὶ ἀδιάφθορος ἔμεινεν ἡ ἐκκλησία: id est, *Ad illa vsque tempora virgo pura & incorrupta permansit Ecclesia.* Euseb. li. 3. ca. 32. Si Ecclesia perpetuò futura erat virgo casta atque incorrupta, quis illo Hegesippo amentior aut stupidior fuisset, qui eam hucusque virginem perstitisse dixit? Quando autem ecclesiam viuis

Christi Apostolis ac discipulis virginem fuisse affirmauit, quid aliud sentire potuit, quàm illis è vita sublatis Ecclesiam corrumpi cæpisse? Quod etiam mox declarat his verbis, *Cùm illa autem ætas præterierat*, τηνικαῦτα τῆς ἀθέου πλάνης, τὴν ἀρχὴν ἐλάμβανεν ἡ σύστασις, *Tum* (inquit) *impij erroris conspiratio fieri cæpit*: quo certè nihil apertius dici aut cogitari potest. Atque hoc idem alio in loco Eusebius ex Hegesippo declarat his verbis, *Propterea vocabant Ecclesiam virginem: nondum enim corrupta erat vanis sermonibus. Eam Thebulis, quia non erat factus Episcopus, incipit corrumpere.* Euseb. lib. 4. cap. 22. Quanquam autem Ecclesia non statim facta est adultera, tamen minus quidem integra atque incorrupta euasit, si credimus Hegesippo. Nunc ista intellige, prout tibi visum fuerit maximè commodum: nunquam tamen effugies, quin statim post Apostolos doctrinæ & fidei inclinationem aliquam esse factam fatearis. Et quando ais hæreticos nondum palàm & apertè Ecclesiam oppugnasse, atque Episcoporum sedes inuasisse, aut nihil dicis ad rem, aut post Apostolos Ecclesiam ab hæreticis palàm aperteq; oppugnatam, & sedes Episcoporum occupatas esse concedis.

DVRAEVS, Fol. 188.

Romanũ deinde pontificẽ importuna digreßione perstringis. Miror (*inquis*) hunc Policratẽ tam fuisse vel imperitũ, vel obliuiosum, vt Romanũ pontificẽ non attenderit loco Apostolorũ datũ esse Ecclesiæ, qui hanc virginẽ defenderet, castamq; cõseruaret. *Quin tuã ipsius stultitiam potiùs Policrates si viueret admira-*

admiraretur, qui vel tam imperitus es, vel tam obliuiosus, vt non attendas Polycratem propter exortam de celebrando Pascate controuersiam literas ad Victorem pontificem Romanum dedisse.

WHITAKERVS.

12 Ex nominis errore captas occasionem nihil respondendi: sed te turpiter fugere conantem retraham in gyrum. Hegesippus ait falsos magistros palàm & confidenter impia dogmata disseminasse, quia tum nullus Apostolorum in viuis reliquus erat. Aut ergo ignorauit pontificem Romanum Ecclesiæ datum ac præfectum esse, qui tanquam sponsus sponsæ suæ castitatem tueretur, atque omnem ἑτεροδιδασκαλίαν repelleret, aut valdè inconsideratus atque in Christum ingratus fuit, qui perpetuum huius virginis tutorem à Christo relictum non agnouit. Expectabam vt hîc aliquid saltem comminisceres, quemadmodum aliâs soles: sed te prudentissimè facturum putabas, si hunc locum quanto posses silentio præterires. Itaque nouam de re aliena mentionem inijcis, ex qua tamen etiam quis non videt, firmissimum nobis contra pontificis tyrannidem argumentum suppetere? Si enim doctissimi & sanctissimi Græcarum Ecclesiarum Episcopi, qui mox Ecclesijs post Apostolos præfuerunt, à Romano pontifice in Paschatis celebratione vel maximè dissenserunt, nec pontificis aut Ecclesiæ Romanæ morem sequi voluerunt, quantumuis id pontifices modis omnibus laborarent, quis dubitat ignotam illis atque inauditam fuisse

γυμνῇ τῇ κεφαλῇ.

ponti-

pontificis Romani summam hanc Christique vicariam in omnes Ecclesias pótestatem?

DVRAEVS, Fol. 189.

Tandem argumento ex historia petito Campianum ita aggrederis. Volo tibi aliquid ex veteri historia commemorare (*inquis*) quod tu num tuum pontificem attingat considerabis. *Multis deinde verbis nonnulla in Carthaginiensi concilio gesta commemoras, quibus duo quędam lectoribus persuadere conaris, quorum prius est, non probasse concilij patres, quod per legatos suos in eo concilio Romanus pontifex agebat. Alterum verò legatos pontificis suppositititium Niceni concilij canonem malitiosè protulisse. Quid faceres, quęso, si in historia aliquid aduersum nos, quod alicuius esset ponderis inuenisses? Quid si concilij Carthaginiensis patres à Romanę Ecclesię communione desciuissent? At contraria omnia, quod illa Augustini verba luce clarius demonstrant.* In Ecclesia Romana semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus. *epist.* 102. *Et quæ ad Innocentium scripsit, Epist.* 102. *Et ad Bonifacium, lib.* 1. *cap.* 1.

WHITAKERVS.

13 Si vnicum hoc concilij Carthaginiensis monimentum extaret, nec quicquam præterea contra pontificem Romanum ex antiquitatis memoria suppeteret, satis tamen istud ad perpetuam pontificis infamiam valere posset. Quid enim? Nihil tuum pontificem attingit, ambitionis & perfidiæ condemnari, quæ duo crimina sic pontifici in hoc concilio inusta sunt, vt nunquã eluantur? Si quis verò tuo pontifici pudor reliquus esset, in hac certè causa totus erubesceret, in qua & ignominiosissimam repulsam accepit, & palàm falsi conuictus fuit, Sic tamen pontificis

cis defensionem aggrederis, quasi nihil fuisset admissum, nihil tentatum, cuius pudere pontificem oporteret. Quæris autem, *quid facturus essem, si aliquid in historia inuenissem, quod ponderis quicquam haberet,* cùm nihil in vlla historia inueniri grauius atque illustrius possit. Siue enim pontificum Romanorum inusitatam ambitionē ac fraudem, siue concilij authoritatem, siue nobilissimam sententiam in pontifices Romanos perlatam spectemus, nemo est tam rudis rerumq; imperitus, qui non causam maximam & grauissimam actam esse fateatur. Quod subiungis, *quid si à Romana Ecclesiæ communione desciuissent,* an tu nescis, quid Bonifacius secundus de his ipsis patribus conquestus fuerit? Legē illius ad Eulalium Alexandrinum literas, ex quibus intelliges hos ab illo patres accusari, quòd à Romanæ Ecclesiæ communione desciuerint. Sic enim scribit, *Carthaginiensem Ecclesiam ad communionem nostram redijsse (Domino propitiante) tradentibus significamus alloquijs.* Et paulò pòst, vt quid significet certiùs cognoscas, *Aurelius* (inquit) *præfatæ Carthaginiensis Ecclesiæ olim Episcopus cum collegis suis* (quorum Augustinus vnus fuit) *instigante Diabolo superbire temporibus prædecessorum nostrorum Bonifacij atque Cælestini contra Romanam Ecclesiam capit.* Ita sanctissimos ac doctissimos patres & Episcopos, ipsumque vnà D. Augustinum hic Romanus pontificulus instigatos à Diabolo fuisse impudentissimè calumniatur, quia Romani pontificis iniustæ petitioni restiterunt. Quæ recitas ex Augustino, nihil faciunt ad

Bonifac. 2. in ep. ad Eulal. Alexandr.

ad rem, & priùs explicata sunt.

DVRAEVS, Fol. 190.

Non de quauis appellatione patres illi loquuntur, sed de ea, quæ ab inferioribus sacerdotibus reliquoq; clero ad Romanum pontificem fieret. Neque enim de Episcopis atq; archiepiscopis dubitatum fuit. Sic enim totius concilij nomine ad Bonifacium Episcopum Romanum Augustinus scripsit, Concil. Carthag. cap. 101. Tuæ venerationi insinuare debemus, quæ vtrorumque concordia terminata sunt, vt Romam liceat Episcopis prouocare, & vt Clericorum causæ apud suarum prouinciarum Episcopos finiantur.

WHITAKERVS.

14 Si mihi libitum esset exclamare, *ô scelus! ô facinus!* quemadmodum tu nonnunquam soles, id quidem in hac causa iustissimè facerem. Quæ enim vnquam tanta fuit fallendi licentia, quanta te nunc vti vel tua tibi conscientia testatur? Apiarius quidam homo audax & nefarius, quemadmodum ex Concilio intelligimus, propter multa scelera damnatus, & sacerdotio motus ad Episcopum Romanum sese confert, ab eoque literas impetrat, quibus fretus locum repetit. Eum synodus Carthaginiensis de integro damnauit, & multis decretis sanxit, ne cui liceret ad transmarinos Episcopos prouocare: qui contrà fecerit, à communione Ecclesiæ submouit. Has leges non de Episcopis & archiepiscopis, sed de clericis & inferioribus sacerdo-

Conci. Carth. ca. 28. 29. 123. 126.

ſacerdotibus intelligendas eſſe reſpondes: in quo pudoris tui teſtem appello omnem Chriſti Eccleſiam. Eſt enim ex ipſo concilio manifeſtum Epiſcopis etiam interdici tranſmarina prouocatione, non minùs quàm presbyteris atq; clericis. Concilij hæc verba ſunt cap. 28. in quo poſtquã de diaconis & clericis legem promulgaſſet, ſubiungit, *Quemadmodum etiam de Epiſcopis ſæpe conſtitutum eſt.* Sed epiſtola concilij ad Celeſtinum conſcripta nullum tuæ tergiuerſationi locum relinquit. De hac ipſa cauſa, & ſynodo Nicena ſic patres ſcribunt, *Si enim de inferioribus clericis & Laïcis videtur ibi obſeruari, quantò magis hoc de Epiſcopis voluit obſeruari?* Atque id ipſum multis præterea verbis in epiſtola declaratur. Neque id primum in hoc concilio decretum eſſe, ex alio antiquiore Carthaginienſi Concilio, cui Cyprianus Martyr interfuit, cognoſces, in quo hæc ſcripta & ſanctiſſimè conſtituta ſunt, *Neque quiſquam noſtrûm Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit: quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium, tanquam iudicari ab alio non poſſit, cùm nec ipſe poſſit alterum iudicare.* Satis iam vides iſtas omnes prouocationes vel presbyterorum vel Epiſcoporum damnari, & ſummum illud Romani pontificis tribunal euerti. Quod autem ex literis concilij affers ad Bonifacium miſſis, in eo etiam non minorem fallendi voluntatem oſtendis. Iſtæ enim lite pendente ſcriptæ ſunt, antequam Niceni concilij

ὡς καὶ περὶ τῶν ἐπισκόπων πολλάκις ὥρισται.

πόσῳ μᾶλλον τοῦτο περὶ ἐπισκόπων βούλεται παραφυλαχθῆναι.

cilij verissima exemplaria allata fuerant, quemadmodum ex ipsis literis patet. Volunt enim id quod pontifex petijt valere, *quousque canones Niceni inspecti essent, & verissima exemplaria adducta.* At illis post annum allatis, & fraude penitus perspecta, pontificis superbam iniustamque postulationem reijciunt grauissimis literis ab omni concilio ad Celestinum scriptis. Hæc nosse, est te tuumq; pontificem clarissimè reuicisse.

ἕως οὗ ζήτησις. ἕως τῆς παρουσίας τῶν ἀληθεστάτων ἐξεμπλάρων.

DVRAEVS, Fol. 191.192.

Neque verò Faustinus ille pontificis legatus fraudem vllam admisit. Corruptos enim Nicenæ synodi canones ab Arrianis fuisse superstite etiam Athanasio satis constat ex ipsius ad Felicem epistola. Huc etiam referri debet quod de Athanasii calumniatoribus Romam à Iulio euocatis refert Theodoretus lib. 2. cap. 4. & Socrat. lib. 2. cap. 13. & Sozomenus lib. 3. cap. 8. & 10. & Nicephorus lib 9. cap. 8. & 10. Qua verò fronte Iulius hunc canonem proferre ausus fuisset, nisi certam & exploratam illius veritatem vel aduersarijs testibus habuisset?

WHITAKERVS.

15 Non illa Faustini, sed *Zozimi* pontificis fraus & corruptela fuit: Quanquam & hunc Faustinum, & illius collegas Philippum atque Asellum summa reprehensione dignos synodus tota iudicauit. Corruptos autem fuisse Nicenæ synodi canones non negabo: at exuri atque ex tam multis non nisi viginti seruari potuisse, quemadmodum tuus Athanasius refert, absur-

dum, incredibile, ἀδύνατον meritò videri debet. Cùm enim Niceni concilij canones transcripti atque ad omnes Ecclesias celebriores transmissi fuissent, subitò omnes in hæreticorum manus venisse, atque ab illis aut corruptos aut perditos fuisse, quenquam putas tam delirum esse, qui persuaderi sibi patiatur? Cæcilianus Carthaginiensis Niceno concilio interfuit, & canonum exemplaria domum retulit: ea patres *apud se esse, sibiq; vera & germana videri* testantur: tum Cyrillus Alexandrinus & Atticus Constantinopolitanus sua etiam exemplaria ad synodum Carthaginiensem mittunt, eaque *verissima & fidelissima* appellant. Contra horum omnium testimonia tuo suppositītio Athanasio fictoque concilio credemus? Nimium tu quidem tibi ipsi de te polliceris, si nos fabulis à te recoctis assensuros putas. A Iulio verò hunc canonē prolatum esse nullus historicus author est. De lege quadā Ecclesiastica mentionē faciunt, hunc huius concilij canonem non nominant. Atq; vt talē fuisse legem Ecclesiasticam demus, quid aliud nactus es, quàm Episcoporum decretis, non diuinis tabulis hanc pontificis iurisdictionem contineri? Sed hanc legem patres Carthaginienses ignorarunt, itaque aut nulla eiusmodi fuit, aut certè à Nicena synodo condita nunquam fuit.

DVRAEVS, Fol. 193.

Caluinus non minùs falsò, quàm impudenter confinxit Sardicensis concilij canonem pro Niceno canone Iulium supposuisse: quanquam hic canon si Sardicensis tantùm concilij fuisset, satis profectò ad Romani pontificis authoritatem supra cæteros Episcopos confirmandam

tandem ponderis haberet. Verùm quò præceptoris tui mendacium clarius perspicias, vtriusque canonis sententiam habes, Nicen. Concil. can. 39. Sardicens. concil. can. 3. & 4.

WHITAKERVS.

16 Caluinum ais impudenter nescio quid confinxisse: sed tu Caluinum nimium oscitanter legisti. Non enim hunc canonem à Iulio, sed à Zozimo suppositum fuisse scribit, in quo probabilem coniecturã sequutus est, nec aliquid finxit impudenter, vt tu scribis intemperanter. Nicenæ enim synodi nullus fuit eiusmodi canon, qualem Zozimus venditauit: in Sardicensi concilio priuilegiũ illud extat, quod pro Niceno decreto pontifex haberi voluit. Atq; hoc tibi satis videtur ad Romani pontificis authoritatem confirmandam, quòd hunc vel Sardicensis concilij canonem esse fateatur. In quocunq; enim tandem concilio sancitum fuerit, id æqui boniq; Romanus pontifex consulet, qui nihil vnquam respuere solet, quod ad ipsius dignitatem amplificandam faciat. Sed quantum inter Nicenum, & Sardicense conciliũ intersit, facilè licet dijudicare. Et primùm hanc legem (si qua talis fuit) rogatã esse constat ab Hosio quodam, quẽ epistola concilio Latino præposita *delirum & impium senẽ vocat*. Deinde quantũ huic concilio tribuendũ sit, ex Augustino disce, cuius hęc verba sunt, *vnde apud nos constitit Arrianorum fuisse concilium* Sardicense. Túne ausus es Niceno Sardicense concilium exæquare, quod fuisse Arrianorum constare scribit Augustinus? Postremò patres Carthaginienses ad Celestinũ — *August. Epist. 163.*

 scribunt,

Carthag. ſcribunt, quod in Sardicenſi Concilio cautum
concil.in E- legimus, id nullo patrum concilio decretum in-
piſt. ad Ce- ueniri. Itaque vel ſuppoſititium eſſe canonem,
leſtin. vel in Eccleſia nunquam valuiſſe certum eſt. Si enim in lege nullum vitium fuiſſet, eaque ad omnem Eccleſiam ſpectaſſet, his patribus ignota eſſe nunquã profectò potuiſſet. Mei verò præceptoris mendacium egregiè prodis, quando Niceni concilij canonem 39. producis. Ego enim ab optimis præceptoribus non niſi viginti Nicenæ ſynodi canones agnoſcere didici. Theodoritus in
Theodorit. hiſtoria ſcribit, αὖθις συνελθόντες εἰς τὸ συνέδριον περὶ τῆς ἐκκλη-
lib.1.ca.10. σιαστικῆς πολιτείας νόμους ἔγραψαν εἴκοσι. Hæ nunc viginti leges exant tuumq; hunc canonem non in Nicena ſynodo, ſed in pontificia mendaciorum officina editum eſſe teſtantur.

DVRAEVS, Fol. 194.

Ad Phocam ſanè quod attinet, nihil illo argumento, quod ex illius facto ducis Caluinum tuum ſequutus leuius dici poteſt. Nam & Caluinus ipſe à Sardicenſi concilio agnitam Romani pontificis authoritatem fuiſſe fatetur: & qui Phocam præceſſere imperatores Chriſtiani non pauci ſupremam Romani pontificis authoritatem agnouerunt. Vt Aurelianum & Conſtantinum omittam, C. lib.1. de ſum. Trinit. & fide Cathol. Gratianus & Valentinianus ſuis edictis cauent, vt omnes eam religionem ſuſcipiant, quam Damaſus amplectitur. Sic Iuſtinianus, initio Authentic. Sic Valent. & Marcian. in epiſt. ad Leonem.

WHITAKERVS.

17 Phocas Mauricij parricida Bonifacio tertio primus conceſſit, vt is Epiſcopus vniuerſalis,

& Roma caput Ecclesiarũ diceretur: quo tempore Antichristum affirmo palàm suum in Ecclesia Romana solium collocasse. Nam vt Gregorius verissimè scribit, *qui cuncta Christi membra* *Grego. lib. 4. epist. 38.*
sibimet conatur vniuersalis appellatione supponere, Antichristianam potestatem inuadit: Bonifacius autem cuncta Christi membra sibimet subiecit, eumq; honorem suis posteris reliquit: quare nunc constat Antichristum in aperta Romanę sedis occupatione versari cæpisse, in eaque semper deinceps insedisse. Tuum erat pontificem defendere, & hanc infamiam ab illa sede remouere, vt quanquam nunc pontifex Romanus ecclesiæ totius caput, Dominus, sponsus, legislator, pastor, Deus, Episcopus vniuersalis dici cæpit, tamẽ Antichristũ hunc minimè fuisse demonstrares: quod quia non posse à te fieri præuidebas, prætermittendum existimabas. Et tamen vt aliquid hoc loco afferre videreris, Sardicensis concilij decretũ, & quasdam Imperatorum leges commemoras. De concilio Sardicensi responsum est: & te iam huic concilio minùs confidere in hac causa mihimet persuasi. Quòd autem Gratianus & Valentinianus omnibus Christianis edicunt ac præcipiunt, vt de Trinitate non aliter sentiant, quàm Damasus professus est, quid illa res ad pontificis summum in Ecclesias principatum attinet? Quia enim Damasus fidem Catholicam tenuit, & impias hæreticorum opiniones repressit, suoque exemplo reliquas Ecclesias in pia religione confirmauit, num proinde pontificium in Ecclesias dominatum exercuit? Romanam verò

ecclesiam pro summa, & prima, & principe habitam fuisse fateor: sed hinc pontificis vniuersalem tyrannidem arguere βλακικὸν est.

DVRAEVS, Fol. 195. 196.

Aliud deinde ἀσύστατον subiungis: Id fuit (*inquis*) de istis temporibus hominum iudicium, Gregorium Magnum episcoporum ecclesiæ Romanæ bonorum fuisse vltimum, malorum primum. *Qua in re magistri tui Lutheri improbitatem superasti, qui Gregorium virum haud dubiè sanctum appellat. Tu hîc veterum hæreticorum ingenium egregiè refers. Sic Samosatenus apud Euseb. lib. 5. cap. 27. fidem à Zepherino penitus corruptam fuisse affirmabat. Sic Eutychiani à Leone, teste Vigilio lib. 5. sic Donatistæ, &c. Vt superiorum hæreticorum calumnias Catholici confutarunt, ita quæ à vobis modò confinguntur, eadem sanè via in promptu nobis est falsa demonstrare.*

WHITAKERVS.

18 Gregorium agnosco virum bonum & sanctum, tamen non fuit vt dico, nimiùm bonus. Habuit enim multa, quæ possunt meritò reprehendi, quod qui ipsius libros legunt, eosque cum scriptis Apostolicis conferunt, facilè animaduertunt. Qui verò Gregorium sequuti sunt, sanè pessimi fuerũt. Nam Sabinianus Gregorio semper quantum potuit detraxit, & Bonifacius tam Gregorio dissimilis fuit, vt quod Gregorius repulit & damnauit summa execratione, id iste appeteret, ambiret, obtineret. De cæteris meam sententiam nosti, quam tum mutabo, cùm

tu

tu qui se Christi vicarium esse gloriatur, non esse Antichristum probabis. Quid veteres hæretici fecerint, id me, qui non sum hæreticus minimè attingit. An verò quia Romanos olim pontifices hæretici, falsò accusabant, nobis non licebit Romanos pontifices à suis maioribus degeneres reprehendere? Sic autem nos conuinci, quemadmodum hæreticos Catholici confutarunt, quomodo demonstrabis? Primùm enim docere debes nobis sacræ scripturæ testimonia contradicere, quod de hæreticis scribit Eusebius: tum vestra dogmata antiquissimorum patrum scriptis confirmare, quod veteres catholici fecerunt. Quod enim assumis, quæ vestri pontifices, docent, ea esse à maioribus tradita, ne longè abeam, vno exemplo refellam. Quis vnquam Romanus pontifex ante Bonifacium tertium docuit pontificem Romanum esse vniuersalem Episcopum, omnia Christi membra debere illi subiecta esse, qui illi subesse nolunt, à spe salutis excidisse? Ex omni illo numero Episcoporum, qui ante hunc Bonifacium in Ecclesia Romana sederunt, profer vnum tale aliquid docentem, aut scribentem. Et quantum hoc quæso est religionis pontificiæ caput, à quo ferè vniuersa alia pendent? Decretales illas Epistolas nolim existimes, aliquid apud me ponderis habituras, quantumuis tuus in illis exornandis Turrianus mirificè elaborarit. Deinde vt quantum inter veteres recentesq; pontifices Romanos intersit; omnes perspiciant, nomines mihi aliquem volo antiquum Episcopum Romanum, qui non diligenter

Euseb. lib. 5. cap. 28. εἰ μὴ πρῶτον μὲν ἀθέτητέον αὐτοῖς αἱ θεῖαι γραφαί.

ipse populum docuerit, sacras conciones habuerit, sacramenta celebrarit. Horum nihil tuus pontifex iamdudum factitauit: itaque priscis illis loco, non fide, munerisq; functione successit.

DVRAEVS, Fol. 197. 198.

Bernardus (*inquis*) quoties & quàm amarè statum perditissimum ecclesiæ deplorauit? *Quis enim vir pius populi peccata non defleat? Semper mali in ecclesia cum bonis permixti fuerunt, vt rectissimè Augustinus ad Felicianum. Perspicuum est non de hæreticis eum, sed de prauis Catholicis loqui, nec doctrinam ecclesiæ, sed corruptos malorum mores notare. Neque tamen ita vitijs omnia esse contaminata ait, vt non quorundam ecclesiæ antistitũ sanctitatem summis ipse laudibus efferat.*

WHITAKERVS.

19 Si talis ecclesiæ vestræ status fuit, qualem Bernardus depingit, ac sæpe deplorat, valdè quidem fuisse miserum nemini dubium est. Nullum enim penè crimen cogitari potest, quod non ille in ecclesiæ visceribus hærere conqueratur. Tibi sufficit respondisse, Bernardum non de ecclesiæ doctrina, sed de malorum moribus loqui: quanquam miror in mentem venisse tibi vt tales maiorum tuorum mores fuisse fatearis. *Ministri Christi* (inquit Bernardus) *seruiunt Antichristo.* Et in alio loco sic papam ipsum affatur, *Inter hæc tu pastor procedis multo & precioso circundatus ornatu. Si auderem dicere, dæmonum magis, quàm ouiũ pascua hæc. Curia tua recipere bonos magis, quàm facere consueuit. Mali illic non proficiunt, sed boni deficiunt.* Et alibi, *A planta pedis vsque ad verticem* non

Bernard. in Cantic. serm. 33. Ad Eugen. lib. 4. De conuers. Pauli.

non est sanitas. Rursum in alio libro, *Superest vt reueletur homo peccati, filius perditionis, dæmonium nō modò diurnum, sed & meridianum.* Et iterum ad Eugenium, *In his enim secularibus videlicet apparatibus & potestatibus successisti non Petro, sed Constantino.* Dies me deficeret si reliquas sancti Bernardi querelas ac criminationes persequerer. Permixtos semper in ecclesia fuisse cum bonis malos concedo, at Bernardus non hanc permixtionem malorum, sed interitum bonorum, & ecclesiæ ruinas lamentatur.

In psal. 91. serm. 6.

Lib. 4. de cōsid. ad Eugenium.

DVRAEVS, Fol. 199.

Nec minorem Aeneæ Syluio iniuriam facis, cum ex familiaribus illius ad amicum literis manca quædam excerpis, refriguisse charitatem, & fidem omnem interijsse.

WHITAKERVS.

20 Veram fuisse hanc de ecclesiæ calamitate querimoniam multi etiam alij testantur, qui iisdem ferè temporibus vixerunt. Clemangis in libro, quem de corrupto ecclesiæ statu inscripsit, sic habet, *Multò æquanimiùs decem millium animarum ferunt iacturam, quàm decem solidorum. Pōtifices suas traditiones diuinis longè mandatis anteponunt. Monachos dicit, & probat esse lupos rapaces in vestimentis ouium, Sathanas in angelos transformatos, pharisæos, hypocritas, sepulchra dealbata.* Francischus Petrarcha pontificiā aulam, *Babylonicam meretricem, matrem omnium idololatriarū*

Nicol. Clemangis.

Petrarch. in Epist. 20.

& scortationũ: asylum hæresiũ & errorũ vocat. Ioannes à Capistrano sic scribit, *Sed in hoc non insistam, quia de talibus loqui nefas est, & non simoniacis, sed simoniam arguentibus pro crimine reputatur: in mẽbranis arguitur: in plateis iubilat & exultat.* Stella Venetus, *Omnis* (inquit) *virtus, tam in capite, quàm in membris ex hominum ignauia consumpta est.* Quæ cùm ita essent, potuit Aenæas verè scribere, & charitatem refrixisse, & fidem perijsse.

Ioan. à Capistran. de Papa. &c. pag. 11.

DVRAEVS, Fol. 200.

De Cornelio Bitontino quid dicam? Vtinam (*inquit ille*) à religione ad superstitionem, à fide ad infidelitatem, à Christo ad Antichristum, à Deo ad Epicurum velut prorsus vnanimes non declinassent. *Id vult, dormientibus plerisque ecclesiæ pastoribus multos partim alijs vitijs, partim etiam hæresi perijsse. Vtinam nobis semper plurimi suppetant non Cornelij tantùm Bitontini, non Aenææ Syluij, non Bernardi: sed Chrysostomi, Augustini, Hieronymi.*

WHITAKERVS.

21 Cornelius Bitontinus non mores tantũ ecclesiæ pontificiæ perstringit, sed inprimis fidei ipsius cladem conqueritur, nec populum modò accusat, sed presbyteros multò magis maximorum criminum reos facit. Quod ille quidem tutò facere potuit, cùm in eo & pontificem ipsum, & pontificis summos legatos sequeretur. Sic enim Adrianus sextus, *Dices, nos ingenuè fateri, quod Deus hanc persecutionem Ecclesiæ suæ inferre permittit propter peccata homi-*

Adria. sext. in instruct. legat. ad Comit. Norimberg.

hominum, maximè sacerdotum, & Ecclesiæ prælatorum. Iterum, *Scimus in hac sede aliquot iam annis multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia deniq; in peruersum mutata.* Pulchra certè & digna pontifice confessio. Sed nunc pontificios Cardinales audiamus: *Ex hoc fonte sancte pater, tanquam ex equo Troiano irrupere in Ecclesiam Dei tot abusus, & tam grauissimi morbi, quibus nunc conspicimus eam ad desperationem ferè salutis laborasse.* Nega nunc, si potes, Ecclesiam Romanam à pristinis institutis desciuisse: nisi fortè talem fuisse semper arbitraris, qualem isti describunt. Iam ergo vt hunc omnem de mutationum momentis sermonem concludamus, cùm satis constet Romanam Ecclesiam, ipsamque inprimis pontificis aulam, maximis & innumeris morum vitijs ac flagitijs abundare, quibus antiqua Ecclesia Romana nunquam laborauit, idque vel pontificum confessione verum esse intelligamus, velim quod tu à nobis de fide quæris, id ipsum de moribus respondeas, vt quo anno, quo pontifice, qua via hæc tanta & tam multa scelerum monstra in Ecclesiam pontificiam irruerint, distinctè & accuratè doceas. Cùm enim incredibilem esse factam morum mutationem nemo sanus dubitet, initium tamen & progressio malorum ignoratur, an nullam à fide aberrationem fieri potuisse persuadebis, nisi tempus, authorem, incrementa erroris, reliquasque circumstantias teneamus?

Delect. Cardinal. ad Paulum 3.

DVRAEVS.

DVRAEVS, Fol. 201.

Hîc à Petro (*inquis*) Romam significari, non tam facilè adducor vt dare velim. *Dedit hoc tamen Oecumenius, Hieronymus, Eusebius, Tertullianus, vt cæteros omittam. Nam quòd ais nec dum vnquam Catholicos ostendere potuisse Romę fuisse Petrum: eadem fronte dixisses, neque Romulum ipsum, neque Iulium Cæsarem, aut Pompeium Romę aliquando fuisse. Etenim si Clementis authoritatem reijcis, si Cyprianum non audis, si Eusebium & Dorotheum contemnas, si Epiphanio fidem non adhibes, si Optato non credas, si Hieronymo, Irenæo, Tertulliano, Prospero, Augustino, Ambrosio, Leoni, Gregorio, Prudentio nihil tribuendum putes, quid erit in historia tàm testatum, quod non quiuis in quæstionem denuò vocare poterit?*

WHITAKERVS.

22 Magnam nimirũ rem facis, quando quod ego minimè do, id nonnullos dedisse authores ostendis. Verùm quid his tandem testimonijs euicisti? aut dici Romam à Petro Babylonem, aut omnino fuisse Romæ Petrum? Neutrum. Non enim hominum opiniones, sed scripturæ authoritatem quærimus: In quo qui suæ saluti consulunt, id vnum altiùs secum diligentiusque velim reputare, cùm tota pontificia πολιτεία atque ἱεραρχία hoc vno fundamento nitatur, Romanę ecclesię Episcopum fuisse Petrum, id nullo scripturæ verbulo posse demonstrari. Ita ex hominum coniecturis, putriq; filo totus Papismus pendet. Quid si enim multæ historię Petrũ Romę fuisse narrãt? Si id scriptura non testatur, quæ hæc fides erit nullis scripturis approbata? Suspensos semper incer-

1. Pet. 5. 13.

incertosq; animos esse oportet, qui nihil in scripturis inueniunt, in quo acquiescant, quando de religionis summa deliberant. Receptam hanc quidem à multis esse opinionem fateor. Sed quis ignorat, quàm facile sit, quod vnus initiò tradidit, id fama crescere, atque à multis in posterum celebrari? Petri cum Simone Mago pugnam Romę factam antiquus aliquis author commemorat, eum frequentes deinceps alij sequuntur, atque hinc cathedra pontificia ex hominum rumusculis & communi suspicione manauit. Tu verò qui Romæ Petrum fuisse negant, eos non minus dubitare posse dicis, an Romulus, aut Cæsar, aut Pompeius, aut regum aliquis Romæ fuerit. Quid ita quæso? Nam hoc quidem omnes historiæ testantur, qui de Romanis rebus aliquid scripserunt: De Petri verò Romana profectione nihil in sacra historia legimus, in qua tamen illud perscriptum esse oportebat, quod omnium Christianorum nosse vel maximè interetat. De Romulo si quis dubitat, aut nesciat, nihil damni faciat: Petrum verò fuisse Romanæ Ecclesiæ Episcopum, qui sibi penitus non persuasit, pontificium nihil ex animo tueri potest. Et quis tandem mihi persuadebit, ad fidem & πληροφορίαν, cùm nullũ possit scripturæ de hac re testimonium proferri? Sum enim tardior ad credendum, præsertim cùm multas scripturas videam huic opinioni incredibiliter inimicas. Si quidem æqua esset scripturarum in alterutram partem propensio, non auderem tamen assentiri: nunc cùm scripturas in alia

omnia

omnia frequentes ire perſpiciam, multò magis alienus ſum. Petrum enim ſcriptura circumciſionis, hoc eſt, Iudæorum Apoſtolum fuiſſe teſtatur: & cum Paulo Petrus eiuſmodi pactum inijt, vt ille apud Gentes, hic apud Iudæos munere Apoſtolico fungeretur: Romanum ergo fuiſſe Epiſcopum Petrum, idque tam multis annis, cum Petri inſtituto, fideque pugnat. Venit Romam Paulus, ad eum mox Iudæi accurrunt, ſeque planè rudes & imperitos Chriſtianæ religionis oſtendunt: itaque ſe Paulo informandos tradunt. Id fieri minimè potuiſſet, ſi tam multis antè annis Romanam Eccleſiam Petrus rexiſſet. Moratur Romæ biennium Paulus, & multas inde varijs temporibus Epiſtolas ſcribit, in quibus cùm multos fratres nominat, tum de Petro nunquam meminit. An Petrum biennio abfuiſſe à ſua Eccleſia credamus? Viginti poſt Chriſti aſcenſionem annis fuiſſe in Iudæa Petrum ex ſcripturis conſtat: at illum Romæ tunc eſſe oportebat, ſi quod fidelem Epiſcopum decuit, facere vellet, niſi quem ille vicarium reliquerit, docere potes. Quid quòd hiſtorici in tanta opinionum varietate verſantur, vt quem potiſſimùm ſequaris neſcias. Alij enim Romam veniſſe Petrum ſcribunt Claudij anno primo, alij ſecundo, alij quarto, alij decimo tertio: quarum opinionum vt nulla vera ſit, fieri poteſt; vt omnes ſint veræ, non poteſt. Huc accedit, quòd antiquiſſimi patres etſi fuiſſe Petrum Romæ ſcribunt, eum tamen Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ

Gal.2.7.9.

Act.28.22.23.

Galat.2.1.11.

clesiæ non vocant. Irenæus ad hunc modum scribit, *Fundantes igitur & instruentes beati Apostoli* (Petrus & Paulus) *Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt*. Sic Tertullianus, *Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum ab Ioanne collocatum refert, sicut Romanorum Clementem à Petro collocatum*. Primus ergo Romanorum Episcopus aut Linus, aut Clemens extitit, quemadmodum Smyrnæorum Policarpus: nec magis Romanorum Petrus, quàm Smyrnæorum Ioannes Episcopus fuit. Et verò cùm Apostolus esset Petrus, Episcopus esse nec debuit nec potuit. Nam Episcopi certas sedes obtinent, Apostoli nullis præficiuntur certis Ecclesijs. Facere ergo ex Apostolo Episcopum multò magis ineptum est, quàm si pontificem Romanum esse aliquem parochum aut curionem dicas.

Irenæ. lib. 3. ca. 3.

Tertullian. de præscript.

DVRAEVS, Fol. 202.

Ludis in Babylonis nomine, & quasi opportunum caninæ tuæ facundiæ exercendæ locum nactus, Romanæ Ecclesiæ impudentissimè tribuis, quod Apostolus Petrus, & in Apocalypsi Ioannes non nisi de vrbe ipsa Romana à fide Christi adhuc abhorrente, & Christianos persequente dixit.

WHITAKERVS.

23 Si lusi, ludentem mitiùs tulisses. Caninam verò facundiam non agnosco, nisi canina sit, quæ tuum pontificem nonnihil momordit. Dici

Dici Romã à Petro Babylonem, id verò tantum abest vt dixerim, vt planè & penitus negarim. Petro enim causa nulla fuit μεταφορικῶς loquendi: at Ioannes antichristi mysterium in Apocalypsi narrans minimè mirum est, si ascitis mysticisque vocabulis vtatur. A Ioanne autem non Romam à fide abhorrentem & Christianos persequentem, qualis ea fuit tempore primæ ecclesiæ, sed Romam ab Antichristo instauratam describi satis manifestum est. Cùm enim scribit, *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, & facta est domicilium dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ,* quis hoc non videt de antiqua Roma non intelligi, quæ quando à fide abhorrere, & Christianos persequi desijt, sanctorum potiùs domicilium quàm dæmoniorum, spiritus sancti quàm immundi custodia extitit? Et nescis Romam à patribus dici Babylonem, non tantùm mutatis principibus, sed imperio etiam Constantinopolin translato, Roma euangelium profitente, nullum Christianum persequente? Hieronymus Romam quasi trito proprioq; nomine Babylonem vocat: sic Augustinus, sic Orosius, sic multi deinceps alij, quos si canina facundia vsos esse dixeris, teipsum verè κυνικὸν ostenderis.

Apocalyp. 18.2.

Hierony. ad Asellam, & lib. 2. contra Iouinian.

DVRAEVS, Fol. 203. 204.

Non id ait Caluinus (*inquis*) nihil omnino in vlla parte fidei mutatum fuisse. *Non id ait, Whitakere? vereor equidem ne, vt estis nouarum rerum cupidissimi, non modò nouam nobis ex lacu Lemano Theologiam aduexeritis, verùm etiam nouam*

nonam alicubi Grammaticam cudatis. Veram Christi ecclesiam esse fateris, quæ ab Euangelica doctrina digreditur atque aberrat, quo quid dici absurdius potest?

WHITAKERVS.

24 Nostra Theologia non ex lacu Lemano emersit: sed è sacrarum literarũ purissimis fontibus emanauit: Vestra verò tandem in illum lacum ex quo hausta est redundabit. De Caluino satis antè responsum fuerat, si tu posses in vera respõsione acquiescere. Nunquam enim ostendes aliam Caluino fuisse mentem, quàm quæ à me proposita fuit, de qua quid attinet amplius litigare? Ecclesiam Christi veram agnosco, quæ nonnullas à doctrina Euangelica digressiones aberrationesque habet, quòd multarum ecclesiarum exemplo confirmatur. Iudaïca enim ecclesia & si multis erroribus sæpe laborauit, ecclesia tamen Dei esse minimè destitit. Ita quanquam Corinthij, ac Galatæ ab Euangelica doctrina mognopere deflexerant, Corinthiorum tamen & Galatarum ecclesias Paulus salutat. Sed quando tu alios absurdos esse dicis, tum plerumque ipse es absurdissimus. 1.Cor.1. Gal.1.2.

DVRAEVS, Fol. 205.

Quòd Syricium legis de cælibatu authorem facere videris, est quidem hic error vt turpissimus, ita cum multis tibi præceptoribus tuis communis. Vt antiquissima concilia, pontificumq́, illorum, qui Syricium antecesserunt decreta prætercam, apertissimus est Carthaginensis synodi canon, qui rem hanc inter Apostolicas traditiones recensent. Carthag.2. can. 2. Sic Clemens in Epistola

ad Iacobum fratrem Domini. Ac ne apud Græcos quidem ipsos, Sacerdotes vxoribus quas ante Sacerdotium duxerant vti consueuerunt, Epiphan. Heres. 59. Hinc Hieronymus antiquissimum hunc Ecclesiæ morem pro argumento affert contra Vigilantium.

WHITAKERVS.

25 Primus impiæ legis lator Syricius fuit, quem admodum ex Gratiano manifestum est. Quanquam enim multi Sacerdotes ante Syricium sponte sua cœlibatum amplexi sunt; nullis tamen coniugium, qui eo carere nollent, lege prohibitum fuit. Nam Carthaginense 2. Concilium Syricij huius tempore habitum est, cuius etiam interpretationem pete ex sexta Synodo. Clemens verò tuus non ignoras quàm nullius precij sit. Ab Apostolis autem institutum & præceptum esse perpetuum ministrorum cœlibatum, ne longiùs abeam, ex ipso Gratiano apertissimè refellam, apud quem sic Augustinus loquitur, *Copula Sacerdotalis, nec legali, nec Euangelica, nec Apostolica authoritate prohibetur*. Et Stephanus Papa ait: *Aliter se orientalium traditio habet Ecclesiarum: aliter huius Sancta Romana Ecclesia. Nam earum sacerdotes, diaconi, aut subdiaconi in matrimonio copulantur.* In illo verò loco planè obmutescas est necesse, *Coniugia sacerdotibus antè prohibitionē vbiq; licita erant: & in orientali Ecclesia vsque hodie eis licere probatur.* Si vera ista sint, quæ sunt verissima, pudeat te posthac Apostolos tam turpis & inhonestæ legis authores affirmare. Græcos autem sacerdotes ab vxoribus, quas ante sacerdotium duxerant,

Constanti. 6.can.13.

26.q.2.c. Sors.

Dist.31. Aliter.

Dist.56. Cenomanensem.

duxerant, abstinuisse, prorsus incredibile est, cùm satis constet in Niceno concilio huic legi à Paphnutio intercessum esse, nec Græci vnquã sibi istum cœlibatus laqueum hactenus imponi permiserint. Quid quòd ipse Epiphanius testatur multos etiã maritos factos esse presbyteros, quod quanquam minimè probat, ipsos tamen presbyteros nec adulterij accusat, nec censet à suis Ecclesijs remouendos? Spiridionem Sozomenus Trimithuntis Episcopum scribit *vxorem, & liberos habuisse*. Nec propterea quicquam ad res diuinas obeundas factum fuisse ineptiorem. Athanasius disertè scribit, *Episcopos liberorum patres nouimus*. Sed illa sexti concilij sanctio, quam etiam Gratianus recitat, totum hoc quorundam de Apostolica traditione commentum facilè discutiet, remq; omnem expediet. Nam & presbyteris & diaconis matrimonium permittunt, *antiquum sequentes canonem Apostolicæ diligentiæ: & si quis præsumpserit, contra Apostolicos canones aliquos presbyterorum & diaconorum priuare contractu & communione vxoris legitimæ*, excommunicandum iudicant. Hieronymus morem antiquum, sed nec Apostolicum, nec perpetuum adducit. Sic enim scribit, *Eliguntur mariti in sacerdotium, non nego*. Iterum, *Quomodo, inquies, frequenter in ordinatione sacerdotali virgo negligitur, & maritus assumitur?* Itaque desine tandem impuram Syricij tui legem, & Dei, & Christi, & Apostolorum institutis contrariam defendere.

Epiphan. Hæres. 59.

Sozomen. li. 1. c. 11. οὐ παρὰ τοῦτο τὰ θεῖα χείρων.

Athanas. ad Dracõtium.

Dist. 31. Quoniam.

Hieronym. aduers. Iouinian.

DVRAEVS. Fol. 206.

Quod ad Timotheum scribit Paulus, in nouissimis diebus discessuros quosdam à fide, qui inter cæteras dæmoniorum doctrinas etiam nubere prohibebunt. Quis vnquam Catholicus malas esse nuptias affirmauit? Manichæos igitur, Gnosticos, Encratitas, Tatianos, aliosq́; id genus hæreticos Paulus cauendos docet. Ecclesia ciuilia iudicia non prohibet, cùm vt illis abstineant Ecclesiasticis ministris præcipit.

WHITAKERVS.

26 Quod quæris, quis vnquam Catholicus nuptias esse malas affirmauit, facilis est responsio. Nam Syricius tuus, & Innocentius quando ministros à nuptijs deterrent, ijs argumentis vtuntur, quæ aut nuptias omnino damnant, aut nihil concludunt. Quando enim disputant Sacerdotibus non licere matrimonium contrahere, quia debent esse Templum & vasa Domini, & spiritus sancti sacrarium, ac proinde eos non oportere cubilibus & immũditijs inseruire: quia sancti esse debent: quia carnali concupiscentia contaminantur, & coinquinatis nihil est mundum: quia qui in carne sunt, Deo placere non possunt: quid quęso aliud faciunt, quàm nuptias omnino malas, impuras, sceleratas esse statuunt? Iam ergo hos Pontifices nega esse Catholicos, à quibus tam profanè atque impiè sanctum Dei institutum contumeliosissimis verbis damnatur. Contrà Paulus doctrinam illam, qua

Dist. 28. Decernimus. Dist. 31. Tenere. Dist. 28. Proposuisti. & Plurimos.

nuptiæ

nuptiæ prohibentur, à dæmonijs inuentam esse docet: in quo quicunq; tandē nuptiarū libertatē tollunt, diabolicæ perfidię damnat. Nam ista ad priscos tantùm hæreticos torquere insulsum est, quasi Paulus personas, non rem ipsam spectarit: aut doctrinam primis temporibus inseruientem, non perpetuam tradiderit. Deinde non illos modò Paulus perstringit, qui nuptias damnāt & malas esse pronuntiant, sed qui prohibent. Quanquam autem se penitus damnare nuptias Pontifex negat, quin tamen prohibeat, suisque mancipijs nuptias interdicat negare non potest. Rectè Hieronymus, *Nota est Antichristi prohibere nuptias*. Et Manichæi non plebe, sed in electis suis, maiorem sanctitatem & religionem profitentibus improbabant. Nec Montanus nuptias ἁπλῶς damnauit, sed quasdam nuptiarum relaxationes direptionesque introduxit. Itaque non minùs papistas Paulus quàm Manichæos, aut Cataphriges cauēdos esse docuit. Tuum verò de prohibita ministris Ecclesiasticis ciuilium iudiciorum administratione exemplum valdè fuit alienum. Nam primùm si ministris iudicia ciuilia prohibentur, cur à Pontificis ministris exercentur? Deinde iudicia nec omnibus necessaria sunt, & non nisi certis hominibus à Deo mandantur: at nuptiæ nec populo nec ministris à Domino prohibentur, & omnibus necessariæ sunt qui dono continentiæ carent.

1. Timo. 4. 3.

Hieron. in Daniel. 11. August. Epist. 74. Eusebius lib. 5. c. 171. διδάξας λύσεις γάμων.

DVRAEVS, Fol. 207.

Iam quòd honorabile coniugium in omnibus idem Paulus pronunciat, etsi ad res potiùs, quàm ad personas spectare videtur, tamen vt de hominibus etiam intelligamus, nemo adeo cæcus est, qui non facilè videat Paulo iudice maiorem cælibatus quàm coniugij honorem censeri. Quamobrem qui cælibatum Deo liberè vouet, is nihil de matrimonij honore detrahere, sed suadente Paulo præstantiora amplecti dicendus est. Si honorabile coniugium etiam in ijs existimes, qui post votam Deo virginitatem ad nuptias convolant, Chrysostomum audi epist. 6. ad Theodor. lapsum. Eadem est Hieronymi sententia, lib. 1. contra Iouinian. Sic Basilius lib. de vera virginit. Et Augustinus, de bono viduit. c. 8. & 9. I iam cum tuo Caluino, & oblatum Deo continentiæ votum Apostolicæ doctrinæ repugnare clamita.

WHITAKERVS.

27 De cœlibatus voto suprà tibi respondimus, vt non sit necesse in istis κενῶσμοῖς refutandis rursus operam tempusque insumere. Maiorem Paulo iudice cœlibatus, quàm coniugij honorem censeri, ex quo tandem Pauli iudicio intelligis? Num dixit vnquam Paulus honorabilem in omnibus esse cœlibatum, quemadmodum de coniugio Apostolus clarissimè pronunciauit? Equidem si quod eiusmodi de cœlibatu, quale hoc est de coniugio iudiciũ extaret, nemo vestram insolentiã atque importunitatem ferret. Laudat quidem in ijs cœlibatum Paulus quibus coniugio carere posse Dominus dedit: simpliciter coniugio cœlibatum præferri nunquam

Hebr. 13. 4.

cer-

certè iudicauit. Qui enim cœlibatum vouerunt, & interim tum mentem cogitationibus impurissimis contaminant, tum corpus æstu horrendo ac nefario flagrare sentiunt, seque totos fœdissimis modis polluunt, horum perpetuum cœlibatum Apostolus nunquam aut præcepit, aut probauit. Impius sit oportet, qui tale aliquid de Apostolo fingat. Iam dicti illius apostolici sententia, quàm late pateat, facilè constabit. Cùm enim *honorabile coniugium ἐν πᾶσι* pronunciat, id de quibusuis personis intelligendũ esse minimè dubium est. Cùm enim morbus cuiuis hominũ generi communis sit, remedium etiam omnibus similiter commune esse debet. Si est enim coniugium, vt verè affirmat Lombardus, post lapsum hominis *remedium*, quod ante lapsum duntaxat *officium* fuit, ad omnes certè coniugium pertinet, qui illo remedio opus habent. Qui ergo certos hominum gradus à coniugio excludunt, ij quosdam communi remedio priuant, quod dominus præscripsit omnibus, quóque illos vti voluit. Cùm dixit Deus, *Non est bonum hominẽ esse solum*: & *crescere ac multiplicari homines iussit*: cùm Christus docuit, *non omnibus datum esse* vt castam viuant in cœlibatu vitam: cùm Paulus affirmat, *melius esse Matrimonium contrahere, quàm vri*, & præcipit vt *propter scortationẽ quisque suam vxorem habeat*: num ista quæ palàm ad gradus hominum vniuersos pertinent, non nisi quibusdam tribuemus? Quasi genus aliquod hominum sit, quos præstet semper esse solos, qui communi morbo careant, qui incontinentes esse nequeant,

Gene.2.18.
Gene.1.28.
Mat.19.11.
1.Cor.7.9.2

queant, qui nunquam vrantur, qui coniugio non indigeant. Si tales miniſtri ſunt, viuant perpetuò cœlibes: ſi non ſunt, quod omnes intelligunt, ſibi illa etiam à domino dici fateantur. Atque hoc ex ipſis Apoſtoli verbis manifeſtum eſt. Cùm

Hebr.13.4.

enim dixiſſet, *Honoratum in omnibus coniugium & cubile impollutum*, mox ſubiungit, *Scortatores autem & adulteros damnabit deus*. In quo quis non videt eò has coniugij laudes ſpectare, vt omnes à ſcortatione & adulterio deterreantur? In omni ergo hominum gradu honeſtum eſt & honoratum coniugium, in quo ſtuprum atque adulterium turpe eſt & flagitioſum. Aut ergo miniſtris impium non eſt ſtupra & adulteria committere, aut illis legitimum eſt ac laudabile in caſto matrimonio viuere. Itaq; Apoſtolus talem epiſcopum

Tit.1.6.

eligi præcipit, qui ſit inculpatus, *vnius vxoris vir*. Igitur in epiſcopo culpa non eſt coniugium. Si mihi minus credis hoc modo diſputanti, Chryſoſtomum audi de his Apoſtoli verbis ſcribentem: *Oſtendit matrimonium non eſſe impium, ſed ita honoratum, vt cum eo aliquis poſſit in ſanctum thronum aſcendere*. Poteſt ergo qui eſt maritus, eſſe etiam epiſcopus: vt ſacerdotium & coniugium non ſint, quemadmodum in ſtercoreo illo pontificum iure perſcribitur, *incompatibilia*. Atque id etiam ex Leone pontifice Romano intelligimus, cuius hæc verba ſunt: *Dicente Apoſtolo vt inter alias electionis regulas is epiſcopus ordinetur, quem vnius vxoris virum fuiſſe aut eſſe conſtiterit, tam ſacra ſemper habita eſt iſta præceptio, vt etiam de muliere ſacerdotis eligendi eadem intel-*

Chryſoſt. in Titum homil.2. οὕτω τίμιον, ὡς μετ' αὐτοῦ δύνασθαι καὶ ἐπὶ τὸν ἅγιον ἀναβαίνειν θρόνον.

Leo epiſt. 87. ad epiſcop. African.

telligatur seruanda conditio. Et mox, *Euidenter est definitum, vt virginem sacerdos accipiat, & alterius thorum nesciat coniugis, quæ vxor est futura pontificis.* Vxorem igitur pontifex Romanus episcopo permittit, sed virginem. I nunc cum tuo pontifice, & ministrorum nuptias nega, si potes à sacris literis, sanctisque patribus approbari.

DVRAEVS. Fol. 208. 209.

Quæ tua impudentia est, audes dicere, vt Samnium olim in ipso Samnio inueniri non potuit, ita Romanam ecclesiã in ipsa ecclesia Romana inueniri omnino non posse. Nulla vnquam hæresis hanc ecclesiã oppugnauit, de qua triumphum illa non egerit. Quis ignorat, quod de Donatistis à Melchiade Romano pontifice damnatis Augustinus scripsit? quod de Iouiniano Hieronymus? de Pelagio quondã Britanno Prosper? Verissimè hanc esse ecclesiã Cyprianus dixit, cuius fides Apostolo prædicante laudata est, & ad quam perfidia non possit habere accessum. Epist. 55.

WHITAKERVS.

28 Impudentiæ crimen non agnosco: conuicium verò tuum facilè contemno. Si veram ecclesiã ex suis proprijsque notis quærimus, non magis in Romana ecclesia veram Christi ecclesiã, quàm, vt ille dixit, in Samnio inueniemus samnium. Quemadmodum enim illa quondam potentissima ac florentissima respub. sic à Romanis deleta fuit, vt nihil præter

vrbis proiectum quasi cadauer remaneret, sic illa olim florens ecclesia ab Antichristo capta atque oppressa interijt, vt præter externam ecclesiæ imaginem, & fucum, & colorem, & nescio quam inanem pompam nihil relinquatur. Nullum in ea verbum annunciatur, nisi pestifero fermento corruptum; nulla sacramenta celebrantur, nisi sacrilegio & sordibus inquinata; nulla disciplina exercetur, nisi Antichristiana. Nihil verò pontificis Cathedram, nihil Cardinalium collegium, nihil Episcoporum splendorem, nihil sacerdotes, nihil monachos, nihil templa, nihil diuitias moror: ecclesiam quæro, non parietes, hominem non picturam, corpus non vmbram. Triumphi autem illi quos narras, non magis huius sunt ecclesiæ, quàm quos antiqua Roma de Pyrrho, Annibale, Perse, Antiocho egit, istius Romæ censendi sunt. Nam de Pelagio Britanno, quia rem cum Britanno Britannus habeo, quem potes commemorare ecclesiæ tuæ triumphum? An non palàm de tuo pontifice Pelagius, totóque regno pontificio triumphauit? Nónne enim Pelagius gratiam in natura insitam esse docuit? & num id ipsum vos pontificij non defenditis? Quis ergo non videt in vestro illo triumphali curru sedere Pelagium? Et tamen ad hanc ecclesiam perfidia non habet accessum, si credimus scilicet Cypriano. Quid? Tu Cyprianum sic delirasse putas, vt nullo vnquam errore tentari posse Romanam ecclesiam senserit? At Stephanum pòst breui Romanū pontificem

erroris & ignorantiæ arguit, ab eoque grauissimè in magna causa dissensit: quod ille non fecisset, si nunquam errare posse Pontificem & Ecclesiam Romanam putauisset. Cum Cypriano quamuis errante Apostolorum illi suppositítii Canones faciunt. *Canon. Apost. 68.*

LIBER



LIBER OCTAVVS, de Paradoxis.

DVRAEVS, Fol.214.

De Deo.



IRVM quanto studio, quo verborum apparatu, quibus artibus παράδοξα vestra amoliri à secta vestra niteris. Vt ab eo incipiam quod summum est, Deum Basilius negare affirmat eos, qui ipsum mali authorem esse asserunt. Hoc vnum esse ex paradoxis vestris verissimè Campianus dixit. Tu verò vt à tam horrendo crimine alienus videaris, Si Caluinus (*inquis*) aut Martyr, aut Philippus, aut quisquam nostrûm affirmet Deum esse authorem & causã peccati, non repugno quin sumus omnes horrẽdæ blasphemiæ, scelerísq; rei. *Ego verò nisi tam horrendæ blasphemiæ assertorem esse Caluinum ostendero, nullam tantæ calumniæ pœnam deprecor, nullam recuso. In hunc modum scribit.* Absolom incesto coitu patris thorum polluens, detestabile scelus perpetrat: Deus tamen hoc opus suum esse pronunciat. *Addit & alio loco*, Summa huc redit, quamuis homines vt indomitæ bestiæ, nullisq; vinculis coërcitæ lasciuiant, arcano tamen fræno gubernari, vt ne digitum quidem mouere queant nisi ad exequendum Dei magis, quàm suum opus. *Denique diabolum Caluinus ait quando homines ad peccandum mouet, Dei potiùs instrumentum esse, quàm peccati authorem: & rursum*, Deum in nobis planè operari, quæ Satanas operatur, sed alio fine. *Deum non tantùm permittere (hoc enim ille irridet) sed velle peccatum, mouere, impellere homines vt peccent. Quid verò Caluino & Caluinianis omnibus frequentius in ore est, quàm Deum non permittere tantùm, sed velle peccatum, nos mouere, impellere, imò voluntatis suæ efficacia nobis peccandi necessitatem imponere? An non igitur luce clarius est, Deum illis peccati esse authorem?*

Lib. 1. instit. c. 18. sect. 1.

Lib. de æter. Dei prędest.

Li. 2. cap. 4. sect. 5.

Ibid. sect. 2.

WHI-

WHITAKERVS.



1 Agnam nobis iniuriã Campianus fecit, quando primùm nostrã sanctissimã religionem cõfictis quibusdam τῶν παραδόξων criminibus, tanquam telis quibusdam venenatis insectari cæpit. Tua verò maior culpa est, qui criminationẽ iniustã & falsam defendere conaris, præsertim cùm ea sic à me reiecta ac depulsa fuerit, vt inuidiæ materiã à vobis quæri, non veram accusationẽ institui constaret. Quod etsi erat antè satis manifestũ, ex tua tamen confutatione magis elucebit. Et primùm vt tibi respondeã, ad illud, quod tu summum esse dicis, miror quenquã esse inuentũ Campiano similẽ, qui quod nostri semper apertissimè damnarunt, id ab illis dici ac defendi cõtendat. Quæritur an nostri Deum esse mali authorẽ statuant. Id Campianus affirmat, & tu comprobas. Ipsi ergo loquantur, & te tuumq; Campianũ, vosq; omnes huius calũniæ authores redarguant. Philippi hæc verba sunt, *Est tenenda verissima sentẽtia, quæ extat apud Hoseam. Ex te perditio tua, tantũ in me auxilium tuum. Nec vult, nec approbat, nec efficit peccatũ Deus. Hæc vera sententia firmissimè retinenda est.* Petrus Martyr ait, *Deus neminẽ cogit, vt malè agat, sed quisque volens peccat: quare in illum causa peccati non est reijcienda. Nam cùm in nobis cupiditates non procreet, culpam non debet præstare, si prauæ actiones ex corrupta radice prauorũ affectuũ dimanent.* Caluinus sic scribit: *Sequitur ergo neq; pec-*

Melanchton in 1. ca. ad Rom.

Petr. Martyr in Iudic. 9.

Caluin. in Iacob. 1. cap. 13. vers.

peccati originẽ esse in Deo, neq; illi culpam imputari posse, quasi ex malis voluptatem capiat. Beza hanc causam diligentissimè ac doctissimè contra Castellionem tractauit, quem si legisses vnquam, quantũ inter vestram malitiosam interpretationem, nostramq; verissimam sententiam intersit, facilè didicisses. Sic habet, *Quod inquit Dauid, Non Deus volens iniquitatẽ tu es, perpetuò verum esse confitemur, & eum qui secus sentiat, pro impio & blasphemo habemus.* Quid alios cõmemorem, quorum nullus est, qui non istam Libertinorum blasphemiam atq; amentiã vobis interim tacentibus refutarit? Aut nostrûm aliquẽ profer, Duræe, si pergis ineptissimũ conuiciũ vrgere, qui deũ peccati & sceleris authorẽ esse dixerit, aut te prudentem nobis ex instituto maledicere confitere.

Beza de æterna Dei prædest. contra Castel.

Nam in his quæ ex Caluino obijcis, quis tam imperitus est qui tuam inscitiam non agnoscat? De Absalone enim quid aliud Caluinus affirmauit, quàm quod disertè scriptura tradidit? An verò quid Dauidi Nathanus Dei nomine responderit, nunquam legisti? *En ego* (inquit Iehoua) *suscitaturus sum aduersum te malũ de domo tua, tollámque vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, dormietq; cum vxoribus tuis in oculis solis huius. Tu clàm fecisti: attamen ego facturus sum rem hanc coram toto Israële, & coram sole.* Quod ergo Absalon admisit, id se facturum Dominus denũciauit: ex quo illud Domini factum fuisse sequitur, nisi tu Dei esse negabis, quod suum esse Deus testatur. Itaque Caluinum vides nihil omnino aliud scripsisse, quàm quod Deus ipse clarissimè

2. Sam. 12. 11. 12.

sibi

sibi assumit. Neq; est quod hîc tum illud sophisma valere existimes, Ergo Deus est author peccati. Non enim peccatũ illud, sed opus Deo Caluinus ascribit. Si enim in illo incesto nihil potes præter peccatũ cõsiderare, id tuę inscitiæ atq; incogitãtiæ tribui debet. Nam incestũ illud etsi teterrimum flagitium fuit, prout ab ipso Absalone profectũ est, tamen quatenus pœna, & iudiciũ, & exemplum, & documẽtum fuit, sibi totum Deus sumit. Omnis enim pœna quã Deus infligit, iusta est, ac proinde bona. Si ergo Deo quod suum est relinques, Absaloni quoq; quod suũ est tribues, in eadem actione & Dei iustitiã, & hominis peccatũ inuenies. Omnis quidem actio, vt actio est, à Deo instituta est: nam in ipso viuimus, mouemur, & sumus: & is omnia efficit ex consilio voluntatis suę: malitia verò actionis ex hominis voluntate nascitur, nec Deũ attingit, qui malis & vitiosis instrumẽtis sic vti potest, vt nulla interim ipse mali contagione inficiatur. Quicquid ergo est in actione peccati, in instrumẽtis hęret, à quibus etsi fiunt, quę Deus voluit, non tamen semper eodem modo fiunt, quo voluit. Absalõ fecit, quod Deus factũ voluit: id enim facturum se minatus est: non tamen ita fecit, vt facere debuit, quia finẽ alium sibi proposuit, quàm eum quem Deus spectauit. Quare vt tibi de Absalonis incesto, cæterisque omnibus flagitijs breuiter respondeam, Deus quidem omnia quæcunque in mundo siue bona, siue mala fiunt, sua prouidentia gubernat, vt ipse tamen purissimus semper maneat, quod in hoc eodem loco Caluinus pulcherrimè & sanctissimè

Act.17.28.
Ephes.1.11.

mè docet: primùm quia malitiam nulli homini infundit, cùm ea tota sit ex diabolo: deinde quia actiones ex finibus æstimandæ sunt. Deus enim in omni actione finem intuetur, æternæ perpetuæque iustitiæ suæ consentaneum. Homines contrà peccant, quia à Dei iustitia in verbo patefacta discedunt, seq; hoc modo morte dignos faciunt. Quid tu hîc minutulus sophista reprehēdis? Alia Caluini verba subiungis, in quibus Dei prouidentia defenditur, quam vestra hac opinione labefactari manifestum est. Si quid enim à quoquam fit, quod fieri Dominus ἁπλῶς ϗ πάντως noluit, summā Dei prouidentiam ac potentiam euerti necesse est. Quod iterum ex Caluino citas calumniæ plenum est. Non enim diabolum Caluinus ait Dei potiùs instrumentum quàm peccati authorem esse. Hæc ipsius verba sunt: Diabolus est *instrumentum magis ipsius in agendo, quàm à seipso author*: quia non potuit aliquid efficere, nisi illo Dominus vti tanquam instrumento voluit. Quanquam autem est actionis potiùs instrumentum quàm author, peccati tamen sūmus est & primus author. Permissionem autem qualem nonnulli somniant, meritò Caluinus irrisit. Qui enim sic à Deo permitti peccata fingunt, vt ea Deus penitus nolit, quam tandem Deo vim & prouidentiam relinquunt? Si enim omnino nolens ac inuitus permittit, Dei igitur voluntati omnino resisti potest, vt fiat, quod omnino factum nolit: qua voce nullam ipse Epicurus in Deum magis impiam exhalare potuit. Quæ sequuntur, verbo dilui possunt. Vult Deus peccatum

Li.2. instit. c.4. sect.5.

catum, sed non simpliciter, & quatenus peccatũ est: quod si nondum intelligis, ex vno loco disce: Qui Ecclesiam affligunt & vexant, eos peccare quidem grauissimè non negabis: at hanc afflictionem ex Dei voluntate manare Petrus disertè scribit, *Qui affliguntur ex voluntate Dei, vt fideli conditori cõmendent animas suas.* Ergo sanctos affligi vult Dominus: & tamen qui sanctos affligũt, magni peccati pœnas persoluent. Et peccatum Deus quod in nobis latet, excitat atque impellit, non tamen efficit aut inserit: quemadmodũ medicus morborũ author non est, quando vitiosissimos humores elicit. Qui verò spiritu sancto donati non sunt, ijs peccandi miserrima necessitas imponitur, quia necessariũ est vt mala arbor fructus malos proferat. Sed in hanc necessitatem homo sponte sua decidit, vt suo, non Dei vitio peccet. Sic tu Deum nobis peccati authorem esse præclarè docuisti. 1.Pet.4.19

DVRAEVS, Fol. 215.

His se laqueis cùm Beza tuus implicatum cerneret, blasphemiam vnam altera blasphemia defendere & amplificare voluit. Omnia (*inquit*) bona sunt, quatenus à Deo efficiuntur: discrimen illud boni & mali tantùm in instrumentis locum habet: *ut peccatum Bezà iudice à Deo volente, mouente, impellente sit, sed quia illius comparatione, quod peccatum est, desinit esse peccatum, Deus peccati author censendus non sit.* Aphoris. 20

WHITAKERVS.

2 Perge verò Duræe, non Bezam modò blasphemiæ condemnare, sed ipsam Scripturam per Bezæ latus impugnare. Cùm enim quicquid

fit in rerum natura, à Deo constet proficisci, ab eoq; administrari in eum finem, quem ipse sibi proposuit: quicquid autem Deus instituit, bonū sit, peccatum in causis secundis atq; instrumentis versari necesse est. Si verò nescis rem eandem quemadmodum à Deo manat, esse bonam, quēadmodum à malo instrumēto geritur, esse vitiosam, indignus es qui locum in Theologorum cōcessu teneas. Venditur Iosephus à fratribus, in quo tamen Iosephus summū Dei consilium ag-
Gen.45.8. noscit, *Nunc itaq; non vos misistis me huc, sed De-*
Gen.50.20. *us.* Et postea, *Vos cogitastis in me malum: Deus autem cogitauit illud in bonum.* Pharaonis induratio mala fuit, si ipsum spectes Pharaonem: si Deum,
Exod.4.21. bona; *Ego indurabo cor eius, vt non dimittat populū.*
Deut.2.30. Sic Moses de Sihone rege Hesbonis, *Indurauerat Iehoua Deus tuus spiritum eius, & obfirmauerat cor eius, vt daret eum in manum tuam;* Et Iosua de Ca-
Iosuah.11.19.20. nanæis, *Quia à Iehoua fuit hoc, vt induraret cor eorum ad occursum belli cum Israël.* Iobum Satanas, Chaldei, Sabei inuadūt, diripiunt, cruciant: Iobus tamen ista omnia à Deo profecta esse cōfitetur,
Iob.1.21.& 2.10. *Iehoua dedit, Iehoua abstulit. Bonum accepimus à Deo, & malum hoc non acciperemus?* Semei peccauit, quando Dauidi pessimè maledixit, eam tamen maledictionem Dauid à Deo obiectam in-
2.Sam.16.10. terpretatur, *Sinite eum, Deus præcepit ei, vt mihi malediceret.* Iudas, Herodes, Pilatus, Iudæi in Christi mortem coniurarūt, nihil tamen aliud fe-
Act.4.27.28. cerunt, quàm *quod manus & concilium Dei prius definierat faciendum.* Cùm hæc nobis tam perspicuè sint in sacris literis tradita, aut palàm Dei spi-

spiritum isto modo loquentem, & loqui nos docentem insectare, aut in vno eodemque facto & Dei sanctum decretum, & impiorum hominum nefarium scelus agnosce. Si quis filius parentis sui mortem exoptet, in Dei legem grauissimè peccet: & tamen Deus non peccat, quando huius tam impij filij parentem de medio tollit. Ita vides impiè ab homine fieri, quod Deus sanctè facit: & te blasphemum fuisse, qui certissimam spiritus sancti doctrinam ausus fueris blasphemiæ condemnare.

DVRAEVS, Fol. 215.

Et quid quæso aliud quàm Deum facit hypocritam, qui eum præcipere fatetur, ne peccemus, hoc ipsum tamen nolle. Est verò ridicula Bezæ responsio. Malam (*inquit*) actionem hîc appello, quæ reuelatam Dei voluntatem non habet pro scopo. *Ineptissimè profectò. Quamuis enim non semper id nos velle necesse sit, quod Deus vult, semper tamen hoc velle debemus, quod velle nos Deus vult. Ac cùm Christo nos docente quotidie à Deo petamus, fiat voluntas tua in nobis nimirum, semper vt id velimus, quod vult Deus nos velle, si nos peccatum Deus velle vult, cur non quotidie à Deo petimus vt peccemus?*

Beza contra Sycophantam.

WHITAKERVS.

3 Præcipit quidem Deus ne peccemus, & se peccatis nostris grauiter offendi testatur: & tamen vult peccatis nostris Deus suum decretũ exequi. Neq; est quòd hîc proinde clames, hypocrisim, nescio quam affingi Deo, cũ nullis Deus

vitium & prauitatem instillet. Tum enim demum ὑποκριτικῶς agere videretur, si peccatum nobis infunderet, & nos tamen peccare prohiberet: Iam verò dum quæ in lege vetuit peccata, eadem regit, atque ad suum institutum accómodat, nullum tuæ cogitationi locum relinquit. Deinde, quanquam vult peccatum, non vt peccatum, sed vt decretum: nunquam tamen approbat peccatum, nec reuelata voluntate complectitur. Semper autem quicquid agimus, hanc Dei voluntatem, in verbo declaratam spectare, & nobis proponere debemus. Quod quando in Beza reprehendis, tuam ignorantiam iterum ostendis. Non enim illa Dei arcana atque ignorata nobis voluntas nostrarum actionum regula esse debet, sed hæc manifesta, atq; in verbo prodita, cui non parêre est peccatū admittere. Et illi ipsi qui ab ipsa aberrant, quanquam se maximo scelere astringunt, tamen Dei quoddam opus nihil eiusmodi cogitantes peragunt ac perficiunt. Quid enim? Num illam scholasticam voluntatis occultæ & reuelatæ distinctionem vestrum illud Iesuitarum collegium nuper explosit? *Quæ occulta sunt*, (inquit Moses) *penes Iehouam Deum nostrum sunto: at quæ reuelata nobis & filijs nostris vsque in seculum, vt faciamus omnia verba huius legis.* Atq; hæc illa est voluntas, quā nos fieri quotidie precamur in terra, sicut in cælo: quamque Propheta Dauid cognoscere & facere cupiebat, *Doce me facere voluntatem tuam.* Cùm ergo precamur, vt id semper, quod Deus sibi gratum esse in verbo suo significauit, faciamus,

Deut.29.29

Psal.143.10

mus, minimè metuendum eſt, ne petamus, vt peccemus, quemadmodum tu ineptè diſputas, cùm peccatum Deo ſemper ingratum ſit atque odioſum. Quanquam enim vt iam dixi, vult peccatum Deus aliquo modo propter aliud, nunquam tamen ea voluntate approbat, quam in verbo propoſuit, quæ Hebræo vocabulo רצון vocatur.

DVRAEVS, Fol. 216.

Dicis fortaſſe cum tuo Caluino, etſi qui peccant nihil aliud faciunt, quàm quod Deus vult, id eo tamen peccare, quia alio id fine faciunt, quàm quo Deus vult. quaſi verò non plurima ita ſint ſua natura mala, vt bene fieri nunquam poſſint. Deinde Deus non vt in hunc, vel illum finem agamus permittit tantùm, ſed etiam vult, niſi otioſum hîc Beza Deum fingat. Quamobrem cùm & id velimus, quod velle nos Deus vult, & eo etiam fine, peccare certè omnino non poßumus, neque vllus hîc amplius tergiuerſandi locus relinquitur.

WHITAKERVS.

4 Id quidem libenter dico cum Caluino, quia idipſum ſcriptura planiſſimè dicit, quemadmodum iam ſatis luculentiſſimis teſtimonijs demonſtraui. Atque hoc etiam Auguſtinus multis ante Caluinum ſeculis dixit. Sic in Epiſtola ad Vincentium ſcribit, *Cum pater tradiderit filium, & Dominus corpus ſuum, & Iudas Dominum, cur in hac traditione Deus eſt iuſtus, & homo reus, niſi quia in re vna quam fecerunt, cauſa non vna eſt ob quam fecerunt.* Nihil autē ita eſt ſua natura malum, quin Deo iubente bene fiat. Eſt *Aug. epi. 48.*

enim Deus omni lege maior, illiusque manifestæ voluntati semper obsequendum est, quicquid tandem ab eo prçceptum esse constiterit. Quid enim magis horrendum atque inhumanum fingi potuit, quàm vt filium pater suum proprijs manibus iugularet? Atqui hoc piè Abrahamus fecisset, nisi aliud mandatum diuinitus interpositum fuisset. Si quod sua natura parricidium immanissimum fuisset, Dei mandato sanctissimum fidei officium Deoque gratissimum extitisset, vides, ni fallor, rerum naturas diuino prçcepto mutari. Deinde permissionem non improbamus, sed illud sophisticũ nudæ permissionis commentũ reijcimus. Nam permittẽte Deo fieri quod fit, nemo dubitat, quia non fieret, nisi Deus permitteret: sic autem permittit, vt ipse interim prauas hominũ voluntates regat, eoque perducat, quò ipse decreuerit, nec rei euentum dubium expectet tanquam in specula otiosus contemplator, quemadmodum necessarium est, si vestra talis permissio somniatur. Fore autem Deum otiosum nisi impij etiam homines eo fine velint, quo Deus voluit, ita ineptum atque absurdum est, vt tibi mirer venire in mentem potuisse. Quanquam enim instrumenta mala suam quandam habent, propriamque actionem, eam tamen sic Dominus sui decreti vinculis constringit, vt in eum exitum prorũpat, quem ipse destinauit, quod Deum non esse otiosum, vt vos fingitis, euincit.

DVRAEVS,

DVRAEVS, Fol. 217.

Hic tu cùm Deum defendere vis, non esse peccati authorem, nihil tamē aliud, quàm peccati authorē facis. Si enim non permittit modò, verùm etiam vult hominem peccare, explica quo tandem modo, si Dei voluntas prima est, & efficax peccati causa, author peccati Deus non sit. Absurdum verò tibi videtur permittere Deum, non velle peccatum: neque animaduertis ita spiritum sanctum per os Lucæ loquutum esse, qui dimisit omnes gentes ingredi vias suas. *Dei voluntas qua vult peccata permittere non otiosa, vt vides, sed* ἐνεργητικὴ *censenda est: quippe qua res omnes suæ quamque naturæ conuenienter agere vult, & cum ijs ipse concurrere.*

WHITAKERVS.

5 Quemadmodum Deus velit vt homines peccent, abundè explicatum est: non per se, non propriè, quasi peccato delectetur, aut illud approbet, aut efficiat, aut adiuuet, sed quia id vult, quod quanquam hominum respectu est vitiosissimum, Dei tamen consilio iustissimum existimari debet. Cùm enim Deus peccata peccatis punire soleat, quis dubitet, quod Deus tāquam supplicium infligit, Dei voluntate pium & sanctum fuisse? Nec verò opus est vt tibi explicem, quod quæris. Non enim Dei voluntatē primam & efficacem peccati causam facimus, sed eius actionis, quæ vt fluit ab homine impio vitiosa est. Ita non Dei voluntas, sed instrumentorum prauitas in causa est, vt impiè fiant, quæ Dominus rectè facit. Mihi verò, vt dicis, perabsurdum videtur, permitti aliquid à Deo, quod planè nolit: nisi tu minimè absurdum statuis, & Deo suam prouidentiam detrahi, & fortunæ temeritate mundum admini-

enim Deus omni lege maior, illiusque manifestæ voluntati semper obsequendum est, quicquid tandem ab eo pręceptum esse constiterit. Quid enim magis horrendum atque inhumanum fingi potuit, quàm vt filium pater suum proprijs manibus iugularet? Atqui hoc piè Abrahamus fecisset, nisi aliud mandatum diuinitus interpositum fuisset. Si quod sua natura parricidium immanissimum fuisset, Dei mandato sanctissimum fidei officium Deoque gratissimum extitisset, vides, ni fallor, rerum naturas diuino pręcepto mutari. Deinde permissionem non improbamus, sed illud sophisticũ nudæ permissionis commentũ reijcimus. Nam permittẽte Deo fieri quod fit, nemo dubitat, quia non fieret, nisi Deus permitteret: sic autem permittit, vt ipse interim prauas hominũ voluntates regat, eoque perducat, quò ipse decreuerit, nęc rei euentum dubium expectet tanquam in specula otiosus contemplator, quemadmodum necessarium est, si vestra talis permissio somniatur. Fore autem Deum otiosum nisi impij etiam homines eo fine velint, quo Deus voluit, ita ineptum atque absurdum est, vt tibi mirer venire in mentem potuisse. Quanquam enim instrumenta mala suam quandam habent, propriamque actionem, eam tamen sic Dominus sui decreti vinculis constringit, vt in eum exitum prorũpat, quem ipse destinauit, quod Deum non esse otiosum, vt vos fingitis, euincit.

DVRAEVS, Fol. 217.

Hic tu cùm Deum defendere vis, non esse peccati authorem, nihil tamē aliud, quàm peccati authorē facis. Si enim non permittit modò, verùm etiam vult hominem peccare, explica quo tandem modo, si Dei voluntas prima est, & efficax peccati causa, author peccati Deus non sit. Absurdum verò tibi videtur permittere Deum, non velle peccatum: neque animaduertis ita spiritum sanctum per os Lucæ loquutum esse, qui dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Dei voluntas quæ vult peccata permittere non ex ipsa, vt vides, sed ἐπιγενητικῶς censenda est: quippe quæ res omnes suæ quamque naturæ conuenienter agere vult, & cum ijs ipse concurrere.

WHITAKERVS.

5 Quemadmodum Deus velit vt homines peccent, abunde explicatum est: non per se, non propriè, quasi peccato delectetur, aut illud approbet, aut efficiat, aut adiuuet, sed quia id vult, quod quanquam hominum respectu est vitiosissimum, Dei tamen consilio iustissimum existimari debet. Cùm enim Deus peccata peccatis punire soleat, quis dubitet, quod Deus tāquam supplicium infligit, Dei voluntate pium & sanctum fuisse? Nec verò opus est vt tibi explicem, quod quæris. Non enim Dei voluntatē primam & efficacem peccati causam facimus, sed eius actionis, quæ vt fluit ab homine impio vitiosa est. Ita non Dei voluntas, sed instrumentorum prauitas in causa est, vt impiè fiant, quæ Dominus rectè facit. Mihi verò, vt dicis, perabsurdum videtur, permitti aliquid à Deo, quod planè nolit: nisi tu minimè absurdum statuis, & Deo suam prouidentiam detrahi, & fortunæ temeritate mundum admini-

ſtrari, & Dei iudicia ab illius voluntate diſtrahi, & Deum ſummæ infirmitatis argui, qui quæ prorſus nolit, non impediat. Nam ſi peccata ſunt peccatorum ſupplicia, quod nullus Theologus negabit, tu mihi explica ſi potes, quemadmodum Deus peccata tantùm permittat, nec velit, quæ tamen ipſe vt iuſtiſſima iudicia ac ſupplicia impijs imponit. Non enim dices Deum pœnas ſcelerum nolle: peccata autem peccatorum pœnæ ſunt: vult ergo peccata Deus, vt ſunt pœnæ peccatorum, & tua permiſſio expers voluntatis eliditur.

Affers autem ſcripturæ teſtimonium, quo
Act. 14. 16. Deum permittere aliquid euincas, quod nolit. Apoſtolus ait, *Dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas*: Si dimiſit, volens certè dimiſit. Quis enim nolens quenquam dimittit, quem tenere potuit? Atque hanc dimiſſionem cum Dei voluntate coniunctam fuiſſe potes ex eodem Apoſtolo intelligere. Sic enim de iiſdem
Rom. 1. 24. 28. gentibus ſcribit, *Tradidit eos Deus cupiditatibus cordium ipſorum*. Et rurſum, *Tradidit eos Deus in mentem omnis iudicij expertem*. An verò iudex quando ſontem & facinoroſum carnifici tradit, inuitus, an potiùs volens tradere cenſendus eſt? Sed quid alijs Argumentis opus eſt, cùm quod volumus ipſe coactus fatearis? Si enim Deus peccata permittit voluntate non otioſa, ſed ἐνεργητικῇ atque efficace, Dei igitur voluntas in peccatis efficax eſt: ſique Dei eadem voluntas cauſa eſt, vt res quæque agatur naturæ ſuæ conuenienter, atque *ipſe Deus cum iis concurrit*, vt tu ſcri-

scribis, tum Dei voluntas causa est, vt impij impiè agant, & dæmones non modò impiè, sed semper & necessariò impiè agunt, quia hoc illorum naturæ consentaneum est. Tum si Deus cum ipsis malè agentibus concurrit, quid amplius postulamus? Sic te hoc loco veritas vicit, vt quasi illius admiratione captus in tuæ defensionis obliuionem veneris.

DVRAEVS, Fol. 218.

Sed vt te subtilem disputatorem Academicis ostendas, Campianum in hunc modum vrges, Censésne quod quisquam facit, quantumuis sceleratus, id inuito ac nolente Deo fieri? Quod cùm absurdissimum nobis etiam videri intelligas, mox ita concludis, Quare quæ fiunt omnia, ea fieri volente Deo necesse est fateare. Verùm trita est in scholis responsio, Deum neque velle mala fieri, neque velle mala non fieri, sed velle permittere mala fieri. Tu malum ais velle quidem Deum, sed non probare: quasi velle Deus possit, quod minimè probet, aut suum ipse iudicium ac decretum non probare possit. D.Thom. 1.part.q.19 art.9.

WHITAKERVS.

6 Tuam disputationem parùm esse subtilem nostri Academici facilè perspiciunt. Vide verò ne te Thomas tuus suis argutijs imprudentem fallat. Primùm enim quod negat Deum nolle mala fieri, id cum Dei reuelata voluntate pugnat. Si enim non vult Deus mala non fieri, quamobrem legem perpetuam tulit, qua malorum genus omne prohibetur, nisi quod nefas est, Deum dicas egregiè simulasse? Deinde, si vult permittere mala, volens igitur permittit

mala, quod nos contendimus. Hanc enim permissionem Dei volentis, non nolentis esse dicimus, idque ipsum tuus Aquinas disertè confirmat. Atque hoc idem Augustinus scripsit, *Non fieret, si non sineret, nec vtique nolens sinit, sed volens.* Quorsum ergo nunc tua nudæ ac commentitiæ permissionis defensio recidit, quam vides à Thoma atque Augustino clarissimis verbis refutari? Ita quicquid Deus permittit, non otiosus, aut aliud agens, sed volens permittit. Quòd autem velit multa Deus, quæ minimè probet, id non est difficile explicare. Si enim principes bellum sibi & suis ciuibus periculosum, quod non omnino probent, & fugere libenter cupiant, si possent, velle tamen nonnunquam propter publicam pacem coguntur: & magistratus, quanquam suorum vitæ parcat, cædem nunquam comprobet, maleficum tamen & facinorosum carnifici volens tradit: hoc in Deum cadere nullo modo posse existemus, vt aliquid velit κατά τι, & propter aliud, quod per se & simpliciter neutiquam probet? Tum ipsam actionem, quam ad certum finem destinauit, non potest non probare: sed actionis vitium, & peccatum, id est, prauam illius actionis qualitatem, cuius non ipse, sed homo author extitit, minimè probat.

Enchrid. ad Laurent. cap. 100.

DVRAEVS, Fol. 219. &c.

Iam quæ ex Augustino profers, ad tuam causam ne pertinent omnino. Quid est quæso in his verbis, quo Deum voluntates hominum ad peccandum Augustinus vel leuissimè indicet? Aut quis non facilè intelligat, longè aliud esse filij mortem patrem voluisse,

&

WHITAKERVS.

7 Si quænam esset causa mea, velles omnino ntelligere, ad eam pertinere, quæ ex Augustino adduxi, facilè sentires. Tu verò sic nostram sententiam interpretaris, & sic alijs de nobis persuadere conaris, quasi nos Deum dicamus homines ad peccandum vrgere, atque impellere, & voluntates illis impias inijcere, quod nostrûm nullus vnquam cogitauit, & tanquam blasphemum semper refugimus. Neque enim quenquam Deus ad peccandum incitat, aut nouam cuiquam malitiam, & peccandi cupiditatem affert, sed quam impij insitam habent propriamque nequitiam, elicit, extrahit, regit, & suo decreto inseruire cogit. Quanquā autem Dei voluntate multa faciunt, in quibus ipsi nefariè peccant, tamen quòd peccant, id nullo Dei impulsu, sed suo duntaxat instinctu motuque faciunt. Vult dominus ab impijs eiusmodi aliquid fieri, quod & si illi dum efficiunt, multorum scelerum laqueis implicantur, illud tamen fieri legitimè sanctéque potuit. Quòd ergo peccant, id nec Deo, nec rei naturæ, sed hominum vitio tribuendum est, quia Deus per homines efficit sine peccato, quòd ipsi homines cùm faciunt, turpissimè ac sceleratissimè peccant. Id ex illo exemplo intelligi potest, quo vsus est Augustinus. Christi enim mors, si ipsū λύτρον spectamus, Deo gratissima fuit: quā dum homines moliuntur & perficiunt, teterrimum & infinitū flagitium admittunt. A-

liud ergo est ad opus præstandum, aliud ad peccandum impellere: vt quanquam Iudæorum animos Deus in filij sui necem impulit, eos tamen peccare minimè coëgerit. Si enim illi mentes attulissent odio, crudelitate, ambitione, perfidia vacuas, atque id egissent vero studio, quod Dominus proposuerat, non peccassent: atque illa vitia non aliunde iniecta, sed in illorum animis ac sensibus insita erant. Denique cùm palàm testemur esse nos ab ea opinione alienos, quæ Deo causam vllam peccati affingat, quam totam in malis instrumentis positam esse constat, Deum autem dicamus hominum voluntates non efficere aut ex bonis malas, aut ex malis deteriores, sed tantùm his hominum prauis voluntatibus vti ad eos fines, quos ipse decreuit, atq; hoc ipsum & scriptura clarissimè doceat, & Augustinus in ijs quas adduxi sententijs exponat, quid frustra tempus superuacaneis disceptationibus teritur, aut verbis crimen inuidiosum exornatur? Aufer istam malitiosæ interpretationis peruersitatem, atque in nostra sententia nihil inuenies aut incommodum, aut impium, aut non inuicta ratione atque authoritate necessarium. Quò verò magis hanc tuam illius reprehensionem expendo, eò minùs vestris illis clamoribus moueor, & nobis ipsis meritò gratulor, quorum ita firmis defensio fundamentis nititur, vt scripturis saluis labefactari nequeat.

DVRAEVS. Fol. 224. &c.

De Christo. *Quòd Caluino παράδοξον Campianus tribuit,* filium Dei esse

Deum

Deum ex seipso, *tu Caluini esse vltro fateris. Palàm igitur hunc Caluini errorē defendis, quod dum facis, velis nolis sacrosanctam Trinitatis mysterium negare te fatearis necesse est. Etenim si Dei filius non à patre, sed à seipso essentiam habet, ne filius quidem patris esse potest. Si diuinitatem à patre filius non accepit, dic quid accepit. Vel diuinitatem à patre accepit, vel certè à patre genitus non est. De patribus quid dicam, qui vno omnes ore hanc eandem nobiscum fidem contra Caluini blasphemiam profitentur? Multò rectiùs Buchananus noster, etsi alioqui Caluinianus, de sacrosancto Trinitatis mysterio sensit, cùm eleganti carmine cecinit,* Proles parentis optimi, & par parenti maximo, de luce vera vera lux, verusque de Deo Deus.

WHITAKERVS.

8 Si nostrûm quisquā de sacrosanctę Trinitatis augustissimo mysterio aliquid scripsisset parū piè ac catholicè, vestros proculdubio acutissimos ad inuestigādū oculos minimè latuisset, qui quę à nostris contra hęreticos scripta sūt verissimè & sāctissimè, in suspicionē improbæ hęrese..s vocatis? Quis enim nescit à Caluino Trinitatis mysterium contra Blandratam, Gentilem, atq; alios impij Serueti discipulos solidè vereq; defensum esse? Cùm enim illi secundariam quandā filij deitatē introducerent: eoq; illa Nicenæ synodi verba torquerent, *Deum de Deo*, huic blasphemiæ Caluinus grauissimè restitit, docuitq; ex verbo Dei essentiam filij à patris essentia minimè profluxisse, aut ab ea propagatam fuisse, sed vnicam & eandem esse patris filijq; essentiam, cuius non profluxione aut propagatione, sed æterna totius communicatione pater filiū genuit. Cùm ergo vnica sit vtriusque essentia, eam deitatem, qua filius Deus est, hanc ipsam esse, qua pater

Deus

Deus est affirmat, vt quoad essentiam filius sit expers principij, cùm eam essentiam patris totam habeat, quæ principio prorsus omni caret. Qui hanc sententiam improbant, aut indocti sunt, aut veteres hæreses renouant, aut nouas cogitant. Filium autem qua Deus est, esse à seipso, non vnus Caluinus asserit, sed præterea multi alij dixerunt viri longè doctissimi, quorum tu non potes errorem redarguere. Sensus autem hic est, Illam essentiam quæ est in filio, non esse ab alia essentia, sed à seipsa, cùm vna sit eademque patris filijque essentia. Essentia autem, vt contra Eunomium rectè scribit Basilius, est ἀγέννητος. Tu iam pulchrè disputas, Si Dei filius non habet à patre essentiam, ne filium quidem patris esse. Quorsum verò? Num enim Caluinus vnquam negauit filium à patre essentiam habuisse, an tu parùm quid aut Caluinus statuerit, aut ipse scribas attendis? Est enim genitus ex patris essentia, & habet patris essentiam filius, ac quidem totã, non decisione, aut propagatione, vt impij Tritheïtæ somniant, sed communicatione. Et tamẽ hîc quasi in re dubia scripturas adhibes, patres appellas, oleum multum profundis. Disce posthac causam ipsam penitus cognoscere, quam vis reprehendere, nec tuorum libris & sermonibus nimium confidere, quorum illud iamdudũ summum studium fuit, vt aliquid de eximio Christi seruo confingerent. Buchanani nostri te versibus delectari lætor: cupioq; & tibi ex animo precor, vt cuius doctrinam & elegantiã amas, eius quoq; excellentem in vera religione pietatem imiteris.

Basil. li. 1. contra Eunom.

D v-

DVRAEVS. Fol. 226.

Nisi (*inquis*) ex sese Deus est, omnino Deus esse non potest. *Agnosco videlicet Mahometi & Auicennæ discipulum. Verùm tantæ ignorantiæ te meritò debet pudere, qui nondum didiceris habere quidem in se filium diuinitatem insitam, id est, naturaliter Deum esse; sed quia verè filius est à patre diuinitatem omnem hausisse.* Recordare (*inquis*) illam Augustini vocem, Christus ad se Deus est, ad patrem filius: *agnosco Dei nomen substantiæ esse, non relationis: filij verò nomen in relatione consistere.*

WHITAKERVS.

9 Qui ingenitus ex patre Christus fuerit, totius substantiæ communicatione, quis nostrûm Duræe dubitat? Non tu is es, qui hæc nos mysteria melius doceas, quàm ea simus iamdudum in spiritus sancti schola edocti. Mahometē & Auicennam tibi, tuisque collegis relinquo, teq; moneo, vt nisi malis esse hæreticorum, quàm ecclesiæ discipulus, rectiùs posthac de Christi diuinitate sentias. Quanquam enim ea est filij proprietas, esse ex patre per generationem, non autem à seipso, quemadmodum est pater: tamen essentiam filij esse à seipsa est necesse, sicut etiam patris essentiam, cùm sit vna & prorsus eadem vtriusque essentia, licèt in filio cōmunicata, in patre incommunicata. Quare Christus, quâ Deus est, à seipso est, quâ filius ex patre est. Deus enim esse non potest, cuius οὐσία non sit à seipsa. Itaq; Basilius illud affirmat omniū ætatū memoria fuisse firmissimū Theologiæ ἀξίωμα, *Deum neq; à se, neq; ab alio*

Basil. li. 1. contra Eunom. τὸ θεὸν μήτε παρ' ἑαυτοῦ, μήτε παρ' ἑτέρου γενέσθαι.

ab alio extitisse. Atque hanc Augustini fuisse sententiam, ex hoc eodem loco facilè constabit. Sic enim scripsit Augustinus, *Quicquid est pater, quo Deus est, quo substantia est, quo æternitas est, hoc filius, hoc spiritus sanctus*. Est autem pater quo Deus, ἀγέννητος: igitur & filium etiam, quo deus, ἀγέννητον esse sequitur. Essentia ergo tam in filio, quàm in patre, à seipsa est, non ab alia: ex quo efficitur, vt tam filius, quàm pater, verus sit, æternusque Deus. Qui hanc sententiam improbat, monstrum aliquod hæreticæ opinionis proculdubio alit.

August. de Tempor. homil. 38.

DVRAEVS, Fol. 227.

Bezæ (*inquit Campianus*) filius non est genitus de essentia patris. Quid tu ob ea (*inquis*) Bezæ succenses, quæ dici à vobis ipsis solent? *Quod nunquam profectò sine summa impudentia dixisses, si Catholicorum de Trinitatis mysterio doctrinam nosses. Quis enim non facilè intelligit, longè aliud esse ex essentia gigni, aliud verò gigni essentiam. Essentia neque gigni potest, neque gignere, cùm id, quod gignit, ab eo distingui, quod gignitur necesse sit: essentia verò à seipsa minimè distinguatur.*

WHITAKERVS.

10 Quemadmodū sit genitus de patris essentia filius, exposui: in quo nihil est, quod quisquam Catholicus reprehendat. Vestra verò mysteria non equidem valde nosse cupio. Esse aliud, vt dicis, gigni essentiam, aliud ex essentia, non ignoro: & quemadmodum non gigni ex essentia essentiam affirmo, sic ex patris essentia gigni

gigni filium concedo, totoque animo amplector, vt tibi in hoc minimè opus fuerit tantopere laborare. Sed tua illa est ἀδολεσχία quæ sunt extra controuersiam, sedulò & prolixè confirmare, vt in ijs quæ arguuntur, parcior esse possis, & cùm nihil ad rem dixeris, aliquid tamen dixisse videaris. Quemadmodum autem in superiore disputatione fecisti, cùm de Dei voluntate ageremus, ita hîc etiam tandem ad nos accedis, & tuis verbis comprobas, quod impugnandum susceperas. Si enim essentia nec gignit, nec gignitur, quia non potest à seipsa distingui, tum filij essentiam constat non minus quàm patris à seipsa esse, & filium, quâ Deus est, id est, diuina essentia, à seipso esse, quod suprà in Caluino, & Beza, & nobis omnibus tanquam hæreticum multis verborum aculeis pupugisti.

DVRAEVS, Fol. 229.

Ego & pater vnum sumus: *Inde Caluinus filium esse patri ὁμοούσιον demonstrari posse negat. Ad te ipsum Whitakere veniam, qui Caluinum defendendo expugnas. Quid enim illud est, quod ais? Ioannes potentiæ & voluntatis vnionem significauit, non essentiæ. An tu adeo rudis es, vt in Deo potentiam essentiamque idem esse ignores?*

WHITAKERVS.

11 Arrio Caluinum suffragari necesse erit, si his verbis patris ac filij ὁμοουσίαν indicari

 neget?

neget? Quasi in hoc loco omnia posita sint, quæcunque ad refellendum Arrium faciant. Nec tamen impedio, quo minùs quisque *Ioan.10.30.* sentiat, quod ipse Christi sententiæ conuenientissimum iudicet: & video à multis hoc dicto Christi ὁμοούσιον diuinitatem confirmari. Caluinus potius loqui Christum de consensionis vnitate existimat, quæ si vera interpretatio fuerit, Arrius hoc quidem testimonio minimè reuincetur. Non enim sequitur, si quicquid Christus facit, id pater sua virtute & potentia confirmat, ὁμοούσιον esse patri filium. Nec ita rudis sum, quin satis intelligam Dei potentiam esse Dei essentiam: sed num sequitur, si Christus Dei potentia fretus & communitus vinci non potuit, quin vnà Deus vinceretur, eandem esse Dei Christiq; essentialem potentiam?

DVRAEVS, Fol, 229.

Nomen hoc (inquit Lutherus) ὁμοούσιον odit anima mea. Quid tu? Atque vt nomen (*inquis*) oderit, rem ipsam tamen amauit, vt animam suam. *Quid stultius, quàm nomen aliquod odisse, quod neque odij, neque amoris certè capax est?*

WHITAKERVS.

12 Hîc verò ingenium nobis egregiè tuum prodis, cùm te non pudeat apertæ at-

que agnitæ calumniæ . Num enim Duræe, ista apud Lutherum verba legisti ? An Campiano referenti credidisti ? Quæ hæc importunitas maledicendi , quæ nec modum sibi vllum præscribit , nec se patitur reuocari ? Luthero Campianus obiecit , quòd diceret, *Anima mea odit hoc verbum* ὁμοούσιον. Locum inspexi , mendacium manifestum deprehendi, Lutheri verba descripsi : quæ hîc etiam iterum proponam, vt horum hominum fidem & pudorem omnes agnoscant . Sic Lutherus scripsit, *Quòd si odit anima mea vocem homousion, & nolim ea vti, non ero hæreticus. Quis enim me coget vti, modò rem teneam , quæ in concilio per scripturas definita est ?* Si nomen , vt dicis , neque amoris, neque odij capax est, non fuisset hæreticus Lutherus , quantumuis hoc nomen odisset, modò rem tenuisset. Quod enim hæreticum facit, id certè summum odium meretur. Iam ex his Luthero eiusmodi pronunciatum affingere , *Odit anima mea hoc verbum homousion*, commentum est perpetuo odio dignissimum.

Luther. confut. ration. Latomi.

DVRAEVS, Fol.230.

Aliud deinde Campianus noui Euangelij paradoxon enumerat: Christum ab infantia non fuisse gratia consummatum , sed animi dotibus velut cæteros homines adoleuisse . *Tu quid ?* Iesus proficiebat sapientia , & gratiâ apud Deum & homines . *Potuisses ex tot antiquorum patrum monimentis huius loci veram interpretationem didicisse : Christum sapientia creuisse , quòd vnà*

cum ætate magis indies, magísque illius sapientia eluceret, ac hominibus innotesceret. Quomodo enim qui Dei filius, qui sapientia plenus, in quo omnes thesauri sapientiæ absconditi, crescere potuit in sapientia? Negare non potestis primo illo Adamo excellentem quandam scientiã, sapientiamq́, fuisse infusam: quid ergo amentiæ plenius, quàm Christo Dei filio ignorantiæ infirmitatem tribuere? Longè aliter Hieremias, Fæmina circundabit virum. *Hinc Augustinus,* Ignorantiam *(inquit)* nullo modo crediderim fuisse in infante illo. *lib.1.de peccat. merit. & remiß.c.29. Et Iustinus,* Christo ignorantiam tribuere impium est. *quæst.58.ad orthod. Et Clemens,* An quod est absurdissimum, aliquid ei deest? *lib.1.pædag. Et Hilarius,* An credibile est, vt aliquid ex omnibus nesciat, qui omnibus ad id quod sunt, atque erunt author est. *li.9.de trinit. Mirari satis non poßum, tam audacter absq; omni pudore Arrianorum, Eunomianorum, Gnosticorum, & aliorum hæreticorum impium vestrum, & peruersum dogma defendere.*

WHITAKERVS.

13. Impiè tu quidem in noui Euangelij paradoxis numeras, quod in vetere Christi Euangelio perscriptum & traditum esse constat. Nisi enim Lucas nouum Euangelium docuit, hoc Euangelium nihil profectò noui habet. De Christo enim infante pueroq; Lucas sic omnino scribit, vt nos pronunciamus. Etenim si crescebat, &
Luc.2.40.& 52. spiritu corroborabatur, *& sapientia implebatur:* sique & *sapientia*, & statura, & gratiâ apud Deum hominesque *proficiebat*, quemadmodum de illo Lucas disertè commemorat, quis non intelligit, hæc in Christo homine non statim, vt natus est, fuisse summa? Qui enim proficiunt, aliquid noui subinde acquirunt, nec mox ad

summum

summum gradum perueniunt. Tua verò scholasticorum interpretatio valdè ridicula est, Christum non quidem reuera profecisse sapientia, sed visum esse hominibus proficere, cùm illius sapientia se indies magis magisque proderet, suique specimen illustrius ostenderet. Quid ergo est quo minùs idipsum etiam de staturæ, atque ætatis incrementis affirmemus, & Christum mox editum in lucem virum fuisse matura ætate & integro corpore dicamus: quod autem creuisse scribitur, id de hominum opinione interpretemur? Si enim statura verè profecit, quin verè etiam sapientia profecerit negari non potest. Tum quando Lucas illum ait non modò apud homines, sed etiam apud Deum profecisse, huic fictæ progressionis imagini nullum locum relinquit.

Sed nunc ad tuas rationes veniamus, si rationes dici possũt, quę nihil habẽt rationis. *Quomodo* (inquis) *Dei filius crescere potuit in sapientia, qui sapientia plenus, in quo omnes sapientiæ thesauri absconditi?* Si Dei filius fieri potuit hominis filius, si de matre nasci more infantium aliorum, si viribus augeri, dubium non est proficere etiam sapientia potuisse. Etsi enim quâ Deus, nihil ad illius sapientiam addi potuit, tamen quâ homo, nihil ab illo humanum, si modò peccatum excipias, alienum fuit, quemadmodum Apostolus clarissimè docet. Heb. 4. 15. Quanquam autem plenissimus est sapientiæ, in eoque thesauri omnis sapientiæ absconditi sunt, hoc tamen quid impedit, quin vt homo illos, quos Lucas nar-

 rat,

rat, in ſapientia progreſſus fecerit? Qui enim plenus eſt ſapientia, hunc ſtatim, ac prodijt in lucem, eſſe plenum nulla ratio ſuadet. De Chriſto nunc vt homine loquimur, cuius humanitas, ſi tam ſapiens fuit, quàm diuinitas, tota quidem in diuinitatem tranſijt. De Adamo quod ſubiungis mirificum eſt. Adamum Dominus mox creatum excellente ſcientia & ſapientia donauit: Chriſtus ergo nihil ignorauit. Primùm enim Adamus non omnia cognouit, at vos Chriſtum nihil vnquam neſcijſſe contenditis: deinde hoc modo concludes, ne mortuum quidem eſſe Chriſtum. Si enim Adamus ſic initiò conditus eſt, vt non mori potuiſſet, quid amentiæ (vt tuis verbis vtar) plenius, quàm Chriſto Dei filio mortis infirmitatem tribuere? Dic enim, quæſo, vtrum tandem Dei filio indignius eſſe ſtatuas, mori, an aliquid ignorare? Verùm cùm ſcriptura teſtetur
Rom. 8. 3. Chriſtum in ſeſe noſtram non integram, qualis
Phil. 2. 7. in Adamo tum fuerat, ſed infirmam & afflictam naturam, peccati tamen expertem ſuſcipere voluiſſe, & exinanitum atque exhauſtum ad nos deueniſſe, mirum non eſt, ſi talis naſci voluit, quales nos ſumus, non qualem Adamum condiderat. Sed hîc neceſſe eſt, ſuccumbamus:
Hierem. 31. Ieremias enim longè aliter ſcripſit, *Fæmina circundabit virum*: vir igitur Chriſtus fuit in vtero materno, ſcientia, & ſapientia plenus. Mactè virtute: his procul dubio argumentis vinces. Quanquam ſi virum fæmina circundedit, vt tu affirmas, vir ergo Chriſtus fuit, antequam

tequam esset natus, & virum Maria, non infantem peperit, & Simeon senex virum in vlnas non puerulum accepit. Hæc præclara sunt tuæ interpretationis commenta tuo certè patrocinio dignissima. Hîc cùm scripturæ deficiant, patrum nos testimonijs aggrederis: & nobis Augustinum, Iustinum, Clementem, Hilarium obijcis, quibus ego reliquisque omnibus si vnum Lucam oppono, vincam est necesse. Sed isti patres de Christi diuina naturâ loquuntur. Christus enim puer, etsi in infantia quoad humanam naturam multa ignorauit, tamen ne in vtero quidem materno diuinitate sua aliquid nesciuit, nec id quisquam dubitat. Atque hoc patres sensisse ex Iustino constat, qui Christum arguit Iudæ proditionem præsciuisse, *quia Christo ignorantiam affingere impium est*. Sed nos de Christi humanitate quærimus, in quam diuinitas sapientiam & reliquas dotes contulit non statim vniuersas, sed prout mediatoris officium postulabat. Insulsum igitur est, quòd te mirari dicis veterum hæreticorum à nobis dogmata defendi.

Iustin. quest. orthod. 58.

DVRAEVS, Fol. 231.

Sed Christus (*inquis*) à Luca non πλήρης, sed πληρούμενος sapientia dicitur. πληρούμενος *verò non profectum atque accessionem significat, sed potiùs efficientiam. Vrget fortè nos magis, quod sequitur,* Ioannes (*inquis*) ab vtero matris plenus spiritu dicitur, & tamen in dotibus spiritus sancti creuisse negandum non est. *Ioannes lucerna fuit, Christus lux, quæ omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat. Ioan. 1.*

Neq; animaduertisti plenitudinem gratiæ (vt scholastico more loquamur) vel eße ratione subiecti, vel ratione ipsius gratiæ. Christo non est data gratia ad mensuram.

VVHITAKERVS.

14 Illa verbi obseruatio non mea est, sed Erasmi, tuiq; Iansenij. Et verò cùm Christum Lucas scribat creuisse & corroboratum esse spiritu, πληρούμενον σοφίας progressum & accessionem indicari satis manifestum est, præsertim cùm mox addit, καὶ προέκοπτε σοφίᾳ, *& sapientia proficiebat*. Atq; vt plenū sapientię fuisse fateamur, non tamen esse necessarium vt infans plena sapientia præstiterit, Ioannis exemplum demonstrat, quem etiam angelus spiritu sancto plenum ab vtero matris fore prædicit. Nec tua distinctio scholastica quicquam valet. Si enim pleni gratiâ sunt ratione subiecti, qui imbuti ea gratiâ sunt, quæ ad munus obeundum sufficiet, Ioannes mox natus non fuit hac gratiâ plenus, nisi putemus Ioanni cùm primùm hanc lucem aspexit nihil ad muneris functionem defuisse, quod nimis puerile est. Sed *Christus* (inquis) *lux fuit, quæ omnem hominem illuminat*. Ineptè ad Christi humanam naturam accommodas, quod de illius diuinitate Euangelista intellexit. Et quòd spiritus dicitur illi non esse datus ad mensuram, de mediatoris persona accipiendum est, in qua sunt duæ naturæ: nec sequitur, Christus immensa spiritus sancti vbertate præditus est, ergo

Luc. 1.15.

Ioan. 1.9.

go nunquam aliquid in ſapientia profecit.

DVRAEVS, Fol. 232.

Sed Ambroſium nobis obijcis. Chriſtus (*inquit*) ſecundùm carnem vtique ſapientia implebatur & gratia. *Idem Ambroſius ſeipſum interpretatur :* Ego verò nihil ignoraſſe filium dico, ſed noſtrum aſſumpſit affectum, vt noſtra ignoratione ignorare ſe diceret. *lib. 5. de fide cap.* 8. Ianſenius (*inquis*) lubenter ſe in hanc ſententiam ire profitetur. *Sed facilè tui Academici te nunquam Ianſenium vel legiſſe, vel certè intellexiſſe deprehendent. Sed adhuc nouas copias adiungis.* Eraſmus (*inquis*) eam veriorem eſſe ſententiam dixit, quanquam illum in tuis non numero. *Si in noſtris ille non numeratur, quicquid demum ſenſerit, non valde ſolicitos nos reddit.*

VVHITAKERVS.

15 Ambroſium tuus etiam Ianſenius citauit, quod facilè animaduertiſſes, ſi Ianſenium ipſe legiſſes, quem me non legiſſe exiſtimas. Neq; aliud nos dicimus, quàm quod Ambroſius ſcribit, *Chriſtus ſecundùm carnem ſapientia & gratia implebatur*. Hunc enim puerrum certum eſt propter ὑποστατικὴν deitatis vnionem nihil ignoraſſe. Sed ineptum eſt à perſona ad humanam naturam argumentum, vt quia homo Chriſtus nihil ignorauit, id etiam de Chriſti humanitate liceat affirmare. Et quanquam Ambroſius contra hæreticos diſputans nullam vel humanitati ignorantiam tribuere videtur, tamen aliter pleriſque viſum eſſe perſpicuè teſtatur. Sic enim ſcribit : *Sunt tamen plerique non ita timidiores, vt ego, Malo enim alta timere, quàm* *Ambroſ. de fide lib. 5. cap. 8.*

sapere: sunt tamen plerique eo freti quod scriptum est. Iansenius num lubens in hanc sententiam abeat, loquatur ipse: *Cum scripturis* (inquit) *sacris & fidei syncertitate obstare non videatur, si dicatur deitas per gradus quosdam dotes suas impartisse humanæ naturæ assumptæ, & Lucas id apertè hoc loco bis dicat, eisdem verbis nunc loquens de Christo, quibus priùs de Ioanne. &c.* De Erasmo dubium non est, quin à vobis in hac causa dissentiat, vt ferè solet in reliquis. Itaque illius libros Tridentina synodus tanquam hæreticos prudentissimè damnauit.

Iansen. in concord. cap. 12.

DVRAEVS, Fol. 233.

Mirum verò quàm hîc insultas, quod Campianus ex ignorantia, si quæ in Christo fuisset, peccatum etiam originale in eo esse debuisse contendat. Vbi tu sanè perignoranter de ignorantia disputas. Nam tametsi quædam angeli, primiq; parentes nostri nescierint, ignorantia tamen, de qua hîc Theologi loquuntur, minimè laborarunt. Illam verò ignorantiam, quæ ex originis labe in naturam humanam irrepsit, si tu in Christo esse fateris, euadere nunquam poteris, quin & originis labem contraxisse Christum affirmes. Quod vt confirmes, Cyrillo teste Christum prout erat homo, iudicij diem ignorasse pronuncias. Ignoras præcipuum illud Arrianorum argumentum fuisse, cui Catholici patres multis ante natum Caluinum seculis abundè responderunt.

WHITAKERVS.

16 Cuiusmodi hoc Campiani argumentũ extiterit, non est difficile iudicare. Primùm enim nõ omnis ignorantia ab originali peccato fluxit, quan-

quandoquidem & Angeli nunc multarum rerum ignari ſunt, & Adamus, antequam erat vllo peccato imbutus, nonnulla ignorantia laborauit. Itaq; vt Chriſtum multa ignoraſſe dicamus, nunquam tamen vllum in Chriſto fuiſſe vitium ſequetur. Deinde etiamſi affirmemus omnem ignorantiam eſſe pœnam peccati, tamen tantum aberit vt hinc efficias nullam in Chriſtum cadere ignorantiam potuiſſe, vt contrarium potius euincatur. Pœnas enim omnium peccatorum noſtrorum ipſe perferre & luere debuit. Itaque non hanc modò pœnam Chriſtus, ſed mortem etiam, quam peccato pœnam Dominus conſtituit, *Rom.1.23.* in ſe ſuſcepit, nec tamen proinde labem originalem contraxit. Cùm hæc priùs Campiano reſpõdiſſem, cur non diluebas? Nimirum ipſa veritas omnes tuæ refutationis fauces compreſſit. Chriſtus verò num quoad humanam naturam iudicij diem neſcierit, ipſum interroga Chriſtum. Sic ipſe reſpondet, *Nemo ſcit nec ipſe filius.* Hunc *Mar.13.32.* filium eſſe Chriſtum non ignoras: Chriſtus ergo diem illũ humanâ naturâ ignorauit, quod etiam Cyrillus apertè comprobat. Nazianzenus etiam ſcribit, γινώσκει μὲν ὡς θεός, ἀγνοεῖν δέ φησιν ὡς ἄνθρωπος. i. *Nouit vt Deus, vt homo ſe dicit ignorare.* Nec eſt quòd hîc *Nazianz. 8.* mihi veteres Arrianos cõmemores. Nã illi Chri- *2. de filio.* ſtum penitus ignoraſſe diem illum arguebant. At Chriſtus Dei filius, qua eſt Dei natiuus filius, nihil vnquam ignorauit aut ignorat, aut omnino ignorare poteſt, quæ pater ipſe nouit: tum enim ne Deus quidem eſſe potuiſſet. At hoc cùm

Arria-

Arrianos refellit, tum nihil obſtat, quo minùs Chriſto vt homini illius diei horæque tempus incognitum fuerit. Patres pleriq; ſic illa Chriſti verba interpretantur, filium ignoraſſe quia non reuelauit, & alios ignorare voluit. Sed hæc interpretatio facilè reprehendi poteſt. Perinde enim ſequitur, & ipſum patrem ignoraſſe, cùm diem illum pater nihilò magis, quàm filius, indicarit.

DVRAEVS, Fol.234.&c.

Sequitur deinde aliud paradoxon ſanè abſurdiſſimum. Chriſtus cùm orans in horto ſudoribus aquæ manaret ac ſanguinis, ſenſu damnationis æternæ cohorruit. *Quid ergo Whitakere, exhorruit gehennam, vel iram Dei? Certè Chriſtus qui Dei filius erat, qui nihil in ſe ira dignum eſſe ſciebat, gehennæ pœnas perhorreſcere non potuit. Neque enim minùs illum de ſua electione certum, quàm Theodorum Bezam fuiſſe conſentaneum eſt. Quid ergo eſt, quod ait?* Hinc illa vox in cruce emiſſa, quam ille non fictè, ſed ex animo, edidit, Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me? *Quomodo ſe à patre deſertum, cui ſeipſum totum offerebat, cogitare potuit? Rabanus veram illius loci ſententiam te docere potuiſſet. Hoc ſenſu dixit Chriſtus (Deus meus vt quid me dereliquiſti?)* vt naturæ noſtræ miſeriam deploraret.

Marlor. in 26. Marc. Caluin. in harm.

Raban.

WHITAKERVS.

17 Qui meam ſuperiorem reſponſionem cum tua hac refutatione contulerit, quàm te hic miſerè atque improbè geras, facilè perſpexerit. Dum enim nobis abſurdum aliquod παράδοξον affingere cum tuo Campiano conaris, ipſe Chriſti perpeſſiones ſanè ſummas, & vim mortis minuis. Sic enim ſtatuis Chriſtum tanquam ſtipitem,

cùm maximis malis vrgeretur, omni doloris sensu caruisse, & mortem tanquam rem lætam adijsse. Sed nos aliter scripturæ docent. Esaias ait, *Morbos nostros ipse pertulit, & dolores ipsos nostros ipse portauit. Ipse dolore afficitur ex defectionibus nostris, atteritur ex iniquitatibus nostris, castagatio pacis nostræ imponitur ei. Iehoua fecit, vt incurrat in eum pœna omnium nostrûm*: Et quæ in illo capite deinceps in hanc sententiam sequuntur. Si nostri nulli sunt dolores acriores, quàm qui in iræ diuinæ recordatione, mortisque metu versantur, nostros autem dolores omnes Christus homo pertulit, quis sine incredibili in Christum iniuria negare potest, illũ ex iræ diuinæ, & mortis acerbissimo sensu sũmos animo dolores cepisse? Itaq; ait, *Nunc anima mea perturbata est. Tristis est vndiquaque anima mea ad mortem. Cœpit contristari & grauissimè angi.* Semel, iterum, tertiò precatus est illud poculum auferri, si fieri posset, nec leuiter sed tanto impulsu doloris, vt inter precandum sanguineo sudore totus manaret. Hæc isti minimè curant, & ludicra fuisse fingunt: Christum enim, quantumuis eum Apostoli λυπεῖσθαι, ἐκθαμβεῖσθαι, ἀδημονεῖν, ἐν ἀγωνίᾳ γενέσθαι scribunt, ipseque suam animam περίλυπον fuisse testatur, nullã tamen sensisse tristitiam, dolorem, cruciatum; quo quid in Christum contumeliosius excogitari potuit? Ego sanè ingenuè fateor, quantò hanc istorum opinionem diligentiùs expendo, tantò magis illam ab omnibus pijs expuendam atque execrandam sentio. Num enim aut scripturas palàm ab istis rideri, aut illa beneficia Christi, quæ & nobis

Esai. 53.4.5.6.

Ioan. 12.27.
Matt. 26.38.37.39.*&c.*
Luc. 22.44.

nobis saluberrima sunt, & ipsi charissimè constiterunt, proteri patiemur? Cùm apostolus scribat, *Christũ in diebus carnis suæ deprecationes & supplicationes apud eum, qui poterat ipsũ seruare à morte, cũ clamore valido & lachrymis obtulisse*: & Christus in cruce pendens vocem ex intimo cordis dolore exprompserit, *Deus Deus meus, cur deseruisti me?* Christianum censebimus qui vel fictè Christum doluisse, vel dolendi causam nullam habuisse defenderit? Quare aut mentiti sunt Euangelistæ atque Apostoli, & Christus sine causa dolorem simulauit, quod nefas est affirmare, aut mortem subiturus Christus grauissimos animo mærores suscepit, & grauiùs quàm cum morte communi certamen obijt. Si enim homines hanc mortem quantumuis acerbissimam oppetunt infracto, alacrique animo, satis intelligi potest esse Christum inusitatis quibusdam horroribus conflictatum.

Heb. 5. 7.

Matt. 27. 46

Sed fuit (inquis) *Dei filius, nec in se aliquid iræ dignum habuit*. Pulchrè: quasi non hominis etiam filius fuerit, & hominum peccatorum personam gesserit. Nec tamen sic ille gehennam timuit, vt vos fingitis: Sed cùm omnium nostrûm in illum vnum pœna incumberet, ea ipsum vt hominem vehementissimè affici, ac permoueri necesse fuit. Erat enim Deus nobis propter peccatum iratissimus: Christus se interposuit, eiusque iræ vim omnem in se vnum effusam sustinuit. Qui ergo Christum nihil sensisse putat, & peccati magnitudinem, & Dei iustitiam, & Christi meritum tollit. Quòd non fuerit absorptus,

deitati

deitati tribuendum eſt. Tuas ineptiſſimas cogitationes te quidem dignas prætermitto. *Verùm* (inquis) *quomodo ſe deſertum putare potuit, qui ſe totum Deo obtulit?* At niſi ad tempus ſe tanquam hominem deſertum ſenſiſſet, cur ſe deſertum fruſtrà & temere dixiſſet? Seipſum quidem obtulit, ſed per ſpiritum æternum, hoc eſt diuinitatem, quemadmodum Apoſtolus docet. Hæc ergo voluntaria oblatio nihil impedijt, quò minùs animo humanos dolores perpeti potuiſſet.

Rabani interpretationem ipſe adduxi, quam tu non intelligis. Ait enim his verbis vſum eſſe Chriſtum, non modò quia noſtram miſeriam deplorare voluit, ſed etiam quia *noſtros motus circumtulit.* Quare illum verè doluiſſe Rabanus iſte iudicauit. Atque eadem eſt Hieronymi, & Ambroſij ſententia, quibus à me citatis nihil reſpondes. Et quomodo noſtram miſeriam tum deplorauit, quando nos ſuo ſacrificio & morte ex miſeris beatos fecit? Túmne enim nos deſeruit Deus, quando morte filij nos redemit? Itaque tuæ expoſitionis incredibilē vides futilitatem. Potui patrum teſtimonijs abundare: ſed nunc vno vtar Damaſceno, qui Chriſtum ſcribit verè metuiſſe, eaq; omnia ſic reuera fuiſſe geſta vt legimus: atq; huius opinionis Athanaſium authorem citat. Similiter etiam Ianſenius habet, niſi illum fortè, vtpote qui nimis multa è noſtrorum hominum commentarijs ſumpſerit, reſpues. *Derelictum ſe conqueritur Dominus, tum quòd à Deo non erueretur malis, quibus affligebatur, tum quòd diuinitas ſubtrahebat ab humanitate Chriſti* con-

Damaſ. lib. 3. cap. 23. ὅτι ἀληθῶς ἐδειλίασε. φύσει καὶ ἀληθεία τὰ πάθη ἐγένετο.

Ianſen. cōment. in concor. ca. 143.

consolationis riuulos, relinquens eum pati, quæ naturaliter erant afflictiua. Christi ergo perpessiones ac supplicium pergite quantum lubet, extenuare: vestram ingratitudinem atq; impietatem ipse olim Christus vlciscetur.

DVRAEVS, Fol. 236.

Sed iam ipsam impietatis vestræ originem diligentiùs expendamus. Nihil (*inquit Caluinus*) hac corporea morte actū fuisset, nisi in anima etiam Christus damnati ac perditi hominis supplicium pertulisset. *Quid hoc aliud est, quàm scripturam sacram vniuersam reijcere, quæ sanguinem Christi & mortem, quam patri in crucem obtulit vnicum redemptionis nostræ precium fuisse testatur? Sic à Propheta fuerat prædictum,* si posuerit pro peccato animam, dabo illi semen longæuum.

Heb. 9.

WHITAKERVS.

18 Vellem aliquando posses tuæ impietatis fontem exhaurire. Caluinus verissimè scripsit nihil actum fuisse, si mortem tantùm corpoream Christus obijsset. Non enim corpore tantùm, sed anima etiam pœnæ luendæ erant. Quid ergo insulsius quàm putare satis fuisse Christo ad illud difficilimū redemptionis expediendum negotiū, vt vel vnam ex minimo digito sanguinis guttam effunderet, quemadmodum isti tradunt? Hos quisquam existimet precium, quod pro ipsis Christus persoluit, non egregiè contemnere? Quasi eam tantùm pœnam Dominus impijs denunciauit, vt corpus duntaxat moreretur, anima interim nullum doloris sensum pateretur. Sin autem

tem animi quàm corporis multò vehementius erat peccatoribus constitutum supplicium, & hoc Christum defungi, vt vadem nostrum, oportebat, diuinæ iustitiæ minimè satisfactum fuisset, nisi longè maiores animo Christus, quàm corpore dolores pertulisset. Quæ contrà adducis argumenta, summam ostendunt vestræ nationis παραφροσύνην. Num enim quia Christi sanguis precium fuit nostræ redemptionis, hunc sanguinem sine interno animi dolore effusum fuisse, aut Christum non scelerum nostrorum reatum pœnamque subijsse sequitur? Et *animam posuit pro peccato* vt Propheta loquitur, sed contusam, doloribus affectam, ægritudini familiarem, quemadmodum eodem in loco scribitur. Cuiusmodi enim argumentum est, Christus posuit animam pro peccato, ergo nihil illi necesse fuit mente cum patris ira, & inferorum doloribus luctari? Esai. 53.

DVRAEVS, Fol. 236.

Videamus quid vos in tantam amentiam præcipitare potuit. Quia hominis (*inquis*) non corpus duntaxat, sed anima etiam Deum offendit, Christum non tantùm mori, sed etiã cũ morte sempiterna luctari oportuit. *Quis vnquam Whitakere, corpus hominis peccasse dixit? homo est, qui peccat, non corpus: sed id tuæ imperitiæ facilè ignosco. Quid velis intelligo, sed cum tuo Caluino, toto, vt video, cælo aberras. Christus enim, qui & Deus & certè homo erat, hominis in se delictum suscepit. Atque in hunc modum diuinæ Christus iustitiæ satisfecit non grauitate ac multitudine suppliciorum, sed pondere actionum, quarum vnaquæque non potuit non esse iustißimum redemptionis precium. Neque nec esse erat, vt eandem Christus pænam subiret, quę homini ob peccatum meritò debebatur, quemadmodum si quis ęre alieno op-*

pressum ex carcere liberare velit, vt in carcerem ipse eat necesse non est.

WHITAKERVS.

19 Ὡς ἀργαλέον πρᾶγμά ἐστι cum indocto, & eodem inflato sophista contendere? Corpus hominis non peccat, ais, in quo te valdè corpori propitium præbes. Verùm si corpus non peccat, cur peccati pœnas luit? Estné enim æquum, vt corpus, quod nunquam tuo iudicio peccauit, propter peccatum grauissimè æterneque puniatur? Sique vt tu dicis, homo peccat, tum certè corpus aliquid ad peccatum confert: anima enim per se non est homo. Sed meæ imperitiæ ignoscis: credo, vt tuæ ego faciliùs ignoscam: & intelligis verò tandem quid velim, quod quidem nisi admodum hebes fuisses, mox potuisses. Cùm enim homo & corpore & anima Deum grauissimè offendisset, hominis autem personam Christus in se recepisset, necesse fuit, vt Christus non modò corpore, sed mente etiam pœnas peccato debitas perferret. Nunc quod Caluini, meumq; erratum fuerit, attendo. *Christus* (inquis) *hominis in se delictum suscepit*. Rectè: sed totúmne an partem? & num sic suscepit, vt dilectorum sensu careret, an non? Quin totum Christus delictum susceperit, dubium non est, quia nos toto liberauit, nisi fortè adhuc toto iudicio in maxima peccatorum nostrorum parte hæremus. Quis autem nescit illam pœnam, de qua iam agimus, Domino inprimis fuisse persoluendam, cùm ea delictis

delictis nostris vel maximè deberetur? Iam quòd Christum sensus etiam peccatorum nostrorum attigerit, illa omnia clarissimè demonstrant, quæ suprà commemorauimus. Et nisi Christus angores sensisset vehementissimos, quid angelo opus fuisset, qui illum confirmaret? Si enim nullos animo dolores percepit, nulla consolatione opus habuit. Luc. 22. 43. Verùm addis, *Christus non grauitate aut multitudine suppliciorum, sed actionum pondere iustitiæ diuinæ satisfecit:* cuius tuæ defensionis hic exitus est, vnamquamque actionem Christi, quia non hominis tantùm, sed Dei erat, iustissimum redemptionis fuisse precium. Quod si ita sit, quid mori Christum attinebat? Si enim quauis actione satisfacere diuinæ iustitiæ, & nostram redemptionem conficere potuisset, illud sanguinis precium, & mortem crudelissimam amisisset. Sin hoc cum Dei decreto & iustitia pugnat, & pœna, non quæuis, sed extrema animæ & corporis subeunda erat, quemadmodum corpore Christus mortem acerbissimam, sic exquisitos animo dolores pertulit. Neque huius pœnæ similis fuit, atque æris alieni persolutio, vt tu nimis ineptè fingis. Tum enim quid de cælo descendere Christum necesse fuit, aut nasci hominem, aut vllis malorum generibus affici? Qui enim alterum ære alieno liberant, non ipsi, vt tu dicis, in carcerem mittuntur. Quanquam nemo nescit non ipsos modò debitores, qui soluendo non sunt, sed sponsores etiam in carcerem conijci, quousque creditori satisfiat. At verò si in hoc sponsore non nuda quædam quasi

pecuniæ persolutio, sed vera maximarum pœnarum perpessio fuit necessaria, quid Christum isto sponsionis munere verissimè perfunctum esse dubitamus?

DVRAEVS, Fol.237.

Quàm verò tu ineptè Melchiorem Canum erroris tui socium ascitis, quia Christum non in appetitu modò, sed etiam in voluntate ipsa tristitiam sensisse dicas? Sed non ideo, vel desperauit, vel inferni pænas expertus est. Hieronymus verò, & Ambrosius nihil certè aliud, quàm fuisse in Christo tristitiam dicunt.

WHITAKERVS.

20 Ne Christus fortè desperaret, nullum periculum fuit. Neq; est necesse, vt quisquis inferni dolores ad tempus sustinet, is desperatione perpetua obruatur. Pijs multis grauissimus iræ diuinæ sensus nonnunquam infligitur, quem tamen illi tandem diuino spiritu vincunt. Multò magis Christus omnium inferorum dolores superare potuit. De Cano nonnulla respondes, sed ea valde aliena. Si enim Christi voluntas tristitiã sensit, quæ huius tristitiæ causa fuit? aut quã potes aliã cogitare nisi hanc? Vbi maximè tuo auxilio indigemus, nos sẽper deficis, nec quod scire cupimus, explicas. Sed Canus te facilè refellit. Non enim tantùm ait, Christum voluntatis tristitiam, *sed angores quoque spiritus suscepisse.* Tum causam adiungit, *Quo pro culpis nostris omnibus hostia illa Deo gratissima omnibus omnino modis contereretur.* Tu verò scilicet redemptionis nostræ precium, non grauitate aut multitudine suppliciorum,

Canus li. 12. cap. 13.

rum, sed actionum pondere metiris. Tum pòst Canus Christum scribit, *derelictum à Deo, omnique penitus solatio destitutum*. Quid dici grauius ab ipso Caluino potuit? Vt vereor, ne hîc tuum Canum maledictis vexare incipias. Si enim isto modo Caluinus scripsisset, impunè profectò nunquam hodie tulisset. Potui te ad Catechismũ Tridentinũ remittere, quẽ nondũ vidêris satis didicisse. Multis enim verbis docet Christũ *tormenta & cruciatus animo percepisse*, idque vt populũ diligenter doceat Parochus, monet. Hęc catechismi verba sunt, *Quod ad intimum animi dolorem pertinet, nemo dubitare potest, quin summus in Christo fuerit. Sanctis enim hominibus, quicunque supplicia & cruciatus pertulerũt, nõ defuit animæ solatiũ diuinitus datum, &c. Verũ Christus amarissimæ passionis calicem, quem bibit, nulla suauitate permista temperauit. Humanæ enim naturæ, quã assumpserat, sentire omnia permisit, non secus ac si homo, non etiam Deus fuisset.* Quid tu nunc Caluinũ exagitas, qui nihil aliud docuit, quàm quod vestri etiam Catechismi tradunt? *Catech. Trident in articul. Mortuus & sepultus.*

DVRAEVS, Fol. 237. 238.

Bucerum præ hac insania modestum esse *dixit Campianus*, qui inferni nomine sepulchrum intellexit *Tibi placuit Catholicorum omnium de limbo sententiam indignum somnium appellare: quæ tamen nihil scripturis sacris, neque veterum ecclesiæ patrum testimonijs apertius confirmari potest. Sic enim Dauid*, Non derelinques animam meam in inferno. *Et Zacharias*, Emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. *Psal. 15.* *Zach. 9.*

Eccles.14. *Et in Ecclesiastico*, Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino. *Vt alia penè innumera preteream, quæ omnia de limbo patres intellexere, inprimis verò Ireneus, lib. 5. Et Epiphanius hæres. 49. Et Basilius, Psalm. 48. Et Hieronymus in cap. 4. ad Ephes. Et August. Epist. 99. & Epistol. 57.*

WHITAKERVS.

21 Vtcunque hunc symboli de Christi ad inferos descensu articulum aliter Bucerus, aliter Caluinus interpretatur, vterque tamen illum commentitium patrum limbum meritò explodit. Cum enim vis mortis Christi non minùs ad priscos patres, qui ante Christum vixerunt, quàm ad eos qui consecuti sunt, spectarit, dubium non est sanctorum patriarcharum, & reliquorum animas, qui certa fide Messiam amplexi sunt, fuisse in loca non inferna, sed supera & cælestia delatas. Idque ex Lazari apud Lucam historia cognosci potest. Mortuus enim Lazarus ab Angelis in sinum Abrahæ asportatur, quod qui de limbo intelligendum contendet, quid aliud, quàm mentis ἀμαθίαν prodet? Nec nisi duorum post hanc vitam locorum scriptura vsquam meminit. Nam hæc tua scripturæ testimonia nec ad limbum, nec ad rhombum pertinent. Quod enim propheta ait, *Non derelinques animam meam in inferno*, perinde est, ac si dicat, tu me in sepulchro iacentem non deseres: sed me vitæ, quæ nunc quasi obrui-

Luc.16.22.

tur

tur sepulchro, incolumem restitues. Sic enim apud Danielem sępissimè legimus animam à morte, à sepulchro, è manu inferorum erui, quod de limbo cogitari non potest. Zachariæ verò locum multò imprudentiùs adhibes, quem à tuis de purgatorio intelligi satis nosti. Purgatorium verò, si vobis somniantibus credimus, locus est à limbo remotus, & plenus feruentissimis flammis, quibus animæ torquentur, cùm limbus quietus & liber à supplicio fuerit. Sed vt has nugas mittamus, affatur apud Zachariam Dominus Ecclesiam Iudaïcam, quam ille sanguine fœderis respersam, id est, memorem illius fœderis, quod cum ipsa Deus sanxerat, è cisterna puteoque Babylonici carceris ac seruitutis emisit. Nónne hi belli interpretes sunt, qui hinc limbum & purgatorium excogitarunt? Tum hæc verba quæ ex Ecclesiastico commemoras, in Gręco exemplari desiderantur. Græcè autem liber ille conscriptus est. Nec libri huius, quem Apocryphum esse docui, authoritatem Canonicam agnosco. His fundamentis limbum innixum ruere est necesse. Sed alia prætermittis innumera, quæ cuiusmodi sint, cùm hæc præcipua fuerint, non possum existimare. Verùm quod scripturis euincere minùs potuisti, id patrum testimonijs proculdubio conficies: de quibus, vt tibi quod sentio, liberè breuiterq; respondeam, apud me vna scripturæ vocula plus habet pōderis, quàm mille patrum sine

Zachar. 9. 11

Eccles. 24.

ſcripturis pronunciata. Itaque non expectabis, dum ſingulatim hos patrum errores diluo.

DVRAEVS, Fol. 239.

Vetera (*inquis*) ſymbola eo articulo caruerunt, quemadmodum author eſt ille, quiſquis eſt, qui ſymbolum commentarijs illuſtrauit apud Cyprianum. *Author ille, quem te ignorare video, fuit Ruffinus. Quid audio? leuisné culpa eſſe poteſt, è ſacroſancto Apoſtolorum ſymbolo Chriſti ad inferos deſcenſum expungere? Et Ruffinus ipſe in ſuo Aquileienſi, alijſq; multis fuiſſe ſatis indicat. Immo & apud Athanaſium inuenitur, apud quem nulla ſepulturæ mentio, vt in Niceno quoque ſymbolo, quod ſepulturæ meminit, deſcenſus ad inferos non eſt expreſſus. Quis non videt eſſe conſentaneum, vt anima ad communem reliquarum animarum locum deſcenderit?*

WHITAKERVS.

22. Non id neſciui Ruffinum putari illius expoſitionis authorem, quæ Cypriani nomine circumfertur, nec te hîc opus habui monitore. Sed tu vt ſapientiam tuam oſtendas, quod nemo neſcit doces; quæ verò docenda erant, non attingis. Si tanta culpa fuit hunc de ſymbolo articulum tollere, magnum profectò Romana Eccleſia ſcelus admiſit, de qua ſic iſte Ruffinus ſcribit, *Sciendum ſanè eſt, quòd in Romana Eccleſiæ ſymbolo non habetur additum: Deſcendit ad inferna*, Romanæ igitur Eccleſiæ, quam tu nunquam errare poſſe defendis, ſymbolum hoc articulo caruit. Nec ſanè mirum, cùm ex tam innumeris ſymbolis, quæ paſſim apud antiquos extent, in pauciſſimis reperiatur.

In expoſit. ſymb.

Poſſum

Possum enim plusquàm quinquaginta proferre varia Ecclesiarum symbola, in quibus hæc ad inferos descensio tacetur. In quibusdam inueniri non ignoro: sed tum, vt monuit Ruffinus, ex superiore articulo intelligendus est. Sic enim ait, *Vis verbi eadem videtur esse in eo, quod sepultus dicitur.* Atque hoc Buceri sententiam confirmat, quod illa etiam faciunt, quæ ex Athanasij, & Concilij Niceni symbolis adducis. Si enim ista sic commutantur, vt in quibusdam sepulturæ, in quibusdam descensus ad inferos mentio fiat, manifestum est, eundem esse in vtrisque verbis sensum, vt sepeliri sit ad inferos descendere, & ad inferos descendere sit sepeliri. Et verò valde consentaneum fuit, vt dum corpus Christi in sepulchro conditum iacêret, ipsius anima in commune animarum receptaculum migraret. Sed quibus scripturis fretus affirmas in inferis communem fuisse locum animarum? Nam Christus suam animam mox in paradiso futuram non in inferis pronunciat: nisi fortè esse putas apud inferos paradisum, At Paulus in paradisum raptus non ad inferos detruditur, sed in tertium cælum subuehitur.

Luc. 23. 43.

2. Cor. 12. 2. 4

DVRAEVS, Fol. 239.

Quòd à Romanis non fuerit olim disertis verbis in symbolo expressum, nihil mirum. Causam enim reddit Ruffinus, quòd nulla illic hæresis exordium sumpserit. Vt rem tandem concludam, horrenda illa Caluini tui blasphemia, Bezæ etiam tuo non nisi monstrum videri potuit, Tandem (*inquit*) inuentus est nostra

ætate, qui diceret Christi animam verè ad loca damnandis nocentibus destinata peruenisse, & ibi peccatorum nostrorum pœnas luisse. *Quibus verbis sanè Ioannem Caluinum, si quem alium, vehementer perstringit.*

WHITAKERVS.

23 Te tam turpiter hallucinari nihil profectò mirum. Quid si enim nulla tunc hæresis in Romana Ecclesia exordium sumpserit? Ideóne fuit vnus de symbolo articulus tollendus? At hoc quid aliud erat, quàm hæresibus aditum aperire? Sed tuam infęlicem coniecturam Ruffinus apertissimè reprobat, cùm ait, *Sed neque in Orientis Ecclesijs habetur hic sermo.* An nullæ enim in Orientis Ecclesijs hæreses extiterunt? Tum tua ratio eò spectat, vt ab hæreticis hunc articulum credamus esse suppositum, ita nunquam aliquid potes vel probabile comminisci. Nam quòd Caluini blasphemiam non nisi monstrum Bezæ visum esse subiungis, quid magis ἀνοὸν dici potuit? Ita eras ab omini iudicio desertus, vt cùm illa Bezæ verba legeres, Caluinum perstringi existimares? Vbi verò Caluinus docuit Christi animam ad inferos descendere oportuisse, vt illic pœnas nostrorum scelerum lueret, quam ille defendit nunquam ad inferorum sedes abijsse? Si nescis quis ille fuerit, quem Beza reprehendit, collegam aliquem tuum consule: mihi non lubet, quem Beza tacuit, nominare: Caluinum esse nemo vnquam nisi aut tu, aut tui similis potuit suspicari.

DVRAEVS, Fol. 240.

Cetera iam paradoxa audiamus. Illyricus imaginem Dei penitus in homine deletam esse dixit. Progressus ille (*inquis*) longius est, quàm oportuit. *Sed* Caluino (*inquis*) Campianus manifestam iniuriam facit: Is enim disertè scribit, non penitus in homine deletam fuisse Dei imaginem. *Atque vt tuam nobis eruditionem ostentes, multa de voluntate, de intelligentia, de supernaturalibus illis dotibus in medium affers: sed id de quo agitur, vix ac ne vix quidem attingis. Tuum erat apertè Caluini tui sententiam explicare, quæ certè alia non est, quàm in sanctis nihil aliud esse intrinsecus, quàm meram corruptionem ac contagionem. Si enim nulla vera in sanctis iustitia est, sed eorum opera omnia peccata sunt, quid præter corruptionem in illis & contagionem esse potest?* De homine.

WHITAKERVS.

24 Si quid Illyricus errauit, id nihilo nostrâ magis interest, quàm vos vestrorum hominum priuatæ quædam falsæque opiniones attingunt. Caluinus verò non est in huius sententiæ societatem pertrahendus, qui de reliquijs imaginis Dei nihil nisi sanctè vereque docuit. Quod vt explicarem, paulò fusiùs hanc omnem causam pertractaui, eaque dixi, in quibus ipse nihil inuenire dignum reprehensione potuisti. Nam quòd ais, me id, de quo agitur, vix attigisse, quid quæso aliud agebatur, quàm vt vestris calumnijs responderem, eamque non esse nostram sententiam demonstrarem, quam nobis Campianus affinxit? Id si præstiterim, quod tu agnoscis, meo numere defunctus sum. Quod verò tu meum esse dicis, id quidem meum minimè fuit. Atque hîc Caluinum conuicio

uicio aggrederis immani. Vbi enim Caluinus dixit in ſanctis nihil eſſe aliud intrinſecus, quàm corruptionem & contagionem? Ita nec Deum metuis, nec homines erubeſcis? Profer enim, ſi potes, eiuſmodi vlla Caluini verba: ſi non potes, cur quod Campianus initio falſiſſimè obiecit, tu nunc iterum maiore fallendi voluntate repetis? Sunt enim in ſanctis ac renatis multa, quæ Deo placeant, præſtantiſſima ſpiritus ſancti dona, fides, ſpes, charitas, patientia, humilitas, manſuetudo, pax, gaudium, temperantia, odium peccati, iuſtitiæ deſiderium. Has vt quiſquam virtutes nihil aliud eſſe dixerit, quàm meram corruptionem & contagionem? Apage, cum tuo hoc incredibili διαβολῆς monſtro. Argumentum verò tuum quod ſequitur, quàm quæſo putidum eſt? Nulla eſt in ſanctis vera iuſtitia, ergo nihil eſt in ſanctis niſi corruptio & contagio. Etſi enim ſancti nullam habent in ſe propriam iuſtitiam, quæ diuinæ legi ex omni parte ſatisfaciat, tamen multis præditi ſunt egregijs virtutibus, & ſpiritus ſancti ornamentis. Si quia in te nulla eſt ſolida doctrina, nihil aliud quàm meram inſcitiam eſſe diſputem, tam ego rectè hoc, quàm tu illud concludam. Iterum nouam calumniam arripis, quando ais, ſanctorum opera omnia eſſe peccata. Non ſunt peccata, ſed propter inhærens vitiū aliqua peccati labe polluuntur. Quanquam enim ſanctorum opera non attingunt illam perfectionem, quam lex & iuſtitia diuina poſtulabat, tamen non ſunt, vt tu fingis, tota peccata. Num enim qui morbo leuiter laborat, cum mox totum

totum nihil aliud esse statues, quàm morbum, aut morbosum? Dignus certè sis medicis multisq; medicamentis, si id dicas.

DVRAEVS, Fol. 241.

Quod subiungis, quàm fæliciter fidei Christianæ dogmatibus imbutus sis, satis ostendit. Nunquam profectò Ecclesia Catholica peccatum esse accidens vel qualitatem *credidit, sed illius vim omnem atque naturam in* priuatione *consistere. Quomodo enim accidens omne cùm entis in se rationem complectatur, non habet efficientem causam & authorem Deum?* De peccato.

WHITAKERVS.

25 Nostram de peccato Originali sententiam non aliam esse dixi, quàm quæ semper Ecclesiæ Catholicæ fuerit, id quod me facilè demonstraturum confido. Etenim illud peccatum nos non ipsam animæ substantiam, sed rem *accidentariam* esse ex verbo Dei, & perpetuo Ecclesiæ iudicio defendimus, quod qui negat, Illyrico grauiùs fædiusq; errat. Quid enim? Tu peccatum esse *accidens* negas? Et tamen te Catholicum vocas? Quodnam hoc sophistici cerebri delirium est? Si neque substantia est, neq; accidens, vt tu doces, cuiusmodi tandem hanc rem esse quæ isto nomine peccati censetur, existimemus? *Eius* (inquis) *vis ac natura in priuatione consistit.* Rectè: sed priuatio nónne est res accidentaria? Quid ergo in scirpo nodos quæris, cùm veram sententiam agnoscis? Accidens vulgò dici solet, quod in subiecto inest, nec est de ipsius substantia,

tia, quodq; vel adesse, vel abesse potest sine sub-
iecti interitu: cuiusmodi peccatum esse nem[o]
dubitat. Et quanquam vim naturamq; peccati i[n]
priuatione consistere fateor, hanc tamen priuati[o]-
onem minimè nudam & puram esse ex tuo etia[m]
Thom. 1. 2. quæst. 82. art. 1 Thoma poteras didicisse. Peccatũ enim non ess[e]
puram priuationẽ, sed habitum corruptũ, morb[o]
similẽ statuit, quo non modò sanitas sublata est[,]
sed humorum etiam vitiosa dispositio inducitur.
Et scholastici cùm priuationẽ originalis iustiti[æ]
formam faciunt originalis peccati, materiam ve-
rò concupiscentiam, vel inclinationem facultat[um]
vitiosam, quid aliud docent, quàm esse aliquid i[n]
peccato, vt Thomas loquitur *positiuum*? Sed qui[d]
te coner multis refutare, cùm medicina potiùs
quàm refutatione egeas. Tamen Catholicæ Ec-
clesiæ sententiam ex Maximo Hierosolymorum
Episcopo agnosce, de quo Eusebius meminit. Il-
lius hæc verba sunt: τὰ κακὰ πότερον οὐσίαι σοι δοκοῦσιν εἶ[ναι]
Euseb. de præparat. li. 7. in fine. ἢ ποιότητες οὐσιῶν, *Vtrùm* (inquit) *tibi peccata videntu[r]*
esse substantiæ, an substantiarum qualitates? tum re-
spondet suis verbis: ποιότητας οὐσιῶν εὖ ἔχειν λέγειν μοι δοκε[ῖ]
Rectum mihi videtur, vt dicamus esse qualitates sub-
August. lib. 4. Hypogno. *stantiarum.* Est igitur peccatũ qualitas. Tum mo[x]
hominem malum esse dicit ἀπὸ τῶν συμβεβηκότων τῇ οὐσίᾳ
id est, *ab accidentibus substantiæ.* Peccatum erg[o]
accidens est. Et Augustinus, *Libido* (inquit) *es[t]*
per peccatum primorum parentum. Accidens malum
atq; pudendum, cuius non Deus author est, sed diabo-
lus. Quod cùm ita sit, quò nunc tua recidit no-
stræ sententiæ præclara reprehensio? At tum (in-
quis) *si accidens sit, causam habet & authorẽ Deum.*

Quàm acutè? Primùm enim non est omnium accidentium αἴτιον ὡρισμένον, vt docet philosophus: deinde omnium accidentium causa non est Deo, nisi indirectè, & per accidens tribuenda. Basilius ait, *Principium & radix peccati in nobis est, & nostrum liberum arbitrium*. Sic te ex eorum esse numero perspicimus, qui philosophantur, sed paucis. *Metaphys. lib.5.cap.30* *Basil in hom.* Quod Deus non est author peccati.

DVRAEVS, Fol. 242.

Neque omnino Basilium, Augustinum, Ambrosium, quos citas, intelligis. Basilius peccatum non accidens, neque qualitatem vocat, sed affectionem virtuti contrariam. Sic tenebræ, & cæcitas affectiones sunt homini & aspectui contrariæ, nec tamen inter qualitates vel omnino accidentia numerantur. Augustinus te calumniæ arguabit. Nam quæ de concupiscentia scripsit (quam paulò antè peccatum esse negauit) tu ad peccatum summa fraude retulisti. Apud Augustinum nihil frequentius occurrit, quàm peccatum priuationem, inordinationem, immo nihil esse. Ambrosii verba errorem tuum apertissimè refellunt.

WHITAKERVS.

26 Isti omnes id dicunt, quod ego sensi, & dicendum existimaui. Basilius peccatum vocat *affectionem* virtuti contrariam. Virtuti autem non nihil, vt tu fingis, sed aliquid certè contrarium est. Augustinus concupiscentiam vocat *affectionem malæ qualitatis*: de ea verò concupiscentia loquitur, quam Originale peccatum appellat. Si ergo concupiscentia, quam Augustinus originale peccatum esse statuit, sit malæ *Basil in ἑξαήμ. hom.2* *August. de nuptijs & concupiscẽt. lib.1.ca.25*

qualita-

qualitatis affectio, tum peccatum esse malam qualitatem constat. Sed *hîc me* (inquis) *Augustinus calumniæ accusabit*. Quamobrem tandem? Quia de concupiscentia, non de peccato loquitur, & concupiscentiam negat esse peccatum. De calumnia ergo videamus. Negat (ais) Augustinus concupiscentiam esse peccatum. Hoc verò falsissimum esse ex Augustino dilucidè constat. Si enim non sit peccatum, cur vocat affectionem malæ qualitatis? Cur languori comparat? Denique cur omnino quærit, quemadmodum concupiscentia maneat in renatis, cui omnia peccata remittuntur, si non sit concupiscentia peccatum? Quàm hæc insulsa quæstio disputatioque extitisset, si concupiscentiam non esse peccatum statuisset? Respondet autem Augustinus, dimitti in baptismo concupiscentiam, non, vt tu vis, vt omnino minimè sit peccatum, *sed vt in peccatum non imputetur*. Si enim non esset peccatum, quomodo posset in peccatum imputari? Quanquam ergo peccatum est, tamen renatis in peccatum nequaquam imputatur: atque hoc modo quæstionem Augustinus verissimè ac scitissimè dissoluit. Quod enim Augustinus concupiscentiam etiam in renatis peccatum esse senserit, ex multis ipsius sententijs intelligi potest. Nam & peccatum, & pœnam peccati, & causam peccati esse affirmat in vna verborum complexione, idque etiam in sanctis. De ea enim concupiscentia loquitur, *contra quam bonus spiritus concupiscit*. Et iterum, *Non est nulla iniquitas, quando superiores partes inferioribus turpiter cedunt, & inferiores superio-*

August. contra Iulian. lib. 5 cap. 3.
Contra Iulian. li. 6. ca. 8.

superioribus turpiter reluctantur, etiamsi vincere non sinantur. Est igitur concupiscentia peccatum, etiamsi consensus non accesserit. Quod etiam clarissimè in illo libro, cuius antè meminimus, confirmat. Sic autem ait: *Agit aliquid concupiscentia carnis, & quando non exhibetur ei cordis assensus. agit autem quid, nisi ipsa desideria mala & turpia?* Si fortè scribere aliter nonnunquam videtur, tamen aliter nunquam omnino sentit. Quanquam enim interdum negat hanc concupiscentiam esse peccatum, id tamen non simpliciter, sed respectu & ratione actualium peccatorum dicit. Quòd autem peccatum Augustinus & *priuationem*, & *inordinationem*, & *nihil* appellarit, haud ignoro. Non tamen vt planè nihil esse peccatum persuaderet. Num enim putas in baptismo nihil remitti, aut Christum suo sanguine nihil expiasse, aut Deum nobis propter nihilum tam grauiter irasci? Peccatum ergo esse aliquid concedas velim nobis aliquando. Ambrosius quando peccatum non substantiam, sed boni præuaricationem vocat, tuum errorem refellit. Præuaricatio enim est actio, non nuda priuatio. Et vos ipsi peccatum esse actionem summa contentione defenditis. Si est autem actio, tum *Accidens* est, non nuda priuatio est, non nihil est.

De nuptijs & concupisc. lib. 1. cap. 27.

Ambros. in Rom. 7.

DVRAEVS, Fol. 242.

Sequitur paradoxum aliud: tritum enim in hac fece dixit esse

Campianus peccata omnia paria esse. *In eo Caluinus peccata paria fecit, quòd omnia mortalia, & æternis digna supplicijs censuerit, tamq; æternam mereatur pœnam, vt illius vtar exemplo, qui gallum gallinaceum vbi opus non est occiderit, quàm qui Guisium heroa occidit. Quod tu certè Caluinum docuisse, etsi gnauiter impudens sis, negare non audes.*

WHITAKERVS.

27 Te quidē pulcherrimos in ea schola progressus fecisse cōstat, in qua impudētia gnauiter & docetur, & discitur. Num enim ideo peccata Caluinus paria facit, quia omnia ex sua natura mortifera esse contendit? At id scriptura apertissimè docuit. Si enim peccatum quoduis est legis diuinæ transgressio, atque à Deo, qui summum bonum est, auersio ac defectio, mortem profectò per se quoduis necesse est æternam mereatur. Atque ita Paulus, peccati ὀψώνια
Rom. 6. 23. 21. mortem esse scribit: & earum rerum, quarum eos nunc pudebat, finem esse mortem affirmat: & antè testatus est qui peccatum vllum admitterent, morte dignos iudicari. Iaco-
Rom. 1. 32. bus autem disertiùs rem explicat, *Quisquis*
Iacob. 2. 10. *in vno offenderit, omnium factus est reus.* Nec de scelestis & improbis loquitur, sed de ijs etiam, qui sunt diuinæ legis studiosi. Quanquam autem Dei iustitia postulat, vt peccatum siue magnum, siue paruum æterno supplicio adiudicetur, non tamen æqualiter æternam pœnam meretur qui gallum temerè ceciderit, quique hominem trucidauit. De

Guisio

Guisio duce nihil est quòd amplius responde-am: Dei iudicia semper iusta sunt. Οἷά τι ἀνὴρ ῥέξας, τοιου τέλος αὐτὸν ἱκάνει.

DVRAEVS, Fol. 243.

Gratiam vos Campiani in solo Dei fauore collocare dixit. De gratia. Gratiam (*inquis*) duplicem facimus. *Vel enim gratuitam Dei erga nos beneuolentiam clementiamq́; significat, vel ea dona quæ ex illa Dei misericordia ad nos perueniunt. Non fauor ille Dei, quo nos complectitur, gratia vel gratis data, vel gratiam faciens vnquam dici solet, sed gratia gratum faciens, est quæ diuinitus infusa nos iustificat, de qua Paulus iustificati gratis per gratiam ipsius.* Rom. 3. *Gratia gratis data, vt donum linguarum, miraculorum, aliaq́; huiusmodi.*

WHITAKERVS.

28 Non est, quòd existimes illas scholasticas gratiæ distinctiones mihi fuisse incognitas. Etsi enim tecum nolo de Thomæ Theologia contendere, minimè tamē metuo, ne tu me Thomę tui argutijs fallas. Gratiā dixi sequutus scholasticos, esse duplicem, alteram quam vocant *gratum facientem*, alteram, quam *gratis datam*. Istam mihi distinctionem satis placere affirmaui. Non enim est necesse, vt qui vulgari tritaque distinctione vtitur, eodem modo distinctionem intelligat, quo vulgò solet. Gratiam gratū facientē scholastici ferè interpretantur dona & qualitates in animā infusas: ego verò hanc contēdo

multò rectiùs pro Dei fauore & misericordia sumi, quæ non in nobis, sed in ipso Deo residet. Quis enim nescit gratiæ nomine in scripturis sæpissimè Dei beneuolentiam, misericordiamque declarari, nec posse illa dona intelligi, quę in nos ex gratia conferuntur? Noachus dicitur gratiam in oculis Domini inuenisse: sic alij multi. Hęc autem Gratia palàm Dei fauorem significat. Paulus ait, *Si per gratiam, non ex operibus*: vbi omnes inhærentes virtutes à gratia distinguit: nihil autem distinguitur à seipso. Ad Timotheum ait, *Gratiam nobis in Christo datam esse ante tempora æterna*: an tum etiam nos donis illis præditos fuisse dices, tam multis antequam nati sumus seculis? Ad Titum ait, *Illuxit gratia illa Dei salutifera omnibus*. In his, cæterisque huiusmodi infinitis scripturæ sententijs nihil aliud gratiæ vocabulo indicari manifestum est, quàm Dei gratuitum, quo nos complexus est, amorem. Quid quòd ipse Apostolus Dei gratiam à donis infusis apertissimè distinguit, cùm ait, *Gratia Dei, & donum per gratiam*. Num ergo æquum fuit, cùm gratia distinguitur, hanc tam nobilem partem prætermitti? Et ipse Aquinas, magnus magister scholasticorum, vi victus clarissimæ veritatis, gratiæ nomen isto modo interdum exponit. *Quandoque* (inquit) *gratia Dei dicitur ipsa æterna Dei dilectio: secundùm quod dicitur etiam gratia prædestinationis, in quantum Deus gratuitò, & non ex meritis aliquos prædestinauit, siue elegit*. Sic illam Dei gratiam de qua meminit Apostolus ad Titum, Dei miseri-

Gen. 6. 8.
Rom. 11. 6.
2. Tim. 1. 9.
Tit. 2. 11.
Rom. 5. 15.
1. 2 quæst. 110. art. 1.
In epist. ad Tit cap. 2. lect. 3.

cordiam interpretetur. Atque hæc illa gratia est, qua nos Apoſtolus gratis iuſtificari ſcribit. Si enim gratia, non operibus; quia tum gratia non eſſet, vt ipſe diſputat. Omnia ergo opera noſtra qualiacunque tandem fuerint, à iuſtificatione gratuita remouentur. Tum hanc gratiam non noſtram, ſed Dei vocat, vt certum ſit, Dei beneuolentiam gratuitam deſignari. Huc accedit, quòd non ipſius tantùm gratiâ, ſed gratis etiam nos iuſtificari dicat. Si verò noſtris operibus iuſtificamur, non omnino certè gratis iuſtificamur. Denique cùm Chriſti redemptionem adiungit, de qua gratia loquatur apertiſſimè indicat, de ea nempe, quæ huius redemptionis cauſa fuit. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium vnigenitum dederit.* Illa ergo gratia non magis in nobis inhæret, quàm Chriſti redemptio. Ita clariſſimis teſtimonijs alteram huius diſtinctionis partem comprobauimus.

Rom. 3. 24.

Ioan. 3. 16.

Gratia autem gratis data, non tantùm miracula comprehendit, vt tu vis, ſed alia etiam vniuerſa donorum genera, quæ ex Dei amore, & liberalitate proficiſcuntur. Cur enim obſecro loqui linguis, dicatur potiùs gratis dari, quàm fides, quàm charitas, quàm cætera dona, quæ ad vitam æternam pertinent? Dabis ergo veniam mihi, vt diſtinctionem piam & neceſſariam, à ſcholaſticis corruptam, aut parùm intellectam emendare atque explicare poſſim.

DVRAEVS, Fol. 244.

Ad te iam redeamus. Agnosco vestrum de imputatiua iustitia dogma, quo nescio quid à scripturis magis alienum fingere quisquam possit. Si enim finis legis, vt Paulus docet, charitas est: qui enim diligit proximum, legem impleuit, cùm iustitia non nisi in legis impletione consistat, certè si in nobis verè est charitas, vera etiam sit iustitia necesse est. Pulchrè Augustinus, Charitas inchoata, inchoata iustitia est; charitas prouecta, prouecta iustitia est; charitas magna, magna iustitia est; charitas perfecta, perfecta iustitia est.

Rom. 13.

August. de natur. & grat. c. 70.

WHITAKERVS.

29 Sic quidem loqueris, vt hominem decet Iesuitam. Quid enim scriptura magis, quàm iustitiam imputatiuam celebrat? Abraham credidit Deo, *& imputatum est ei pro iustitia.* Itaque Apostolus concludit, nihil Abrahamum habuisse, de quo gloriari posset. Qui enim inhęrente operum iustitia nituntur, ijs merçes ex debito persoluitur, non ex gratia imputatur: fides autem imputatur pro iustitia, ei qui non operatur, sed credit in eum, qui iustificat impium. Atque Dauid pronunciat illum hominem beatum, cui Deus iustitiam sine operibus imputat. Hæc Apostolus clarissimè *de iustitia imputatiua* scripsit, quem tu forsan totus in cœnum scholasticorum immersus, nondum satis attentè perlegisti. Quid? An nostra peccata Christo nescis fuisse imputata? Quid ni ergo similiter nobis Christi iustitia imputetur? Num verò

Rom. 4. 3. 5. 6.

nostris Christum peccatis reipsa laborasse putas? Id nunquam, opinor, dixeris. Cùm ergo in altero imputationem inuitus agnoscere cogaris, cur non etiam in altero concedis, præsertim cùm ipse Apostolus hanc nobis gratuam proponat? *Christus factus est pro nobis peccatum, vt nos efficeremur iustitia Dei in eo.* 2.Cor.5.21. Ita nos igitur in Christo iustitia sumus, vt ille fuit in nobis peccatum, quod de imputatione necessariò intelligendum est. Et verò cùm iniustitia ac impietas nostra in debito constiterit, debitum autem nostrum Christus persoluerit, hanc persolutionem necesse est non aliter esse nostram, quàm sola imputatione. Tum quid peruersius fingi potuit, quàm nobis sanctorum merita imputari, Christi iustitiam non imputari? Qui enim indulgentias redimunt nummis, non dubitant, quin ex aliorum meritis maximos sint ipsi fructus, & lucrum eximium percepturi. Si ergo possunt merita sanctorum, vt ipsi existimatis, eos facere iustiores in quibus non inhærent, quàm impium atq; absurdum fuerit Christi meritis ac iustitiæ vim imputationis minorem tribuere?

Quod de fine legis, & charitate adiungis: agnosco. Dilige proximum tuum, quemadmodum lex præscribit, & secundę tabulæ legis satisfacies, Sed hoc prȩstare minimè potes. Nihil ergo est, quòd te tuę charitatis opinione vendites, quæ quidem etsi tanta esset, quanta in vllum vnquam hominem cecidisset, longè tamen à legis prȩscripto abesset, nec te iu-

ſtum efficere poſſet. Auguſtino non eſt neceſſe multa reſpondere. Inchoatam enim & prouectã, & magnam iuſtitiam agnoſcimus charitatem. Sed hæc illa non eſt iuſtitia, quę nos ab ira Dei liberat: ea enim eiuſmodi eſt, quę nullos progreſſus gradusq́; ſuſcipit, ſed ſemper ſumma eſt & perfectiſſima, nimirum Chriſti obediẽtia nobis quantumuis neges per fidem imputata. De charitate alio in loco Auguſtinus, *Pleniſſima charitas, quæ iam non poteſt augeri, quamdiu hic homo viuit, eſt in nemine. Quamdiu autem augeri poteſt, profectò illud quod minus eſt, ex vitio eſt. Ex quo vitio non eſt iuſtus in terra.* Iuſtitia ergo charitatis eſt inchoata, & vitioſa.

Aug. epi. 29.

DVRAEVS, Fol. 244.

Nullam aliam (*inquis*) agnoſcimus gratiam iuſtificantem, quàm immenſam Dei gratuitámque miſericordiam. *Quid ni ergo liberè fateris vos gratiam omnem in diuino tantùm fauore extra nos collocare, qui fauor nec emendet impios, nec purget, nec illuminet, nec ditet, ſed veterem adhuc manentem ſentinam ac fœtentem Deo conniuente diſſimulet?*

WHITAKERVS.

30 Non deſinis tua nobis inſcitia moleſtus eſſe? Num enim ſequitur nos omnem gratiam à nobis remouere, quia gratiam iuſtificantem, quæ eſt Dei in Chriſto miſericordia, non in nobis, ſed in Deo ſolo collocamus? Nam præter hanc gratiam eſt etiam alia quædam gratia omnibus ſanctis communicata, qua illorum men-

tes purgantur ac renouantur. Hæc in fide, fideiq; fructibus consistit, quam vulgò *infusam* vocant. Non ergo vetus illa peccati sentina manet, & computrescit in ijs, qui veram iustitiam adepti sunt, vt tu calumniaris, sed vi spiritus sancti magis indies magisq; expurgatur, atque exhauritur, ita tamen vt semper in nobis, dum viuimus, peccati veterisq; Adami nonnullæ reliquiæ maneant. Si enim ista sentina sic omnino elui posset, vt nullę in nobis restarent sordes vitiorum, nec Paulus de lege membrorum mortisque corpore conquestus fuisset, nec nos assidua spiritus renouatione opus haberemus. Interim autem hominem oportet de die in diem renouari. Sic vides, quid inter ignorantiam tuam, nostriq; dogmatis sententiam intersit. **Rom.7.23. 24. 2.Cor.4.16.**

DVRAEVS, Fol. 245.

Infusa (*inquis*) gratia, in qua regeneratio ac sanctificatio consistit, non est satis ad nos iustificandos valida. *Noua hæc Whitakere Theologia est, nos per gratiam infusam vitæ nouitatem ac sanctificationem adipisci, minimè tamen iustificari. At quæ scriptura docuit iustificationem à sanctificatione distinguere? Hęc Paulus non distinguit*, Sed abluti (*inquit*) estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis. Et exhibite membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem: *Et Christus* mundauit Ecclesiam lauacro aquæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam. *Illud quoque mirum est, si fides nos iustificare potest, quo modo non etiam sanctificare? maxima verò admiratione dignum Christum nobis iustitiam suam imputare, qua iusti quidem, non tamen sancti efficiamur.* **1.Cor.6. Rom.6. Ephe.5.**

WHITAKERVS.

31 Nouum tibi hoc videri Theologiæ genus quid mirum, qui Theologiam nullam, nisi sophisticam didiceris? Sed si tu malus es Theologus, & quę nos verissimè ex verbo Dei tradimus, non intelligis, id non nostræ Theologiæ, sed imperitiæ tuæ tribuendum est. Quæris quę scriptura iustificationem à sanctificatione distinxerit, in quo te nondum ipsis principijs Theologię imbutum esse ostendis. Quis enim nescit sanctificationem vbique in scriptura à iustificatione distingui, maximè in Epistola ad Romanos, in cuius priore parte de iustificatione, in posteriore de sanctificatione disputat? Quid apertius, quàm quod Apostolus scribit, *Quos vocauit, eos etiam iustificauit: quos iustificauit, eos etiam glorificauit.* Glorificatio enim illa significat gloriosam renouationem, quæ hîc inchoatur, in altera vita perficitur, quemadmodum tuus etiam Thomas animaduertit, cuius hæc verba sunt, *Et hoc dupliciter, scilicet, vno quidem modo per profectum virtutis & gratiæ: alio autem modo per exaltationem gloriæ.* Et cùm Christum ait nobis à Deo factum esse *sapientiam, iustitiam, sanctificationem & redemptionem*, nònne palàm à iustitia sanctificationem distinguit? Sed quorsum tam crassam inscitiam redarguam? Coniungitur quidem cum iustitia sanctificatio,

Rom.8.30.

Thom. in Rom.8. lect. 6.

1.Cor.1.30.

tio, nec ab ea vnquam diuelli poteſt, à qua tamen diſtingui debet, quod cùm vos minimè facitis, iuſtitiam in ſanctificatione per ſummum errorem collocatis. Veſtra ergo iuſtificatio hæc eadẽ eſt, quam nos ex Dei verbo ſanctificationem edocti ſumus appellare. Locus ille, quem ex epiſtola ad Corinthios affers, tuum errorem refellit, atque eſſe diſtincta ſanctificationis iuſtificationiſq; beneficia oſtendit: id quod Chryſoſtomus ſatis intellexit: Ita enim ſcribit, *non tantùm ſanctificauit, ſed etiam iuſtificauit*. Tum iuſtificationem quandam in ſanctificatione conſiſtere, quod ſecundus locus euincit, nemo dubitat: verùm hæc iuſtitia non illa perfecta eſt, qua coram Deo abſoluimur, ſed inchoata. Eccleſiam verò eſſe ſanctam & immaculatam quis negat? Sed quid hoc ad rem? Num enim quia Eccleſia eſt ſancta, & futura eſt ſanctior, ergo ſanctificatio à iuſtificatione minimè diſtinguitur?

Chryſoſt. in 1. Corinth. homil. 16. οὐ δὲ τοῦτο μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐδικαίωσε.

Quod tibi hîc dignum admiratione maxima viſum eſt, quàm ſis hoſpes in rebus maximis indicat. Sed patior te mirari, quæ non intelligis: reprehendere autem non debebas, antequam intelligeres. Nam fide non tantùm iuſtificamur, ſed etiam ſanctificamur, Chriſtique iuſtitia nobis imputata nos & iuſtos & ſanctos efficit. Noli verò exiſtimare id cuiquam noſtrûm veniſſe in mentem aliquando, vt iuſtitiam à ſanctificatione in hominibus Chriſtianis ſeiungeremus. Qui per fidem parti-

participes iustitiæ in Christo extiterunt, in his necesse est veterem hominem crucifigi, & peccati corpus eneruari, ne posthac peccato seruiant.

DVRAEVS, Fol. 246.

Audiamus quod te argumentum in tam absurdum errorem præcipitem dedit. Quia (*inquis*) gratia infusa nunquam legi diuinæ in hac vita satisfacit. *Quæ sit hominis in hac vita iustitia ignoras: aliud siquidem est veram esse in nobis iustitiam, aliud perfectam. Non ergo infusa tu gratia nos iustificari negare debuisti, quòd plenam ea nobis iustitiam non conferat, cùm nemo vnquam Catholicorum talem in nobis iustitiam collocauit.*

WHITAKERVS.

32 Si gratia hæc infusa veram nobis iustitiam afferre posset, eam & perfectam, & legi diuinæ per omnia consentaneam esse oporteret. Quod cùm negas, vide obsecro, quàm turpiter misereque erres. Quærimus enim de illa iustitia, quæ nos à legis maledicto, Deique immensa in peccatum ira liberet. Hanc dico esse perfectam illam Christi obedientiam, quæ legi penitus satisfecit, non inchoatam in nobis iustitiam, in qua multa desiderantur. Tu iustitiam in hac vita nostram fateris esse veram, sed non perfectam: quod vestram de iustificatione sententiam funditus euertit. Quæ enim iustitia nos Deo reconciliet, ea debet esse perfectissima, vt nullam aut lex requirat, aut
Heb.12.29. Deus postulet pleniorem. Est enim Deus ignis consu-

consumens, nec coram illo consistere possunt quibus aliquid ad perfectam iustitiam deest. Quod enim non est perfectum, id in suo genere vitiosum est. Si ergo Deus iustitia non perfecta placari posset, Deo aliquid placeret vitiosum. Cur enim iustitia imperfecta dicitur, nisi quòd vitio minimè careat? Quare qui imperfecta sua iustitia freti ad Deum accedunt, vitamque æternam vendicant, & hanc Dei iustissimo iudicio opponunt, ij Deum sua summa iustitia spoliant, & maxima contumelia afficiunt. Quomodo enim aliquid Deus pro iusto agnosceret, quod non ipsius perfectissimæ voluntati congrueret? Itaque tantam iustitiæ perfectionem Deus exigit, quantam lex describit, vt Deum toto corde, tota anima, tota cogitatione, totis viribus, & proximos tanquam nos ipsos diligamus. Hæc qui præstiterit, viuet: qui verò istam perfectionem non attigerit, eum scriptura maledictum pronunciat. Et nisi hoc nos maledicto Christus liberasset, in eo relinqui ac versari nos perpetuò necessarium fuisset. Quicunque verò ex operibus, id est inhærente iustitia salutem quærunt, ij in eodem maledicto permanent, vt disertè Apostolus confirmat. Tantum autem abest vt imperfectam iustitiam Deus approbet, vt pij omnes valde cohorreant, quando suam iustitiam, cum Dei iudicio comparant. Itaque Deum precantur, ne in iudicio cum illis congredi velit, quandoquidem non esset iusta coram eo vlla ca-

Luc.10.27. 28.
Leuit.18. 5.
Galat.3. 10.
Psal.143. 2.

ro. Qui verò suæ iustitiæ consideratione deterriti expauescunt, ijdem ex hac perfecta iustitia, quæ est Christi obedientia per fidem
Ephe.3.12. apprehensa παῤῥησίαν, & προσαγωγὴν, & πεποίθησιν concipiunt, vt iam alacres in Dei cõspectum veniant. Non ergo suæ iustitiæ qua ipsi præditi sunt, sed Christi meritis confidunt. Deinde cùm iustiti-
2.Cor.5.19 am nostram Apostolus in eo consistere doceat, quòd Deus nobiscum in Christo reconcilietur, non imputans nobis peccata nostra, quis hanc iustitiam perfectam esse neget? Neque enim nobiscum reconciliatur, nisi quia perfectam nobis in Christo iustitiam imputat, quemadmo-
Ephe.1.6. dum Apostolus ait, *Gratis nos dilexit in illo dilecto*. Si verò Deus non imputat nobis peccata, nihil nobis ad perfectam iustitiam deest. Non enim vnum aut alterum peccatum non imputat, sed prorsus nullum ne leuissimum. Cui autem nullum peccatum imputatur, is perfectam iustitiam assequutus est. Quare Apósto-
Act.13.39. lus ait, *nos ab omnibus, à quibus per legem Mosi iustificari non potuimus, per Christum iustificari*. Si sanè ab omnibus absoluimur peccatis, nihil ad hanc iustitiam atque integritatem accedere potest. Nam ij beati sunt, quorum peccata re-
Rom.4.6. mittuntur, vt ex Propheta Apostolus docet. Ex his perspicuum est iustitiam nostram in hac vita, non modò veram esse, sed etiam perfectam. Et verò quid dici in Christi iustitiam contumeliosius potuit? Si enim nostra iustitia, qua Dei
2.Cor.5.21. seuerum iudicium subterfugimus, perfecta non sit, hæc autem iustitia sit Christi iustitia, tum

Christi

Christi iustitiam non esse perfectam sequitur. Hûc tua tandem præclara ratiocinatio spectat, vt Christi ipsius iustitiam probet esse imperfectam. Christi enim obediētia est nostra iustitia: quare si illa perfecta fuit, hæc imperfecta esse non potest. Denique cùm Christus totus sit per fidem noster, quid demum nobis ad summam iustitiæ perfectionem deerit? Qui enim proprium filium pro nobis tradidit, quomodo non etiam cum illo nobis omnia donabit? Christus perfectam iustitiam habet: eam ergo fide perceptus nobiscum communicat. Vestra igitur iustitia, quam ipsi imperfectam esse conceditis, nunquam vobis poterit æternam vitam comparare.

Rom.5.19.

Rom.8.32.

DVRAEVS, Fol. 247.

Campianus vobis inter alia vitio vertit, quòd gratiam non satis validam ad resistendum sceleribus oblatretis. Tu Paulum, etsi gratia infusa præditus erat, quanta quisquam alius, negare tamen, inquis, assequi se posse, vt quod bonum est perficiat, facere etiam non bonum quod velit, sed quod nolit malum. Neque Campianus, neque alius quisquam Catholicus gratiam infusam absque speciali quodam auxilio vel ad perseuerandum, vel ad omnes superandas tentationes satis esse vnquam putauit. Et verè Paulo summam facis iniuriam, qui tam eximijs semper laudibus Dei gratiam extulit, tàmque potentem esse atque efficacem dixit, vt illius se ope omnia posse minimè dubitaret. Omnia (inquit) possum in eo, qui me confortat. *Quàm vos meritò Campianus hostes gratiæ Dei, & inimicos esse dixit?*

Phil.4.

WHITAKE-

WHITAKERVS.

33 Quantas infusa gratia vires habeat ad tentationum omnium & peccatorum impetus superandos, eorum illustrissima exempla docent, quorum in scripturis eximia virtus laudatur. Etsi enim singulari gratia præditi erant, tamen nonnunquam huius gratiæ imbecillitatem palàm ostendebant. Si enim Noachus, Abrahamus, Moses, Dauid, Elias, & reliqui, in quos Dominus præstantissimam gratiam contulerat, peccatis interdum non satis fortiter restiterunt, sed victi suam infirmitatem agnouerunt, quis ausit suæ gratiæ tantum tribuere, vt ea fretus possit inuictus & illæsus contra peccatum perpetuò dimicare? Suos omnes Christus orare docuit, *Remitte nobis peccata nostra:* &
1.Ioann.1.8 Ioannes affirmat falsos esse, qui se peccatũ non
1.Reg.8.46. habere dixerint. *Nemo enim est* (vt Salomon ait)
Prouer.20.9. *qui non peccet:* nec quisquam dicere potest, *Purgaui animum meum, mundus sum à peccato.* Quare nulli vnquam homini tam validam gratiam suppetere in hac vita constat, vt huius ope subnixus omnes peccatorum illecebras vitare ac reprimere possit. Nam de *speciali* illo Dei auxilio non iam loquimur: nec verò dubitamus, quin possit Deus sic homines sua gratia fulcire ac sustentare, vt nihil vnquam peccent. Sed quid velit Deus, non quid possit, disputamus. Ineptè ergo de auxilio speciali mentionem interponis, nisi potes hominem aliquem proferre, qui gra-

tia

tia semel præditus nunquam deinceps peccarit. Quid enim attinet disputare, quantum Deus possit efficere, cùm satis scriptura doceat, hoc illum in nullo vnquam vel fecisse, vel pòst factu-rum esse?

De Paulo, cui à me factam iniuriam conquereris, mox respondebo. Vbi verò sic gratiam Paulus laudauit, vt se gratiæ infusæ potentia suffultum non posse in peccatum incidere dixerit? Potuit ille quidem Christi gratia adiutus ac confirmatus & secundis & aduersis rebus vti, vt nullis occasionibus impeditus suo ministerio piè fungeretur. Satis enim id dicere Apostolum ex ipso loco patet. Num proinde tam potente Paulum & efficace gratia cumulatum fuisse concludes, vt omnibus peccatis restiterit? At istam argumentationem Apostolus ipse clarissimè refutauit. Neque ij pro gratiæ inimicis habendi sunt, qui gratiam infusam negant tam esse validam, vt qui hac donati sunt, vitam in posterum degant ἀναμαρτήτως, sed qui iustitiam suis meritis tribuunt, quæ sola in Dei misericordia & gratia consistit. Nam illud omnes scripturæ docent, & omnium exempla confirmant: hoc nihil fingi potuit diuinę gratię magis inimicum.

Phil. 4. 11.

Rom. 7.

DVRAEVS, Fol. 248.

Nunc ad Pauli quem profers locum venio, qui spiritus cum carne pugnam describit. Quasi diceret, etsi hoc ratio maximè expetat, ne turbulenti illi carnis motus insurgant, eos tamen etsi inuitus experior. At quia peccatum non est, nisi vbi voluntas consensum præbet, Paulus non se id operari dixit, sed carnem. Non enim diuinam gratiam sibi minimè satis esse putauit ad reportan-

 dum

dam de his motibus victoriam, qui ex ipsius Christi ore accepit, sufficit tibi Paule gratia mea, *& tanta fiducia exclamauit*,
2.Cor.12. Quis nos separabit à charitate Christi? *Sed potiùs non aliunde, quàm à Christi gratia victoriam nobis sperandã significare voluit*. Infelix (*inquit*) ego homo, quis me liberabit de cor-
Rom.8. pore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. *Audi Paulum concludentem gratiam Dei satis validam esse, vt tentationibus resistamus.*

WHITAKERVS.

34 Summa huius responsionis hæc est, Paulũ expertũ quidem esse carnis turbulentos motus, sed tamen non peccasse, quia victoriam de illis reportauit. Verùm Paulus se non modò tentatum istis motibus fuisse testatur, sed etiam victũ; id quod facilè animaduertere potuisses, si Pauli sententiam potiùs quàm scholasticas commen-
Rom.7.15. tationes attendisses. Cùm enim ait, *se facere quod odit*, peccatum palàm agnoscit. Cur enim odisset quod fecerat, nisi odio dignum fuisset? Odio verò nihil dignum est, nisi peccatum. Ita-
19. que adiungit *se malum agere, quod nolit*. Si verò egit, quod noluit, procul dubio peccauit. Tentari autem malis, non est agere, quod nolis. Qui enim tentantur, & tentationibus resistunt, ij faciunt, quod facere debeant, & velint. Sed quid dicere apertius potuit, quàm quando se
23. *captiuum peccato* redditum esse scribit? Suntne enim illi captiui legi peccati, qui à peccato nunquam vincuntur? At vinci priùs est necesse, quàm capi ac vinciri atque in seruitutem redigi

possis.

possis. Apostolus ergo, si ipsi credimus Apostolo, quanquam erat regenitus, & gratia infusa præditus, tamen peccato inhęrente laborauit, nec peccato semper resistere potuit. Tu non peccasse asseris, quia voluntas non præbuit assensum. At quanquam voluntas Pauli regenerata motus istos improbauit, in illis tamen motibus peccatum aliquod fuit, de quo Paulus conqueritur. Sunt enim legi diuinæ contrarij, quæ spiritualis est; & internam ac spiritualem totius hominis obedientiam flagitat. Et illa repentina πάθη, quæ voluntatis consensu carent, in postremo decalogi præcepto disertè damnātur. Cùm enim duo sint cupiditatum genera, quarum aliæ sunt voluntariæ ac deliberatæ, aliæ subitæ & improuisæ, illas Christus ad superiora præcepta reuocat, has Paulus in vltimo collocat. Cùm enim ait, *se nescijsse cupiditatem esse peccatum, nisi lex dixisset, non concupisces*; de nuda cupiditate loqui Apostolum constat. Nam illas cupiditates, quæ voluntatem ipsam opprimunt, & abducunt, Philosophi fatentur esse vitiosas. Verùm nunc quid tu ex scripturis afferas, audiamus. Christus Paulo ait, *sufficit tibi gratia mea*: ergo Paulus nunquam peccauit. Non sequitur. Sufficere enim, non est tantam gratiæ vim infundere, quanta illū ab omni peccatorum genere conseruet, sed ita illi sua gratia succurrere, vt nullo tentationum impulsu obruatur. Et quanquam pij nonnunquam cadunt, eos tamen Dominus sua manu erigit. Nec verò ad hanc causam pertinet illa fiducia

Rom. 7. 14.

Math. 5. 22. 28.

Rom. 7. 7.

2. Cor. 12. 9.

qua Paulus inductus exclamauit, *Quis nos separabit à charitate Christi?* Pij enim etsi peccant, tamen ſemper de Chriſti voluntate & amore certiſſimè perſuaſi ſunt. Sed me iubes audire Paulum: quem ego quidem libenter audio. Id verò, quod tu vis, loquentem Paulum nemo vnquam audiuit. Non enim Paulus ait, *gratiam Dei ſatis eſſe validam, vt tentationibus reſiſtamus:* nec iſtum ſenſum verba Apoſtoli patiuntur. Debebas autem ipſum potiùs Apoſtolum loquentem audire, quàm vulgatæ Tranſlationis errorem ſequi. Sic enim Paulus

Rom. 7. 25. ſcribit, εὐχαριστῶ τῷ θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, id eſt, *Gratias ago Deo per Ieſum Chriſtum.* Tu locum iſtum ita legis, ac ſi Paulus ſcripſiſſet, Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum. Cùm legendum potius ſit, *Gratia Deo.* Id dicere Apoſtolus voluit, Etſi hoc corpus mortis mihi moleſtum eſt, quia me peccato ſeruire cogit, tamen acquieſco in illa ſpe, quam in Chriſto collocatam habeo. Eiuſdem fraudis fuit, quod Paulum dicere affirmaſti, non ſe malum operari, ſed carnem, cùm Paulus bis non carnem, ſed peccatum id dicat operari. Quod autem fit à peccato, id peccatum eſſe eſt neceſſe.

DVRAEVS, Fol. 248.

Sed quid mirum ſi nos omni gratia infuſa ſpolietis, qui Chriſtum non alia ratione gratia plenum fuiſſe dicitis, quàm quòd ei pater mirum in modum faueret? An non tuus Bucerus aper-

tè do-

ri docet? Proinde quod Christum prædicat Euangelista plenum gratia, eo significat ipsum per omnia diuinum adeo apparuisse, vt & Dei erga eum fauor egregiè declararetur, & omnium bonorum fauore simul iudicaretur dignissimus. *Vos ipsi quotquot Caluiniani estis, idem sentiatis oportet. Nam cùm Deus nos prædestinauit vt essemus conformes imagini filij eius, si nulla in nobis gratia infusa est, Christi etiam gratiam ad cuius imaginem reformamur, in externo illo fauore collocetis necesse est. Quid vos aliud, quàm Christo tanquam viuo capiti mysticum corpus tanquam mortuum, inquinatum, ac putre cadauer alligatis?* *In cap. 2. in Luc.*

WHITAKERVS.

35 Multa paucis errata cõplexus es. Primùm enim pios ac fideles non omni infusa gratia spoliamus, sed eos hac infusa gratia iustificationem atque adoptionem consequi negamus. Aliud verò est omnem nobis infusam gratiam detrahere, quod nos minimè facimus: aliud iustificationis meritum ab hac gratia remouere, quod apertissimè scriptura facit. Deinde, quis te docuit isto modo contra Bucerum argumentari, Cùm Christũ Lucas gratia plenum esse scribit, gratiæ nomine fauorẽ significat, ergo Christus nulla fuit infusa gratia præditus? Quod verò adiungis, quotquot sumus Caluiniani, idem necessariò sentire, agnosco inscitiam & stuporem tuum. Nomen commentitium prætermitto, ratiocinationem excutio. Prædestinauit nos vt conformes essemus imagini filij sui: ergo si nostra gratia sit fauor externus, Christi etiam gratiam in externo fauore col- *Rom. 8. 29.*

locemus necesse est. Loquitur Apostolus de cruce, & de gloria quę crucem sequitur: Et quemadmodum Christus per multas calamitates ad summam gloriam peruenit, sic nobis per ærumnas iter ad gloriam patet. Qui enim prędestinati sunt, hos Christo similes esse oportet, nec aliquid impediet, quo minus diuina tandem gloria potiantur. Intelligis nunc quàm tuum fuerit plumbeum sophisma. Postremò quòd nos ais Christo tanquam viuo capiti corpus mortuum alligare, quid aliud facis, quàm nobis insulsè & temere maledicis? Christi enim mysticum corpus sanctum est, tum quia Christi iustitia & sanctitate præditum est, tum etiam quia spiritum sanctum accepit, & regeneratur, & nouis qualitatibus donatur. Si verò mortui sunt, similesque putri cadaueri, in quibus peccatum habitat, fuit Paulus mortuus, & tanquam cadauer computruit: etenim peccatum in se fatetur habitare. Túne verò Paulum à Christo disiunges, atque hoc membrum ab illo capite diuelles? Quanquam ergo sancti in hac vita multis vitijs laborant, tamen quia Christi iustitiam tanquam vestem nuptialem induuntur, & intus etiam spiritu regenerationis ac fide purgantur, eximia puritate præcellunt, & Deo mirificè placent. Vestra quidem iustitia, quæ in stercore hominum meritis consistit, cùm nihil solidæ sa- neque iustitiæ habeat, totaque planè impura, putida, mortua sit, vos nunquam poterit ad illud viuum caput alligare.

Rom. 7. 17. 23.

D v

DVRAEVS. Fol. 249.

Iustitiam vobis relationem *esse Campianus dixit. Tu verò,* neque enim si iustitia sit relatio (*inquis*) actum erit de philosophia. *Cui vnquam Philosophorum venit in mentem iustitiam in relationibus esse numerandam ? Cùm iustitiam in Christo nusquam agnoscatis, qua diuinæ legi perfectissimè obtemperauit, qua quæso fronte hanc in illo iustitiam qualitatem fuisse, ac virtutem negabitis? In nobis verò si nullam iustitiam ponitis, quæ te quæso philosophia docuit, quod omnino non est, veram esse ac realem relationem posse?* De Iustitia.

WHITAKERVS.

36 Preclarum vobis Aristotelicę Categoriæ contra fidei iustitiam argumentum suppeditant. Quemadmodum enim ab insitis qualitatibus res quales nuncupantur, veluti à temperantia temperantes, fortitudine fortes, sic à iustitia dici iustos Categoriarum ratio postulat. Quod ego quidem de inhęrente iustitia concedo, vt qui ab hac iusti dicuntur, ea intus imbuantur. Ioannes 1. Ioann. 3. enim ait, *Qui facit iustitiam iustus est.* Sed per- 7. fecta Christianorum iustitia huic dissimilis est, quæ non in nostris qualitatibus, sed tantùm in Christi obedientia nobis per fidem imputata versatur. Si hanc Philosophi nescierint, minimè mirum est, cùm eam vos admodum ignoretis, quam tamen ex scripturis discere potuistis, si Theologi potiùs, quàm Philosophi esse velletis. Sed dum categorias defenditis, iustitiam Christianam amittitis. In Christo quidem iustitiam plenissimam atq; integerrimā

 agnosci-

agnoſcimus, eamque etiam in illo qualitatem eſſe concedimus. Qua ergo tu fronte id nos negare dicis? Quæ verò cauſa nobis perſuadet, vt νομικὴν hanc iuſtitiam in Chriſto qualitatem eſſe fateamur, eadem vt iuſtitiam non eſſe in nobis qualitatem exiſtimemus cogit. Chriſtus enim perfecit omnia, quæ lex præſcripſit: itaque fuit perfectiſſima iuſtitia cumulatus. Nos hac νομικῆς iuſtitia caremus, quia legi minimè obtemperamus: hæc ergo qualitas nobis non inhæret.

Sed iterum nobis tuam ἀφιλόσοφον philoſophiam obtrudis. *Quod omnino non eſt* (inquis) *non poteſt eſſe realis relatio*. Eſto. At Chriſti iuſtitia non omnino non eſt. Quid ergo impedit, quo minùs ea poſſit ratione, ac relatione, ſeu imputatione eſſe noſtra? Si enim parùm fælices in philoſophia progreſſus feciſti, ſenſus tamen ipſe communis te docere potuit, ſi quis tuo nomine pecuniam perſoluerit, hanc perſolutionem eſſe imputatione tuam. Si quæris quomodo tuum ſit, quod in te minimè inhæret, iterum dico, quod toties Apoſtolus tradit, imputatione fieri tuum. Acue nunc philoſophiam tuam, vt imputatione nihil fieri noſtrum euincas, ſi poſſis.

DVRAEVS, Fol. 250.

Quæ de perfecta tu iuſtitia diſputas, ſatis à me antea ſunt refutata: nunc quæ ad imputatiuam tuam iuſtitiam confutandam ſatis eſſe videbuntur, breuiter perſtringam. Dic mihi quid hoc aliud eſt, quàm Deo velle imponere, vt impios ac ſceleratos pro iuſtis ac ſanctis ipſe habeat? Rectiſſimè enim Auguſtinus, Imputat

putat Deus homini omne peccatum. *Deinde scriptura palam testatur, nos vt per Adamum peccatores, ita per Christum iustos fieri.* *De perfect. iustitiæ. Rom. 5.*

WHITAKERVS.

37 Missis categorijs, in quibus tibi exiguum præsidium fuit, ad Theologiam accedis, & *imputatiuam* iustitiam oppugnare incipis, quod quidem tam indoctè & pueriliter facis, vt te meritò nostris Academicis ridendum præbeas. De perfecta iustitia satis antè respondimus, ex quo facilè constare potest, vos in errore perdito ac misero versari, qui Deum placare & mortem sempiternam effugere vos alia posse iustitia, quàm perfecta speretis. Si enim regnum cælorum iustitia imperfecta acquiri, Dei iudicium à nobis auerti, legi iustitiæque diuinæ satisfieri potest, perfecta Deo iustitia, veritas, natura detrahitur. Sed tua nunc argumenta diluamus. *Deus* (inquis) *impios ac sceleratos pro sanctis non habet: sed omnia homini peccata imputat.* Quis te theologiam putet primis attigisse labris? Impijs enim ac sceleratis Deus nullam iustitiam imputat, dum impij sunt & scelerati. Quos enim Deus sua gratia complectitur, & in Christi obedientia ac iustitia recipit, hos suo spiritu donat, atque ex impijs pios, sceleratis sanctos efficit. Quæcunque verò hærent peccatorum reliquiæ, Christi iustitia obteguntur, & remittuntur, nec veniunt in rationem. Si enim Deus omnia homini peccata imputaret, quemadmodum tu

ex Augustino inscitè obijcis, salutis nulla nobis spes remaneret. Est enim verissimum quod Propheta Dauid cecinit, *Si inquitates obseruaueris Domine, Domine quis possit cõsistere?* Itaq; beatum hominẽ pronunciat, *cui remissæ sunt iniquitates, & quorũ obtecta sunt peccata:* id est, quemadmodũ Apostolus docet apertissimè, *cui Deus imputat iustitiam absq; operibus*, contra quam tu nunc tam imperitè impieq; disputas. Quanquã autẽ in ijs, quibus peccata remittuntur, & Christi perfecta iustitia imputatur, habitat adhuc peccatũ, dum ipsi in hoc mundo habitant, tamen nec impij dicendi sunt, nec scelerati, quia neq; peccatum in ijs regnat, neque illos iræ mortisque reos facit.

Psal. 130.3.
Psal. 32.1.
Rom. 4.6.

Pungit forsan acriùs quod sequitur argumentum. *Sumus in Adamo peccatores: ergo in Christo iusti.* Ita enim Apostolus ratiocinatur. Sed tu Apostolum non intelligis. Quanquam enim in Christo iusti sumus, quemadmodum in Adamo peccatores fuimus, non tamen eodem modo. In Adamo enim ipsi peccauimus, eiusque peccatũ in nos propagatione transfusum est: Sed Christi iustitia quanquam nobis imputatione communicatur, non tamen in nos isto modo transmittitur. Id ergo dicere & docere Apostolus voluit, queẽadmodũ Adamus peccati author extitit, sic authorẽ iustitiæ fuisse Christũ. Et sicut Adamus in omnes homines qui ex illo φυσικῶς nascuntur, suum vitium transtulit, sic Christũ suam in illos omnes iustitiam deriuasse, quos illi pater dedit, quiq; πνευματικῶς filij Dei generantur. Hic enim Paulus authores tantùm vitę ac mortis, eorumq; vim

Rom. 5.

vim in suis vel seruandis vel perdendis confert: non totam formam ac modum salutis & interitus, iustificationis & condemnationis exponit. Nam iustitiam non in nostris virtutibus, sed in alienæ iustitiæ imputatione consistere, in hoc eodem capite Apostolus clarissimè confirmat. Iustitiam enim nostram in reconciliatione constituit, *quòd cùm inimici essemus, reconciliati Deo sumus per mortem filij eius*: reconciliatio autem non est qualitatum aut virtutum infusio, sed culpæ sceleríſque nostri per alienæ iustitiæ atq; satisfactionis imputationem remissio. Rom.5.9. 10.

DVRAEVS, Fol. 250.

Ne in paradoxo tam nouo atque absurdo refellendo longior sim, responde quæso cur Apostoli & Christus nos tam sæpe ad legis obedientiam adhortantur? Et nunquam vt fide iustitiam Christi apprehendamus iubent? Cur Christus interroganti, quid faciendo regnum cælorum possideret, respondit, Serua mandata. *Cur in die iudicij non ex Christi obedientia, sed ex propria quisque iudicabitur? Mirum sanè huius rei, & in scripturis sacris, & in patribus omnibus tam veteris quàm noui Testamenti silentium est.* Luc.10.

WHITAKERVS.

38 Questiúnculis tuis breuiter respondebo. Nos Christus & Apostoli ad legis obedientiã cohortantur, non quò nostris operibus vitam æternam mercamur, sed quia nostrũ est in illo pietatis curriculo stadioq; versari, in quo sumus collocati, vt ambulantes in bonis operibus, & in illa via insistentes, quam nobis Dominus proposuit, ad metam fęlicissimam tandem perueniamus. Etsi Ephes.2.10.

enim

enim ad metam nunquam peruenitur, nisi viam rectã ingredimur, via tamen non est causa metæ. Sic quanquam officiũ nostrum postulat, vt post-
Tit.2.11.12 quam gratia salutaris illuxit, quæ nos impietatem & mundanas cupiditates abijcere docuit, temperanter, iustè, piè in hoc seculo viuamus, nostra tamen hæc inchoata obedientia non meretur regni cælestis hæreditatem. Quod autem ais nunquam nos iuberi, vt Christi iustitiam fide apprehendamus, miserandam prodis ignorantiam. Quid enim illustrius dici potuit, quàm quod Apostolus scribit, *Ei, qui non operatur, sed*
Rom.4.5. *credit in eum, qui iustificat impium, imputatur fides*
Rom.5.19. *sua pro iustitia.* Itaque ait, *nos per Christi obedientiam iustos constitui.* hanc autem obedientiam sola
Rom.1.17. fides apprehendit. Nam *iustus fide sua viuet.* Sic
Gal.2.16. ad Galatas Apostolus ait, *Scientes non iustificari hominem ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi: etiam nos in Christum Iesum credidimus, vt iustificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis.* Fides Christi quid aliud est, quàm fides in Christum? Fides ergo Christum apprehendens iustificat. Sed clarissimè Apostolus Christi iustitiam fide apprehendi demonstrat, cùm inquit, *Promis-*
Gal.3.14. *sum spiritũ accipimus per fidem.* Fide ergo spiritus promissus, id est, gratia Euãgelica, remissio peccatorũ, iustificatio, adoptio, vita æterna accipitur.

Si verò legisperito seipsum iustificare cupien-
Luc.10.28. ti Christus responderit, *Serua mandata,* mirum non est. Neq; enim melius inanem iustitiam refutare potuit, quàm si illam ad legem exigeret. Ita nos vobis vestram iustitiam iactantibus res-

pon-

pondemus, *Hac facite & viuetis*. Sed illa vos nec facitis, nec facere potestis. Quare tandẽ aut Dei iustitiã agnoscite, & propriam abijcite, aut vos à vera iustitia alienissimos esse intelligite. De iudicii forma quod quæris, facilè diluitur. Impios opera palàm damnabũt: pios fides liberabit. Sic enim Christus docet: *Qui credit in eum non condemnatur*. Et pòst, *Qui sermonem meum audit & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet*. Quia tamen hæc fides factis declaratur, quæ omnibus nota sunt & manifesta, consentaneum est ex factis potiùs quàm fide sententiam pronunciari. Iam quod subiungis, mirum esse huius rei in scripturis & patribus silentium, nulla refutatione indiget. Clamant enim vbique scripturæ nos sola fide Christum & eius iustitiam apprehendente iustos saluosque fieri. *Huic* (inquit Petrus) *omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen eius quemuis, qui crediderit in eum*. Si fide remissio peccatorum impetratur, fide ergo etiam Christi iustitia apprehenditur. Remissio enim peccatorum nihil aliud est, quàm Christi iustitiæ imputatio. Hoc omnes Prophetæ, Apostoli, patres docent, vt temerè surdum esse constet, cui inaudita ea sunt, quibus omnium aures personant. Patrum multiplices de fidei iustificatione sententias prætermittam, vnam duntaxat Chrysostomi clarissimam proponam. Sic autem habet, *Illi dicebant, qui sola fide nititur, maledictus est: Paulus verò ostendit, qui sola fide nititur, eum esse benedictum*.

Rom. 10.3.
Ioan. 3.18.
Ioan. 5.24.
Act. 10.43.
Chrysost. in Gal. 3. ὁ τῇ πίστει προσέχων μόνῃ, ἀλλ' εὐλογημένος.

ctum. Quocunque te verteris, huius testimonij authoritatem nunquam eluseris.

DVRAEVS, Fol. 251.

Christus in die iudicij iustos pronunciabit, qui legi obtemperarunt: Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c. *Et Paulus inquit,* Qui diligit proximum, legem impleuit, &, plenitudo legis ergo est dilectio. *Sic de Zacharia & Elizabeth Lucas,* erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus iustificationibus Domini sine querela. *Et Ioannes,* Qui facit iustitiam iustus est. *Moyses denique, Iosue, Dauid, cæterique omnes non ob aliam causam iusti esse describuntur, quàm quia pro modulo suo & humanæ imbecillitate naturæ legi Dei obedierunt.*

Matth.25. Gal.5. Rom.13. Luc.1.

WHITAKERVS.

39 Qua de causa Christus operum sit facturus in die iudicij mentionem, exposui. Fidem enim (vt Iacobus ait) opera ostendunt atque comprobant. Antequam autem Christus hæc sanctorum opera cõmemorat, veras & proprias salutis causas attingit, ne quis cum nostris sophistis illos operum suorum dignitate meritos existimet æternam fælicitatem. Quando enim hæreditatẽ eos adire iubet, Dei in Christo adoptioni omnem iustitiæ ac salutis causam tribuit. Quod enim aliquis iure hæreditario possidet, id suis operibus minimè meretur. Tum quod subiungit, paratum hoc illis fuisse regnum à iactis fundamẽtis mundi, æternam Dei electionẽ omnibus operum meritis opponit. Num enim Deus hoc illis regnum tua opinione præparauit, quia egregia illorum opera preuidit? Si tuã huius loci interpretationẽ defen-

Iacob.2.18. *κληρονομήσατε.* *Mat.25.34.*

defendis, ita quidem censeas est necesse. Nam si & regnum Deus pręparauit, & illi suis factis regnum merentur, quid aliud restat, quàm vt regnū hoc illis à Deo propter præuisa merita pręparatum fuerit? Hîc verò in ista causa nullum habes acriorem aduersarium quàm tuum Thomam: qui multis & firmissimis argumentis operum pręscientiam docet non esse prædestinationis atq; electionis causam. Nam prædestinatio prior est meritis, & Apostolus ad Tit. cap. 1. ait, *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos*: Et tum nullus esset prędestinatus, nisi merita habiturus, quod patet in paruulis esse falsum. Cùm ergo prædestinatio gratuita omnino sit, sanctorum salutem esse prorsus gratuitam manifestum est: cùm prædestinatio nihil aliud sit, quàm decretum transmittendi sanctos in vitam æternam.

Thom. de verit. quæst. 6. art. 2.

Thom. 1. part. quæst. 23. art. 1.

De Pauli loco responsum est suprà. Qui perfecta charitate præditi sunt, ij iustitiam sibi ex lege vendicent. Id cùm nullus facere possit, nullam ex lege sperandam esse iustitiam sequitur. Ad Zachariam & Elizabetham venio, qui iusti coram Deo dicuntur, quia erat illorum pietas minimè ficta aut simulata: tum quia fide iustitiam consequuti, fructus fidei diuinę legi consētaneos proferebant. ἄμεμπτοι autem vocantur, non quia nihil in illis Deus reprehendere potuit, sed *propter conuersationem inter homines laudabilem, quæ non posset in criminationis querelam vocari*, quemadmodū Augustinus verissimè scribit. Si enim ita purum fuisse Zachariam existimas, vt nihil peccarit, cur illi mox pœ-

August. contra Pelag. & Cælest. li. 1. c. 48

Luc.1.20. pœnam peccati Deus imposuit? Mutus enim extitit, quia non credidit Dei verbis. Quanquam ergo ex animo legi studebant, eamque ob causam iusti censentur, tamen hæc iustitia potiùs remissione peccatorum constabat, quàm perfectione virtutum, quod Augustinus de inhærente omnium iustitia statuit. Ioannes autem de infusa quidem iustitia loquitur, cùm ait, *Qui facit iustitiam, iustus est*, nempe non ij iusti sunt, qui abstinent à vitijs, sed qui res iustas faciunt. Sic alibi, *Qui iustus est, iustificetur adhuc*. Nec verò esse talem iustitiam nescimus, sed hac iustitia nos assequi vitam æternam perneganius, quam nec Moses, nec Iosue, nec Dauid, nec quisquam adeptus est, nisi fide Christum amplectente, quẽadmodum in Epistola ad Hebręos Apostolus luculentissimè demonstrat. *Non enim ex operibus legis iustificatur vlla caro*. Legis autem nomine intelligitur, quicquid lex præcipit vllo tempore. Ita in alio loco ait, *beatum esse cui iustitia imputatur absque operibus*: in quo omnia opera cuiuscunque tandem generis sint, simpliciter excludit. Illud ergo perpetuò stabit, *Gratia estis seruati per fidem: & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur*. Quare salus nostra est gratiæ solius effectum & Dei donum: huius autem percipiendę salutis instrumentum fides est. Si verò nostra opera aliquid ad iustitiam & salutem conferrent, in nobis aliquid existeret, in quo gloriari possemus. Quod enim iustitiam & salutem ęternam tribuit, id optimam ac iustissimam gloriandi causam continet.

Margin notes: August. de Ciuit. Dei. li.19.c.26. — 1.Ioan.3.7. — Apo.22.11. — Galat.2.16. — Rom.4.6. — Ephes.2.8.

continet. Omnem autem gloriandi materiam nobis ſola fides detrahit.

DVRAEVS, Fol. 251.

Sed Chriſtus (*inquis*) à Paulo dicitur iuſtitia noſtra. *Eodem etiam loco Chriſtum dicit eſſe ſapientiam noſtram: & ne tibi euadendi locus relinquatur, ita Chriſtum & ſanctificationem appellat, quam tu infuſam fateris.*

WHITAKERVS.

40 Multùm tu quidem erras ſi *hanc ſapientiam, aut ſanctificationem*, quam Chriſto Paulus hoc in loco tribuit, in nobis tanquam qualitates noſtras inhærere ſomnias. Sic enim Chriſtus à Deo factus eſt ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio, vt hæc in vno Chriſto maneant, noſtra non niſi duntaxat imputatione fiant. Si enim neſcis, non modò iuſtitiam Chriſti, ſed ſapientiam etiam, & ſanctificationem eſſe *imputatiuam*, æquum eſt vt hanc tibi inſcitiam ignoſcam. Neque enim Chriſti iuſtitia nobis imputari poſſet, niſi etiam ſanctitas imputaretur. Tamen quin ſit in nobis aliqua & ſapientia & ſanctimonia, & iuſtitia non negamus: ſed illa ſapientia, & iuſtitia, & ſanctitas, quam fieri nobis Chriſtum Paulus affirmat, non aliter noſtra eſt, aut in nobis reſidet, quàm vt ipſum Chriſtum per fidem totum amplectimur, & poſſidemus.

1. Cor. 1. 30.

Luc.1.20. pœnam peccati Deus imposuit? Mutus enim extitit, quia non credidit Dei verbis. Quanquam ergo ex animo legi studebant, eamque ob causam iusti censentur, tamen hæc iustitia potiùs remissione peccatorum constabat, quàm perfectione virtutum, quod Augustinus de inhærente omnium iustitia statuit. Ioannes autem de infusa quidem iustitia loquitur, cùm ait, *Qui facit iustitiam, iustus est*, nempe non ij iusti sunt, qui abstinent à vitijs, sed qui res iustas faciunt. Sic alibi, *Qui iustus est, iustificetur adhuc*. Nec verò esse talem iustitiam nescimus, sed hac iustitia nos assequi vitam æternam pernegamus, quam nec Moses, nec Iosue, nec Dauid, nec quisquam adeptus est, nisi fide Christum amplectente, quemadmodum in Epistola ad Hebræos Apostolus luculentissimè demonstrat. *Non enim ex operibus legis iustificatur vlla caro*. Legis autem nomine intelligitur, quicquid lex præcipit vllo tempore. Ita in alio loco ait, *beatum esse cui iustitia imputatur absque operibus*: in quo omnia opera cuiuscunque tandem generis sint, simpliciter excludit. Illud ergo perpetuò stabit, *Gratia estis seruati per fidem: & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur*. Quare salus nostra est gratiæ solius effectum & Dei donum: huius autem percipiendæ salutis instrumentum fides est. Si verò nostra opera aliquid ad iustitiam & salutem conferrent, in nobis aliquid existeret, in quo gloriari possemus. Quod enim iustitiam & salutem æternam tribuit, id optimam ac iustissimam gloriandi causam

continet.

Margin notes: August. de Ciuit. Dei. li.19. c.26. — 1. Ioan. 3.7. — Apo. 22.11. — Galat. 2.16. — Rom. 4.6. — Ephes. 2.8.

continet. Omnem autem gloriandi materiam nobis ſola fides detrahit.

DVRAEVS, Fol. 251.

Sed Chriſtus(*inquis*) à Paulo dicitur iuſtitia noſtra. *Eodem etiam loco Chriſtum dicit eſſe ſapientiam noſtram: & ne tibi eludendi locus relinquatur, ita Chriſtum & ſanctificationem appellat, quam tu infuſam fateris.*

WHITAKERVS.

40 Multùm tu quidem erras ſi *hanc ſapientiam, aut ſanctificationem*, quam Chriſto Paulus hoc in loco tribuit, in nobis tanquam qualitates noſtras inhærere ſomnias. Sic enim Chriſtus à Deo factus eſt ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio, vt hæc in vno Chriſto maneant, noſtra non niſi duntaxat imputatione fiant. 1.Cor.1.30. Si enim neſcis, non modò iuſtitiam Chriſti, ſed ſapientiam etiam, & ſanctificationem eſſe *imputatiuam*, æquum eſt vt hanc tibi inſcitiam ignoſcam. Neque enim Chriſti iuſtitia nobis imputari poſſet, niſi etiam ſanctitas imputaretur. Tamen quin ſit in nobis aliqua & ſapientia & ſanctimonia, & iuſtitia non negamus: ſed illa ſapientia, & iuſtitia, & ſanctitas, quam fieri nobis Chriſtum Paulus affirmat, non aliter noſtra eſt, aut in nobis reſidet, quàm vt ipſum Chriſtum per fidem totum amplectimur, & poſſidemus.

DVRAEVS, Fol.252.

Sed virtutes (*inquis*) nostræ sunt instar panniculi non modò polluti, sed etiam lacerati. *Si de ea loqueris iustitia, quam ipsi nobis absque Christi ope comparare possumus, rectè quidem sentis. Si verò illam intelligis, quam suo nobis sanguine seruator promeruit, & quam in corda nostra diffundit, intolerandam illi iniuriam facis. Venit enim Christus* vt vitam habeamus, &
Ioan. 10. abundantiùs habeamus. Scimus enim quoniã trãslati sumus
1. Ioan. 3. de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. *Christus ait,*
Ioan. 8. Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis. *Quid pulcrius, quid*
1. Petr. 1. *admirabilius, quàm quòd filios Dei, hæredes vitæ æternæ ac diuinæ consortes naturæ efficiat? Et Paulus Ecclesiam Christum gloriosam*
Ephes. 5. *absque macula ac ruga sibi ait fecisse. Desine ergo blasphemias tuas in gratiam noui Testamenti, in Christum, & in ipsius mortem euomere. Desine tantam Deo blasphemiam irrogare, vt pro iustis possit habere eos, qui iusti non sunt.*

WHITAKERVS.

41 Quid de nostris virtutibus existimandum sit, Esaias apertissimè docet, quando eas panni-
Esai. 64. 6. culo fœdè polluto similes esse dicit. Hîc tu tanquam ictus fulmine obstupescis, nec quid respondeas habes. Voces tamen temerè quasdam profundis stuporis indices, & ignorantiæ incredibilis testes. Num enim fingere omnino potes, prophetam ope atq; auxilio Christi caruisse? Suam tamen iustitiam propheta impuram esse confitetur. Si ergo de eorum loqui operibus prophetam censes, qui non sunt renati, renatum fuisse Esaiam neges oportet, quem palàm constat

suæ

suæ iustitiæ vitia agnoscere. Nec potes ista responsione fretus teipsum defendere. Bernardus enim illam tibi responsionem fugamque præripuit, cuius hæc sunt in Esaiam verba: *Cernere est quàm sit illa iustitia sublimis, quam sicut montes Dei propheta esse miratur. Nostra enim si qua est humilis iustitia recta forsitan, sed non pura: nisi fortè meliores nos esse credimus, quàm patres nostros, qui non minus veraciter, quàm humiliter aiebant, Omnes iustitiæ nostræ tanquam pannus menstruatæ mulieris. Quomodo enim pura iustitia, vbi adhuc non potest culpa deesse?* Sed quid Bernardi testimonio opus est, cùm id omnes sancti semper agnouerint? Propheta Dauid ait, *Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis potest consistere?* Propheta Daniel ait, *Penes te ô Domine, est iustitia ipsa, at penes nos pudor faciei*. Ezras ait, *Ecce nos sumus coram te in delictis nostris, & ob id ne consistere quidem poterimus in conspectu tuo*. Iobus ait, *Nemo poterit respondere Deo ad vnum ex mille: itaque vereri se dicit omnia opera sua*. Ioannes Apostolus ait, *Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est. Si quis peccarit, aduocatum apud patrem habemus Iesum Christum iustum*. Peccant ergo renati, eósque suis peccatis non propriæ virtutes, sed Christi solius iustitia liberat. Quid pergam scripturas cumulare, quarum nulla est, quæ non vestram iustitiam iugulat?

Bernard. serm. 5. de verbis Esaiæ.

Psal. 130. 3.

Daniel. 9. 7.

Ezras. 9. 15.

Iob. 9. 3. 28.

1. Ioan. 1. 8. &

1. Ioan. 2. 1.

De illa verò iustitia non loquor, quam Christus suo nobis sanguine promeruit, quamque esse purissimã & omni modo perfectissimã intelligo.

Verùm hæc iustitia in nobis nequaquam hæret, sed nobis imputatur. Huic verò iustitiæ quinam tandem iniuriam faciant, facilè dijudicari potest, nósne, an potius ipsi vos. Nam tu nostrã iustitiam antè dixisti esse imperfectam: hanc autem iustitiã nobis Christus suo sanguine promeruit: imperfectam ergo nobis iustitiam suo Christus sanguine acquisiuit. Hæc demum iniuria, hæc in Christum, Christiq; sanguinẽ blasphemia meritò censeatur. Vteris hîc nonnullis scripturæ testimonijs, sed vt semper soles, ineptè & ἀπροσδιονύσως. Quis enim nescit Christũ nobis vitã vberrimam attulisse? Num
Ioan.10. ergo sequitur nos infusa iustitia viuere? Charitas
1.Ioan.3. fructus est fidei & iustitiæ, ex quo certò scimus nos è morte ereptos esse: an ergo charitatem esse causam iustitiæ & vitæ concludes? Quos filius
Ioan.8. liberat, verè liberi sunt: num igitur nulla nobis Christi iustitia imputatur? Efficimur naturæ diui-
2.Petr.1. næ consortes, id est, vt mox ipse Petrus explicat, mundi corruptelas fugimus: num hinc sequitur Christi obedientiã fide non apprehendi? Ecclesi-
Ephes.5. am sibi Christus gloriosã sistit sine macula & ruga, quod de futuro Ecclesiæ statu intelligendum est: num igitur sancti dum hîc viuunt nullis peccatorum maculis asperguntur? His tu confisus argumentis tuam iustitiam ostentas, Christi iustitiã per fidem nobis imputatam contemnis. Aut ergo desine contra Christum, Christique iustitiam disputare, aut perge in tua impura iustitia computrescere.

DVRAE-

DVRAEVS, Fol. 253.

At Paulus (*inquis*) iustitiam Christi suam iustitiam vocat: cùm ita scribat, Non habens meam quæ ex lege est, sed eam, quæ ex fide Christi. *Plana profectò Pauli sententia: quam Augustinus exposuit: ex lege iustitiam eam vocari, quæ per legis doctrinam absque adiutorio gratiæ comparatur. Vocat ergo Paulus iustitiam fidei, non quòd fide apprehendebatur, sed quòd ad eam per fidem perueniatur: id enim ex instituto cùm ad Romanos & Galatas scriberet, ostendere voluit, nullam nos ex lege veram iustitiam adipisci posse. Augustin. de prædestin. sanctorum,* Ex fide ideo dicit Paulus iustificari hominem, quia ipsa prima datur, ex qua impetrantur cætera. *Paulus Christi iustitiam vocat, quam verè nos quidem in nobis, sed à Christo acceptam habemus: quod omnes Ecclesiæ patres à Paulo didicerunt, & suos posteros docuerunt. Augustinum audi,* Gratia Dei non solùm reatus omnium peccatorum soluitur, ijs qui baptizantur in Christo, quod fit spiritu regenerationis, verùm etiam in gradibus voluntas ipsa sanatur, & præparatur à Domino, quod fit spiritu fidei & charitatis. *Et alio loco,* Gratia Dei non solùm peccata delet, verùm etiam ad non peccandum rectéque viuendum adiuuat. *Et rursum, non tantùm ait,* remitti nobis peccata, sed languores etiam nostros sanari.

Phil. 3. *Cap. 7.* *1. Retract. cap. 13.* *Epist. 106.* *Epist. 103. & 85.* *De natur. & grat. c. 27.*

VVHITAKERVS.

42 Quam iustitam Paulus intelligat, breuiter examinemus. Primùm remouet à iustitia, quicquid in pharisaïsmo splendidè ac præclarè fecisset, vt quanquam erat quoad iustitiam legis ἄμεμπτος, multisque eximijs ornamentis præditus, tamen propter Christum vniuersa hæc pro damnis ducat. Ne verò quisquam putet Paulum operibus suis post fidem susceptis aliquid tribuere, adiungit se & hęc etiam abijcere, *Phil. 3. 4. 6.*

nec illis iuſtificationem ſuam aſcribere. Cùm enim de primis operibus ſcripſiſſet, ἥγημαι ταῦτα ζημίας: Mox de omnibus in vniuerſum addit, mutato tẽpore, ἀλλὰ μενοῦνγε καὶ ἡγοῦμαι πάντα ζημίαν εἶναι: non illa tantùm, ſed hæc etiam omnia contemno, *vt habeam non iuſtitiam meam, quæ eſt ex lege, ſed eam, quæ per fidem eſt Chriſti.* Cùm ergo Paulus omnia operum genera excludat, reſtat vt Chriſti ſolam iuſtitiam intelligat. Atque ita alibi ait, *Nullius rei mihi conſcius ſum*: ſed non per hoc iuſtificatus ſum. Ita ſuis virtutibus iuſtificationem detrahit. Si enim Apoſtolus, qui ſic vixit, vt eum ſua conſcientia non accuſaret; tamen in ſuis operibus minimè acquieſceret, nec ſe iuſtum propter vitam ſanctiſſimè actam reputaret, certum eſt iuſtitiam in bonis operibus nequaquam conſiſtere.

1. Cor. 4. 4.

Opportunè autem de Apoſtoli ad Galatas epiſtola mentionem feciſti. Illius enim epiſtolæ ſtatus tuam de operum iuſtificatione opinionem funditus euertit. Non enim Galatæ, qui Chriſto nomen dederant, ijs ſe operibus iuſtitiam adepturos ſperabãt, quæ ſine fide fierent, ſed opera cũ fide coniungebant, quemadmodũ vos contenditis eſſe faciendum. Itaque vel Galatas Apoſtolus ſine cauſa reprehendit, vel operibus nulla pars iuſtificationis tribuenda eſt. Qui enim *ex operibus legis ſunt*, eos Apoſtolus miſeros ac maledictos pronunciat: quod vel Galatas attingit, qui jam fideles erant, aut Apoſtolus nullo vſus eſt argumento, quod quicquam ad Galatas pertineret. Quicunque ergo ex operibus legis eſſe volunt,

sunt, id est, suis operibus iustitiam quærunt, quãmuis id post gratiam & fidem faciãt, ij certissimum maledictum incurrunt, si Apostoli argumento aliquid omnino conclusum fuerit. Si enim Apostolum contra ceremonias tantùm disserere arbitraris, nimis leuiter iudicas. Totam enim legem cum suis operibus apertè abiudicat: sic enim ait, *Quotquot sunt ex operibus legis, sub execratione sunt: Scriptum est enim, Execrabilis quisquis non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea. Lex non est ex fide, sed qui fecerit ea homo, viuet in eis. Christus nos redemit ab execratione legis.* Ex his constat non ceremoniali modò, sed morali etiam legi iustificationem adimi, idque in ipsis Galatis, qui iam ad Christi cognitionem fidemque peruenerant. Gal.3.10. 12.13.

De Augustino non conabor multa respondere. Si iustitiam inchoatam intelligat, fateor fidem esse primam, ex qua impetrantur cætera. Constat enim ea iustitia ex fide, spe, charitate, & huius iustitiæ fides fundamentum est. Reliqua Augustini testimonia prætermitti possunt, cùm nihil aliud doceant, quàm hominem non iustificari tantùm gratia, sed etiam sanctificari, quod quidẽ agnoscimus. Nam à vera fidei iustitia sanctificatio nunquam separatur. Qualem autem ex Paulo iustitiam patres didicerint, ac nobis tradiderint, paucis videamus. Basilius scribit, *Manet sempiterna requies illos, qui in hac vita legitimè certauerunt: non ob eorum merita factorum: sed de munificentissimi Dei gratia, in qua sperauerunt.* Non ergo sanctorũ meritis æternæ vitæ præmiũ redditur. Au- Basil.in psal. 114.

Auguſtinus, *pro nihilo ſaluos facies eos: Quid eſt pro nihilo? Nihil inuenis, vnde ſalues: & multum inuenis, vnde damnes*. Sancti ergo nullis meritis ſeruantur. Hieronymus, *Tunc iuſti ſumus, quando nos peccatores fatemur: & iuſtitia noſtra non ex proprio merito, ſed ex Dei conſiſtit miſericordia*. Quid contra operum merita dici potuit illuſtrius? Bernardus, *Si iniquitates obſeruauerit, etiam electorum, quis ſuſtinebit?* Electi ergo non poſſunt ſuis meritis ſubnixi coram Domino conſiſtere. Iterum Bernardus, *Memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius: ipſa enim eſt mea: nempe factus es mihi tu iuſtitia à Deo.* Chriſti ergo iuſtitia eſt noſtra iuſtitia, non quia in nobis inhæret, ſed quia nobis per fidei imputationem communicatur. Nam alibi dicit Bernardus, *Sufficit mihi ad omnem iuſtitiam ſolum habere propitium, cui ſoli peccaui*. Noſtra ergo iuſtitia non in proprijs meritis, ſed in peccatorum remiſſione verſatur. Subiungam iſtis breuem Thomæ tui ſententiam, quam tibi cogitandam relinquo. *Opera* (inquit) *non ſunt cauſa quòd aliquis ſit iuſtus apud Deum, ſed potius ſunt executiones & manifeſtationes iuſtitiæ.* Hanc iuſtitiæ viam patres olim & didicerunt ipſi, & alios docuerunt: nos aliter nec doceri, nec docere volumus.

Aug. de verbis apoſt. ſer. 15.

Hieron. li. 1. aduerſ. Pelagian.

Bernard. in Cantic. ſer. 73.

Ser. 61.

Tho. in Galat. 3. lect. 4.

DVRAEVS, Fol. 254.

Minimè miror Caluinum nullam in nobis interioris hominis renouationem agnoſcere, cùm beatos ipſos ſceleribus ſuis etiam in beatiſſimis illis ſedibus, in quibus nihil inquinatum eſſe poteſt, perpetuò eſſe contaminatos exiſtimet. Si enim quamdiu mortales

he-

hæc vita ducitur, ita in intimis animi recessibus peccata infixa sunt, vt nunquam deleantur, quibus expiandis nullus post hanc vitam si vobis credimus locus sit, annon in beatis illis sedibus peccatorum feces perpetuò remanebunt? Explica nobis Whitakere, num hæc ita se habeant.

WHITAKERVS.

43 Cùm multas sæpe Caluino egregias calumnias impegisti, tum hoc in loco splendidum illi conuitium facis. Quis enim vnquam diceret, quod tu dicis, nullam interni hominis à Caluino renouationem agnosci, nisi qui daret operam vt omnes homines maledicendo superaret? Quod verò de beatis sedibus attexis, id Caluino nunquam venit in mentem vt somniaret. Quanquā enim pij dum hanc mortalem & terrestrem vitam viuunt, nō omnes possunt peccatorum maculas eluere; tamen cùm primùm anima è corpore excesserit, omnibus peccatis, vitijs, languoribus liberatur, vt pura in cælestes superasque sedes perferatur. Nam in hac vita remissa fuit iniquitas, non sanata infirmitas, vt Augustinus loquitur: post hanc vitam neque iniquitas, neque infirmitas remanebit. Nam expiandis post hanc vitam peccatis nullus profectò, quòd sciam, locus constitutus est. Pontificium enim purgatorium penitus, opinor, refrixit, quia nihil ex illo loco iamdudum allatum est. Id ergo quod me iubes explicare, non magnam explicationem desiderat. Quando enim sanctorum animæ ex corporibus morti obnoxijs liberantur, nullis deinceps Rom. 7. 24.
peccatorum vinculis implicantur.

DVRAEVS, Fol, 255.256.

Addis verò de hac remissione peccatorum vestrorum certos vos esse ex Dei verbo. Equidem haud mihi facilè persuadeo aliquod esse Dei verbum, quod Whitakero remissa esse peccata testetur. Quid ergo Whitakere, omnibúsne mortalibus legem tu impones, vt non minùs tibi quàm Magdalenæ remissa esse peccata credant? Dices fortasse nihil opus fuisse disertis hoc verbis exprimi, cùm satis expreßum sit ijs omnibus, qui fide iustitiam Christi apprehendunt, peccatorum omnium veniam dari. At neque id ex Dei verbo vnquam ostendes. Quomodo si incertum semper est, num ea fides, qua nobis remißa esse peccata persuademus, vera sit, an simulata? Tu ipse in hac fide fluctuas: Conscientiæ (*inquis*) nostrę tam multis terroribus oppugnatę, tam securę in hac vita esse nequeunt, quam si interminato cęli gaudio perfruerentur.

WHITAKERVS.

44 Vt tuas infacetas facetias prætermittam, atque ad rem veniam, nos de peccatorum nostrorum remissione atque æterna in Christo ad vitam prædestinatione certos ex Dei verbo fieri confirmo. Cùm enim Euangelio credendum sit, Euangelium autem inprimis doceat nobis peccata remitti, si credimus, quis sine scelerę potest de peccatorum remissione dubitare? Euangelio enim fidem detrahere, peccatum est omni supplicio dignum. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium vnigenitum dederit, vt quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Qui ergo credũt in Christũ, non possunt perire, sed æterna vita certissimè potientur. Ex Euangelio etiam discimus,

Ioan. 3. 16.

mus, nos à Deo ad vitam æternam prædeſtinari: Id ergo credere debemus, niſi perfidi ſumus. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, & deſtinauit nos in adoptionem filiorum*. Cùm ipſe Deus teſtetur & confirmet ſe nos ad vitam prædeſtinaſſe, nos minimè credemus? At ſi fide præditi ſumus, id ignorare nullo modo poſſumus. Eſt enim fides electorum ac prædeſtinatorum, quemadmodum Paulus clariſſimè docet. Se enim Apoſtolum Chriſti vocat *ſecundùm fidem electorum Dei*. Et Lucas ſcribit crediдiſſe, *quotquot erant præordinati ad vitam æternam*. Quare cùm fides vera nullorum ſit, niſi qui electi ac præordinati ſunt, quos verò Dominus ad vitam elegit ac prædeſtinauit, hi perire nequeant, quid aliud conſequi poteſt, quàm qui credunt, eos eſſe de ſua peccatorum remiſſione ac ſalute certos? Quod tu enim oſtendi poſſe negas, id in ſcripturis apertiſſimè declaratur. Sic Petrus ait, *Huic omnes prophetæ teſtimonium dant, remiſſionem peccatorum accepturum per nomen eius quemuis, qui crediderit in eum*. Et Paulus, *Notum ſit vobis, fratres, annunciari vobis remiſſionem peccatorum per iſtum: & ab omnibus à quibus per legem Moſis abſolui non potuiſtis, per hunc quemuis, qui credat abſolui*. Hæ ſententiæ non ad vnam Magdalenam pertinent, ſed omnibus Chriſtianis propoſitæ ſunt, vt quiſquis in Chriſtum crediderit, is peccata ſibi remiſſa, & certam in Dei regno fælicitatem paratam eſſe intelligat.

Ephes. 1. 45.

Tit. 1. 1.

Act. 13. 48.

Act. 10. 43.

Act. 13. 39.

At neſcimus (inquis) *num vera fide imbuamur*: multi

multi enim ficta fide falluntur. Id quidem negari non potest: sed qui vera fide donati sunt, ij se vera fide præditos esse sciunt. Ita Paulus, *Scio*
2.Tim.1.12 *cui crediderim, & mihi persuasum est eum posse depositum meum in illum diem seruare*. Sic Corinthios
2.Cor.13.5. iubet, vt *seipsos tentent atque explorent, an sint in fide: cùm Christum in ipsis esse sciant, nisi reprobi sint.* Quare nec reprobi in se aut fidem aut Christum habent: & qui fide ac Christo potiuntur, ij se fidei ac Christi compotes esse cognoscunt. Quorsum autem vel Christus interrogaret à multis, num crederent, vel ij se credere responderent, nisi suam quisque fidem cognitam haberet? Si quomodo scire hoc possis, quæras, Ioannem Apostolum audi, *Per hoc nouimus, quòd*
1.Ioan.3.24 *maneat in nobis, ex spiritu quem dedit nobis*. Atque
August.Ep. 112. ita Augustinus scribit, *Videt fidelis ipsam fidem suam, qua se credere sine dubitatione respondet*. Vobis remissionem peccatorum semper esse incertam minimè mirum est, cùm semper de fide vestra dubitetis. Qui enim non credunt, vel se tantùm credere opinantur, ij nullum ex Christo beneficium percipiunt. Sic ergo de certa peccatorum remissione certissimam demonstrationem conficio: Quicunque certò norunt se esse electos ac prædestinatos, ij de remissione peccatorum & salute sua certi sunt: Quicunque autem credunt, se electos ac prædestinatos esse certò norunt, quia se credere sciunt; & qui credūt electi ac prædestinati sunt: ergo qui credunt ij de remissione peccatorum & salute sua certi sunt. Vires in hoc syllogismo tuas, si quid potes,

experire

aperire: illum ego tibi tractandum, ac penitus versandum permitto. De me quod addis, agnosco. fides enim multis terroribus tentatur, & caro semper in hac vita varias dubitandi occasiones subministrat. Sed fides vincit mundum, & nos fides victores facit. Itaque nihil impedit, quo minus fides & solicita nonnihil sit, quando acerrimis tentationibus vrgetur, & eadem tamen certa ac secura sit, quando Dei promissiones intuetur. 1.Ioan.5.4.

DVRAEVS, Fol.257.

Incredibilem tuam inconstantiam mirari hîc satis non possum, quia perfidiam hanc vestram, cum ea quæ in Abrahamo fuit fide audeas comparare. Quæ ex Basilio & Tridentino etiam catechismo testimonia affers, nihil aliud, quàm teipsum iugulant. Quomodo enim si tam certa est fides vestra de iustificatione & salute nondum satis securi estis? Paulus ipse, etsi nullius sibi criminis conscius, se iustum tamen pronunciare noluit. Non vos sanctissimi Iob verba mouent? qui etiam inquit, Si habuero quidpiam iustum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor: si iustificare me voluero, os meum condemnabit me &c. Delicta *(inquit propheta Dauid)* quis intelligit? *Et Salomon,* Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato? *Et in Ecclesiastico*, de propitiato peccato noli esse sine metu, neque adijcies peccata peccatis. Cap.9. Psal.18. Prouerb.20. Eccles.5.5.

WHITAKERVS.

45 Abrahæ exemplũ propositum est à Paulo, non modò vt qualis fuerit Abrahamus, ostenderet, sed vt quales etiam nos esse debeamus, si fideles sumus, demonstraret. Itaque illum Apostolus *Patrem nostrum* vocauit, vt qui eius filij sumus, Rom.4.1.

mus, illi nos oportere similes esse intelliger[e]
possemus. Tum postquam multis verbis Abra-
hæ mirificam fidem prædicasset, concludit a[d]
extremum, quemadmodum Abrahamus illa fid[e]
tam firma iustificatus fuit, ita eadem etiam no[s]
Rom.4.24. fide iustos per imputationem fore? Et verò quor-
sum tam longam Apostolus fidei huius, qua A-
brahamus præditus fuit, descriptionem fecisset,
nisi vt veræ fidei viuam imaginem τυπικῶς expri-
meret? Nec illud argumentum ab exemplo A-
Galat.3.6. &c. brahæ sumptum, quo Galatas refellit Aposto-
lus, aliquid valeret, nisi qualis Abrahæ fuit, ta-
lis quoque & nostra esset.

Basil. in ascet. Catechis. Trident. in 1. art. symboli. Basilius autem & catechismus Tridentinu[s]
quando fidei ἀδιάκριτον πληροφορίαν, & *certissimam
sine vlla hæsitatione persuasionem* tribuunt, quid a-
liud, quàm nostram sententiam apertissim[e]
confirmant? Si enim omnis disceptatio ac du-
bitatio à fide aliena est, & qui credunt, ijs quod
credunt sine hæsitatione vlla certum & persua-
sum esse debet, quemadmodum & Basilius scri-
bit, & in catechismo Tridentino traditum est,
quis potest incertus esse de sua salute, quam cre-
dit? Nam tentationes illæ, quas caro suppedi-
tat, etsi fidem nonnihil impellunt, ac solicitam
reddunt, euertere tamen illam, & penitus de
gradu deturbare nunquam possunt. Sic pij quan-
quam ex hac vita ad Christum alacres & spe
gaudioque pleni excedunt, aliter tamen facere
non possunt, quin mortem pertimescant. Quære
nunc quemadmodum aliquis & timere mortem,
& cupidè ex hac vita migrare possit.

Restant

Restant quædam hîc frusta argumentorum concidenda. Paulus ait, *Nullius rei mihi conscius sum: sed non per hoc iustificatus sum.* Quid? num se Paulus iustificatum esse negauit? Aut de sua iustificatione dubitauit? At contrà ex Paulo Paulum de sua iustitia & salute certissimum fuisse constat: sic quidem vt Papistæ cogantur respondere, id Paulum extraordinaria quadam spiritus patefactione didicisse. Tu nunc Paulum introducis, de sua iustificatione dubitantem. Sed Paulum non intelligis. Neque enim ait se non esse iustificatum: sed ex eo non esse iustificatum, quòd nullius rei conscius sibi fuerit. Ita Iobus etsi non est ausus suis operibus confidere, aut innocentiam suam coram Domino defendere, de salute tamen sua se certissimum fuisse satis ostendit. *Scio* (inquit) *redemptorem meum viuere, & carne mea me visurum esse Deum.* Dauidis & Salomonis sententiæ nihil ad rem faciunt. Quid enim si non intelligimus delicta nostra, nec mundi sumus à peccatis, num proinde incerti erimus, num peccata nobis omnia & occulta & manifesta remittantur? Nihil minus. Ecclesiastici locum egregiè corrupisti. In Græco sic legitur, Περὶ ἐξιλασμοῦ μὴ ἄφοβος γίνου: i. *Noli securus esse de expiatione.* Vetus interpres reddit, *De propitiatu peccatorum noli esse sine metu:* in quo admonet ne pœnitentiam & peccatorum expiationem procrastinemus, aut peccata peccatis cumulemus. Tu hoc testimonio probare vis de remissis etiam peccatis nobis esse metuendū, ne fortè nos in exitium retrahāt. Zacharias verò nos docuit

1. Cor. 4. 4.

In fine 8. ca. ad Rom.

Iob 19. 26.

Eccles. 5. 5.

Luc.1.74. docuit Deo ἀφόβως seruire: Et Paulus ait, *Nos*
Rom.8.15. *non accepisse spiritum seruitutis iterum ad metum,*
sed spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba,
Pater.

DVRAEVS, Fol. 258.

Iam quo tuam sententiam argumento tuearis expecto. Quo-modo iustificati (*inquis*) pacem possunt habere apud Deum, si ancipiti spe dubiísque de salute nostra cogitationibus perpetuò distrahamur? *Quis vnquam Catholicorum dixit spem nostram dubiam vel ancipitem esse? Quid pax aliud est, quàm (si* Lib.19.de ciuit.Dei.c.13. *Augustino credimus)* tranquillitas ordinis? *Nos serui sumus: an non igitur cùm ordinem nostrum ac locum teneamus, pacem tibi habere videmur?*

WHITAKERVS.

46 Argumentũ meum ex Apostolo desumptum diluere nunquam profectò poteris. Nam hîc quidem nihil affers, vnde id te vel conatum esse existimẽ. Apostolus ait, primùm nos fide iu-Rom.5.1. stificari, tum iustificatos pacem erga Deum habere. Pax autem ista est animi firma tranquillitas, dum nos à peccatis absolui, & Deo reconciliari certò credimus. Qui enim de peccatorum remissione, & Dei beneuolentia, suoq; futuro statu incerti sũt, pace aut omnino nulla aut minimè perpetua perfruuntur. Hanc autem pacem, quam nobis fidei iustificatio affert apud Deum, veram atque immortalem esse oportet. Nam pax aut dubia, aut breuis, aut mutabilis, non meretur pacis nomen. Qui ergo hanc pacem adepti sunt, ij sciúnt eam fore sempiternam: qui verò se sciunt

sempi-

sempiterna pace frui, ij de salute sua incerti esse nequeunt. Itaque Apostolus adiungit, nos in gratia stare: vbi Chrysostomus obseruauit *hanc Dei gratiam fine carere, & terminum nescire.* Qui ergo hac gratia præditus est, ea nunquam priuari potest: certus igitur est de salute sua. Idque tute etiam agnoscis. Si enim spes non sit dubia, vel anceps, quod tu Catholicos omnes existimare dicis, tum certam & firmam esse sequitur, quod fieri nullo modo potest, si de salute dubitamus. Augustinum temere adducis, cùm nihil hîc de re loquatur, quam nos in manibus habemus. Sit pax, trãquillitas ordinis; Et simus nos vt dicis serui. Tamen etiam filij sumus. Huius autem ordinis ratio postulat, vt qui filius est, certam hæreditatem expectet.

ἐν ᾗ ἑστήκαμεν. Chrysostom. in hunc locum. αὕτη ἡ τοῦ θεοῦ χάρις οὐκ ἔχει τέλος, οὐκ οἶδε πέρας.

DVRAEVS, Fol. 259.

Aliud argumentum audiamus. Credimus (*inquis*) vitam æternam: ergo sine vlla hæsitatione certa nobis ac persuasa est. *Dic mihi Whitakere, credisne etiam mortem æternam? tam igitur mori tibi æterna persuasa est, quàm est vita æterna. Quis vnquam de sua in finem vsque perseuerantia absque peculiari Dei reuelatione certus esse potuit?*

WHITAKERVS.

47 Aliud est credere vitam æternam, aliud nos fore participes æternæ vitæ. Illud enim impij homines dæmonesq; credunt, hoc nulli nisi fideles sibi persuadere possunt. Qui verò electorũ fide, quam vocat Apostolus, præditi sunt, ij non modò credunt æternam vitam, sed etiam æternæ *Tit. 1. 1.*

vitæ hæreditatem ad se pertinere minimè dubi-
Rom.8.30. tant. Quos enim iustificat, eos etiam sine omni
controuersia *glorificabit*, vt Apostolus clarissimè
confirmat. Nulli verò iustificantur, nisi qui se iu-
stificatos esse intelligunt. Nam iustificati pacem
Rom.5.1. habent erga Deum, eamque sentiunt. Quòd ergo
nullis constare dicis de sua perseuerantia absque
peculiari Dei reuelatione, æterno Dei decreto
neruos incîdis. Nam prædestinatio Dei cùm
certa sit & immutabilis, certam quoque vocatio-
nem, iustificationem, glorificationem nostram
efficit. Túne enim illam Apostoli catenam aure-
am dissolues ac dirumpes? Et cui tandem su
perseuerantia dubia esse potest, cùm Deus suam
erga nos perpetuam beneuolentiam testetur? A-
Iere.32.40. pud Ieremiam Dominus ait, *Feriam cum ijs pa-*
ctum sempiternum & non desistam à benefaciend
Ioan.13.1. *illis*. Et Christum Ioannes ait *suos in finem dilige-*
Luc.22.32. *re*. Si ergo Dei pactum cum suis initum perpe-
tuum sit, & suos Christus in finem diligat, cer-
tam esse constat in fide perseuerantiam. Tum
quicquid Christus petijt, id proculdubio impe-
Ioan.17.20. trauit: petijt autem *vt fides suorum non deficeret*, i
21. ergo illius precibus concessum fuit. Et verò quo
sancti ex fide petunt, quis illos id accipere
negabit, cùm Christus promiserit, *Quæcun-*
Mat.21.22. *que in oratione petieritis credentes, accipietis*
sancti autem nihil ardentiore studio petunt
quàm vt possint in gratia perseuerare. Nónne
Rom.8.9. qui in Christum insiti sunt, in ijs Christi spiri-
Ioan.14.16. tus habitat? Spiritus autem sanctus non a
tempus, sed in æternum nobiscum manet

Qui

Quid multis opus est? Si fideles nunquam possunt è manu Christi eripi, vt Christus ait: Ioan.10.28.
si qui incepit bonum opus, perficiet vsque in diem Iesu Christi, vt Paulus ait: Si Dei do- Phil.1.6.
na sunt ἀμεταμέλητα, vt idem Paulus docet: Si Rom.11.29.
in renatis semen Dei manet, id est verbum Dei fide susceptum perseuerat, vt Io- 1.Ioan.3.9.
annes ait: Denique si Electi nunquam seduci Mat.24.24.
possunt, vt Christus clarè pronunciat, est omnino necessarium, vt qui vera fide præditi sunt, in eadem perpetuò persistant. Permitte nobis Duræe, vt his tam certis scripturæ testimonijs potiùs, quàm vestris opinionibus atque insomnijs assentiamur. Vestra quam iactatis, fides, nihil profectò aliud est, si his scripturis credendum est, quàm mera ἀπιστία.

DVRAEVS, Fol. 259.

Fides (*inquis*) quæ ab Apostolo dicitur ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων perpetua esse debet. *Quis vnquam dubitauit certissima esse, quæ creduntur omnia? Sed tuum erat Whitakere ostendere, singulos hac fide se in finem vsque perseueraturos credere debere. Paulus ipse quosdam fidei naufragium ac iacturam fecisse disertis verbis pronuntiat.* 1.*Timot.*1.

WHITAKERVS.

48 Non id quæritur, an quæ creduntur, sint certissima. Id enim dæmones ipsi certissimè norunt: & tu cùm vestram illam præclaram fidem non aliam esse statuas, quàm qua dæmones

excellunt, vos veræ fidei expertes esse confitemini. At illa fides, quam Apostolus laudat, quaque illi summi viri præditi fuerunt, quos prædicat, non tantùm credit vera esse in se Dei omnia promissa, quod dæmones faciunt, sed eorum se quoque fore participes sibi persuadet. Itaque & ὑπόστασις vocatur τῶν ἐλπιζομένων, quia iam fruitur per certam atque exploratam spem ijs bonis, quæ nobis in altera vita præparantur, & ἔλεγχος πραγμάτων οὐ βλεπομένων, quia nunc intuetur, quæ nostros oculos fugiunt. Tam ergo comperta est fidelium perseuerantia, vt se nunc in illarum rerum possessione versari putent, quas in altero demum seculo percipient. Hoc tu argumentum, vt omnes vires intenderis, nunquam tamen commoueris. Fides autem de qua Paulus loquitur in Epistola ad Timotheum, non fidem iustificantem, sed doctrinam sanam significat, cuius Hymenæus & Alexander naufragium fecerant. Ineptum est in verbi ὁμωνυμίᾳ nugari. Vera autem fides, quæ electorum propria est, nunquam amitti potest, quod ego me iam satis perspicuè arbitror docuisse.

Heb. 11.1. *&c.*

1.*Tim.*1.19

DVRAEVS, Fol. 260.

Dixit (*inquis*) Paulus, quis nos separabit à charitate Christi? *ergóne tantundem tibi dicere licebit? In prædestinatorum persona Paulus hîc loquitur.*

WHITAKERVS.

49 Paulus non tantùm de se, sed de alijs etiam

am fidelibus persuasus fuit, fieri non posse vt eos aliquid à charitate Dei separaret. Ait enim, *Quid nos separabit à charitate Christi? Persuasum habeo nihil posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu*. De prædestinatis igitur loqui Paulum fateor : nam alij quidem separantur. Sed hinc concludam, quod institui. Prædestinati non possunt à charitate Christi separari : Qui vera fide imbuuntur, prædestinati sunt, quod Apostolus docet, quando fidem vocat Electorum: qui igitur vera fide donantur, non possunt à Christi charitate separari. Nisi mentis caligine oppressus fuisses, facilè profectò hanc consequentiam præuidisses. Rom.8.35. 39.

DVRAEVS, Fol. 260. 261.

Pergis deinde: Ob hanc causam pignus nobis adoptionis datus est ipse spiritus sanctus, qui nobis certissimam fidem faciat esse nos Dei filios. *Cùm paulò antè dixeris ipsa nos fide certissimos fieri nos Dei filios esse, quid nouo iam pignore opus est? Et Paulus non adoptionis nostræ, sed hæreditatis pignus nobis esse datum dixit. Est enim charitas Dei diffusa in cordibus nostris, velut pignus quoddam vitæ æternæ, quod si tenemus, rem ipsam cuius pignus est æternam dico beatitudinem, amittere non possumus.* Ephes.1.

WHITAKERVS.

50 Pignore promissum confirmatur & sancitur: ergo qui spiritus sancti pignus acceperunt, de ipsa promissione non possunt dubitare. Si enim hæc in humanis negotijs firma sint, in rebus diuinis multò sint firmiora necesse est.

Deus nobis æternæ vitæ hæreditatem promisit: æquum ergo est, vt Deo promittenti fidem habeamus. Cùm autem hanc promissionem *arrhabone spiritus* confirmarit, omnẽ dubitationem sustulit. Neque est, quòd nimis imprudenter obijceas, nouo pignore nihil opus esse, si fides certa fuerit. Etsi enim fides per se certa est, quia Dei promissis nititur, tamen quando pignus etiam accesserit, multò certior euadit. Siue autem adoptionis siue hæreditatis pignus dicatur, in re nihil interest. Nam ad Romanos Apostolus vocat *spiritum adoptionis*: & ad Galatas ait: *Quoniam estis filij, emisit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem, Abba Pater.* Hoc autem pignus de charitate interpretaris, quod vt concedam, nihil omnino de causa deperdam. Si enim non tantùm fide, sed etiam charitate nostra certi sumus de æterna hæreditate, hoc multum confert ad nostram salutis πληροφορίαν. Quos enim Dominus ad hanc dignitatem & fælicitatem extulit, eorum mentes perpetuò erga Deum, & fratres amore inflammauit. Hic ergo amor nobis testimonio maximo esse potest, nos esse filios Dei, quia Deum & fratres amamus. Ita enim Ioannes ait, *Nos scimus nos translatos esse ex morte ad vitam, quia diligimus fratres.* Si scimus nos iam esse translatos, non igitur incerti sumus. Cur autem *spiritus promissionis* vocetur, non magnopere tecum contendam. Plures causas apud Thomam inuenies: quarum vna est, *quia facit certitudinem de promissa hæreditate:* quod cum Caluini mente quam tu reprehendis congruit.

Rom. 8. 15. Galat. 4. 6.

1. Ioan. 3. 14

Thom. in Ephes. ca. 1. lect. 5.

Tum

Tum rectè Thomas admonet, arrham potiùs, quàm pignus dici oportere, quia pignus redditur, postquam res debita recipitur: arrha autem datur de ipso precio, *quod non est auferendum, sed complendum.* Qui ergo spiritus arrham acceperunt, eam semper retinebunt.

DVRAEVS, Fol. 262.

Ridiculum verò est quod addis, Patrem verò quis Deum ausit appellare, qui se putat posse eius non esse filium aliquando? *Quid? Num quotquot Deum appellare patrem audent, illius se filios semper futuros certi sunt? Orationem Dominicam Christus omnes Apostolos docuit, ex quibus Iudas fuit.*

WHITAKERVS.

51 Ad Deum nulli possunt, tanquam patrem suum accedere, nisi qui sunt de illius paterna erga se voluntate certi. Qui enim dubitat, sitné illi futurus in perpetuum pater, non illum ex animo patrem vocat, sed tantùm simulatè. Electi autem in Dei paterna beneuolentia acquiescunt, illum esse patrem, se esse filios certissimè norunt, & penitus persuasi sunt, nihil interuenire posse, quod aut illum ex patre inimicum, aut se ex filijs alienos atque exhæredes reddat. Igitur hoc ipsum patris nomen certam atque æternam filiorum Dei hæreditatem arguit. Quanquam autem Deum multi patrem appellant, qui non sunt eius filij, falsò tamen illud nomen vsurpant: & oratione Dominica nulli

recte vtuntur, nisi quos Deus filios adoptauit. Quare quàm hîc tu ridiculè responderis, omnes perspiciunt.

DVRAEVS, Fol. 262.

Illud fortaße vehementiùs nos vrget, quod ais, Sanctis licet cum Apostolo profiteri, scimus nos ei futuros esse similes scientia certa, dubitare opinionis. *Sed dic obsecro, num quod sanctis cum Apostolo profiteri licet, idem tibi continuò licebit? Omitto quòd hunc locum fœdè mutilasti*, Scimus (*inquit ille*) quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus.

WHITAKERVS.

52 Si sancti sciunt se Christo similes fore, sciunt etiam necessariò se nunquam perituros. Qui enim pereunt, eos, opinor, non negabis esse Christo dissimiles. Nec est quod ineptè somnies,
1.Ioa.3.1.2. de se aut reliquis Apostolis loqui Ioannem, cùm palàm se illos omnes alloqui testetur, quos Deus tam eximia charitate complexus est, vt illos pro suis filijs susciperet. Loci huius sensus est, *Charissimi nunc filij Dei sumus, quod quanquam minimè apparet, scimus tamen cùm ipse patefactus fuerit, nos ipsi similes fore*. Itaque scientia huius temporis est, patefactio futuri. Nihil verò hîc mutilum est. Id enim nobis inuitus relinquas est necesse, fideles dum hîc viuunt, certò cognoscere quales in altera vita futuri sint, nempe Christo similes. Doce verò quemadmodum aliquis & scire possit se Christo similem futurum, & tamen de salute sua dubitare. Si enim scit se similē Christo futurū,

non

non dubitat: si dubitat, nescit an Christo sit futurus similis. Ita pòst Ioannes ait, *Scimus nos translatos esse ex morte ad vitam.* In quem locum sic scribit Augustinus, *Redeat vnusquisq; ad cor suum. Si ibi inuenerit charitatem fraternam, securus sit, quia transiit à morte ad vitam. Iam in dextera est:* quo nihil in te disertius dici potuit. Nam primùm illam Ioannis sententiam de quouis fideli interpretatur, deinde ex charitate fieri nos de salute certos ac securos confirmat. 1.Ioan.3. 14. August. in Epist. Ioan. tract.5.

DVRAEVS, Fol.262.

Nullis ergo hactenus diuinarum literarum testimonijs tuæ nobis perseuerantiæ certitudinem probare potuisti. Qui stat (*inquit Paulus*) videat, ne cadat. *Et ad Philippenses,* Cum timore & tremore vestram salutem operamini. *Et ad Hebræos,* Timeamus ne fortè relicta pollicitatione existimetur aliquis ex nobis deesse. 1.Cor.10. Ad Phil.2. Ad Hebr.4.

VVHITAKERVS.

53 Ego verò clarissimis sacrarum literarum testimonijs euici ac demonstraui certam esse sanctorum perseuerantiam, id quod innumeris præterea alijs, si opus esset, confirmare possem. Tuis verò his, quæ quasi postliminio introducis, breuiter respondebo. Primùm enim in comminationibus atq; exhortationibus, quæ communes sunt, videndum est quid cuique conueniat. In Ecclesia multi sunt, qui se falsa opinione fallunt, & cùm minimè stent, sibi tamē stare videntur. Ita enim Apostolus ait, *Qui sibi videtur stare,* 1.Cor.10.12 ὁ δοκῶν ἑστάναι.

 videat

videat ne cadat. Nihil te verò puduit tam celebrem locum corrumpere, idq́ue adeo vetere interprete reclamante? Deinde ipsi etiam sancti admonendi sedulò sunt, vt securitatem carnalem fugiant, Satanæ impetus præcaueant, in solicita cura perpetuò versentur. Hoc verò nihil impedit, quo minùs de salute sint interim certissimi.
Act.27. Etsi enim Paulus nauigans, haud quidem dubitauit an saluus atq; incolumis in terram euaderet, tamen nihil prætermisit, quod hominem de salute sua solicitum curare & facere oporteret.

DVRAEVS, Fol. 263.

A scripturis ad patres transilis. Primùm in acie Cyprianum sistis. Mori planè timeat, at qui ex aqua & spiritu sancto non est renatus: mori timeat, qui non Christi cruce ac passione censetur. *Quid hoc quæso ad rem? Chrysostomus*, non modò de datis inquit, sed etiam de futuris perinde atque de datis *πληροφορεῖσθαι χρῆ, vbi non de fidei sed de spei certitudine loquitur. Quid Augustinus?* Quia ergo non secundùm merita nostra (*inquit*) sed secundùm illius misericordiam firma est promissio, nemo debet cum trepidatione prædicare, vnde non potest dubitare. *In quibus verbis nihil est, quod causam tuam iuuet. Quid enim absurdius, quàm diuinarum promissionum certitudinem ad singulorum hominum perseuerantiam detorquere?*

WHITAKERVS.

54 Hæc istorum patrum testimonia breuiter à tuis calumnijs vindicabo. Quid enim attinet cùm certæ suppetunt scripturæ de hominum

iudicijs magnopere litigare? Cyprianus mortem nullis terribilem esse docet, *nisi qui gehennæ ignibus*, vt ipse loquitur, *mancipantur*. Quæ tu verba quamobrem prætermiseris, velim me certiorem facias. Si enim mortem nulli timent, nisi qui morti sempiternæ adiudicantur, qui mortem non timent, sed eam fide pleni oppetunt, certò sciunt se esse ab æterna morte liberatos. Chrysostomi vnum testimonium non attingis, in altero corruis. Spem enim fateris esse certam, non fidem: in quo spem nescis fidei esse fructum. Spes enim ideo certa est, quia nascitur ex fide, quæ Dei certis promissionibus nititur: Si ergo spem sanctorum certam esse concedis, fidem quoque certam esse non potes dubitare. Sed accipio, quod das: spes sanctorum certa: sancti autem vitam æternam sperant: sancti igitur vita æterna sine dubio potientur. Sed te id latêre non debuit, Apostolū in infidelitate disceptationem, in fide πληροφορίαν statuere. Augustini verò tam perspicua sententia fuit, vt te in miseras angustias compulerit. *Quid* (inquis) *absurdius, quàm diuinarum promissionum certitudinem ad perseuerantiam singulorum hominum detorquere?* Immo quid tua responsione fingi absurdius potuit? Non enim Augustinus docere voluit, Dei promissiones esse firmas, sed hinc concludere, quia Dei promissiones firmæ sunt, cùm non ex nostris meritis, sed ex Dei misericordia pendeant, nobis non esse dubitandum, quin Christus in nobis sedeat atque regnet. Qui verò Christum in se habet sedentem & regnantem,

Cyprian. de mortalit.

Rom. 4. 20. 21.

August. in psal. 88. con. 1.

nantem, ille meritò potest salutem sibi certam polliceri.

DVRAES, Fol. 263.

Hic more tuo exclamas, Augustinus totus noster est. *Vt nihil à te impudentius dici potuisse omnes intelligant, ex innumeris quæ apud eum passim occurrunt testimonijs, pauca delibare constitui.* Quis ex multitudine (*inquit*) fidelium, quamdiu in hac mortalitate viuitur in numero prædestinatorum se esse præsumat? *Et rursus,* Prædestinatio Dei etsi apud nos, qui dum in præsentis vitæ periculis versamur incerta est, apud illum tamen incommutabilis permanet. *Et alio loco,* Itaque vtrũ quisque hoc munus acceperit, quamdiu hanc vitã ducit, incertum est. *Ac rursum,* De vita æterna nemo potest esse securus, nisi cùm consũmata fuerit ista vita. *Et rursum,* Beati licèt de suæ perseuerantiæ præmio certi sint, de ipsa tamen perseuerentia sua reperiuntur incerti.

De correp. & gratia cap. 13. Ad art. sal. art. 12. De bono perseuer. cap. 1. Ibid. cap. 22. Lib. 11. de Ciuit. Dei, cap. 12.

WHITAKERVS.

55 Etsi malo tecum de scripturarum, quàm patrũ possessione contendere, tamen nihil adhuc video, quo minùs esse totum in hac causa nostrũ Augustinum penitus defendam. Nam hæc testimonia nihil aliud nisi summam in Augustino legendo negligentiam tuam demonstrant. Aut enim præsumptionem & securitatem improbant, quam nos etiam damnamus, aut de aliena prædestinatione loquuntur, quam nullis notam esse nisi illis ipsis qui prædestinantur concedimus. In postremo autem, quod omnium videtur

tur acerrimum, fraudem incredibilem adhibes. Augustinus enim eodem ipso in loco id apertissimè scribit, quod nos confirmamus. Adamum enim comparat cum quouis fideli, & quantum quidem attinet ad delectationem præsentis boni, illum in paradiso beatiorem fuisse, quàm iustum quemlibet confitetur, at quantum ad spem futuri boni, quemlibet illo beatiorem esse concludit: rationem autem adiungit pulcherrimam, *Beatior quilibet in quibuslibet cruciatibus corporis, cui non opinione, sed certa veritate manifestum est, sine fine se habiturum omni molestia carentem societatem angelorum in participatione summi Dei, quàm erat ille homo sui casus incertus in magna illa fœlicitate paradisi.* Quid potes luculentius desiderare? Adamo iusti beatiores sunt, quia Adamus incertus fuit de suo statu, iusti non opinantur, sed certa veritate cognitum habent se futuros sine fine beatissimos. De sua igitur perseuerantia incerti esse nequeunt. Quod ergo Augustinus ait, *Quis hominum sciat se in actione profectuq́; iustitiæ perseueraturum,* tu planè quid sibi velit, nescis. Non enim scire nullum posse dicit, sitné in fide perpetuò permansurus, sed an ita permansurus sit, vt nunquam *ab actione profectúque iustitiæ* abberret. Labuntur enim sæpius, qui prædestinati sunt: sed tamen in peccatis minimè iacent.

Aug. de Ciuit. Dei, lib. 11. cap. 12.

Quando autem me ex Augustino aliquid proferre cogis, pauca expromam ex illius libris clarissima testimonia. Et primùm illud quod in alio loco de Adami & iustorum conditione scribit in hunc modum: *Est in nobis per hanc Dei gra-*

Aug. de correp. & grat. cap. 11. & 12. *gratiam in bono recipiendo, & perseueranter tenendo, non solùm posse quod volumus, sed etiam velle quod possumus: quod non fuit in homine primo.* Et in proximo capite de eadem re: *Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantùm tale adiutorium perseuerantiæ datur,* (nempe vt perseuerare possint, si velint, quemadmodum Adamo datum fuit) *sed tale, vt eis perseuerantia ipsa donetur, non solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verùm etiam vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint.* Et pòst in eodem capite: *Ipse ergo eos facit perseuerare in bono, qui facit bonos: qui autem cadunt & pereunt, in prædestinatorũ numero non fuerunt.* Mittam alia multa, quæ in hãc sententiam apertissimè scripsit in hoc libro. Alibi sic habet: *De bono perseu. cap. 2.* *Timorem meum dabo in cor eorum, vt à me non recedant. Quod quid est aliud, quàm talis ac tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, vt mihi perseueranter adhæreant? Cur autem perseuerantia ista poscitur à Deo, si non datur à Deo?* Quare Augustinum esse totum, quandoquidem ita vis, in ista causa nostrum ex his manifestum est.

DVRAEVS, Fol. 264.

Homil. 61 in Cantic. *Ad extremum adducis Bernardum.* Turbatur conscientia, sed non perturbatur, quoniam vulnerum Dei recordabor. *Hoccine est de sua quempiam beatitudine certum esse?*

WHITAKERVS.

56 Si conscientia nunquam perturbatur, eam esse firmam ac certam sequitur. Qui enim in-

incerti sunt, facilè perturbantur. Certi autem nulli esse possunt, nisi persuasi fuerint, nihil posse contingere, quod Deum illis infensum faciat. Si enim Deum iratum sibi atque inimicum senserint, non modò perturbantur, sed penitus etiam de statu deturbantur. Quorum ergo conscientia nunquam perturbari potest, ij non modò certi sunt se à Deo amari, sed hunc amorem constantem & perpetuum fore minimè dubitant.

DVRAEVS, Fol. 264. 265.

Plura (*inquis*) non persequar. Fides aut est perpetua, aut est nulla. *Tibi ergo Whitakere, si Caluino ac Bezæ credimus, fides nulla est, cùm neque præcepta seruare te posse, neque bonum aliquod opus facere palàm profitearis: si Martyri, vel iacet sæpe, vel sopitur, vel aufertur. Sed tuum hoc, si placet, Euangelium cum Lutheri Euangelio coniungamus. Quid Lutherus?* Christianus, *inquit*, non potest salutem perdere, etiam volens, nisi nolit credere. *Quid tu? Christianus etiamsi velit, non potest fidem perdere. Fides enim aut perpetua est, aut nulla est.*

WHITAKERVS.

57 Nugandi nullum finem facis. Id tamen bene habet, quòd nunc à Caluino, & Beza, & Martyre fidem non nudam, aut mortuam, aut bonorum operum inanem, qualis vestra est, sed legis diuinæ studiosam statui fatearis: desine ergo insulsam tuorum calumniam defendere, qui bona opera despici à nobis, & contumelia affici clamant. Ego verò cùm publicano malim meam iniustitiam confiteri, & peccatorum ve-

veniã precari, quàm tecum illum superbum pharisæum imitari. Præcepta si seruabis, te seruabunt: at si te dicam præcepta seruare, certè mentiar: quid ergo tu ex præceptorum obseruatione speres, qui nihil minùs vnquam fecisti, quàm præcepta obseruasti? Nec mihi nunc succenseas velim, quòd de te, quem nescio, tam liberè iudicem. Illud enim Iacobi axioma cō-mune est, *In multis labimur omnes.* Qui verò in vno lapsus fuerit, *reus est omnium.*

Iaco.3.2. Iac.2.10.

Meum Euangelium cum Lutheri Euangelio coniungis. De Luthero respondi Campiano satis multa, quæ tu nunquam poteris diluere. Si non acquiescis, perge, quantum voles, Lutherum mordere, in quo te ipsum multò magis, quàm Lutherum lædes. Ratiocinationem enim tuam non attingam, qua nihil vnquam potuit futilius excogitari. Vbi verò Duræe, dixi, Christianum non posse fidem perdere, si velit? Itáne theologum & Iesuitam decuit nihil pudere? Non enim qui dicit fidem esse perpetuam, idem etiã affirmat, Christianum non posse fidem perdere etiamsi velit. At qui vult perdere fidem, is nunquam vera fide præditus fuit. Qui veram fidem habet, eam non vult perdere, sed perpetuò retinere, cùm id ei Deus dederit, vt & velit & possit. Cùm autem fidem esse perpetuam dico, quid quæso aliud dico, quàm quod patres olim dixerunt? Ambrosius ait, *Ergo neque fides vera est, si non sit perpetua, sed possit deficere.* Et in alio loco, *Quos præsciuit Deus aptos sibi, hi credentes permanent, quia aliter fieri*

Amb. in epist ad Rom. ca. 8

fieri non potest. Quin tu nunc Ambrosium verberas verbis & conuicijs tuis? Et Gratianus multis testimonijs probat charitatem nunquam amitti: charitas verò non potest à fide separari. Miror ni tuus etiam Gratianus malè mulctatus à te discedat. *De pœnitentia, dist. 2.*

DVRAEVS, Fol. 266.

Iam ad sacramenta veniamus. Duo (*inquis*) nobis tantùm sunt sacramenta. *Caluinus duobus vestris ordinem addidit. Lutherus ordinis loco pœnitentiam subrogauit. Spiritus Philippi Melanchthonis in singulos ferè annos sese mutauit. Philippus, Bucerus, & Ioannes Caluinus in Colloquio Ratisbonensi, anno 1541 septem esse sacramenta cum Catholicis confessi sunt.* De sacramentis. *In Capt. Babyl. Bucer. in act. coll. Rati.*

WHITAKERVS.

58 Ad sacramenta accedens id primùm tuis persuasum esse cupis, de numero nostros inter se pugnare. Itaque Caluini, Lutheri, Philippi, Buceri multiplices dubiasq; opiniones commemoras, cùm tamen nemo sit qui nesciat, hos omnes duo tantùm agnoscere Christianæ Ecclesiæ sacramenta. Quanquam enim interdum nomen hoc sacramenti latiùs, vt solet, adhibent, quando tamen appositè ac propriè loquuntur, non nisi duo, quæ Christus instituit, Baptismum & Cœnam, in sacramentis nostris numerant. Id potes ex ipso Luthero intelligere, cuius hæc verba sunt, *Propriè ea visum est vocare sacramenta, quæ annexis signis promissa sunt: cætera quia signis alligata non sunt, nuda promissa sunt.* *Luther. de Capt. Babyl.*

Quò fit, vt si rigidè loqui velimus, tantùm duo sint in Ecclesia Dei sacramenta, Baptismus, & panis, cùm in his solis & institutum diuinitus signum, & promissionem remissionis peccatorum habeamus. Cùm nomen variè sumatur, multisque rebus accommodetur: mirum non est hos præstantissimos viros de nomine minùs solicitos fuisse: quos tamen idem de re ipsa omnes sensisse constat.

DVRAEVS, Fol. 267.

Septem sacramenta esse nullum *ais* antiquitatis vestigium reperiri. ***Quasi nemo vnquam mortalium de hac re ve[rbum] verbum vnum fecisset, valdè tu hic petulanter exultas, & quàm non modò diuinarum scripturarum, sed omnis etiam antiquit[atis] rudis sis atque ignarus, satis ostendis.***

WHITAKERVS.

59 Nihil tu aliud, quàm maledicere didicisti. Num enim quenquam nostrûm nescire putas hoc pontificium de septem sacramentis commentum veteri Ecclesiæ ignotum atq; inauditum fuisse? Quin ergo profers aliquem patrem qui sacramenta Ecclesiæ nec plura, nec pauciora quàm septem enumerarit? Sin nullum potes reperire, quid tu antiquitatis vestigia iactitas, quæ nusquam apparent? Si enim olim in Ecclesia receptum fuisset, quod defendis, id aliqui profectò pater scriptis prodidisset: at nullu[s] omnino est ex tam multis qui hunc sacramento-

tum septenarium numerum confirmauit; Nec verò ante Hugonem de sancto Victore, & Petrum Lombardum hæc de numero sacramentorum opinió percrebuit, cùm Lombardus ipse qui Patrum testimonia diligenter collegit, hîc omnino nulla recitet. Concilium verò nullum extat antiquius Florentino, in quo hic numerus approbetur ac sanciatur. Hæc illa sunt præclara antiquitatis monimenta, quibus ista causâ defenditur. Cùm ergo vos omnis antiquitas palàm deficiat, ne me omnino rudem antiquitatis existimes, te nunc ad antiquitatem prouocabo. Euincam verò clarissimis patrum testimonijs veterem Christi Ecclesiam non nisi duobus vsam esse notis & perpetuis sacramentis. Clemens Romanus non nisi duo sacramenta numerat. Iustinus in Apologia duo tantùm commemorat. Tertullianus in libris contra Marcionem, & de corona militis, non nisi duo agnoscit. Cyprianus ait, *Tunc demum planè justificari, & esse filij Dei possunt, si vtroque sacramento nascantur.* Cyrillus Hierosolymitanus in Catechismis suis de duobus tantùm sacramentis scribit. Ambrosius librum ex instituto de sacramentis Ecclesiasticis scripsit, in quo duo solùmmodo sacramenta tractat. Augustinus ait; *Quædã pauca pro multis, eadẽq; factu facillima, intellectu augustissima, & obseruatione castissima ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina, sicuti est Baptismi sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini.* Iterum Augustinus; *Hæc sunt Ecclesiæ gemina Sacramenta.*

Clem. lib. 1. Recognit. Iustin. in Apolog. 2. Tertullian. lib. 1. & 4. contra Marc. & de Coron. Mill. Cyprian. lib. 2. epist. 1. Cyrill. Hierosol. Ambros. de sacrãm. Ecclesię. August. de doctrin. Christ. lib. 3. cap 9. De symb. ad Catech.

 Diony-

Dionyſ.de ecclesiaſt.hierarchia.
Gratian.1. queſt.1. Multi ſecularium.
Rabanus.
Paſchaſ. de cœn.Domini.
Beſſar.de ſacram.Eucharistiæ.

Dionyſius Ariopagita non pœnitentiam, non matrimonium pro ſacramentis agnoſcit, & vnctionem non infirmorum, ſed mortuorum celebrat. Gregorius Magnus non niſi tria ſacramenta ſtatuit, Baptiſma, Chriſma, Corpus & ſanguinem Domini. Chriſma autem ad Baptiſmũ pertinebat. Rabanus Maurus totidem ponit. Paſchaſius ingenuè ſcribit, *Sunt ſacramenta Chriſti in Eccleſiâ Catholica, Baptiſmus, corpus quoq; Domini & ſanguis.* Denique Beſſarion Cardinalis non eſt veritus confiteri, *hæc duo ſola ſacramenta in Euangelijs manifeſtè tradita legi.* His teſtimonijs duo ſacramenta comprobantur, ſeptem verò planè nullis niſi recentiſſimis nituntur. Et tamen tu nobis tuam antiquitatis ſcientiam venditas, noſtram ignorantiam exprobas. Sed quid humana teſtimonia perquirimus, cùm diuina ſint manifeſta? Nam Paulus diſertè docet Iſraëlitas re habuiſſe eadem ſacramenta, quę nobis Chriſtus tradidit. Nulla autem nominat niſi baptiſmum, & eſcam ſpiritualem. Atq; ex Chriſti latere omnia noui Teſtamenti Sacramenta fluxerunt, quemadmodum Auguſtinus multis in locis confirmat. Quinque autem ψευδώνυμα Sacramenta nullo modo poſſunt ex Chriſti latere deduci.

1.Cor.10.1. &c.

DVRAEVS, Fol.267.

Vt de Baptiſmo atque Euchariſtia nihil dicam, Ordinem Caluinus pro ſacramento agnoſcit: réſque ex ſcripturis aperta eſt, 1. Tim.4.& 2.Tim.1. Sic Auguſtinus, Sacramentum (*inquit*) Bap-

Baptismi est quod habet is qui baptizatur, & sacramentum dandi baptismi est, quod habet, qui ordinatur, &c. *lib. 1. contra Donat. cap. 1. Et rursus*, Explicent quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, & sacramentum ordinati possit amitti. *lib. 2. contra Parmen. c. 13.*

WHITAKERVS.

60 Impositionem manuum, qua olim vsi sunt in Ecclesię ministris instituendis, Caluinus approbat, tanquam sanctam & piam ceremoniam, quod nos etiam omnes libenter facimus. De ea enim Paulus præcipit, *Manus citò ne cui imposito*; ipsumque Timotheum monet, vt meminerit illius gratiæ, quam in manuum impositione acceperat. Hinc verò sacramentum Christianorum comminisci, cum omni iudicio pugnat. Primum enim constat in omni sacramento necessariam esse certam quandam externam, aspectabilem, corpoream materiam, quemadmodum in Baptismo & Cœna perspicimus. Ita Augustinus ait, *Accedat verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Quare in omni sacramento requiritur elementum. Ordinis verò nullum elementum est: ordo igitur non est sacramentum. Dum enim elementum in ordine quæritis, quid aliud quàm argutè & doctè desipitis? Deinde quæ propria sunt Ecclesiæ sacramenta, ea Christus instituit: Impositionem verò Christus non adhibuit, quando Apostolos elegit, & muneri Apostolico præfecit. Afflauisse quidem illis Christum legimus: manus illis im-

1. Tim. 5. 22.

August. in Ioan. tract. 80.

Ioan. 20. 22.

posuisse non legimus. Si verò tum Christus in animo habuisset, vt sacramentum Ecclesiæ perpetuum mandaret, hunc deinceps ritum Apostoli obseruassent, quem tamen nunquam ab illis vsurpatum esse intelligimus: Ordo igitur non est propriè sacramentum. Præterea sacramenta pertinent ad omnes Christianos, quia sunt sigilla noui fœderis, quod non cum certo quodam hominum genere, sed cum vniuersis Christianis sancitum est. Ordo verò hominum est paucorum: Itaque non est sacramentum. Denique cùm gratiam in sacramentis latêre fingant, & per sacramenta ad homines transmitti, ostendant quæ tandem pars huius sacramenti gratiam inclusam teneat. Quicquid dixerint capientur. De Augustino breuiter & verè respondeo, Ordinem ab eo dici sacramentum, communi quadam & lata huius nominis vsurpatione. Nunquam tamen Ordinem Augustinus sic esse sacramentum sensit, quemadmodum est Baptismus & Eucharistia.

DVRAEVS, Fol. 268.

Confirmationis Sacramentum ex Apostolorum Actis clarum [...]
Caluinus ait, Ex temporali perpetuum imperitè faciunt. *Quomodo ab immani sacrilegij crimine Caluinum vindicare po[...] tes? Vt enim veteris legis sacramenta non prius desierunt, qu[...] lex ipsa vetus finem acciperet, ita neque nouæ legis sacrament[...] prius desitura sunt, quàm Christi regnum ac Ecclesia in terris [...] fierit. Augustini sententiam silêre non possum.* Sacramentum (*inquit*) Chrismatis in genere visibilium signorum sacro[...] sanctum est, sicut ipse Baptismus. *lib. 2. contra literas Peti[...] c. 104. Et rursum tract. 6. in Ioannem. Eusebius quoque t[...]*

test[...]

...dis esse potest Nouatum hæresiarcham omnium primum hoc sa-cramentum reiecisse lib. 6. c. 35.

WHITAKERVS.

61 Verbum in Actis Apostolorum, aut in aliquo noui Testamenti libro nullum de Confirmatione reperitur. Manus Apostoli credentibus imponebant, vt dona spiritus sancti extraordinaria acciperent, quod nihil ad Ecclesiæ perpetuum sacramentum pertinet. Erant enim illa dona temporum illorum propria, nec istam mirificam diuinæ gratiæ in fideles effusionem ad mundi finem durare oportebat. Sed hic mihi Caluinus magno sacrilegio vindicandus est: imo tua potius insipietia coarguenda. Quis enim nescit quædam fuisse temporaria veteris legis sacramenta, veluti mare rubrum, nubem, manna, Petram, serpentem æneum, quæ penitus ante Christi aduentum desierant? Ita quid prohibet quosdam ab Apostolis ritus esse obseruatos in miraculis procurandis, quos nunc sublatis miraculis ineptum sit imitari? Si potes spiritum sanctum in eos conferre, quos confirmandos susceperis, idque tam manifesto argumento, vt omnes sentiant, signum etiam ipsum retine, & sacramentum voca. Sin illa dona non iam pendent ex hominis cuiusquam manibus, nullus rei vacuæ locus relinqui in Ecclesia debet. Tum cui obscurum est illam veterem impositionem manuum, qua Apostoli vsi sunt, in vnctionem con-

uersam esse, de qua nihil omnino in scripturis accepimus? Vbi enim Apostoli vnxisse illos leguntur, quibus manum imponebant, vt spiritum sanctum acciperent? Primùm ergo cùm nullum sit Christi de hac confirmatione mandatum, solus autem Christus suo verbo Sacramenta instituat, Confirmationem nullum esse sacramentum sequitur. Deinde sacramenta omnia sunt perpetua, Confirmatio nata est ex ceremonia, quæ solita est in extraordinarij & minimè perpetui doni administratione adhiberi. Tum huius sacramenti materia non illa est, qua Apostoli vsi sunt, cùm isti inungant quos confirmare volunt, Apostoli non nisi manum imposuerint. Præterea quibus Christus verbi annunciandi authoritatem tribuit, ijs etiam sacramentorum celebrationem commisit: nam sacramenta sunt verbi sigilla: Solis verò Episcopis licet confirmare. Postremò Alexander Halensis, & Bonauentura fatentur ingenuè sacramentum Confirmationis, vt est sacramentum, *neque à Domino, neque ab Apostolis institutum & dispensatum fuisse*, quia in scriptura non legitur, sed postea in Concilio Meldensi inuentum esse scribunt. His nempe oculi erant hebetiores, vt quod tu in Actis Apostolorum clarum esse dicis, nusquam in omni scriptura viderint. Et tamen hanc Chrismatis ceremoniam, de qua Augustinus & Eusebius meminerunt, non ignoro olim esse vsitatam. Verùm num illam Christus præceperit, & Ecclesiæ pro sacramento commendarit, quærimus. Tertullianus

Alexan. partit. 4. quæst. 24. membro 1.

Tertul. de baptis.

lianus autem & Cyprianus disertè testantur illam ex disciplina veteris Testamenti, non ex Christi mandato sumptam esse. Et istam vnctionem Basilius in traditionibus non scriptis reponit. *Cyprian. de Chrism. liber est supposititius. Basil. de spirit. sancto. c. 27.*

DVRAEVS, Fol. 269.

Extremam vnctionem esse sacramentum ex Iacobi Epistola apertum est. Chrysostomi ætate sacramenti huius vsum ordinarium fuisse obseruatum constat. lib. 3. de sacerdotio. Et Augustini ætate Prosper: Anima sacramento farris (*Eucharistiam intelligit*) & olei vnctione munita, secura expectat. *lib. 2. de prædict. c. 19. Et Innocentius,* Si infirmus aliquis in vobis est, vocet presbyteros Ecclesię &c. *Ad Decent. Episc. Engu. c. 8. Beda sua etiam ætate eandem in Ecclesia celebrem fuisse consuetudinem testatur. in c. 5. Iacob. Et Bernardus testis est non sua tantùm ætate sacramentum hoc apud omnes passim Christianos in vsu fuisse, sed & eximiam illius vtilitatem atque efficaciam insigni Deum miraculo comprobasse. In vita Malach.* *Iacob. 5.*

WHITAKERVS.

61 Si Tridētina decreta satis scires, sacramē[-]ti istius institutionem ex Marci potiùs Euangelio, quàm Iacobi Epistola peteres. Sed perinde est, quem tandem commentitij sacramenti authorem facias. Id quidem constat de re eadem & Marcum, & Iacobum loqui. Marcus ait, *Dæmonia multa eijciebant, vngebántque oleo multos ægrotos, & sanabant eos.* Iacobus ait, *Infirmatur quis inter vos? Accersat presbyteros Ecclesiæ, & orent pro eo, vngentes eum oleo in nomine Domini.* His autem verbis non perpe- *Marc. 6. 13.* *Iacob. 5. 14.*

tuum Ecclesiæ sacramentum præscribitur, sed extraordinariæ sanationis miraculum indicatur. Oleum enim symbolum erat valetudinis recuperatæ. Hoc vtantur, qui possunt ægrotis sanitatem precibus impetrare: qui non possunt, abstineant inani symbolo. Cùm enim symbola nisi res subsint, nihil valeant, illud autem miraculum, cuius hoc symbolum fuit, iamdudum nusquam extiterit, ipsum quidem symbolum necesse est esse otiosum. Quantum verò inter vestrum, & illud Apostolorum vnguentum intersit, ex eo perspici potest, quòd illi nullos inungerent nisi morbo liberatos, vos ferè nullos nisi quorum vita desperatur. Si enim remissionem peccatorum in vnctione consistere arbitraris, malè Iacobum intelligis. Hanc enim orationi, non oleo tribuit. Primùm ergo cùm ineptissimum sit ex symbolo αὐτοσχεδίῳ perpetuum sacramentum fabricari, deinde cùm nulla sacramenta Christus tradiderit, nisi publica, istam verò vnctionem priuatam esse constet; denique cùm sacramenta non nisi à legitimis ministris celebrari debeant, hanc autem vnctionem Innocentius Papa, vt ipsi tradunt, omnibus Christianis permiserit, non erit illa vnctio sacramentum. Quid plura contra rem nihili disputem? De patribus parùm laboro, quos tu tamen valde paucos habes. Sed fateor superstitiosum huius vnctionis morem diutius in Ecclesia, quàm oportuit, remansisse. Quanquam neque Chrysostomus, neque Prosper eam vocat sacramentum. Innocentij verò Epistolæ

Sigebert in Chronic.

epistolæ scis quantum tribuam: reliqua recensiora sunt.

DVRAEVS, Fol. 270.

Pœnitentiam sacramentum esse, quis nisi diuinarum literarum contemptor & hostis negare audebit? Quorum remiseritis peccata (*inquit Christus*) remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt: & quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata in cælis. *Ad quid enim claues ecclesiæ datæ sunt, ait Augustinus,* si nemo sua peccata confitetur? *Neque tu ignorare potes Nouatum iam olim ab vniuersa damnatum ecclesia, quòd vbi sanctam pœnitentiæ sacramentum negaret: cuius hæresim Ambrosius duobus de pœnitentia libris accerimè confutauit, & Pacianus Barcilonensis contra Sympborianum. Caluinus in remittendis peccatis clauium potestatem sustulit. Apud vos cùm nulli sint sacerdotes, quid mirum si nullum pœnitentiæ sacramentum habetis?*

WHITAKERVS.

63 De pœnitentia valde quidem exiliter remisseque disputas, nec causam ipsam & statum quæstionis attingis. Defuit nimirum tibi non voluntas, sed facultas. Cùm enim ex scripturis nihil adducis, vnde pœnitentiam esse ecclesiæ sacramentum intelligamus, tum ne patrem omnino aliquem in medium profers, qui de pœnitentia, tanquam de ecclesiæ genuino sacramento loquutus fuerit. Et tamen rem aggrederis tuo more confidenter: *Quis nisi diuinarum literarum contemptor & hostis negare audebit?* Nisi vos diuinas literas contemneretis, minùs certè laboraremus. Sed nunc diuinas literas, quas à nobis contemni criminaris, paulisper expendamus.

Christus

Christus ait, *Si quorum peccata remiseritis, remit-*
Iohan.20.23 *tuntur eis: si quorum retinueritis, retenta sunt.* Agnosco. Nam illa, quæ ex Matthæi 18. subiungis non possunt ad hanc causam pertinere, cùm Tridentini magistri hoc sacramentum à Christo post resurrectionem institutum esse decreuerint. Sed quænam hîc ostenduntur indicia sacramenti? Nullam materiam, nullam formam video qualem in omni sacramēto certam ac præscriptam esse oportet. Iubentur Apostoli & remittere peccata, & retinere. Quòd in ipso quidem verbi ministerio fit, dum credentibus reconciliatio, reliquis condemnatio denunciatur. Si quod hîc sacramentum fuerit, ipsum verbi ministerium esse sacramentum consequitur. Nam in ministerio non tantùm generales promissiones proponuntur, sed eæ etiam priuatim ad quemuis fidelem, quem anteactæ vitę pœnitebit, accommodantur. Non ergo claues tollimus, quas suæ Christus ecclesiæ mandauit, sed eas in verbi ministerio versari docemus, tum quando vniuersim declaratur, tum quando particulatim erga certos homines adhibetur. Nam istas claues non oportet à ministerio seiungi, aut à sacrifici cuiusquam arbitrio suspendi, cùm nullis peccata remittantur nisi credentibus, fides autem ex verbi ministerio nascatur.

Quod de Nouato narras, non ignoras quàm sit alienum. Damnatus ille est, non quòd pœnitentiam negarit esse sacramētum, sed quòd pœnitentię nullum locum peccantibus reliquerit. Itaque illius hęresim meritò Ambrosius & Pacianus

anus refellunt, eamque nos ex animo auersamur. Tolli verò à Caluino clauium potestatē vnde euincis? Num enim qui vestram fictam, futilemque absolutionem reijcit, omnem clauium potestatem tollit? Et vestros etiam vobis cum Absolutione sacerdotes non grauatè relinquimus. Sacerdotem enim noui Testamenti nullum nisi Iesum Christum agnoscimus, qui est ęternus sacerdos secundùm ordinem Melchisedechi: nec aliter de vestris sacerdotibus, quàm de aduersarijs Christi, eiusque sacerdotij hostibus iudicamus. Quare cùm pœnitentia ijs rebus careat, quę sunt in omni sacramento necessarię, elemento, & certa institutione, manifestum est non esse sacramentum. Quod enim tandem fingemus in pœnitentia elementum? Nam nec impositio manuum, de qua nihil Christus præcepit, nec contritio, confessio, satisfactio, vt plęrique statuunt, in elementis censeri possunt. Tum nullam Christus absolutionis certam rationem instituit. Deinde pœnitentia omnino eadem fuit veteris Testamenti, quæ est noui: nec Christus nouum aliquod pœnitentiæ genus pręscripsit: nec aliam Apostoli pœnitentiam suaserunt, quàm qua olim sancti ante Christum vsi sunt. Neque enim vetus ecclesia aut clauibus, aut potestate remittendi peccata caruit. Denique ad illam pœnitentiam, de qua Christus pręcepit in 20. Ioannis, non minùs ante Baptismum, quàm post Baptismum omnes inuitabantur: at pœnitentiam sophistæ docent nunquam esse sacramentum ante baptismum: Quare illis verbis Christus non instituit

ſtituit ſacramentum.

DVRAEVS, Fol.271.272.

Poſtremum in ſacramentorum numero eſt matrimonium, quo *ipſe Paulus ſacramentum appellat.* Sacramentum (*inquit*) ho magnum eſt: Ego autem dico in Chriſto, & in eccleſi *Cui enim niſi infideli dubium eſſe poteſt Chriſtianis coniugibus* *liberos Chriſto procreandos dum ſancto matrimonij fœdere copula* *tur, gratiam tribui? Veſtra coniugia profana eſſe vultis. Caluini v* *ſtri impudentiam mirari ſatis nequeo, qui neminem ante Gregor* *tempora matrimonium pro ſacramento ait agnoſcere. Auguſtin* *ait,* Bonum nuptiarum eſt in ſanctitate ſacramenti. *De bo* *coniu. cap. 24. Et rurſum,* Quia matrimonium ſacramentu eſt, diſſolui non poteſt.

WHITAKERVS.

64 Rectius dixiſſes nullum eſſe in numero ſa cramentorum matrimonium. Quid enim inepti us, quàm ex matrimonio facere ſacramentum Tamen hîc etiam tuę tibi ſcripturæ, patreſq; ſup petunt, de quibus breuiſſimè reſpondebo. Scrip turam vnam habes, eamq; præpoſterè intelle tam. Niſi enim neſcio quis tibi malus genius ọ́πi ἐξελάῖω, non matrimonium, ſed noſtræ cum Chri ſto coniunctionis vinculum dici ſacramentu id eſt, myſterium, facilè perſpiceres. Sic eni Paulus ſuam mentem interpretatur, *Loquor a tem de Chriſto, & de eccleſia:* atque ita Paulum ve teres interpretantur. Hanc autem mirificam myſticam cum Chriſto communionem noſtra matrimonio adumbrari concedo. An verò qu in matrimonio licet aliquam huius arctiſſimę ſ cietatis ſimilitudinem agnoſcere, proinde ſacra mentum eſſe ſtatuemus? Tum enim quot ſunt ſcri

Ephe. 5. 32.

scripturis parabolæ, tot erunt sacramenta. Christus ait, *Ego sum vitis, vos palmites.* Et alibi, *Simile est regnum cælorum fermento* : & sunt eiusmodi in scripturis innumeræ comparationes. Quid ergo impedit, quo minus, sacramentis abundemus? Sed matrimonium nusquam Christus iussit esse sacramentum, nec est in matrimonio externum aliquod elementum, nec præscripta in scripturis verborum forma. Tum institutum est matrimonium non in nouo Testamento, quemadmodum in sacramētis noui Testamenti requiritur, sed mox post hominem conditū in paradiso. Nec aliquid Christus ad primam illā institutionē addidit. Deinde veterum matrimonia nō minus erant spiritualis coniunctionis symbola, quàm nostra. Si ergo matrimonium propter hanc significationem sit sacramentū, veteris etiam Testamenti fuit sacramentū. Præterea Christi sacramenta non ita inter se pugnant, vt qui vnum sumpserit, altero vti nequeat. At ordinis sacramento matrimonij sacramentū excludi atq; elidi docetis. Denique scire ex te velim, num matrimoniū illud, quod nō fuerit à sacerdote celebratū, symbolum esse censeas illius arcanæ cum Christo nostrę communionis. Non potes id negare cùm verū sit, vt ipsi cōceditis, matrimoniū. At esse sacramētum Canus pernegat. Ergo causa sacramēti non in illius mysterij symbolo consistit. Postremò etiam me certiorem fieri cupio, quid de infidelium coniugijs censeas, quæ vester Eccius pro sacramentis agnoscit. Sed nunc ad tua redeamus.

Ioan. 15. 5.
Mat. 13. 33

Melch. Canus lib. 8. cap. 5.

Christianis (inquis) *coniugibus ad liberos Christo*

sto procreandos gratia tribuitur. Impius ergo Syricius fuit, qui coniugium impuritatis & turpitudinis condemnauit. Verùm si hæc ratio valet, tum etiam singulę munerum functiones, quas dominus instituit, erunt sacramenta. Nullam enim ab idonea & necessaria gratia desertam esse patitur. At sacramenta non doni alicuius particularis, sed vniuersalium de remissione peccatorum & reconciliatione promissionũ sigilla sunt. Quamobrem verò coniugia nostra vocas profana? quia non sunt sacramenta? Quasi quicquid sacramentum non sit, tanquam profanum haberi debeat. Nos cum Apostolo matrimonium esse *honoratum*, *& lectum impollutum* profitemur. Sed quanquam omnia sacramenta sunt sancta, non tamen sancta omnia sunt sacramenta, si propriè loqui de sacramentis volumus. Ad Augustinum venio, à quo coniugium dici sacramentum nemo nescit. Sed ita esse sacramentum quemadmodum est Baptismus, & Eucharistia, id verò Augustinus nunquam somniauit. Nam si erit legitimum & verum ecclesiæ sacramentum quicquid patres nomine sacramenti appellant, nullus erit sacramentorum numerus. Hoc autem nomine matrimonium Augustinus cohonestauit, quando eius dignitatem contra quorundam criminationes defendit: quòd in illo libro doctissimè ac sanctissimè fecit. Quare matrimonium esse sanctum & purum docet: & quia similitudo est, qua Christi atque ecclesiæ coniunctio significatur, sacramenti etiam nomen impropriè & latè sumptum illi tribuit.

Augustin. de bono coniugal.

DV-

DVRAEVS, Fol. 273. &c.

Nos (*inquis*) baptizamus, quemadmodum Christus præcepit, & veteres illas nescio quas sordes abiecimus. *Quas tu sordes appellas? Quis est antiquorum patrum, qui non & earum meminit, & ex ijs grauissima interdum alia fidei dogmata confirmauit? An tu Augustinum ignoras ex ijs qui in Baptismo adhibentur exorcismis infantulos in originali peccato nasci contra Deum demonstrasse? lib. 2. de nuptijs & concupiscentia, cap. 17. An Basilium cùm de spiritus sancti diuinitate disputaret, Eunomium hereticum confutasse? Basil. lib. de spiritu sancto, cap. 27. An Tertullianum cùm de corona militis dissereret, eos qui ad scriptum Dei verbum prouocabant coarguisse? Longum esset omnia hic patrum testimonia recensere. Vnum præterire Cyrillum Hierosolymitanum non possum, Catech. cap. 1. & Catech. 2. & Catech. 3. & Catech. 4. Plura de baptismi ceremonijs si fortè requiris, Dionysium lege Areopagitam, Tertullianum, Origenem, Cyprianum, Basilium, Chrysostomum, Augustinum, cæterosq́; patres qui sitim abundè tuam explebunt. Nos Whitakere non tantùm nobis tribuimus, vt patribus nostris, ac tota veteri ecclesia sapientores simus.*

WHITAKERVS.

65 Non equidem miror, si te pontificiæ sordes delectent: de quibus non institui tecum valde contendere. Facilè enim matris tuæ te præclaris mysterijs patior oblectari. Nec tamen veteres dixi à nobis sordes, sed vestras abijci. Quanquam enim nonnullæ ceremoniæ veteres sunt, tamen nec istæ olim tam sordidè atque impurè tractabantur, nec plerasque vestras vetus ecclesia celebrabat. Meâ verò non interest, quid Clemens, quid Leo, quid Damasus, quid quisquam alius pontifex ad baptismi sacramentum adiecerit.

rit. Christus ecclesiæ nihil de istis ceremoniarum nugis mandauit, nec in illis crebris, quos in scriptura legimus, baptismis vlla harum rerum mentio reperitur. Num verò putemus recentiorem ecclesiam melius perspectum habuisse, quibus in baptismo ceremonijs vti oporteret, quàm Christum eiusque Apostolos? Vbi autem Apostolorum aliquis in baptismo solitus est faccem, lineam cucullam, oleum, sal, flatum, sputum, lutum adhibere? Quas res diuinas diuinis versibus complexi estis, *Sal, oleum, Chrisma, cereum chrismale, saliua, Flatus virtutem baptismatis ista figurant. Hæc cum patrinis non mutant esse, sed ornant.* Immo non hæc baptismum ornant, sed fœdissimè conspurcant ac contaminant. Exorcismorum quidem frequentem in patribus fieri mentionem intelligo: sed eorum ea ratio fuit, vt naturæ nostræ vitium ostenderent, cùm in Baptismo erepti simus è Satanæ manu, *qui nos* captiuos tenuit per peccatũ. Huc igitur spectauit exorcismus, vt nos de peccato natiuo commoneret, qui quanquam fuit superstitiosus, vestro tamen longè incorruptior fuit. Sic enim vos infantulos vestris exorcismis excantatis, quasi dæmonum legionibus obsessi essent, quod impium & insanum est. Mirum verò non est si Pelagianos Augustinus hoc argumento refellat, cùm exorcismus inanis esset, si nullum in natura vitium hæreret. Illa enim Augustinus, si nescis, contra Pelagianos disputauit. Tertullianus autem illum de corona militis librum in Montani hæretici castris conscripsit, quem proinde

Augustin. de nupt. & concupis. lib. 2. cap. 18.

proinde mirum non est de tacitis traditionibus magnificè prædicare. Atque hic Montanus vos docuit in scripturis multa desiderare. De Cyrilli Hierosolymitani libris, quæ hominum opinio sit, satis, vt arbitror nosti. Si enim hæ κατηχήσεις conscriptæ sunt à Cyrillo, quod dubium est, eas tamen ab illo adolescente conscriptas esse Hieronymus testatur: *Hieron. in catal.* interim quid de illo Ruffinus scripserit, non commemorem. Quòd verò vos non esse patribus vestris sapientiores dicis, sic planè existimo. Si enim illi, quos patres vestros vocatis, reuiuiscerent, & vestras ridiculas anilesque [illegible]ίας recognoscerent, equidem vos non valde sapientes iudicarent.

DVRAEVS, Fol. 275. &c.

Si verus (*inquis*) nobis baptismus, vera est Eucharistia. *Cùm panis & vinum vobis Eucharistia sint (neque enim aliam Eucharistiam Christum in cæna dedisse creditis) nostram quoque vobis Eucharistiam relinquimus. Vbi Laici, quorum vos numero estis, Eucharistiam conficiendi potestatem aliquam à Christo acceperunt? Hanc Paulus per manuum impositionem, vt ex Actis Apostolorum constat, accepit: *Act. 13.* *1. Tim. 5.* *Tit. 1.* hanc ipse Tito ac Timotheo contulit. Pulchrè contra Luciferianos Hieronymus de quodam Hilario Diacono,* Hilarius (*inquis*) cùm diaconus de ecclesia discesserit, Eucharistiam conficere non potest. *Tertullianus veterum hæreticorum* *De præscript.* *morem fuisse scribit, vt etiam Laïcis sacerdotalia munera iniungerent. Vt alia prætercam, satis ecclesiæ catholicæ morem illud ostendit, quod in actis Alexandrinæ synodi de Ischyra legitur. Decimus quartus Niceni concilij canon instar omnium esse debet, vbi diaconis ne confectam iam Eucharistiam populo*

 exhi-

exhibeant interdicitur. Solo igitur baptismo, quem Laïci,ipseq; adeo mulieres dare possunt,contenti sitis.

WHITAKERVS.

66 Si nobis verus baptismus supereſt, quod tu cum Campiano,quia neceſſe eſt,fateris, veram quoque Euchariſtiam eſſe conſtat. Quid enim cauſæ eſt, quamobrem quod in baptiſmo agnoſcis,nō idem in Euchariſtia concedas, cùm Chriſti in vtroque mandatum ſimiliter obſeruamus? Eſt enim Baptiſmus nobis, qualē Chriſtus preſcripſit:eſt Euchariſtia nobis, qualem Chriſtus inſtituit. Quòd verò panem & vinum nobis Euchariſtiam eſſe dicis, & nos credere affirmas non aliam Chriſtū in cœna Euchariſtiā dediſſe, magnā nobis iniuriā, & immane conuicium facis. Panis enim & vinum non niſi alteram huius ſacramenti partem conſtituunt,quemadmodum cum antiquiſſimo Irenæo ſanctiſque primæ ecclesiæ Doctoribus docemus atque credimus. In Euchariſtia verò non has modò externas creaturas, ſed ipſum etiam Chriſti verum corpus & ſanguinem percipimus. Vobis autem nulla Euchariſtia eſſe poteſt,qui nullum omnino panem nullum vinum veſtra confeſſione ſumitis: vt interim de alijs innumeris Miſſæ ſacrilegijs hoc loco taceam.

De Laïcis quæ deinceps hîc commemoras planè ſunt ἀλίθια. Quis enim neſcit, neque Laïcis neque Diaconis concedi, vt Euchariſtiam conficiant? aut quid tam multis in hac cauſa teſti-

moni-

monijs opus fuit? Quanquam si Acta Apostolorum diligentiùs euoluisses, Paulum non Missæ conficiendæ, sed Euangelij gentibus annunciandi potestatem accepisse facilè intellexisses. Iubentur enim Antiocheni Prophetæ ac doctores Paulum & Barnabam separare εἰς ἔργον, i. *ad opus, ad quod eos Dominus aduocauit*. Nempe vocati proculdubio sunt, vt Missas vbique terrarum celebrarent, de quibus tamen nihil omnino legimus. Si verò causam quæris, quamobrem impositæ illis manus sunt, eam te Græcus scholiastes docebit ὥστε μετ᾽ ἐξουσίας κηρύττειν: hoc est, *vt possent cum authoritate prædicare*. Dimitti reliqua possunt, cùm nihil ad rem spectent. Non enim quæritur an Laïcis & diaconis liceat sacramenta administrare, quod nos etiam pernegamus. Sed te demonstrare oportebat nostros ministros esse laicos. Illud probas, quia facilè fuit: hoc omnino prætermittis, in quo status controuersiæ totus versatur. Sic causas tractant Iesuitæ. Id verò quod de laïcis & fœminis in conclusione ponis, nimis intolerandum est. Si enim nemo sibi honorem sumit, sed qui vocatur à Deo, quo modo isti ausint sine mandatis res sacras per summam temeritatem ac sacrilegium tractare? Nónne vos palàm hæretici estis, si credimus Tertulliano, cùm Laïcis, atque etiam, quod indignius est, mulierculis sacerdotalia munera permittatis? Christus nullis nisi ministris suis aut verbi annunciandi, aut administrandorum sacramentorũ authoritatem dedit. *Profecti* (inquit) *docete omnes gentes, Baptizantes eos*. Et Paulus ait, *Sic de nobis re-*

Act.13.2.

Oecumen. in Act.13.

Hebr.5.4.

Mat.28.19.

1.Cor.4.1. *putet homo, vt de ministris Christi, & dispensatoribus mysteriorū Dei.* Sed cùm vobis nec Episcopi, nec Presbyteri, nec Diaconi legitimi sint, mirum non est laicos etiam & mulieres in hæc munera sacrilegas & impuras manus intulisse.

DVRAEVS. Fol. 277.

Tu mihi ex Caluiniano repentè Catholicus factus videris. Baptismus (*inquis*) gratiæ est canalis, Christi merita in nos deriuat, neq; salutem duntaxat significat, sed etiam præstat atq; affert *Hic ne tuo Luthero & Caluino nūtium remittis? Minimè enim Caluinus in Baptismo vel gratiā, vel remissionem peccatorum* Instit. li. 4. c. 15 sect. 1.2 *nobis dari concedit: sed signum tantùm ac veluti sigillum esse, quo collata iam nobis gratia certi efficimur. Sed vereor ne in suscepta semel sententia non diu persistas. Quid enim est quod paulò pòst addis* Non confert baptismus gratiā ex opere operato. *Nihil hoc aliud est, quàm quod tua sponte confessus es, sacramenta non signa tantùm gratiæ esse, verùm etiam eam efficere ac præstare, esseq; instrumenta ad eum finē diuinitus instituta. Vanum ergo est, quòd dicis nos in sacramentis tanquam in aluo inclusam esse gratiam existimare. Nam vel ipse te diuus Thomas longè aliud docere potuisset.* [illegible] art. 3 Gratia (*inquit*) est in sacramentis nouæ legis, secundùm quandam instrumentalem virtutem. *Vbi vides gratiam in sacramento contineri, non tanquā in aluo, sed tanquā in instrumento*

WHITAKERVS.

67 Caluiniani nomē non agnosco, ne schismaticus tui similis videar: Catholicus sēper fui, si catholici idē nomen sit quod christiani. Nam quò tu me tibi repentè factum Catholicū videri dicis, equidē non ita sum huius nominis cupidus, vt tecum haberi Catholicus velim. Malo enim centies hereticus à te putari, quàm hoc modo Catholicus esse. Sed tuę ignorātiæ tribuendum est, quòd me in hac causa magis quàm Lutherū, aut Caluinum

uinũ, aut quenquã noſtrũm Catholicum eſſe ſuſpicaris. Quis enim vnquã eſt noſtrũm de baptiſmo aliter, atq; ego ſcripſi, locutus? Ineptum eſt quod neſcis velle reprehendere, in quo tu non nunc primùm peccaſti. Si tute noſtrorum libros legeres, nec falſis aliorum ſermonibus nimis futiliter crederes, minùs in tuis calumnijs refutandis negotij nobis faceſſeres. *Caluinus* (ais) *in baptiſmo nec gratiam, nec remiſſionem peccatorum nobis dari concedit.* At hoc, inquam, egregiè falſum eſt: nec tu vllam in tam infinitis Caluini voluminibus voculam inuenies, qua nobis in baptiſmo gratiam, & remiſſionem peccatorum, & Chriſtum cum ſuis beneficijs totum dari non concedat. Quæ enim ex inſtitutionibus à te afferuntur, nihil ſanè minùs, quàm tale aliquid euincunt. Nam ſi baptiſmus ſit ſymbolum noſtræ purgationis, inſtar ſignati cuiuſdam diplomatis, vt Caluinus loquitur, quod nobis peccata noſtra deleta eſſe confirmet, num hinc ſequitur non etiam dari nobis gratiam in baptiſmo & peccatorum remiſſionem? Quaſi non ſignato diplomate & detur aliquid, & datum confirmetur. Nónne verò Euchariſtia & dat nobis Chriſtum, & dari confirmat? Nónne in quotidiano verbi miniſterio nobis Chriſtus & datur & confirmatur? Imperitè ergo diſputas, non dari nobis in baptiſmo hęc dona, quia nobis in baptiſmo confirmantur, cùm hæc ipſa confirmatio donationem vberiorem indicet. Non ergo negamus in ſacramentis donari nobis grati-

am, ſed ita incluſam eſſe in ſacramentis gratiam, vt ex *Opere operato* ſacramenta gratiam conferant, id verò dare non poſſumus, quantumuis tibi, niſi demus, hęretici videamur. Sed tu hîc mihi repentè ex pſeudocatholico factus videris Chriſtianus. Si enim ſacramenta non contineant gratiam, vt in aluo, ſed tanquam inſtrumenta eam ad nos perferant, veteres ſophiſtæ nunc omnino à vobis deſeruntur & damnantur, qui gratiam in ſacramentis veluti emplaſtrum in pixide, aut ſanitatem in medicamento concluſerunt. Nam vt medicamentum pellit morbum, ſiue id credat qui morbo laborat, ſiue non credat, modò ſumat, ſic ſacramenta dixerunt gratiam conferre ſine fide & bono motu voluntatis noſtræ, modò nullum peccati mortalis obicem poneremus. Quid nunc ſentiatis me velim doceas: alios enim aliter de hac re iudicare video. Si Alani ſententiam amplecteris, eam ego minimè reprehendam. Sic enim ille de hac cauſa ſcribit, *Gratiam in anima hominis* Alan. de ſacram. c. 31. *Deus operatur per ſacramenta, tanquam per inſtrumentalem cauſam, non alia ratione, nec minùs verè, quàm homo dicitur ſcribere per calamum.* Scriptio verò non includitur in calamo, ſed calamo ad eam rem apto & inſtituto ſcribitur. Ita Deus per ſacramenta ſua, tanquam media & organa gratiam in nobis efficit: & tamen ipſa ſacramenta nullam in ſe gratiam includunt, quemadmodum calamus, vt Alani noſtri exemplo vtar, nullam profectò ſcripturam continet. Inſtrumētaliter igitur conferri gratiam in ſacramentis

conce-

concedimus, quia Dominus his medijs atque instrumentis vtitur, quibus seipsum nobis, suaque dona omnia communicat. Ita Petrus ait, *Baptizetur vnusquisq; vestrum in remissionem peccatorum.* Et Paulus, *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Et alibi, *vt Ecclesiam sanctificaret purgans lauacro aquæ per verbum.* Et rursum, *Sua misericordia seruauit nos per lauacrum regenerationis.* Et de Eucharistia, *Panis quem frangimus, nónne est communio corporis Christi?* Ita quàm sit Deus in sacramentis suis efficax, perspicimus. Et tamen sine fide nihil sacramenta valent ad salutem. Cùm enim sacramenta sint verba visibilia promissionum, vt loquitur Augustinus, fidem in nobis necessariò requirunt. *Sermo enim auditus non prodest, nisi cum fide nostra permixtus*, vt Apostolus docet. Itaque Augustinus disertè scribit, *vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat? Nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur.* Quare non aliter sacramenta gratiam continent, quàm ipsum Euangelium expositum & annunciatum. His enim instrumentis Dominus peræquè vtitur, nisi quòd quæ in verbo communiùs proponuntur, eadem in sacramentis particulatim ad singulos accommodantur. *Est enim Euangelium potentia Dei ad salutem omni credenti.* Quemadmodum autem magicum est in verbis & syllabis ipsis, aut hominum sono vim diuinam includere, quanquam spiritus sanctus per hoc medium nobis mortem meritumque Christi

Act.2.38.
Galat.3.27.
Ephes.5.26.
Tit.3.5.
1.Cor.10.16
Hebr.4.2.
August. in Ioan. tract. 80.
Rom.1.16.

efficacissimè proponit atque præbet, sic in sacramentis nulla virtus inhæret, etiamsi per sacramenta nobis Christus certissimè offertur & donatur. Hæc catholica est de sacramentis sententia : quam si tenes, tibi gratulor : sin minùs, hæresim tibi Catholicam tuam relinquo.

DVRAEVS, Fol. 278.

Cur eum loquendi morem in scholis sequamur, vt ex Opere operato *gratiam conferre sacramenta dicamus, paucis te docebo. Ex opere operato, hoc est, quatenus à Christo ipso mouentur, gratiam conferre dicimus, quem loquendi morem eò sequimur libentiùs, vt omnem sacramentorum vim non à ministri præstantia, neque illius qui sacramenta suscipit, dignitate, sed à Christo ipso, qui per ea operatur, pendere omnes intelligant. Vos Caluiniani siue de Christi sanguine, siue regno, siue sacerdotio vobis sermo sit, infima omnia ac illius maiestate indignissima redditis.*

WHITAKERVS.

68 Nihil est necesse, vt me hæc scholasticorum mysteria doceas: quæ sunt eiusmodi, vt occultanda potiùs, quàm diuulganda videantur. Et quidem satis constat Gropperum huius tam insulsi axiomatis puduisse. Itaque conatur scholasticos excusare, quasi nihil aliud senserint quàm sacramentorum veritatem non pendere ex dignitate ministri, aut ex fide suscipientis, quò minùs sacramenta verà sint, vtcunque homines vel malitia vel perfidia laborarint. Atque hęc tua videtur esse sententia, nisi

for-

forte sic suscipientis dignitatem interpretaris, vt sacramenta gratiam conferre statuas *propter exhibitionem signi foris exhibiti, sine motu interiore in suscipiente*, quemadmodum Biel ex scholasticorum sententia tradit. Sed tum in eam opinionem incidis, quam reprehendis. Etenim si sacramenta conferunt gratiam ijs, qui sacramentis vtuntur ex *opere operato*, hoc est, quantumuis ipsi homines qui sacramenta percipiunt, fide careant, quomodo hanc ad illos gratiam deriuari intelligemus, nisi gratiam in sacramentis tanquam in vasis includimus? Nam vt de infantibus minimè loquar, quorum dispar ratio est, sic omnino fides in sacramentis requiritur, vt qui sine fide accesserit ad sacramenta, non modò gratiam nullam acquirat, sed maximam gratiæ ac salutis iacturam faciat. Ita Paulus ait, *Probet seipsum homo; nam qui edit & bibit indignè, damnationem sibi ipsi edit & bibit*. Quod quanquam de cœna dicitur, non minùs tamen in baptismo valet. Et sacramenta Paulus alio in loco iustitiæ fidei sigilla vocat. Qui ergo fidei expers est, damnum accipit ex sacramentis, nedum gratiam & salutem impetrat. Sed vobis pietas in promptu est, modò non sis homicida, aut adulter, aut latro, aut flagitium aliquod animo conceptum admittere cupias, sacramenta ex *opere operato* te pium & gratia multiplice plenum efficient. Et verò, si vestra omnia oculis perlustrare volumus, totam hanc pontificiam religionem *in opere operato* consistere animaduertemus.

In lib.4.q.3 dist.1.

1.Cor.11.28 29.

Rom.4.11.

Quod

Quod autem hîc postremò adiungis, nihil aliud est nisi insulsum & ieiunum conuicium.

DVRAEVS, Fol. 279.

Vitio vobis Campianus vertit, quòd nihilò pluris Baptismum Christi, quàm Ioannis faciatis ceremoniam. Ceremonia (*inquis*) eadem, doctrina eadem, gratia eadem fuit. *At nemo vnquam Ioannis Baptismum gratiæ canalem dixit. Ioannes non baptizabat in spiritu sancto: Christus in aqua & spiritu sancto:* Math.3. *id quod ex scripturis sacris, & ex omnibus antiquis patribus perspicuum est: vt ne teipsum quidem quamuis ignarum latuerit.*

WHITAKERVS.

69 Multò magis Campiano & tibi vitio vertendum est, quòd Ioannis Baptismum nihil nisi nudam ceremoniam faciatis, quasi Ioannes id tantùm egerit, vt tanquam balneator aliquis multorum corpora ablueret. Christi nos baptismo nullam iniuriam facimus, si Ioannis baptismo, quod suum est, tribuamus: vos verò Ioannis ministerio partem præstantissimam detrahitis, quando ex illius baptismo gratiam omnem & remissionẽ peccatorum excluditis. Sed vestras contumelias scripturæ refutabunt, & Ioannis baptismum nec gratiæ nec remissionis peccatorum expertem fuisse clarissimè demonstrabunt. Qualis enim Ioannis doctrina fuit, talem quoq; baptismum fuisse constat: veram autem Ioannes pœnitentiam docuit, & peccatorum remissionem proposuit: ergo huius baptismus in vera pœnitentia susceptus remissione peccatorum minimè caruit. Itaque Lucas ait, Luc.3.3. *Venit prædicans baptismum resipiscentiæ in remissionem*

sionem peccatorum. Atque hoc est quod Petrus de baptismo Christi ait, *Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum*. Act.2.38. Tum qui baptizati à Ioanne sunt, ij peccata sua confitebantur: vera autem peccatorum confessio nascitur ex fide, & remissionem peccatorum impetrat. Marc.1.5. Deinde Ioannes quos baptizauit, eos in Christum credere docuit: qui vero in fide Christi baptizantur, ij peccatorum remissionem consequuntur: sic illi qui baptizati sunt baptismo Ioannis, dicuntur Deum iustificasse. Ioan.3.36 & Act.19.4. Luc.7.29. Huc accedit, quod ipse Ioannes testatur, eos qui ad ipsius baptismum venerant, id quæsiuisse, quemadmodum possent Dei iram imminentem effugere. Luc.3.7. Ioannis ergo baptismus Deum placatum reddidit, quod sine remissione peccatorum fieri non potuit. Denique Christus eodem baptismo tinctus est, quo nos. Ex his manifestum est Ioannis baptismum re eundem fuisse, quo noster est.

Verùm hîc à te aliquid obijcitur, quod breuiter diluendum est. Cùm enim Ioannes ait, *Ego baptizo vos aqua: qui venturus est vos baptizabit spiritu sancto & igni*, non id dicere voluit, Christi baptismum suo præstantiorem fore, sed docuit, quantum ipso Christus potentior esset. Math.3.11. Est ergo non rerum, sed personarum comparatio. Non enim Ioannes modò, sed ne Petrus quidem aut quisquam Euangelij minister conferre in eos spiritum sanctum potest, quos baptizat. Homines externum sacramentum præbent, mentes intus Christus spiri-

tu sancto purgat. Iam verò quid de Ioannis baptismo patres senserint, non laboro. Rem enim scripturæ satis perspicuè expediunt, vt non sit necesse patrum varias & incertas opiniones inquirere. Nec ignoro Augustinum palàm profiteri se non acturum pugnaciter, si quis in baptismo Ioannis dimissa esse peccata contenderit. Tu pugnas, vbi se pugnaturum negat Augustinus. Ita vetustis patribus noui sophistæ pugnaciores sunt. Quoniam autem præclaris versibus delectaris, cupio vt hos Prudentij senarios ediscas, in quibus sic de Ioannis Baptismo pius poëta cecinit,

August. contra donat. lib. 5. c. 11.

Hortator ille primus, & doctor nouæ
Fuit salutis: nam sacrato in flumine
Veterum piatas lauit errorum notas,
Sed tincta postquam membra defecauerat,
Cælo refulgens influebat spiritus.

Prudent. Cathemer. Hymn. 7.

Si ista non satisfaciunt desiderio tuo, apponam etiam sequentes alios, qui tuam proculdubio famem explebunt.

Hoc ex Lauacro labe dempta criminum,
Ibant renati non secùs, quàm si rudis
Auri recocta vena pulchrùm splendeat:
Micet metalli siue lux argentei,
Sudùm polito prænitens purgamine.

DVRAEVS, Fol. 280.

Quomodo qui baptismo Ioannis iam Baptizati erant, Christi rursum baptismo tincti sunt? sic enim Paulus, His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu. *Ac ne longior sim, si idem vterque baptismus fuit, cur non Pauli baptismus, vel Petri dici*

Act. 19.

potuit,

penuit, quem illi contulerunt, vt Ioannis baptismus, quem ipse contulit.

WHITAKERVS.

70 Tuis quæstiunculis breuis responsio sufficiet. Et primum nego duodecim illos viros, de quibus in Actis Lucas meminit, iterum esse baptizatos: quod tu etiam imprudens fateris. Si enim illa, quæ commemoras, Pauli verba sunt, vt dicis, non de illis Ephesijs intelligenda sunt, sed de populo, quem Ioannes baptizauit: quasi Paulus diceret, qui ad Ioannis baptismum profecti sunt, eos Ioannes in Christum venturum credere docuit: *illi autem his auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu.* Hæc horum verborum vera sententia est, quemadmodum orationis ipsa series demonstrat. Quare nihil hîc fuit, quamobrem patres alium esse Ioannis Christique baptismum existimarent. Et tamen Ambrosius, quando hunc locum tractat, vobis dupliciter aduersatur. Primùm enim ait istos duodecim, si rectè fuissent Ioannis baptismo initiati, rebaptizari minimè debuisse: in quo Ioannis baptismo nihil ad verũ & Christianum baptismũ defuisse confitetur. Deinde disertè scribit, *nec iteratum est in his baptisma, sed nouatum. Vnum enim baptisma.* Atq; illis Ambrosij verbis inductus Lombardus statuit rebaptizandos non fuisse, quos Ioannes ritè baptizaret, quanquam hîc censores Parisienses notarunt, *Magistrum non teneri*. Deinde ne longior sis, quæris cur Ioannis potiùs baptismus, quàm Petri, aut Pauli dici debuerit:

Act.19.4.5.

Ambros. de spirit. sanct. li.1.c.3.

Sent.4. dist.2.

rit: quod ego ne tibi moram faciam paucis exponam. Pauli aut Petri baptismus dici non potuit, quia Christi non hominum sacramentum fuit. Nec verò aliter Ioannis baptismus extitit, quàm quia baptismi Ioannes minister fuit. Sed quia Ioannes baptismo primus vsus est, cùm eum Dominus miserit ad baptizandum, totum illud Ioannis ministerium baptismi nomine vulgo vocabatur.

DVRAEVS, Fol. 280.

Sed vrget fortasse vehementius, quod addis, Si pœnitentia & peccatorum remissione Ioannis baptisma minimè caruit, non video cur tantopere à Christi baptismo alienum existimetur. *Quis vnquam à Christi baptismo Ioannis baptisma alienum dixit?*

WHITAKERVS.

71 Sic te quidem hoc argumentum vrgebat vt nihil reperire posses, quod responderes. Cur enim quod tuam explicationem flagitabat, non attingis? Ioannis baptismus fuit pœnitentiæ, hoc est, regenerationis sacramentũ, quemadmodum scriptura testatur: ergo remissionem peccatorum contulit. Vbicunq; enim vera pœnitẽtia & peccatorum confessio extiterit, regeneratio locum habeat est necesse. Qui verò regenerantur, peccatorum remissionem accipiunt. Alienum autem verè dicitur, quod toto genere aliud est, quemadmodum vos de Christi & Ioannis baptismo iudicatis. Cùm enim illum baptismum, quem Ioannis celebrauit, prorsus diuersum ab eo esse defenditis, quem Christus instituit, nón

n

æ Ioannis baptiſmum à Chriſti baptiſmo alienum facitis ?

DVRAEVS, Fol. 280.

Sed quid eſt (*inquis*) quod patres etiam ipſi quærunt, cur Chriſtus qui nulla regeneratione opus habuit, ad Ioannis baptiſma acceſſerit, niſi illius baptiſmum ad regenerationem valuiſſe iudicarint. *Quærebant patres, cur ad baptiſmum Ioannis Chriſtus accederet, quòd baptiſmus ille ad regenerationem præparabat, qua præparatione Chriſtus minimè egebat.*

WHITAKERVS.

27 ξηρὸν φάρμακον. Sed quod dicitur ſine ratione, facilè poteſt ratione dilui. Nam ſi Ioannis Baptiſmus homines duntaxat ad regenerationem pręparabat, nec aliquid præterea valebat, nihil opus erat tam ſolicitè quærere, cur Chriſtus ad Ioannis Baptiſmum acceſſerit. Sic autem de Ioannis Baptiſmo, quemadmodum de circumciſione quærunt, quamobrem Chriſtus cùm eſſet puriſſimus, & circumcidi & à Ioanne Baptizari vellet. Chryſoſtomus autem ſic reſpondet, *Nō vt ipſe remiſſionem peccatorum acciperet per Baptiſmum, ſed vt ſanctificatas aquas relinqueret poſtmodum baptizandis.* Vbi non de præparatione, ſed de remiſſione peccatorum loquitur. Sic Auguſtinus, *Saluator ideo baptizari voluit, non vt ſibi mundiciam acquireret, ſed vt nobis fluenta mundaret.* Sic ergo patres de Ioannis baptiſmo ſcribunt, quaſi peccatorum remiſſionem & ſanctimoniam contulerit. Sed quid hominum opinio-

Chryſoſ. in 3. Matth.

Auguſt. in cat. aur. in 3 Matth.

nes consectamur, cũ scripturæ satis apertè loquatur? Si enim Ioannis baptismus in corporis tant ablutione versatus est, cur Christum Ioannes ips repulit à baptismo? Sic enim Euãgelista scribit, *Io-*
Matth.3.14 *annes obnixè prohibebat eũ dicens, Ego necesse habe à te Baptizari, & tu venis ad me?* Cur Christũ nol let externa quadam aspersione perfundere, nih fuit: sed cùm sciret Christũ nulla peccatorum re missione indigere, id sibi existimauit nullo mod faciendum, vt Christum omnino baptizaret. Qu autẽ tam cæcus est, vt hîc non videat de remissi one peccatorum, & interna spiritus sancti grati verba fieri?

DVRAEVS, Fol.281.

Cãpianus vobis obiecit, si habeas, rectè: si careas, nihil dam crede, & saluus eris, antequam abluare. Non ita loquim (*inquis*) vt fingis: tamen minimè putamus Baptismum e ad salutem ἁπλῶς necessarium. *Quid? si sine baptismo salut infantes assequi æternam possunt, an non vestro iudicio, quòd ba tismo careant, nihil illis damni est? Longè Christus aliter*, Nisi qu renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non poterit intra in regnum Dei. *Vt patres alios prætermittam, Augustinum au* Quisquis dixerit (*inquit*) quòd in Christo viuificabuntur tiam paruuli, qui sine sacramẽti perceptione de vita exeu hic profectò & contra Apostolicam prædicationem ven & totam condemnat ecclesiam.

WHITAKERVS.

73 Baptismum Christianis necessarium ess concedimus, non absoluta quidem necessitat sed ex hypothesi. Neque enim ita cuiusquam sa lus pendet ex baptismo, vt qui antè moritur, qu ad baptismum peruenerit, spem salutis amiseri

Han

Hanc opinionem vt impiam & inhumanam explodimus. Quis enim dixerit Iudæorum infantes ante octauum diem extinctos perijsse? Quod quia Lombardus sensit, à suis reprehenditur. Aut quis nescit baptismum olim fuisse à multis ad extrema vitæ tempora dilatum? Quod nunquam illi fecissent, si baptismum omnino & simpliciter necessarium statuissent. Quare qui nunc infantes ante baptismum morientes à vita excludunt, contra scripturas, contra Dei misericordiam, contra antiquam consuetudinē loquuntur. Valentinianum Ambrosius affirmat gratia baptismi haud quaquam caruisse, etiamsi ipso baptismo priuatus fuerit. Ergo baptismus externus non est omnibus omnino ad salutem necessarius. Atque hoc est quod sententiarum magister docet, *gratiam Dei non esse alligatam sacramentis*. Alligatur autem sacramentis, si salus sine sacramentis deperditur. Quanquam autem dicimus sine baptismo infantes salutem consequi, quos nempe Dominus ad vitam prædestinauit, non tamen inutilem esse baptismum sequitur. Est enim externum adoptionis pignus, quo nullus pius careret lubens velit. Si verò careat, modò ad Dei æternam electionem spectet, perire non potest. An tu verò cuiusquam infantem non pertinere ad Dei electionem, neque esse in numero prædestinatorum concludes, quia illum mori Dominus ante baptismum voluit? Si facias, audax, & temerarius, & impius meritò habearis. *Sed Christus*, inquis, *longe aliter, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non poterit intrare in*

Sentent. 4. dist. 1. L.

Ambros. de obitu Valentin.

Ioan. 3. 5.

in regnum Dei: quaſi id Chriſtus ſenſerit, ſine ex-
terno baptiſmo nullum in cælos cuiquam adit[um]
patêre. Quin ergo etiam illum Latronem, quem
Chriſtus mox futurum in paradiſo affirmauit, d[e]
cælo detrahis? Non enim renatus fuit ex aqua
vt tu aquam interpretaris. Sed qui locum vn[um]
cum alio comparant, aquæ nomine, nihil aliu[d]
niſi ſpiritum ſanctum ſignificari perſpicient. I[n]
Chriſtum Ioannes baptizaturum dicit *ſpiri[tu]*
Matth. 3. 11. *ſancto & igni*: vbi ignis incredibilem in purga[n]-
do vim ſpiritus ſancti indicat. Atque eo mo[do]
hîc ſpiritus ſanctus aqua nominatur, vt eius
abluendo vis oſtendatur. Exuri enim & abl[ui]
noſtræ naturæ vitia debent, quod vtrumq[ue]
ſpiritus ſanctus præſtat. Si quid ergo hæc ſibi
qua velit, intelligere cupis, recognoſce quid
proximo capite Chriſtus Samaritanæ muli[eri]
reſpondeat. *Si ſcires quis ſit qui dicit tibi, Da m[i]-*
Ioan. 4. 10. *hi potum: tu petiiſſes ab eo & dediſſet tibi aquam [vi]-*
uam. Hæc aqua omnibus qui renaſcuntur, n[e]-
ceſſaria eſt. Auguſtinus verò quem citas, n[on]
baptiſmum modò, ſed Euchariſtiam etiam inf[an]-
tibus neceſſariam eſſe ſenſit: in quo ne tu q[ui]-
dem illum potes excuſare. Quid ergo no[bis]
non deſinis quos ſcripturis refellimus, patru[m]
errores obiectare? Sic certè nunquam, mihi c[re]-
de, vinces.

DVRAEVS, Fol. 281.

At Dei (*inquis*) clementia nullis alligata eſt ſacrame[ntis]
quo minùs ſine vllis ſeruare poſſit, quos perire nolit. Q[...]

... sine baptismo paruulos seruare posse negat? Suam volunta-... satis declarauit cùm ait, nisi quis renatus,&c. *Cùm omnes ... iræ filios nasci Paulus testetur, si nullum huic tanto malo ... literis aliud à Baptismo remedium diuinitus datum vi-..., quid superest nisi vt qui sine baptismo ex hac vita exce-..., eiusdem in qua nati sunt, iræ filij moriantur?* Ioan.3.

WHITAKERVS.

74 Ex nullis scripturæ verbis intelligimus ... esse Dei voluntatem, vt qui baptismo ca-... perpetuò pereat. Si enim de voluntate ... constaret, nullum de potentia verbum fa-... ceremus. Cùm autem nusquam dixerit, se illos ... perire velle, qui ante baptismũ moriuntur; quin ... eos sine baptismo seruare possit, non est dubitan-... dum. De his Christi verbis multa diximus, quæ ... maximè essent de baptismi sacramento inter-... pretanda, ad nullos tamen nisi adultos pertine-... rent. Venio nunc ad Paulum, & nasci omnes iræ ... filios fateor, sed quòd nullo modo nos eripi ex ... hoc misero statu nisi per baptismum assumis, fal-... sum esse affirmo. Nam spiritus sanctus non tan-... tùm in sacramentis, sed etiam sine sacramentis ... nobis dona impartitur. Et Paulus liberos san-... ctorum sanctos esse docet. Cùm ergo scires hoc ... multis confirmationibus indigere, miror te ... nullas saltem fingere voluisse. Ephes.2.3. 1.Cor.7.14.

DVRAEVS, Fol. 282.

Vrges tamen Dei promissionem, quæ Abrahæ facta est, Ero De-... us tuus, & seminis tui post te. *Vos quid aliud quàm De-...*

um quod promisit minimè præstitisse dicitis, cùm Abrahæ sem per vniuersum orbem defecisse contenditis. Nec minus absurd est, quòd fidelium filios ipso originis iure ad Abrahæ semen pe nere contendis. Non aliter nos Abrahæ semen ac filij quàm per fi esse possimus, vt non quia fidelium filij, sed quia Christo per fi insiti in semine Abrahæ censeantur. Etenim si quis non ali causa semen Abrahæ dicendus est, quàm quòd fidelibus sit na parentibus, nimium profectò multi ab hac benedictione, quæ om bus gentibus promissa est, erunt excludendi: quod certè parado adeo Caluinus probauit, vt minimè baptizandos infidelium pu affirmarit in 9. Antid. I. Paris.

WHITAKERVS.

75 Deus se Abrahæ, eiusque posteris prom sione obstrinxit, cuius etiam promissionis sac mentum illis in Circumcisione reliquit. Qua uis ergo circumcisio defuerit, Dei tamen p missio, qua se illorum fore Deum spopondit, n potest euanescere. Cùm ergo inclusi sint in D fœdere, illorum salus ex Dei promissione, no symbolo externo promissionis pendet. Ita circumcisio in solitudine per annos quadragi intermissa est, quod maximo argumento esse p test, in sacramentis ipsis nullam salutis part includi. Vbi igitur sacramentorum co præripitur, ipsa promissio per se sufficiet, vt ad Dei internum fœdus pertinent, ex sacrame iactura nullum damnum accipiant. Cùm n inuenias quod respondeas, ad duo conuicia grederis. Primùm enim ais nos contend semen Abrahæ per totum orbem defecisse, qu quia omnes norunt esse falsum, prætermitta Deinde me dicere affirmas fidelium filios i

origi

[ori]ginis iure ad Abrahæ ſemen pertinere, quaſi [...]tiam, quicunque ex pijs parentibus naſcun[tur], eos genuinos eſſe Abrahæ filios: quod mihi [nu]nquam in mentem venit. *Non enim qui filij car[nis], ij filij Dei*, quemadmodum Apoſtolus docet. Rom.9.8. [I]d verò dico qui ex ſancta ſtirpe procreantur, [q]uia in ipſo Dei fœdere comprehenduntur, & [pr]omiſſio vitæ æternæ ad illos pertinet, quantũ[uis] externo ſacramento ſine ſua culpa careant, [n]ihil tamen eſſe de illorum interitu pronuncian[du]m. Fieri enim poſſe vt ſine ſacramento vi pro[mi]ſſionis ſeruentur. Contra hanc ſententiam ni[hi]l quidem affers, aut omnino afferre potes. Id [ta]ntùm ais, nos fide fieri ſemen Abrahæ, id eſt, vt [tu] interpretaris, baptiſmo. Niſi enim fides aut [ba]ptiſmus ſit, aut ſine baptiſmo eſſe nequeat, [qu]omodo Abrahæ filium ſine baptiſmo fieri [nu]llum poſſe perſuades? At quis neſcit fidem [po]ſſe in mentes noſtras ſine baptiſmo infundi? Ita [di]cis aliquid, ſed vt ij ſolent, qui quid dicant, pa[ru]m attendunt. Poſtremò ludis in ὁμωνυμίᾳ voca[bu]li. Infideles enim dicuntur, aut qui prorſus à [fi]de re alieni ſunt, vt Turcæ, Iudæi, Ethnici, aut [qu]i in Eccleſia locum tenent, ſed vera fide ca[re]nt. Illorum liberos Caluinus meritò & verè [ne]gat eſſe baptizandos: iſtorum nihil minùs.

DVRAEVS, Fol. 283.

Deſine tam impiæ hæreſis Bernardum facere aſſertorem. Non de [in]fantibus loquitur, ſed de ijs qui iam fide imbuti, ne Baptizari poſ[si]nt, immatura interdum morte præueniuntur. Hæc enim de

causa ad eum Hugo Epistolam scripsit. Ita Ambrosius in ob Valentiniani. Et Augustinus lib.4.contra Donatistas,ca.22. Q verò Bernardus de fidelium infantibus, qui sine baptismi sac mento ex hac vita excedunt, senserit, disertis sanè verbis ea Epistola expressit. Sanè *(inquit)* infantes, quia hanc pro bente ætate non possunt habere fidem, hoc est, cordis Deum conuersionem, consequentur nec salutem, si abs baptismi perceptione moriantur.

WHITAKERVS.

76 Ergo tua opinione hæretici sunt, qui p uulos antequam baptizantur, morientes n mox in barathrum detruserint, & de illis peni actum esse conclamarint. Apage verò, atque h crudelitatem tuis Catholicis serua. Bernar multò sanctiùs mitiusque sensit, non car baptismo, sed contemnere baptismum esse ca tale, quod ille quidem copiosè ac piè dispu Tu Bernardum de infantibus loquutum esse gas, quod quàm modestè vereq; dixeris, ex ips pistola dijudicemus. Sic autem scribit, *Quis ciat & alia præter baptismum contra originale pec tum remedia antiquis nō defuisse temporibus? A hæ quidem & semini eius circumcisionis sacram tum in hoc ipsum traditum est. In nationibus quotquot inuenti fideles sunt, adultos quidem fid sacrificijs credimus expiatos: paruulis autem et solam profuisse, immo & sufficisse parentum fid* His verbis perspicuè fatetur paruulis ante Ch stum solam sine sacramentis fidem parent profuisse ac sufficisse. Num verò post Christ

Bernard. ad Hugon. Epi. 77.

fact

factam esse deteriorem paruulorum sortem existimemus? Itaque concludit Bernardus hoc præceptum ad eos tantùm pertinere, ad quorum potuit notitiam peruenire, his verbis: *Sed ex eo tempore tantùm cuique capit antiqua obseruatio non valere, & non baptizatus quisque noui præcepti reus existere, ex quo præceptum ipsum inexcusabiliter ad eius potuit peruenire notitiam.* Mittam alia: ex his licebit tuam fidem agnoscere, quod multò magis fieri potest ex ijs, quæ mox è Bernardo adducis. Quod enim ille ἐκ τοῦ ἀσυμφόρου atque ex absurdo conclusit, id tu sic proponis, quasi suam his verbis sententiam Bernardus exposuisset.

DVRAEVS, Fol. 284.

Forsitan credunt (*inquis*) infantes, quamuis hoc non sentiunt. *Quin potiùs clarè ac apertè responde. Si nulla in infantibus fides est, facessat noui vestri Euangelij dogma, sacramenti vim omnem à suscipientium fide pendere. Verbũ enim promissionis, quod non nisi fide apprehenditur, vt docetis, est verbum sacramenti, sine quo ne esse quidem sacramentum potest. Cùm ætate Augustini quidam credere infantes dixissent, non tantùm se hominum ingenijs diffidere August. respondit, vt in tam insano errore refellendo sibi diutius immorandum duceret.*

WHITAKERVS.

77 De fide paruulorum non aliter sentio, quàm semper Ecclesia docuit. Campianus verò malè conclusit paruulos carere fide, quia viuant, nécne, nondum intelligunt. Non enim vitæ expertes sunt, quia vitæ sensu carent. Nec tamen in

ea vnquam opinione fui, quam tu mihi affingis, vt credere infantes iudicarim, cùm id nec scriptura doceat, nec ratio suadeat. Iam ergo quod quæris apertè respondebo. Nego id nostrũ dogma esse, quod nobis tribuis, vim omnem sacramenti à fide suscipientium pendere. Adultis quidem nisi propriam fidem attulerint, sacramentum est, sed non est salutare sacramentum: paruulis verò quia fidelium parentum liberi sunt, atque in fœdere includuntur, etiamsi adhuc credere propter ætatem non possunt, est tamen salutis sacramentum. Quanquam enim in sacramentis fides requiritur, quæ promissionis verbum amplectitur, eam tamen fidem in ipsis infantibus versari, quibus sacramentum præbetur, necessarium non est. Nam circumcisio, quam
Rom.4.11. Apostolus iustitiæ fidei σφραγῖδα vocat, quæq; sine verbo promissionis nihil valere potuit, tributa est infantibus, quos ipsi credere non putatis. Quanquam in ipsis etiam infantibus efficacem esse occulto miroq; modo spiritum sanctum, nulli dubium esse potest. Id enim illa exempla com-
Gen.25.26. probant, quæ de Iacobo, Iudæ filijs, Ieremia, Io-
Gen.38.29. anne Baptista, multisque alijs legimus. Rectè
Ierem.1.5. Augustinus, aut quisquis illum librum scripsit:
Luc.1.15. *Non excusat paruulos à culpa, quia eam non norunt,*
August. de spirit. & anima. c.42. *nec excludit gratiam ab eis, quia eam nesciunt. Quæris in eis culpam, inuenis ex carne traductam: quæris in eis gratiam, inuenis à Deo collatam.* Si hanc esse nostram sententiam nesciebas, quis tuam leuitatem non accuset, qui contra ignotas opiniones Andabatarum more dimicas?

DVRAEVS,

DVRAEVS, Fol. 285.

Cupio (*inquis*) de fide paruulorum, quid ipſe ſentias, cognoſcere: gratiam opinor illis concedes: baptiſmus enim gratiam confert. An fidem non dabis? *Quid ni, vt hoc tuum argumentum ex D. Thomæ commentarijs clam ſurripuiſti, illius etiam reſponſionem ſubiungis?* Dixerunt quidam (*inquit*) antiqui, quòd pueris in baptiſmo non dantur gratia & virtutes: cauſa autem erroris fuit, quia neſcierunt diſtinguere inter habitum, & actum.

WHITAKERVS.

78 Non potes hac reſponſione Campianum defendere. Si enim nulli fidem habent, niſi qui ſe fidem habere ſentiunt, quẽadmodum ille diſputauit, nullam paruulis, nec quidem poſt baptiſmum, fidem relinqui manifeſtũ eſt. Nam fidei nullus poſt baptiſmum ſenſus repentè naſcitur, niſi fortè nunc in illum inſanum errorem deuolueris, quem Auguſtinus hominũ ingenijs fretus refutare noluit. Nihil ergo opus fuit iſtis Thomæ tui commentarijs, é quibus tu me, neſcio quid, ſurripuiſſe fingis. Nam hæc quidem non ſatisfaciunt interrogationi meæ. Si enim gratiæ nomine fidem ſignificas, tum habitum fidei infantibus tribuis. Si verò infantes habitu aliquo fidei prædicti ſunt, tum norunt diuina, etſi explicare propter corporis impedimenta nequeunt. Quæro igitur num iſtum habitum poſtea amittant, nécne? Id credo, quia eſt abſurdum, non affirmabis. Si ergo hunc habitum retinent, myſteria fidei priùs cognoſcunt, quàm docentur. Sin fidem ab hac gratia ſeiungis, extra cauſam egrederis.

DVRAE-

DVRAEVS, Fol. 286.

Lutherum verissimè Campianus dixisse ait, Nisi credat infans nequicquam lauatur. *Tu Lutherum licèt omni qua potes artę defendas, nihil tamen aliud quàm laterem lauas. Ita enim apertè ille sensit, in li. contra Cocleum. Ex quibus suam Anabaptistæ heresim hauserunt.*

WHITAKERVS.

79 Lutherum sic loquentem Campianus introduxit, quasi diceret præstare omitti Baptismũ. In illorum verò opinionem Lutherus inuehitur, qui paruulos ad baptismum adducunt, & num credant, etiam interrogant, nullam tamen infantibus fidem, id est nullam internam spiritus sancti gratiam & efficacitatem tribuunt, sed quasi res inanimatas baptizant. His autem supersedeo, quia satis multa Campiano respondi. Vnde hæresim Anabaptistę suam hauserint, quid nostrâ interest? Nihil vnquam Lutherus docuit, quod Anabaptismum vel leuissimè redoleret, & quis anabaptistas Luthero potentiùs repressit, aut doctiùs refutauit? Sed vobis datum est, vt semper vestrûm similes sitis, & Aethiopum instar pellem nunquam mutetis.

DVRAEVS, Fol. 286.

Tu verò cum Anabaptistis nihil vobis negotij esse asseris. Non ignoro quàm vos acriter Caluiniani cum anabaptistis confligatis, sed quibus armis? An non ad Ecclesiæ Traditionem vester ille Apostolus Caluinus confugit? Nullum enim apertum ille scripturæ locum neque profert, neque proferrę omnino potest.

Lib. 4. ca. 16 sect. 8.

WHITA-

VVHITAKERVS.

80 Anabaptiſtas, Duræe, ſcripturarum armis opprimimus, quibus ſolis hæretici ſuperantur. Si enim nulla nobis arma ſuppeterent, niſi hæc, quæ tu commemoras, næ Anabaptiſtæ noſtrum impetum non valde reformidarent. Sed hic vide, quæſo, tuorum immane flagitium: ſcripturas proditis, vt traditiones teneatis. Quid enim dici potuit aut in ſcripturam contumelioſius, aut ad confirmandam Anabaptiſtarum audaciam vehementius, quàm hanc hæreſim nullis ſcripturis refelli? Tu verò neſcis Caluinum firmiſſima ex ſcripturis argumenta ſumpſiſſe, quibus illorum hæreſes omnes, quæ ſunt multiplices, profligauit? Suſcipe igitur Anabaptiſtarum patrocinium, & mihi ad has rationes ex ſcripturis depromptas reſponde. Circumciſi olim infantes ſunt propter fœdus: ergo nunc propter eandem cauſam baptizandi ſunt. Id enim ex analogia vtriuſque ſacramenti neceſſariò conſequitur. Et huic argumento non omnes Anabaptiſtæ vel te patrono reſiſtent. Infantulos Chriſtus ad ſe adduci iuſſit: ergo ad baptiſmum recipiendi ſunt. Quòd Chriſtus dixit, *Baptizate eos*, pertinet primùm ad homines adultos, tum ex vi fœderis ad illorum etiam liberos. Non perſequar omnia: hæc ſatis & Anabaptiſtas, & te redarguunt. Coactúſne ergo eſt Caluinus ad Eccleſiæ Traditionem confugere, idq; ob eam cauſam, quòd nõ ſatis firma ex ſcripturis argumenta occurrere videret? Vt tuam frontem noſtri Academici

Gen. 17. 4.

Mat. 19. 13.

Mat. 28. 19.

mici agnoſcant, Caluini hæc in eodem loco verba ſunt, *Nemo iam eſt, qui non videat, pædobaptiſmum nequaquam humanitus fabrefactum fuiſſe, qui tanta ſcripturæ approbatione fulciatur.* Pędobaptiſmum ergo Caluinus ait, ſcripturis approbari ac fulciri. At inquies, etiam ad Traditionẽ confugit. Id quemadmodum faciat, attendite. *Quod autem* (inquit) *apud ſimplicem vulgum diſſeminant, longam annorum ſeriem poſt Chriſti reſurrectionẽ præteriiſſe, quibus incognitus erat pædobaptiſmus, in eo fœdiſſime mentiuntur. Siquidẽ nullus eſt ſcriptor tam vetuſtus, qui non eius originem ad Apoſtolorum ſeculum pro certo referat.* Num hoc eſt ad Traditionem Eccleſiæ confugere, quia nulla ex ſcripturis argumenta, vt dicis, occurrebant?

Inſtit. lib. 4. cap. 16. ſect. 8.

DVRAEVS, Fol. 287.

Sed riſum mihi Whitakere excitas, cùm Anabaptiſtas tanquam ſeditioſos homines ex rebuſpub. veſtris expuliſſe vos dicitis. Non miraculis creſcit vel creuit aliquando hoc veſtrum Euangelium, ſed armis. Quod ſanè Lutherus maximæ ſibi gloriæ duxit.

Luther. in c. 10. Math.

WHITAKERVS.

81 Satis ſanè iamdudum ex multis locis perſpexi, quàm ridiculus eſſes. Noſtram verò tranquillitatem, paciſque perpetuum ſtudium omnes reſpub. teſtari poſſunt. Itaq; tuam calumniam & riſum minimè moror. Lutherus verò quid aliud dixit, quàm quod ipſum dixiſſe Chriſtũ legimus? *Non veni vt mittam pacem, ſed gladium.* Si ergo Lutheri doctrinam variæ turbæ & ſeditiones excepe-

Mat. 10.34.

exceperunt, dum filij huius seculi lucem Euangelij extinguere conarentur, & veritatem totis viribus oppugnarent, mirandum non fuit, atque ad doctrinæ potiùs confirmationem spectauit. Est enim semper necessarium, vt Christus sit σημεῖον ἀντιλεγόμενον, quemadmodum sanctus ille Symeon prædixit. *Luc. 2. 34.*

DVRAEVS, Fol. 287. &c.

De moribus.

Cetera quæ adhuc supersunt noui Euangelij paradoxa examinemus, quorum illud ex mystica Lutheri Theologia depromptum est, Si non vult vxor, aut non possit, veniat ancilla. *Nónne ista te portenta defendere pudet Whitakere? Vbi legisti iustam hanc ac legitimam vxoris repudiandæ causam esse?* Lutheri (*inquis*) in hoc genere diuortij sententiam minimè defendo. *Quid ergo Luthero patrocinaris?* Apud vos (*inquis*) causæ diuortiorum sunt infinitæ. *Ignoras videlicet solam apud nos diuortij causam esse alterius coniugum adulterium. Absurdiora à Clemente Romano pontifice scripta ais*, Græcorum quidam sapientissimus hæc ita sciens esse ait communia debere esse amicorum omnia: in omnibus autem sunt sine dubio & coniuges. *Si vel vetera consuluisses exemplaria, vel totius epistolæ seriem perpendisses, non fuisset difficile corruptum esse hunc Clementis locum iudicare.*

Luther. serm. de matrim.

WHITAKERVS.

82 Non est necesse vnam calumniam bis refutare. Respondi Campiano, quantum posset æquo lectori satisfacere. Desertionis Lutherus quoddam genus esse duxit, si qua vxor viro debitam beneuolentiam denegaret, atque hanc satis magnam esse diuortij causam iudicauit. Quam Lutheri de desertione opinionē palàm professus

sum

ſum mihi non probari. Num verò ſi in hoc iudicio nonnihil errauit, tam inhoneſti conſilij cuius illum vos tam improbè atque importúne inſimulatis, author fuit? Sed huius erroris æquum eſt Luthero facilem à vobis veniam dari, qui multò plures, quàm ille, cauſas diuortij facitis. Hic tu legum pontificiarum ignarus, ſolam apud vos diuortij cauſam eſſe adulterium reſpondes, quod omnes quàm verè dictum ſit facilè teſtari poſſunt. Nam vt alia pontificum & Canonum decreta prætermittam, cui ignotum eſt, quid de hac re patres Tridentini ſanxerint? *Si quis* (inquiunt) *dixerit, Eccleſiam errare cùm ob multas cauſas ſeperationem inter coniuges, quoad thorum, ſeu quoad cohabitationem ad certum, incertúmue tempus fieri poſſe decernit, anathema ſit.* Synodus multas cauſas admittit, tu vnum conſtituis: in quo nec cum tuis, nec cum Apoſtolo ſentis. Nam præter adulterium Paulus illam etiam ſeparationis iuſtam cauſam agnoſcit, ſi fidelem infidelis deſerit. Clementem verò facilè patior à te defendi. Nam ipſum Clementem non exiſtimo tam turpis ſententiæ authorem extitiſſe. Sed quando epiſtolas antiquis Epiſcopis affingitis, quas illi nunquam ſcripſerint, voluit Dominus veſtram perfidiam clariſſimis indicijs refutare. Si enim hanc epiſtolam Clemens Romanus pontifex ſcripſit, tum certum eſt à pontifice Romano comprobatam eſſe rerum omnium, etiam coniugum promiſcuam communionem, qualem olim Plato ſomniauit, & hodie Anabaptiſtæ defendunt, atque exercent. De vetuſtis autem exemplaribus non

Seſſ. 24. ſub Pio 4. can. 8.

1. Cor. 1. 15.

Clem. Epiſt. 5

labor

laboro. Nulla enim nos exemplaria nisi à vobis sumpta nacti sumus: quæ verò ego vidi omnia siue recentiora, siue antiqua (vidi autem complura) eandem sententiam continent. Quanquam hîc corruptas esse pontificum decretales epistolas (quid ni etiam suppositas?) fateris, quod alibi tamen vehementissimè pernegatis.

DVRAEVS, Fol. 289.

Aliud est Lutheri paradoxum, Res vxoria tam est cuiq; necessaria, quàm esca, potus, somnus. *Quid tu?* Iubet (*inquis*) Apostolus, vt vnusquisque vxorem suam habeat. *Tibi olim Tertullianus respondit*, Ostendit (*inquit*) fuisse, qui in matrimonio à fide deprehensi verebantur, ne non liceret ijs matrimonio suo exinde vti. *Atque ijsdem ferè verbis Hieronymus*, Vnusquisque (*inquit Paulus*) vxorem suam habeat, non dixit, ducat vxorem, ne libidini fræna laxaret, sed habeat, & fruatur, quam habebat, antequam crederet. *Quanquam quid ego de Christianis loquor? Philosophi ipsi gentiles risu potiùs ac stilo Epicureum hoc dogma excipiendum, quàm rationibus refutandum iudicarent. Illud mihi respondeas velim: Si cuius vxor longo fortè difficiliq; morbo laboret, &c. Ac mercatores, si quando in peregrinas proficiscantur regiones &c.*

Tertull. de Monog. Hieron. li. 1. contra Iouinian.

WHITAKERVS.

83 Quæritur num ijs sit necesse in matrimonio viuere, qui castam & sanctam sine matrimonio vitam ducere nequeunt. Hoc quia Lutherus affirmauit, ab istis mirificè diuexatur. Sed hominum insolentissimorum ludibria contemnamus, sanam doctrinam & veras sententias non ex sophistarum placitis, sed ex Dei verbo metiamur. Apostolus ait, & clarè præcipit, *Propter*

1.Cor.7.2. *fornicationes suam quisque vxorem habeat, & suum quaque virum.* Hanc tu Apostoli legẽ cum Ter tulliano & Hieronymo de ijs tantùm interpreta ris, qui versantur in matrimonio. Ita quæ pr Montano Tertullianus scripsit, à vobis egregi probantur. Hieronymum verò quisquis non in telligit longiùs prouectum esse in vituperand nuptijs quàm scripturæ patiuntur, is certè Hi ronymi scripta pluris facit, quàm verbi diui authoritatem. De Hieronymo sic Erasmus scri bit, *Hieronymus feruido quodam affectu sic interdu rapiebatur in admirationem virginitatis, vt pijs etia viris videretur lædere matrimonium. Sit hoc vanu si non in scriptis illius inueniuntur eadem verba, q sunt apud Tertullianum hoc nomine damnatum.* S istas interpretationes Apostolus ipse palam re puit. Cùm enim hoc se præcipere significat τὰς πορνείας, id est *Propter fornicationes*, quis non v det legem hanc ad cœlibes etiam pertinere, qu bus fornicationes non minùs quàm coniugib prohibentur? Verùm cur prętermittis, quod m ex Apostolo adduxi, quodq; tuam responsione planè iugulat? Nam palàm Apostolus cœlib iubet, vt *si se non continent, matrimonium contr hant. Nam melius est matrimoniũ contrahere, qu vri.* Itaq; non modò mandat, vt qui priùs vxor duxerunt, eas teneant: sed qui nullas haben ducant, si id sibi ad vitandam incontinentiam n cessarium esse sentiunt. De Apostoli verbis Th mas tuus multò rectiùs iudicauit, quàm aut Te tullianus, aut Hieronymus. *Dictum est* (inqui *quod bonum est homini mulierem non tangere*: s

Erasm. aduers. Alber. Pium, de virgin.

Thom. in 1. Cor. cap. 7. lect. 1.

quia ad hoc bonum non sunt omnes homines idonei, vnusquisq; vir propter fornicationem scilicet vitandam suam vxorem habeat, i. *sibi determinatam, vt tollantur vagi & incerti concubitus, quod pertinet ad fornicationem.* Et deinceps, cùm interpretatur illa verba, *Melius est nubere, quàm vri,* quæ necessariò sunt ad cœlibes referenda, sic concludit, *Hoc est quod suprà dixit, propter fornicationem scilicet vitandam vnusquisque suam vxorem habeat.* Quare vt te cum tuis philosophis & Epicureis de hac re deliberantem relinquamus, Apostoli eam esse mentẽ constat, vt qui castitatis & continentiæ dono carent, ij matrimonio vti debeant, siquidẽ vt grauissimè peccent, si aliter fecerint. Qui enim perpetuis libidinum flammis atq; incendijs flagrant, hi Deo placere nullo modo possunt, præsertim cùm eo vti remedio nolint, quod Dominus instituit. Aut hoc refelle, aut desine calumniari. Quod de vxore morbo difficili laborante, & mercatoribus quæris, suprà respondi.

DVRAEVS, Fol. 290.

Ad cætera pergamus. Matrimonium virginitate multò præstantius est, *inquit Lutherus. An non hoc paradoxo Iouinianum longissimè superastis?* Virginitati *(inquis)* coniugium ἁπλῶς sæpenumero præstat. *Hoccine pro tua authoritate, vt pleraque alia concedi vis? Quis non videt suapte id natura excellentius esse, quod ex se magis arduũ est ac difficile?* In illa die *(inquit Christus)* neq; nubent, neq; nubentur. *Stulti profectò quotquot hactenus Deo suam virginitatem consecrarunt. Atq; vt hæc omittam, non tecum hoc loco, sed cum Paulo tibi negotium est.* Qui matrimonio *(inquit)* iungit virginem suam, bene facit, & qui non iungit, meliùs facit. *Quid his verbis apertius?* 1 Cor. 7.

WHITAKERVS.

84 Iouinianum minimè moror: nec mihi ali-
quid concedi cupio, quod non ſcripturarum au-
thoritate conuincam. Sæpe nobis obijcitis Ioui-
nianum, cùm ipſi palàm ſitis Manichæi. Nam a-
pud illos *Electi*, id eſt ſacerdotes abſtinebant à
nuptijs: auditores, hoc eſt, Laïci nuptijs vteban-
August. epist. 74. tur, quẽadmodum Auguſtinus apertiſſimè teſta-
tur: ita vos populo matrimonium conceditis, ſa-
cerdotibus denegatis. Cùm mihi tu de Mani-
chæis reſponderis, ego tibi de Iouiniano ſatisfa-
ciam. Sed nunc pergamus ad inſtitutum. Tunc
dico matrimonium cœlibatu præſtabilius eſſe
quando cœlibatus ſine caſtitatis dono ſuſcipitur
Quis enim niſi homo impurus & belluinus nega-
bit illius vitam ſanctiorem eſſe, Deoq; gratiorẽ
qui legitimum & caſtũ coniugium amplectitur
quàm qui cœlibatum inhoneſtum tuetur? Tún
audes talem cœlibatum tali coniugio præpone-
re? Quin ergo vel ſtatim transfugis ad antiquos
hæreticos, vel huius opinionis veram ſententiam
agnoſcis? Sed *difficilior* (inquis) *virginitas eſt
quàm coniugium, ergo excellentior.* Contra virgi-
nitatem veram nihil diſputo, quam ego & diffi-
cilem & excellentem eſſe fateor. At verò diſtin-
guendus eſt à ſancta virginitate cœlibatus, quo
nihil interdum eſſe poteſt virginitati magis ini-
micum. Eam pauciſſimi conſequuntur, hunc
quiuis eligere poteſt. Quam ergo hîc difficultate
atq; excellentiam reperiſti? Atque vt de vera vir-
ginitate ſermonem inſtituamus, quale hoc argu-

mentum

mentum eſt, virginitas eſt difficilior quàm coniugium, ergo virginitas eſt ſimpliciter excellentior, quàm coniugium. Primùm enim cum caſta virginitate ſanctum coniugium comparandum eſt: ſic vtrũ difficilius ſit exiſtimetur. Deinde quę ſunt difficillima, non omnia ſunt præſtantiſſima. Difficilimum eſt ad annum centiſſimum ætatem producere: an ergo quibus Dominus cõceſſit, vt tam diu viuerent, hos omnium excellentiſſimos fuiſſe ſentiemus? Quid ſi tu omniũ eſſes poëtarũ, oratorum, philoſophorum, theologorũ ſummus, quod tibi nondũ contigit, téne omnibus proinde alijs hominibus diceres eſſe meliorem? Nec valet aliquid, quod in regno cælorũ nullæ ſint futuræ nuptiæ. Loquimur enim de ſtatu huius vitæ, poſtquam nullus erit aut cõtrahendi matrimonij, aut cœlibatus vouendi locus. Stultitiæ verò nullos accuſo, qui ſuam Deo virginitatẽ conſecrarunt: nec quenquam reprehendo, qui caſtitatis donum diuino munere conſequutus vitã viuit perpetuò virginalem. Ad Paulum accedo, quem tu falsò tuæ opinionis patronum eſſe putas. *Melius* hoc loco vocat Paulus, quod eſt *cõmodius*. Si enim id omni modo & ſimpliciter melius eſſet, nunquam aliter facere liceret. At Paulus ait, *Qui dat nuptũ, bene facit*: Ergo Paulus non propter rei naturam, ſed propter circumſtantias cœlibatũ nuptijs prætulit, quẽadmodum ipſe diſertè ſuam mentẽ exponit. Sic enim ait, *Propter inſtantem neceſſitatem bonum eſt homini ita eſſe*, & paulò pòſt, *Afflictionẽ habebunt in carne*: & mox, *Volo vos eſſe ſine ſolicitudine*: Denique, *Hoc autem dico veſtro commodo.*

1. Cor. 7. 38.

Verſ. 26. 28.

Verſ. 32. 3

Quid magis perſpicuè dici potuit? Id ergo bonũ Apoſtolus dicit, quod eſt nobis commodum, & aptum ad pietatem.

DVRAEVS, Fol. 291.

Iis (*inquis*) qui poſſunt caſtitatem virginalem perpetuò conſeruare, virginitas expetenda eſt, non omnino, ſed propter moleſtias, quæ matrimonium plerumque conſequuntur. *Quid aliud olim Hieronymo, ac priſcis eccleſiæ patribus à Iouiniano reſponſum fuit? Quod te vel ſolus docere tuus Auguſtinus potuiſset, de ſancta virginit. cap. 21. 22. 14.*

WHITAKERVS.

85 Nobis cum Iouiniano nihil eſt negotij. Cùm enim dicimus expetendum eſſe propter moleſtias cœlibatũ, non id affirmamus, vt tu ineptè ſomnias, nihil aliud nobis proponi debere, quàm vt noſmet ipſos iſtis communibus moleſtijs liberemus, & iucundam inter homines vitam tranſigamus, ſed vt Deo meliùs & cómodiùs ſeruiamus, & quemadmodum Apoſtolus loquitur, *vt decenter, & aptè adhæreſcamus Domi-*
1. Cor. 7. 35. *no abſque vlla diſtractione*. Qui enim ob illam duntaxat cauſam cœlibes eſſe volunt, vt hoc modo ſecuriùs atque hilariùs viuant, nec curis ſolicitis diſtrahantur, hi maximam cum Iouiniano reprehenſionem merentur, atque hos Auguſtinus rectiſſimè refutauit. Eſt enim virginitas non propter has humanas cómoditates amplectẽda, ſed multò magis propter illas, quas habet, ſummas ſanctimoniæ ac religionis opportunitates, ſi quis ea ſanctè & religioſè vtatur.

DVRAEVS, Fol. 292. &c.

Apud vos (*inquis*) virginitas ornata est, matrimonium abiectum. *Sequeris & hic Iouiniani vestigia. Quomodo verò matrimonium, quod adeo sanctum esse volumus, vt etiam sacramentum sit, abiectum esse nobis potest? Illud præterire non possum quòd tam perfricta fronte Paulum virginitatem dissuasisse asseris, cùm ille & eximias nobis virginitatis laudes, & quàm graues sæpe molestias coniugium afferre soleat disertis verbis non alio fine expresserit, quàm vt virginitatem quibus posset modis persuaderet? Augustin. de sanct. virginit. cap. 27. & 28.* 1. Cor. 7.

WHITAKERVS.

86 Quàm præclarè atq; honorificè de matrimonio sentiatis, nulli nesciunt. Nam qui eo vtũtur, pro impuris à vobis habentur, eamq; ob causã à sacris & sacramentis arcentur. Quid Innocentius pontifex & Syricius contra matrimonij dignitatem scripserint, in Canonicis decretis extat ad perpetuam vestri de matrimonio iudicij memoriam. Sed me hîc pulchro argumento refellis: *Vobis matrimonium adeo sanctum est, vt sit etiam sacramentum.* Quasi ego refellar, si vos vobis non constatis. Quid enim magis absurdum à vobis fingi potuit, quàm pro sacramento matrimonium ducere, cuius actu non modò nos minimè fieri sanctiores, sed etiam multò inquinatiores doceatis? Olim autem non fuisse pro sacramento habitum magno iudicio esse potest, quod id nunquam Iouinianus obiecerit. Nam si matrimonium est sacramentum, & virginitas non est sacramentum, quid impedit, quo minùs sanctius sit virginitate matrimonium? Equidem

Hieronymum Iouinianus vehementiùs perpuliſ-
ſet, ſi illo tempore eccleſia matrimonium pro ſa-
cramento habuiſſet. De Paulo ſatis iam multa re-
ſpōdimus. Laudat ille quidem virginitatem, ſed
veram non fictam: deinde non per ſe, ſed propte
aliud, quia multa affert ad pietatem adiumenta.
Matrimonium verò non modo *indulget*, vt tu ex-
1.Cor.7.9. iſtimas, ſed etiam præcipit ijs, qui caſti eſſe ſine
matrimonio nequeunt. Si enim caſtitas omni ho-
mini mandatur, illis certè matrimonium impe-
rari conſtat, qui aliter non poſſunt caſtitatem co-
lere. Qui enim finem præcipit, ea etiam præcipit
quæ neceſſario ad finem pertinent. Itaq; Paulus
ait, γαμησάτωσαν, id eſt, qui non continent, ne pu-
tent ſibi liberum eſſe vt matrimonium vel con-
trahant, vel non, ſed omnino contrahant. Contu-
melias hoc loco tuas prætermitto, quas ipſe eti-
ſi modeſtus fuiſſes, prætermittendas pòtius puta-
uiſſes. Auguſtinus, fateor, multus eſt in prædican-
dis ſanctæ virginitatis laudibus. Et quis ſanctam
virginitatem vituperet?

DVRAES, Fol. 294.

Iam quod reliquum eſt ſentinæ huius veſtræ exhauriamus, Quan-
to ſceleratior es, tanto vicinior gratiæ es. *Annon igitur ti-
diabolus ipſe vel maximè vicinus gratiæ videtur?* Nihil aliud (*in-
quis*) voluit Lutherus, quàm ſi verè ſcelerum pœniteat, fore
vt eum vberior gratia complectatur? *Vbi quæſo didiciſti ſcele-
ratum vocare hominem, qui ſcelerum ſuorum pænitentia ducitur?*

WHITAKERVS.

87 Valde quidem improbum eſſe oportet, qui
iſto

isto modo disputet. Lutherus solicitas conscientias, & scelerum suorũ magnitudine perturbatas consolari voluit spe diuinæ misericordiæ, quæ quanto fueris antè nequior, si nunc ad dominum verè conuerteris, tibi vberior impartietur. Nam vt Apostolus ait, *Vbi abundauit peccatum, superabundauit gratia.* Rom. 5. 20. Atque hoc in ipso Apostolo illustrissimum fuit. Cùm enim maximè fureret odio Christi, atque Euangelij opprimendi cupiditate, tum subitò receptus est in gratiam. Qui verò persistunt in flagitijs, ij quidem indies longiùs à diuina gratia remouentur. *At vbi* (inquis) *didicisti sceleratum vocare hominem, qui scelerum suorum pœnitentia ducitur?* Dignum Duræo sophisma. Sed quid ais nunc tandem? Tu oblitus es sacramentum dici à tuis panem, quia fuit panis? Quid ni ergo sceleratus dici possit, qui fuit sceleratus, etsi non sit? Cùm Christus ait, *gaudium in cælo fore super vno peccatore resipiscente,* Luc. 15. 7. quære quis illum docuerit peccatorem vocare, qui resipiscat. Et cùm iubet venire ad ipsum, qui fatigati sunt, re- Matt. 11. 28 sponde non posse venire, qui iam fatigantur. Cur non cum Apostolo litigas, cùm scribit impium à Rom. 4. 5. Deo iustificari? Qui enim impius est, non iustificatur. Et quis quæso vocat sceleratum, quem scelerum pœnitet? Nũ enim qui dicit hominem sceleratum vicinum esse gratiæ, si illum vitæ anteactæ pœnitebit, is hominẽ vera pœnitentia præditum vocat sceleratum? En quò te ieiuna malitia abiecerit.

DVRAEVS, Fol. 295.

Aliud sequitur Lutheri paradoxum: Omnes actiones bonę

ſunt peccata, Deo iudice mortifera, Deo propitio leuiuſcula.
1.Cor.7. *Tu verò*, dixit (*inquis*) hoc Lutherus & verè dixit. *Nõ verè er-*
2.Petr.1. *go dixit Paulus*, Si acceperis vxorem non peccaſti. *Non ve-*
rè Petrus, Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.
Non verè Ioannes, In hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluat o-
pera diaboli, *ſi nullum opus ſit, quod peccatum non ſit. Neque*
rectè Paulus opera bona cum argento, auro, & lapidibus pretio-
ſis comparauit: ad extremum non rectè nos prophetæ, non Apoſto-
li ad bona opera hortati fuiſſent. Dicite Caluiniani, ſi actiones quan-
tumuis bonæ peccata ſunt, an nondum fide vos iuſtificari creditis,
ipſi peccatis? Nam fides opus eſt, cùm Christus dicat, hoc eſt opus Dei
vt credatis.

WHITAKERVS.

88 Actiones noſtras quantumuis bonas ali-
quo vitio laborare nulli dubium eſſe poteſt, qui
vel ſcripturas nouerit, vel ſeipſum. Eſaias ait
Esai.64.10. *Facti ſumus immundi omnes nos: & quaſi panniculu*
menſtruatæ omnes iuſtitiæ noſtræ. Si omnes noſtræ
actiones iuſtæ ſordido & fœdo panniculo ſimi-
les ſunt, aliquo certè vitio polluuntur. Propheta
Dauid Dei iuſtum iudicium deprecatur, Deum-
Psal.143.2. que orat ne illum in iudicium vocet, *quia nullus*
homo coram illo iuſtificari poteſt. Nullum ergo o-
pus quantumuis bonum nos à Dei iuſto iudicio
liberare poteſt. Atque hoc eſt quod Paulus ait
Gal.5.17. carnem perpetuò aduerſus ſpiritum concupiſce-
Rom.7.21. re: & volentibus nobis facere bonum, *malum ad-*
iacere. Dominus enim præcipit, non tantùm vt
bona ſint quæ facimus, ſed vt eadem etiam in-
tegro & perfecto ſtudio faciamus, nec vel leuiſ-
ſima lateat in cordis noſtri receſſu cogitatio ab
illius voluntate aliena. Prodeat, ſi quis id verè
poteſt de ſuis factis affirmare. Nam templa extru-
ere

ere, vias publicas sternere, multos aquarum riulos in ciuitatem deducere, crebras eleemosynas conferre, captiuos redimere, sæpe ieiunare, & quæ sunt huiusmodi, pulchra quidem & præclara meritò censentur, sed tamen si ad regulam diuinæ iustitiæ exigantur, non possunt illius iudicij seueritatem sustinere. Iobus ait, *Verè scio, quòd non iustificetur homo compositus Deo*. In quem locum sic Gregorius scribit, *Sanctus vir quia omne virtutis nostræ meritum esse vitium conspicit: si ab interno iudicio districtè iudicetur, rectè subiungit, Si voluerit &c.* Vitia vocat Gregorius merita virtutum nostrarum, hoc est, nostra opera præstantissima. Deinde Iobus ait, *Si habuero quippiam iustum, non respondebo: sed meum iudicem deprecabor*. Vbi sic iterum Gregorius, *vt enim sæpe diximus, Omnis humana iustitia, iniustitia esse conuincitur, si districtè iudicetur*. Qui iustitiam nostram vocat iniustitiam, quid aliud dicit, quàm quod Lutherus docuit, hærere in omni opere bono aliquid vitij? Hoc ergo Lutherus ex scripturis, & sanctis patribus παράδοξον didicit.

Iob. 9.

Greg. Moral. lib. 9. cap. 1.

Cap. 14.

Sed nunc ad tuas ratiunculas accedamus. Paulus ait, *si acceperis vxorem, non peccasti*. Tu verò peccas in fallacia accidentis. Nam ducere vxorem non est peccatum, sed qui vxores ducũt, aliquid mali admiscent in bona actione. Et iterum peccas in Petro παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως: *studete*, inquit, *vocationem & electionem vestram firmam facere: hæc enim si feceritis*, οὐ μὴ πταίσητέ ποτε, id est, nunquam sic impingetis, vt penitus à gratia & salute excidatis. Sed *non venit* (inquis)

1. Cor. 7. 28.

2. Pet. 1. 10.

(inquis) *Christus vt opera diaboli dissolueret, si nul-*
lum opus sit, quod peccatum non sit. Non id dicimus
opera bona esse peccata, sed habere aliquid ad-
iunctum & admixtum peccati. Non enim sequi-
tur argentum esse scoriam, quia argento admixta
est scoria. Et apparuit Christus non vt nullum in
sanctis, dum hîc viuunt, peccatum relinqueret,
1.Ioan.3.8. sed vt peccati reatum tolleret. Quid si verò Pau-
lus opera bona argento, & auro, & lapidibus
preciosis comparauit? An nescis in metallis &
lapidibus posse aliquid minùs purum reperiri?
Sed sanam doctrinam Apostolus his rebus com-
parat, qua quidem nihil excellentius cogitari po-
test, si seruatur integra & incorrupta. Prophetæ
verò & Apostoli rectè nos ad bona opera hor-
1.Cor.3.12. tantur. Sed si illi nos iubent facere nostrum offi-
cium, an sequitur nos nihil peccare in officio fa-
ciendo? Quod postremò Caluinianos de fide in-
terrogas, tuam in eo summam prodis imperiti-
am. Non enim fide nosmet dicimus, vt actione
nostra, iustificari, est enim imperfecta: sed fides
iustificat, quia Christum, vt manus, amplexa te-
net. Fidem autem Christus opus dixit, vel μιμη-
Ioan.6.29. κῶς, vel quia opus est spiritus sancti, qui illam in
animis nostris accendit. Sic tu scripturis nostris
pulchrè redarguis paradoxa.

DVRAEVS, Fol. 295.

Sed in omni actione (*inquis*) quantumuis excellente a-
liquid inest quod ipsam actionem penitus corrumpat
Deóque odiosam reddat. *Nulla ergo actio vel excellens v*
bon

bona esse vnquam potest. Pulchrè Dionysius, bonum esse ex integra causa.

WHITAKERVS.

89 Nisi interruptus à te cursus orationis meç fuisset, nullum istis captiunculis locum reliquisset. Adiunxi enim his quæ tu recitas, *Si quod agitur, diuinæ iustitiæ statera examinetur.* Id autem dici verissimè, iam satis exposui: sunt autem bonæ & excellentes actiones sanctorum, non quòd prorsus omni labe peccati careant, vt nihil in eo genere perfectius esse possit, sed quòd à pio, licèt imbecilli diuinæ legis studio & fide proficiscantur. Quicquid autem inest vitij, ignoscitur. Quis autem erit tam iniquus rerum æstimator, vt si quid sit in toto corpore quod emendari possit, nullam omnino reliquam esse sanitatem affirmet? Dionysius de integro bono loquitur, cuiusmodi nullum est in hac vita nostrum. Dum enim caro cum spiritu conflictatur, nunquam possint bona ex integris causis prouenire.

DVRAEVS, Fol. 296.

Confirmas tamen paradoxum hoc. Nam postquam Deus nos totos in Christo complexus est, quæ sunt in nobis inchoata, maculisq; nonnullis conspersa, ei tamen placent, vt integra ac pura. Quid hic monstri audio? peccata iam etiam placere Deo possunt?

WHITAKERVS.

90 Nihil indocto sophista importunius. Quid enim

enim ineptius disputari potuit, quàm peccat Deo placere, quia sanctorum virtutes Deo placent, etsi aliquo vitio aspersæ? Ita nullum inter re vitium & rem ipsam discrimen statuis? Bonu parens obedientiam & pietatem liberorum a mat, quam tamen minimè esse tantam nouit quanta esse debuerit. Quantò magis Deus suo rum conatus, quamuis exiguos, suscipiat, ac re muneret? Nulli ergo dubium est quin nostris o peribus, si bona fuerint, Deus maximam merce dem & promittat, & persoluat. Sed illa merce ex Dei benignitate & paterno amore, non ex o perum dignitate metienda est.

DVRAEVS, Fol. 297.

Decalogus nihil ad Christianos. *Paradoxum profectò Lutheri ingenio dignum. Quomodo ergo Christus quærenti quid faciendo vitam æternam possideret, respondit,* Serua mandata. *Qu si nihil ad Christianos Decalogus, neque fures sanè, neque adulte omnino peccabunt. Si Decalogus abrogatur, non magis qui Decalogum non seruat delinquet, quàm qui ex Mosaïcæ legis præscrip minimè Deo sacrificat.*

Luc. 18.

WHITAKERVS.

91 Noli verò Duræe illas tui pectoris angustias cum Diuino Lutheri ingenio comparare. Est hic articulus Luthero certè, vt dicis, dignissimus, quia summam veritatem, & consolationem continet. Si enim eo modo decalogus ad no pertineret, quo Lutherus non pertinere affirmat nulla nobis spes salutis relinqueretur, nec omnino

Chri-

Christiani essemus. Decalogus nobis iustitiæ formam proponit, vitam promittens, si totam legem seruamus, exitium denuntians, si ab illa vel tantulum aberramus. Sic ex Mose Apostolus ad Galatas docet, *Qui fecerit ea homo, viuet in ipsis. Execrabilis verò quisquis non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius, vt faciat ea.* Lutherus ergo Decalogum, id est, hanc Decalogi vel obedientiæ præstandæ, vel execrationis subeundæ conditionem nihil ad nos pertinere verissimè scribit, quia Christus hanc conditionem sustulit. Sic enim mox Apostolus subiungit, *Christus nos redemit ab execratione legis*. Atque alio loco, *Non estis sub lege, sed sub gratia*. Et rursus, *Nunc liberi sumus à lege*. Eodem spectat, quod iterum Apostolus ait, *Ego per legem legi mortuus sum*. Et quod in eadem Epistola sequitur, *Si spiritu ducimini, non estis sub lege*. Tam multis varijsque sententijs Apostolus non aliud docuit, quàm quod Lutherus sensit, quando Decalogum non pertinere ad Christianos affirmauit. Non hi iam belli sophistæ sunt, qui sic Lutherum interpretantur, quasi nihil prorsus ad nos pertinere Decalogum statuisset? At cur Apostolum non accusant? Nempe per Lutheri latera Apostolo vulnus infligunt.

Galat. 3. 12. & 10.

Gal. 3. 13.

Rom. 6. 14.

Rom. 7. 6.

Gal. 2. 19.

Gal. 5. 18.

Quod autem adolescenti Christus respondit, id ipsum vobis dictum existimate, Ex lege iustitiam quæritis, legẽ igitur seruate, si vultis ad vitam ingredi. Verùm hinc nullus ad ingrediendũ aditus patet. Sed quorsũ doces, quod nemo dubitat? Lex enim pertinet ad Christianos, nec id

Mat. 19. 17.

vnquam

vnquam Lutherus negauit. Nam illa iustitia legis est immortalis, & quisque debet totis viribus eniti, vt quàm proximè ad legis præscriptum viuat. Sed aliud est obligari lege, aliud ad legis normam informare & exigere vitam. Fures ergo peccant, & iure plectuntur, multoq; magis, qui ceremonias penitus abrogatas reuocant.

DVRAEVS, Fol. 297.

Sed decalogus (*inquis*) conditio dura est, & cui nunquam possit ab homine satisfieri. *Alia ergo est Christi ac Apostolorum doctrina, alia Caluini. Christus* iugum suum suaue esse ac onus leue. *Et Ioannes*, qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. *Quantò rectiùs Hieronymus*: Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo pręceptum esse. *Ad Damas. Et August. de natur. & grat. c.* 43. Non igitur Deus impossibilia iubet. *Et de Grat. & lib. arbit. c.* 16. Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt, non iuberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri: quis hoc nesciat?

Mat. 11.
1. Ioan. 2.

VVHITAKERVS.

92 Legis ea conditio est, vt qui perfectam legis obedientiam præstiterit, viuat, qui non præstiterit, pereat: quæ num dura sit, nécne, facile existimare licet. Quis enim non legem sæpius violauit, etiam qui legi diligentissimè seruiuit? Quid ergo superest, nisi vt pœnas perpetuas luat, si ex lege iustitiam speret? At priora (inquies) malefacta subsequẽtibus meritis redimet ac cõpensabit. Verùm id fieri nullo modo potest. Nam re debita nihil redimi aut compensari potest: nostr

nostra opera bona legi debentur, quantacunque tandem fuerint. Deinde malefacta nostra nullis omnino possunt benefactis exæquari. Nam in peccatis maior est auersio à Deo, quàm in virtutibus conuersio ad Deum. Sed hanc rem scripturæ expediunt. Petrus sic de diuina lege loquitur, *Cur tentatis Deum imposito iugo seruici discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* Paulus ait, *Quod impossibile fuit legi: in quo infirmabatur per carnem.* Iacobus ait, *In multis labimur omnes. Qui verò in vno labitur, factus est reus omnium.* Christus etiam sanctos orare docuit, *Remitte nobis peccata nostra.* Intelligentia carnis *Legi Dei non subijcitur: nam ne potest quidem.* In quouis autem sancto remanet aliquid carnis, quod legi resistit: nullus igitur quamtumuis sanctus huic legis conditioni satisfacere potest. Act.15.10. Rom.8.3. Iacob.3.2. & 2.10. Luc.11.4. Rom.8.7.

Quòd autem Christus ait, *Iugum meum leue est*, id Ioannes Apostolus explicat, cùm inquit, *Mandata eius grauia non sunt, quia omne quod genitum est ex Deo vincit mundum: & hac est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Hoc ergo iugum ijs, qui fide præditi sunt, non videtur graue aut molestum, quia diuinæ legis amore flagrant, nec eius execrationem metuunt, cùm sint per fidem insiti in Christum. Custodire verò mandata Dei debemus omnes, & qui non custodit, tamen se nosce Deum affirmat, mendax est. Custodire enim dicuntur, qui dant operam vt custodiant. Si quis autem sic custodire se mandata existimat, vt peccato omni careat, id est Math.11. 30. 1.Iohn.5.3. 4.

mandatis perfectè obtemperet, eum Ioanne[s]
1.Iohn.8. mendacem voçat. Nunc ad patres venio. Et pri[-]
mùm Hieronymus iste ψιλοδόνυμος est: itaq; dimit[-]
tendus. Augustinus verò quibusdam in locis fa[-]
tetur quidem legem non esse *impossibilem* prop[-]
ter Pelagianos, qui Dei potentiam vrgebant[.]
Sed quid sibi vellet Augustinus perspicuè de[-]
clarauit multis in locis, suamque mentem expo[-]
suit, nempe tribui renatis in hac vita studiũ se[r-]
uandi mandata, & si quid minùs seruatur, igno[s-]
ci. Sic ad Bonifacium scribit, & apertiùs alibi[,]
Augustin. ad Bonifac. lib.3.c.7. Retract. lib. 1.c.19. Ad Valerium, lib.1.c. 29. *Omnia mandata Dei facta deputantur, quando qui[d]*
quid non fit ignoscitur. Vel etiam quia perficien[da]
sunt à nobis aliquando, quemadmodum in ali[o]
libro scripsit. Nihil ergo minùs voluit August[i-]
nus, quàm legem à nobis in hac vita penitus im[-]
pleri posse: id quod multis in locis apertè indic[a-]
uit. Nam illi præcepto, quo iubemur Deum dil[i-]
gere toto corde totaque anima: atque etiam ill[o]
quo concupiscentia prohibetur à nemine in h[ac]
vita satisfieri posse disertissimè scribit, c. 39. d[e]
spiritu & litera. lib. 3. ad Bonifacium. c.7. Alio i[n]
De peccat. merit. & remiss. li. 2. c.7. loco sic habet, *Profectò qui de die in diem adhuc r[e-]*
nouatur, nondum totus est renouatus: & in quan[tum]
nondum est renouatus, in tantum adhuc in vetust[a-]
August. Confess. li.9. c.13. Epist.62. *te est.* Iterum Augustinus, *væ etiam laudabili h[o-]*
minum vitæ, si remota misericordia discutias eam. E[t]
sic ad Hieronymum scribit, *Charitas quæ non p[o-]*
test augeri, quamdiu hîc homo viuit est in nemin[e:]
quamdiu autem augeri potest, profectò illud quod m[i-]
nus est quàm debet, ex vitio est. Ex quo vitio non e[st]
iustus in terra, qui faciat bonum & non peccet. Am[-]
brosiu[s]

brosius habet, *Tanta mandata sunt, vt impossibile sit* *Ambros. in*
seruari ea. Et Hieronymus, *Quoniam autem nemo* *Gal. 3.*
possit explere legẽ, & cuncta facere, quæ iussa sunt, & *Hierom. in*
sibi testatur Apostolus dicens, Quod enim erat im- *Gal. 3.*
possibile legis &c. Chrysostomus ait, οὐδεὶς αὐτ̃ ἐπλή-
ρω, *Nullus legem impleuit.* Bernardus ait, *Quomo-* *Chrysost. in*
do ergo iubenda fuit, quæ implenda nullo modo erat? *Gal. 2.*
An si placet tibi magis de affectuali datum est man- *Bernard. in*
datũ, non inde contendo, dummodo acquiescas & tu *Cantic.*
mihi, quod minimè in ista vita ab aliquo hominum *sermon. 50.*
possit, vel potuerit ad impleri. Denique Thomas a-
pertè scribit, ne plures commemoremus; *Implere* *Thom. in*
totam legem est impossibile. Nihil ergo hîc aliud *Gal. 3.*
Caluinus docuit, quàm quod scripturæ, multi- *Lect. 4.*
que patres tradiderunt.

DVRAEVS, Fol. 298.

At maledictum pronunciat Moses eum, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis vt faciat ea. *Moses execrationem illam non ad minima quæque legis præcepta retulit, sed ad ea tantùm, quæ ipse illo loco enumerat: quæ non leuia certè peccata, sed grauissima erant flagitia.*

WHITAKERVS.

93 Ex hoc loco perspicere licet quales sint interpretes scripturarum Iesuitæ, cùm legis grauissimam sententiam tam miserè & periculosè corrumpant. Lex enim maledictos pronunciat, *Deut. 27. 26* qui non perfecerint omnia quę pręscripta & pręcepta sunt in lege: quod isti non nisi de maximis flagitijs intelligunt. Dummodo igitur non

 sis

sis idololatra, aut homicida, aut coinquinatu
infanda libidine, aut reus maximorum crimi
num, quorum Moses suprà meminit, hi te ma
ledictionis metu liberant. Non est necesse mu
tis opinionem vanissimam refellere. Si enim il
execrationis horrendæ sententia ad eos du
taxat pertinet quorum scelera hoc in loco Mo
ses nominatim commemorauit, quid de bla
phemis, adulteris, alijsque multis facinorosi
simis hominibus sentiemus, de quibus hîc nul
mentio reperitur? An arbitraris istos, quia n
nominantur, ab execratione liberari? Id cùm
impium & absurdum, perspicuum est illam se
tentiam non modò de ijs interpretandam e
qui nominatim execrabiles pronunciantur, s
de vniuersis etiam alijs, quicunque legem di
nam violarint. Cùm enim solennes execration
in quædam genera hominum flagitiosorum s
paratim editæ fuissent, ad extremum execrati
ni deuouentur non hi aut illi, sed quicunque l
gis verba non præstiterint, ac perfecerint. A
que ita Mosem Paulus interpretatur, qui pr
culdubio prophetæ mentem multò meliu
quàm nostri sophistæ intellexit. Galatas en
de iustitia legis instituens, hoc prophetæ tes
monio probat nullum ex operibus legis iust
cari, nisi qui legis omnibus præceptis paruer
quia lex execrabiles esse declarat omnes, q
Gal.3.10. non permanserint in omnibus, quæ scripta su
in libro legis, vt faciat ea. Aut ergo nega vlla
fuisse de minimis peccatis legem conscriptã, a
etiam minimis execrationem deberi confite

Atq

Atque ita in eadem Epiſtola Apoſtolus teſtatur eum qui circumciditur, debitorem eſſe totius legis ſeruandæ. Quare nihil omnino in lege præſcribitur, quod ſine execratione prætermitti poteſt, & nullum tam exiguum peccatum eſt, quod nos in æternam execrationem non conieciſſet, niſi Chriſtus illam in ſe execrationem ſuſcepiſſet, eaque nos liberaſſet. Si verò Apoſtolus ſenſiſſet, vt tu fingis, grauiora duntaxat crimina his verbis damnari, nullo argumento Galatas refelliſſet. Reſpondere enim Paulo Galatæ potuiſſent, ſe eſſe ab illis flagitijs, ac proinde ab illa execratione alienos: poſſe ergo ex lege iuſtitiam ſperare. Ita dum pontificijs commentis conſulere conaris, neruos Apoſtolicæ diſputationi incidis. Si nondum vides, quod eſt manifeſtum, aſpice quod mox Apoſtolus ſubiungit, *Chriſtus nos redemit ab execratione legis*. Num verò nos Chriſtus ab illa ſolummodo execratione liberauit, quæ paucis illis flagitijs denunciatur? Si patrum iudicia requiris, Ambroſij hæc verba ſunt, *Hoc ſcriptum eſt in Deuteronomio, quia ſi quid legis præterijſſet aliquis, maledictus haberetur*. Sic Chryſoſtomus, *Teſtimonio vtrumque confirmat breuiter, tum quòd legem nullus impleuerit, ac proinde maledicti fuerint, tum quòd fides iuſtificet*. Euſebius valde perſpicuus eſt, *Præterim*(inquit)*cùm nullam veniam tribuat ijs, qui tranſgrediuntur præſcripta, ſed execrationem omnibus infert, qui non omnia ſeruarint*. Quid verò aliud Thomas ſcripſit, cùm illa verba, *qui non permãſe-*

Gal.5.3.

Gal.3.13.

Ambroſ. in Gal.3.
Chryſoſt in Gal.3.
Euſeb. lib.1. Demonſtr. Euangel.
ἀρὰν κατὰ πάντων τῶν μὴ τὰ πάντα τηρούντων ἐπάγει.
Thom. in Gal.3.

rit in omnibus, ſic ex Gloſſa interpretatur, *Qui no*
impleuerit totam legem ? Nunc opinor ſentis
commentitiæ huius interpretationis, quam te
tui magiſtri docuerunt, turpiſſimum errorem, ac
flagitium,

DVRAEVS, Fol. 298.

Sed quomodo (*inquis*) Paulus ait, quicunque ſub oper
bus legis ſunt, ſub maledicto ſunt, ſi nos legem hanc expl
do maledictionem poſſumus euitare? *Dicam vno verbo, qu*
non ex lege, ſed ex gratia Chriſti legem implemus. Per grati
vires accipimus, quibus legem impleamus. Atque hoc ſibi Pa
lum voluiſſe diſertiſſima ipſius verba teſtantur. Lex (*inquit*) ſp
ritus vitæ Chriſti Ieſu liberauit me à lege peccati & mo
tis. Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabat
per carnem, Deus filium ſuum mittens in ſimilitudine c
nis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne, vt
Rom. 8. ſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundùm c
nem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum.

WHITAKERVS.

94 Iterum vt tuam opinionem comprob
Apoſtoli argumentum diluis. Neſcis enim Ap
ſtolo rem fuiſſe cum Galatis, qui Chriſto nom
dederant, eiuſque gratiam amplexi fuerar
Quis ergo cõtrouerſiæ ſtatus fuit? poſſéntne
gratia legem implere? Nequaquam. Id en
Galatis nunquam venire in mentem potuit.
tabant ergo ſibi neceſſarium eſſe, vt legis op
cum fide coniungerent, & quicquid illis ad
ſtitiam defuit, ex lege ſumerent: ſe verò gr
Chriſti prẹditos legem implere poſſe ſperab
Si verò id præſtare potuiſſent, immeritò fuiſ

ab Apostolo reprehensi. Ita enim illos fuisse insanos existimas, vt aliter impleri legem, quàm Christi gratia crederent? Hos tamen Paulus hoc animo legem præstare cupientes, in legis execrationem incurrere testatur: quam vos nunquam, si rectè Paulus Galatas docuit, effugietis. Dum enim vos gratia fretos posse legem implere, & propter fidem simul & opera beatos fore confiditis, eundem prorsus errorem defenditis, quem in Galatis Apostolus damnauit, id quod ex ipso etiam Thoma intelligere potuisti. *Quia dixerat* (inquit) *quòd qui ex fide sunt, benedicentur, cùm sint filij Abrahæ, posset quis dicere, quòd propter opera legis & propter fidem benedicuntur, & ideo hoc excludens dicit, Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.* Thom. in Gal. 3.

Atqui Apostoli argumento respondebis, quod sequitur de Abrahamo? Pactum cum illo Dominus de gratuita iustificatione pepigit: *Abrahæ verò* (inquit Apostolus) *per promissionem gratis donauit Deus hæreditatem.* Gala. 3. 18. Hanc enim promissionem fuisse gratuitam constat, quia legi opponitur, quæ promissiones etiam habuit, sed non gratuitas. Cùm ergo tale pactum cum Abrahamo Deus inierit, sequitur illum nullo modo fuisse ex legis operibus iustum, quia pacta non possunt mutari aut infringi nouis conditionibus: lex autem eo pacto multis seculis posterior fuit. Non negabis Abrahamum eximia gratia donatum fuisse. Num verò hanc gratiam accepit, vt legem impleret? Gala. 3. 15. 16. 17. At lex post quadringentos triginta demum annos

nos extitit, vt Apoſtolus argumentatur: nullis ergo legis operibus, ſed ſola Dei gratuita promiſſione per fidem apprehenſa iuſtificatus fuit Abrahamus. Hîc quicquid excogitaris, nunquam profectò effugeris, quin eadem ſit cauſa veſtra, quæ fuit Galatarum, & vel nihil Apoſtolus omnino, vel contra vos disertè concluſerit. Quod ex alio Apoſtoli loco affers, nihil minùs euincit, quàm quod
Rom. 8. 4. tu ſuſpicaris. Iuſtificatio legis in nobis impletur, quando in Chriſto ſumus, vt priùs Apoſtolus loquitur, id eſt, Chriſti iuſtitia nobis imputatur. Nullis autem imputatur, niſi qui ſecundùm ſpiritum ambulant. Non enim Apoſtolus affirmat iuſtificationem legis à nobis impleri, ſed in nobis: nec quia incedimus ſecundùm ſpiritum, vt hæc cauſa ſit, ſed vt hoc teſtimonio & iudicio intelligamus nos eſſe in Chriſto, & legis iuſtificationem in nobis impleri, qui ſecundùm ſpiritum incedimus.

DVRAEVS, Fol. 298.

Sed nouam adhuc Theologiam audiamus. Liberamur (i[nquis]) execratione legis, non obedientia. *Si legis obedien[tia] Chriſtiani teneantur, cui te iudice obedire non poſſunt, quom[o]do obſecro legis execratione liberantur? Nam Chriſtus in eos q[ui] legi non obedierunt maledictionis ſententiam in illa die pronunc[ia]bit. Liberamur à legis execratione: Nam Chriſtus (vt Pau[lus] ait) de maledicto nos redemit, quia ſua nos morte gratiam, qua [le]gem ſeruemus, promeruit.*

WH

WHITAKERVS.

95 Quàm exiguos feceris in Theologia progressus, hę tuæ tam imperitæ interrogationes & disputationes ostendunt. Quis enim nescit Christum nos ab execratione legis liberare, cùm id Apostolus tam perspicuè doceat? Etsi ergo non possumus legi omni ex parte obedire, quia tamen insiti in Christum sumus, & ille suam nobis iustitiam communicauit, execrationem in lege propositam effugiemus. Mirum autem non est si Christus in reprobos execrationis sententiam pronunciabit, qui nunquam fuerint ab illa execratione liberati. Quæ verò te Theologia docuit, Christum nos redemisse de legis maledicto, quia sua morte gratiam promeruit, qua legem seruaremus? Hanc profectò Apostolus Theologiam ignorauit. Tum enim quid ni Galatæ legem seruarent, atque ex legis obseruatione iustitiam compararent? Longè autem meliùs & diuiniùs Apostolus, quàm nostri Iesuitæ. Nos enim Christus ab execratione legis redemit, vt Apostolus tradit, quia factus ipse est pro nobis execratio, id est, non quia nobis gratiam, qua legem seruemus promeruit, sed quia culpam pœnamque nostram in se transtulit. Atque hæc vera est iustitiæ ratio, quæ nos iustos esse ostendit, non quia multis virtutibus & meritis abundamus, sed quia Christus execrationem pro nobis subijt, & quia peccata nostra à Gal. 3. 13.

nobis in Christum deriuantur.

DVRAEVS. Fol.299.

Christus conditionem (*inquis*) nobis aliam multò faciliorem proponit, Crede & saluus eris: hoc nouo fœdere vetus abrogatur, vt quisquis Euangelio crediderit, legis conditione soluatur. *Si abrogatur, quomodo non eius obedientia liberamur? Si nihil à vobis aliud, quàm vt credatis, Deus exigit, legem profectò impletis, in cuius obseruatione cùm vera hominis Christiani iustitia consistat, non iam imputatiua, sed inhærente iustitia iusti eritis. Non Christus apud Marcum ait*, Crede & saluus eris, *sed*, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. *At qui baptizantur, totius illi quidem Decalogi obseruandi bonam à Deo voluntatem acceperunt, quem & in posterum per Christi gratiam obseruare constituunt.*

WHITAKERVS.

96 Quis hoc quæreret, quod tu quæris, nisi qui nihil omnino attenderet, aut curaret? Decalogus abrogatur non ἁπλῶς, sed κατά τι: quare nõ est necesse nos obedientia legis liberari, quia legis aliquod munus abrogatur. *Sed legem* (inquis) *implemus, si credimus, atque ita non imputatiua, sed inhærente iustitia iustificamur*. Monstra quidem loqueris. Si enim qui credunt, legem implent, quis meliorem quàm fidei iustitiam requirat? Quid ergo secunda opus erit iustitia? Fides verò non implet legem, quia legi perfectam obedientiam præstat, sed quia Christum finem legis Christique iustitiam amplectitur. Quare non inhæret hæc in nobis iustitia, vt tu fingis, sed imputa-

imputatur. Quis ferat Iesuitam tam minutè ac ieiunè disserentem? Christi verò verba satis quidem confirmant, quod proposui. Nam baptismus non est legis opus, sed fidei sigillum. Cùm ergo Christus ait, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, seruabitur: qui verò non crediderit, condemnabitur*: sola fide nostram salutem contineri docet. Quanquam autem qui baptizantur, ad legis normam exigunt vitæ suæ rationem, & bona voluntate nouisque viribus donantur, id tamen eo animo nequaquam faciunt, vt iustitiam coram Domino ex hac obedientia acquirant. Tum enim fidei iustitiam prorsus amitterent, quæ non in nostris meritis ac benefactis consistit, sed eiusmodi est, qualis ab Apostolo describitur, *Ei qui non operatur, sed credit in eum, qui iustificat impium, imputatur fides sua pro iustitia.* Marc.16.16 Rom.4.5.

DVRAEVS, Fol. 300.

Illud iam sequitur, Opera nostra Deus nequaquam curat. In nobis (*inquis*) iustificandis nullam omnino Dominus operum nostrorum ratione habet. *In ijs qui verè iustificantur, magnam sanè operum rationem habet. Abraham enim ex operibus iustificatus fuit, & vt Ioannes ait*, Qui facit iustitiam iustus est. *Et quid clarius, quàm quòd de Phinehes legimus, opus ipsi suum in iustitiam reputatum?* Scriptura (*inquis*) iustum ex fide viuere testatur. *Quis id negat? Non ideo quempiam Propheta iustum esse dicit, quia credit, sed fore, vt is qui iustus est, ex fide sua viuat, id est, sua se fide sustentet, neque despondeat animum. Aequè absurdum est aliena quempiam iustitia iustum esse atque aliena vita viuere.* Iacob.2. 1.Iohn.3. Psal.105.

WHITAKERVS.

97 Nihil minùs vnquam Lutherus ſenſit, quàm opera noſtra à Deo contemni. Nullum enim opus eſt cuiuſquam ſancti fide ſuſceptum, quod Deus non ampliſſimo pręmio remuneretur. Verùm in noſtra iuſtificatione non curantur aut ſpectantur opera, quia non propter opera noſtra, ſed propter Chriſti ſolius merita iuſtificamur. Sophiſticum eſt, quod aliquo modo dictum fuit, omnino & ſimpliciter interpretari. Sed hîc doces Deum in nobis iuſtificandis magnam habere operum rationem. Ad Iacobi & Ioannis teſtimonia ſuprà reſpondimus. Quòd Phinees extraordinarium de adulteris ſupplicium ſumpſit, id à fide profectum eſt: quare facti huius laus ad fidem referenda eſt. Thomas de hac re præclarè ſcribit, quem ſi tanti faceres, quanti videris, rectiùs nonnunquam ſentires. *Opera* (inquit) *non ſunt cauſa quòd aliquis ſit iuſtus apud Deum, ſed potiùs ſunt executiones & manifeſtationes iuſtitiæ.* Nihil Lutherus, nihil nos aliud docemus. Tuam verò prophetici teſtimonij expoſitionem admitterem, niſi Prophetæ mentē multò meliùs Apoſtolo, quàm tibi perſpectā fuiſſe exiſtimarē. Eo enim Apoſtolus vſus eſt, vt nos fide non operibus legis, ne quidem poſt fidem iuſtificari confirmaret. Sic enim argumentum inſtituit, *Nullū autem per legem iuſtificari apud Deum manifeſtum eſt, quia iuſtus ex fide viuet: lex autem non eſt ex fide.* Quid aliud Apoſtolus concluſit, quàm quod tu

Thom. in Gal. 3.

Abac. 2. 4.

Gal. 3. 11.

tu dixisse negas Prophetam, quia credit fieri quemque iustum? Atq; ita Paulum Chrysostomus interpretatur, *Ostendit quòd fides iustificet testimonio Prophetæ Abacuk.* Nisi autem fides sola iustificet sine vllis operibus fidem subsequentibus, quid illa ratio ad Galatas spectasset, qui iam fide imbuti erant, & cum fide opera coniungebant? Si verò absurdum sit aliquem esse iustum iustitia aliena, velim me doceas, quemadmodum Scriptura Christum & execrationem & peccatum vocet. Nos cum spiritu sancto absurdi esse malumus, quàm tecum sapientes. Chrysost. in Gal. 3.

DVRAEVS, Fol. 301.

Paradoxum aliud: Soli rectè participant cœna Dominica, qui tristes, afflictas, perturbatas, confusas, erraticas apportant conscientias. *Hoc tu quoque Lutheri paradoxum probas. Vbi est ergo fides illa vestra, quæ & certos vos de peccatorum remissione facit, & ancipites omnes cogitationum fluctus sedat? At Christi, Apostoli, & alij viri sancti, cùm seipsos, vt Paulus summa cura ac diligentia probassent, & quę Christus præscripsit, peccatorum remedia adhibuissent, nullius sibi sceleris conscij tranquillis animis accedebant. Primis illis temporibus non nisi post* exomologesin, *& plenam pro peccatis satisfactionem ad Eucharistiæ sacramentum lapsi admittebantur. Diaconus elata voce pronunciauit,* τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις.

WHITAKERVS.

98 De fide quod quæris non est opus iterum respondere. Nunquam tu fidem vel labris primoribus degustasti, si tristitiam omnem, & dolo-

dolorem, & ancipites cogitationes prorſus ex animo pelli exiſtimas, cùm primùm fides in nobis locum nacta fuerit. Quoties propheta ſuam triſtitiam commemorat? *Hac recordans, effundo in me animam meam. Quid deijcis te anima mea, & perſtrepis in me? Interdiu & noctu grauis erat ſuper me manus tua: conuertebatur præſtantiſſimus humor meus in ſiccitates æſtiuas.* Atq; hoc fideles omnes in ſeipſis experiuntur, & tamen interim fide ſuſtentantur. Ad cœnam vero illi accedunt optimè præparati, qui maximos animo propter peccata dolores capiunt, & ſalutarem in verbo ac ſacramento huic ægritudini medicinam quærunt. Quorſum enim inſtituta à Chriſto cœna fuit, niſi vt fidem noſtram erigeret, ac confirmaret? Etſi ergo nulli rectè participant cœna, niſi qui ſe diligenter antè explorauerint, & aliquam ex fide tranquillitatem ſenſerint, hanc tamen tranquillitatem neceſſe eſt permiſtam eſſe cum multis tentationum & dolorum fluctibus. Ineptè autem veteris Eccleſiæ morem mihi hoc loco narras. Num enim impios ac profanos eſſe ſtatuis, quorum conſcientiæ triſtiſſimo peccatorum ſenſu & dolore conflictantur? Sic quidem ſanctiſſimos Dei ſeruos iniquo & profano iudicio condemnabis.

Pſal. 42. 5. 6. & 32. 4.

DVRAEVS, Fol. 302.

Sed huius paradoxi coronidem audiamus: Qui maximo (*inquis*) peccatorum ſuorum ſenſu & dolore afficiuntur, ijs ille

cibus cœlestis sẽper esse solet saluberrimus. *At vbi quæso legisti pœnitentiam ac dolorem propter peccata conscientiam erraticam facere? Cùm hæc sit tristitia secundùm Deum, quæ pœnitentiam in salutem stabilem operatur.*

WHITAKERVS.

99 Dolor ex peccatis conceptus mentem agitat, & grauiter percellit, nec tantùm ad horulæ vnius momentum durat, sed est interdum diuturnus. Quòd autem quæris vbi legerim pœnitentia & dolore erraticas conscientias fieri, si Prophetæ Dauidis Psalmum 38. attentè vnquam recitasses, id te quærere profectò puduisset. Quid enim illa sibi volunt, *Non est pax in ossibus meis propter peccatum meum*, & quæ in illo Psalmo diuinissimè sequuntur? Psal.38.4. Sed pulchrè nos ex Apostolo refellis, qui dicit tristitiam secundùm Deum efficere pœnitentiam in salutem stabilem. 2.Cor.7.10. Verùm non sic loquitur Apostolus, vt tu illum loquentem introducis. Hæc Apostoli verba sunt, *Tristitia secundùm Deum pœnitentiam efficit ad salutem, cuius nunquam pœniteat*: μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον. quod num quæso nullos ad cœtiam dolores afferri probat? Quis verò negat hanc piorum tristitiam exitus habere lætissimos, & hanc pœnitentiam eiusmodi esse, vt illius nullum vnquam pœniteat? Sed tu planè ex eorum numero es, de quibus Paulus Timotheum monuit, *Qui non intelligunt, quæ loquantur vel de quibus affirment.* 1.Tim.1.7.

DVRAEVS, Fol. 302. &c.

Confitenda sunt crimina cuilibet, *inquit Lutherus. Plurimùm sanè Lutherani tibi, homini pręsertim Caluiniano debent, quòd tam strenuè Lutheri paradoxa defendas. Quis ignorat Nouatianos, quòd potestatem hanc penes sacerdotes esse negarent, ab vniuersa Ecclesia iam olim esse damnatos? Quis ignorat veterē hunc Ecclesiæ morem fuisse, quem Tertullianus describit, vt pœnitentes non nisi* præsbyteris aduoluerentur? *Hinc Ambrosius*, Potestas ligandi & soluendi solis sacerdotibus concessa est. *Hinc Hieronymus*, Claues regni cælorum, quibus peccata remittuntur, soli sacerdotes acceperunt. *Hinc Chrysostomus sacerdotum potestatem regię antecellere dixit.*

Tertull. de pœnitentia. lib. 1.
De pœn. c. 2.
In 16. Mat.
Chrysost. lib. 3. de sacerdot.

WHITAKERVS.

100 Tibi verò parùm profectò Campianus debet, quòd eius vanissimas calumnias non iacere potiùs, atq; intermori permiseris, quàm tua hac tam putida defensione redintegrare cœperis. Si enim nouæ Lutherus & inauditæ opinionis accusandus fuit, quòd peccata cuilibet confitenda esse dixerit, eiusdem criminis reus erit Iacobus Apostolus, qui cunctis Christianis præcepit, vt *confiterentur alij alijs peccata, & orarent alij pro alijs.* Doce nunc quid inter Lutheri sententiam, & Apostoli præceptum intersit, aut Lutherum Apostolus à vestro maledicto defendat. Quod de Nouatianis & antiquo Ecclesiæ more narras, Lutherum non attingit. Nouatiani nullum aut confessioni aut pœnitentiæ locum in Ecclesia reliquerunt: Lutherus quid vnquam simile docuit? Olim qui Ecclésiam publicè offenderant, pœnitentiam publicè testabantur ac declarabant, quem morem nunquam Lutherus impro-

Iacob. 5. 16.

improbauit. Non enim illam publicam peccatorum confessionem cum publicis Ecclesiæ precibus coniunctam, sed hanc priuatam reprehendit, quando sacrificis populus in aurem insusurrare cogitur, quicquid vnquam in vita admiserit: quod nullo vel scripturæ, vel syncere antiquitatis testimonio nititur. Cæptum quidem olim est tale aliquid in Ecclesia exerceri, sed nulla verbi diuini authoritate: itaq; hunc morem Nectarius Episcopus Constantinopolitanus ex illa Ecclesia penitus sustulit propter Diaconi cuiusdam scelus. Hanc confessionem Chrysostomus multis in locis perstringit: & Augustinus non valdè probat: *Quid mihi* (inquit) *est cum hominibus, vt audiant confessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint omnes languores meos? Curiosum genus ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam.* At claues (inquis) soli sacerdoti commissæ sunt, idq; patrum quorundam verbis confirmas. Augustinus verò longè aliter scribit, *Cùm Christus Petro diceret, tibi dabo claues regni cælorum, vniuersam significabat Ecclesiam.* Et Theophylactus has claues singulis Christianis attribuit. *Si tu* (inquit) *qui iniuriam accepisti, vt publicanum & Ethnicum habes eum, qui te iniuria affecit, erit ille in cælo etiam talis. Si verò solueris illum, id est, condonaueris, erit etiam illi in cælo condonatum. Non enim tantùm quæ soluunt sacerdotes, sunt soluta, sed etiam quæ nos iniuria affecti vel ligamus, vel soluimus, ipsa erunt ligata vel soluta.* Ita qui priuatim docent, monent, hortantur, ignoscunt, ij clauium potestatem exercent, etiamsi nullo sacer-

Socrat. lib. 5. cap. 19.

August. confess. li. 10. c. 3

August. in Ioan. tract. 124.

Theophyl. in Mat. 18.

οὐ γὰρ μόνον ὅσα λύουσιν οἱ ἱερεῖς εἰσὶ λελυμένα &c.

sacerdotio fungantur. Cùm verò præcipuum clauium munus in verbi ministerio consistat, ministris traditæ claues dicuntur, quia soli ministri publicè docere possunt.

DVRAEVS, Fol. 303. &c.

Hoc aliud est Lutheri paradoxum, Quicunque te absoluerit, siue ioco, siue seriò, modò credideris, absolutus eris. *Quid apertiùs esse potest, quàm neminem sacramentum conferre, qui illius conferendi, ne voluntatem quidem vllam habeat. Si quis equum tibi suum ioco dedisset, num mox illum tuum esse diceres? Nos Whitakere credimus sacerdotes tanquam iudices à peccatis reos absoluere. Eleganter Hieronymus*: Absit vt de his quicquam sinistrum loquar, qui claues regni cælorum habentes quodammodo ante iudicij diem iudicant. *Et Chrysostomus sacerdotum potestatem regia maiorem esse ostendit, quòd hæc intra huius mundi ambitum contineatur, illa ad cælum ipsumque supremi iudicis tribunal vsque pertingat. Stultum ac amentiæ plenum est, baptismi tantùm recordatione opus esse, vt Caluinus delirat, vt quæcunque postea peccata commisimus, remittantur, cùm baptismo non futurorum, sed præteritorum veniam peccatorum consequamur. Quorsum enim ad extremum vsque vitæ terminum baptismum tam multi distulerunt, si futura perinde ac præterita peccata baptismo deleri existimassent? Quid facturi sunt infantes, qui baptizati sint, an non, recordari haud quaquam possint.*

Hieron. ad Heliod.

Chrysost. lib. 3. de sacer.

WHITAKERVS.

101 Cùm fides nostra à nullo cuiusquam alterius arbitrio pendeat, & fidem absolutio semper consequatur, nullius voluntas impedire potest, quo minus, qui credunt, absoluantur. Fiet enim nobis, non vt alij volunt, sed sicut ipsi nos credimus, quemadmodum Centurioni Christus respon-

respondit, *Sicut credidisti, fiet tibi.* Si verò in ministri voluntate positus esset absolutionis fructus, non fieret, vt nos credimus, sed vt minister cogitauit, quo nihil stultius fingi aut existimari potest. Christus ait, *Si potes credere, omnia fieri possunt credenti: Qui credit in filium, habet vitam æternam*: Petrus ait, *Fide purificat corda nostra: remissionem accipiunt per nomen eius, omnes qui credunt in eum.* Paulus ait, *Promissionem spiritus accipimus per fidem.* Quæ omnia atque huiusmodi innumera alia scripturarum testimonia perspicuè declarant, cùm primùm credimus, peccata nobis remitti, & nos regni cælestis hæredes institui. Nihil ergo meâ interest, iocetúrne quispiam, an seriò loquatur: si ego me seriò credere scio, mihi nihil illius iocus officiet. Quid verò miserius, quàm sacramentorum dignitatẽ ex ministri cogitatione suspendere? quæ qualis sit, nulli notum esse potest. Quanquam vt hoc de sacramentis verum esset, nihil tamen ad absolutionem spectaret, quæ nunquam fuit sacramentum. Quod de equo cõmemoras, eiusmodi est, vt asininum meritò videatur. Absolutio enim & remissio peccatorum est Dei propria, non sacerdotum: tum enim necesse esset, vt quisquis absolueret, ipse primũ absolutionis particeps fieret. Equũ enim nullus dare potest, nisi qui equũ habet. Ita, si tuum hoc de equo argumentum valet: nulli sacerdotes absoluunt, nisi qui absoluti ipsi sunt, quorum non magnus numerus est. Vos verò creditis, vt dicis, sacerdotes tanquam iudices absoluere, quod ego

Matth. 8.13
Marc. 9.23.
Ioan. 3.36.
Act. 15.9.
Act. 10.43.
Gal. 3.14.

minimè profectò reprehendo. Tales autem iu-
dices sunt, quales olim erant morborum sacer-
dotes. Summus enim Pontifex de lepra iudica-
uit, quam ipse nec contulit, nec depulit: sic mi-
nister credentes pronunciat & iudicat absolu-
tos, impios contrà. Nihil ergo opus erat in hac
causa patrum sententijs, quas tu omni loco te-
merè, & nullo delectu proijcis. Proba autem,
potes, vllis testimonijs, ministros propria &
sua authoritate absoluere, aut qui credunt no
absolui, nisi minister firma intentione absol-
uerit. De Baptismo nihil Caluinus docuit, ni-
si quod Scriptura luculentissimè tradidit. Qu
Rom.6.3. enim baptizantur, in Christi mortem bapti-
zantur; mors autem Christi non tantùm vale
ad ea peccata abluenda, quæ baptismum præ-
cedunt, sed etiam quæ in omni vita baptismum
consequuntur, vt non sit necesse nouum sa-
cramentum, & secundam tabulam commini-
ci. Itaque Galatas Apostolus ad baptismi gra-
Gal 3.27. tiam reuocat, *Quicunque in Christo baptizati e-
stis, Christum induistis*, nec nouum quoddam
sacramenti genus proponit. Augustinus di-
August. de nupt. & concupis. lib. 1. cap. 22. serte scribit, *Eodem lauacro regenerationis, &
verbo sanctificationis omnia prorsus mala homi-
num regeneratorum mundantur, atque sanantur
non solùm peccata, quæ omnia nunc remittuntur
in baptismo, sed etiam quæ posteriùs humana ig-
norantia vel infirmitate contrahuntur: non v-
baptisma quoties peccatur, toties repetatur, sed qu-
ipso quod semel datur, fit, vt non solùm antea, verùm
etiam postea quorumlibet peccatorum venia fideli-*

bu

bus impetretur. Quòd autē tam multi olim baptiſma ad extrema vitæ tempora diſtulerint, id illorum hominum errori tribuendum eſt, quem conſtat multis Epiſcopis nunquam placuiſſe. Infantes verò quando adoleuerint, baptiſmi vim & naturam edocentur. Etſi autem non poſſunt tempus ipſum, quo baptizati ſunt, memoria repetere, tamen ex Dei verbo diſcunt baptiſmum ſibi eſſe perpetuum renouationis ſuæ & regenerationis ſacramentum.

DVRAEVS, Fol. 306. &c.

Legere preces horarias, non eſt ſacerdotum, ſed Laïcorum, *inquit poſt pocula Lutherus*. Horæ veſtræ Canonicæ (*inquis*) propter infinitam ſuperſtitionem prorſus indignæ ſunt Chriſtiano. *Nihil oſtendere potes, in quo vel minimam ſuperſtitionis ſuſpicionem deprehendas, niſi tibi fortè Pſalmos in Dei laudem canere, peccatorum remiſſionem, diuinam gratiam, cæteraq́; ad corporum atque animorum ſalutem neceſſaria à Deo poſtulare, ſummaq́; fidei noſtræ ac religionis myſteria hac nobis lectione ob oculos ponere, aliæq́; id genus ſanctæ exercitationes, ſuperſtitioſæ videantur? Quis Catholicus ſolennos Eccleſiæ Pſalmos ignorat? Quis hymnos illos verè Chriſtianos ipſo Eccleſiæ vſu tam diuturno celeberrimos? Quàm antiquus hic mos fuerit, ſatis indicat quod in Apoſtolorum Actis legimus, Petrum & Ioannem aſcendiſſe in templum ad horam orationis nonam: & quod Philo Iudæus Chriſtianorum mores qui tum Alexandriæ agebant, deſcribens refert: & Tertull. in Apologetico. Nam & ipſi Gentiles antelucanos Chriſtianorum cœtus minimè ignorabant. Quàm eleganter Cyprianus quid in hac horarum diſtinctione myſterij lateat, nobis explicauit? in explic. orat. Dominicæ.*

WHITAKERVS.

102 Quod maximè in horulis vestris Luthe-
rus reprehendit, id tu sine omni defensione præ-
termittis. Cùm enim ministrorum officium sit
quemadmodum Paulus docuit, prædicare ver-
2.Tim.4.3. bum, instare opportunè, importunè, arguere
obiurgare, exhortari cum omni lenitate & do-
ctrina, ferendum non est, has tam necessarias
salutares sacri ministerij functiones in superst-
tiosam precularum incantationem conuert-
Quid enim magis ineptum & superstitiosu-
esse possit, quàm tempus illud quod in pop-
lari institutione consumendum fuit, in Ho-
rum lectionem impendere, præsertim ea li-
gua, quam nec populus, nec sacerdos pl-
rumque ipse intelligit? Hoc illud est, qu-
ego superstitiosum dixi, quodque vt impiu-
etiam & sacrilegum meritò damnare potui.
hanc nefariam superstitionem defendas, non
ebrium, vt tu Lutherum, sed planè ament-
iudicabo. Populum enim linguæ Latinæ ign-
rum sono precum & hymnorum Latinoru-
pascere, est summam superstitionem cum su-
ma amentia & sacrilegio coniungere. Tum
metiri singulis diei noctisque horis ratum prec-
tionum & Psalmorum numerum, quàm pu-
dum est & superstitiosum? Huc accedit, qu-
ipsa horarum ratio totaque institutio manaui-
superstitione. Nam illæ septem Horæ, Matuti-
prim

prima, tertia, sexta, Nona, Vesperæ, Completorium, quas causas habent? & quare non sunt aut plures, aut pauciores? Operæprecium erit hæc tam bella mysteria recognoscere, eorumq; principia & causas videre. Itaque placet ex hymnis vestris, huius religionis fontes indicare. Sic igitur poëta vester de horis cecinit, Ad matutinam, *Patris sapientia, veritas diuina, Deus homo captus est hora matutina: à notis discipulis citò derelictus, à Iudæis traditus, venditus & afflictus*. Ad primam, *Hora prima Dominum ducunt ad Pilatum, à falsis testibus multùm accusatum, Colaphis percutiunt manibus ligatum, vultum Dei conspuunt lumen cœligratum*. Ad tertiam, *Crucifige clamitant hora tertiarum: illusus induitur veste purpurarum: caput eius pungitur corona spinarum: crucem portat humeris ad locum pœnarum*. Ad sextam, *Hora sexta Iesus est cruci conclauatus, Et est cum latronibus pendens deputatus, præ tormentis sitiens felle saturatus: agnus crimen diluens sic ludificatus*. Ad nonam, *Hora nona Dominus Iesus expirauit: Eli clamans spiritum patri commendauit: Latus ei lancea miles perforauit, terra tunc contremuit, & sol obscurauit*. Ad vesperas, *De cruce deponitur hora vespertina, fortitudo latuit in mente diuina, talem mortem subijt vitæ medicina: heu corona gloriæ iacuit supina*. Ad completorium, *Hora completorij datur sepultura, Corpus Christi nobile, spes vitæ futuræ conditur aromate, complentur scriptura, Iugi sit memoria mors hæc mihi curæ*. Quanquam non ignoro de horarum ratione aliter ab alijs iudicari: ita semper in-

certa est & varia superstitio. Ambrosianos verè Hymnos, quos commemoras, video esse plenos pietatis, atque ab istorum rythmorum superstitione alienos. Nemo autem nescit Christianos olim nocturnas horas obijsse, quia diurnis temporibus conuentus agere non licebat. An eum nunc morem retinebis, & te tamen non esse superstitiosum affirmabis? Quod de Petro & Ioanne ex Actis Apostolorum adducis, id tuam superstitionem magis prodit. Quam enim causam fuisse putas, qua commoti Apostoli sunt, vt vnà in templum commearent? Num vt sacrificio interessent, aut horas recitarent? Nequaquam: sed vt populum in templo frequentem docerent. Nam hora nona populus ad vespertinum sacrificium confluebat. Si verò Cyprianus horarum mysteria rectè explicauit, nihil illis rythmis ineptius fingi potuit, quorum sententia cum Cypriani expositione nullo modo congruit.

DVRAEVS, Fol. 309.

Vltimum est paradoxum, Christiani liberi sunt à statutis hominum. *Tu* liberi, *(inquis)* sunt Christiani non vt nullis legibus obtemperent, sed vt conscientias mentésque suas legum humanarum religione liberatas esse intelligant. *Si Christiani humanis legibus obtemperare tenentur, quomodo humananarum legum religione liberatas habent conscientias? Humana certè, non diuina lex fuit, quam tulerunt Apostoli, vt à sanguine & suffocato Christiani abstinerent. Et ad Rom. c.* 13. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. *Et paulò post*, Subditi estote non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. *Et Petrus*, Subiectos nos esse omni humanæ creaturæ, quia sic *(inquit)* est voluntas Dei.

WHITA-

WHITAKERVS.

103 Nunquam certè cuiquam prudenti persuadebis legum hostem fuisse Lutherum, qui sic magistratus authoritatem coluit, & leges defendit, vt ne pontifici quidem, & pontificijs legibus restitisset, nisi id sibi, si Christo parére vellet, necessarium omnino vidisset. Ipsa enim potestas pontificis Lutherum valde tenuit, & tenuisset, nisi exeundum Babylone, & Deo potiùs, quàm hominibus obtemperandum esse didicisset. Quod autem ad humanas leges attinet, nunquã Lutherus aut legitimas contempsit, aut contemnendas à quoquam docuit: immo semper magistratum in honore maximo habuit, & legum obseruantissimus fuit. Nec vlli vnquam homines magistratui maiorem obedientiam atque obseruantiam detulerunt, quàm qui Euangelium profitentur, & faciunt, & faciendũ docent. Sed aliud est Christianam libertatem defendere, aliud legum humanarum authoritatem infringere. Cõscientiæ nullis legibus astringuntur, nisi diuinis. Est enim vt Propheta ait, *Iehoua legislator noster*: & vt Apostolus, *vnus legislator qui potest seruare & perdere*. Qui ergo conscientijs leges imponunt, seruandi, & perdendi potestatem sibi vendicant, & Deum suo iure spoliant. Quid verò inter diuinas atque humanas leges interesset, si hæ, non minus quàm illæ conscientias obligarent? Ita enim quæuis hominum edicta diuinis præceptis æquarentur. Et quidem à vobis non tantùm in pari, sed etiam in sublimiore

Esai.33.22.
Iacob.4.12.

ore gradu collocantur. Dic enim Duræ, nónne à vobis grauius flagitium putatur quadragesimam violare, quàm Dei verbum contemnere, mentiri, peierare, scortari, aliena concupiscere? Nónne sanctiores habentur qui consilijs, quàm qui præceptis obtemperant? Nimis hoc quidem manifestum est. Sed quis non videt si magistratus conscientijs imperat, eius omnibus decretis & placitis conscientias constringi? Illa autem libertas, quam in examinandis hominum legibus adhibemus, satis ostendit nulla earum religione nostras conscientias implicari. Sed tua nunc argumenta diluamus.

Christiani legibus humanis obtemperare debent, quomodo ergo humanarum legum religione liberatas habent conscientias? Quasi nihil faciendum sit, nisi quod conscientiã obstrictam teneat. Parendum est legibus politicis, quia sunt ad pacem & tranquillitatem necessariæ. Sed tamen leges humanæ à diuinis secernendæ sunt. Diuinis enim simpliciter obsequendum est sine vllo temporum, aut locorũ, aut circumstantiarum discrimine: humanis eo modo, quo circumstantię postulant. Veluti qui Romanus est & Romæ degit, Romanis legibus obedire debet: idem si migrarit in Persiam, non illa Romanarũ legum necessitate obstringitur. Quod palàm indicat conscientias nostras non fuisse illis legibus alligatas: tum enim erant & Romæ, & vbiuis gentium obseruandæ. Illa autem lex Apostolorũ de sanguine & suffocato non obstrinxit cõscientias absolutè & simpliciter, sed tantùm propter ali-

aliud, ne fratres infirmi offenderentur. Hæc autē diuina lex eſt, vt non offendas infirmos fratres, cui iſta Apoſtolorum ſanctio ſubſeruijt: & proinde confirmatis Chriſtianorum animis, iamdudum abrogata eſt. Tum non humana lex fuit, ſed diuina ab ipſo ſpiritu ſancto inſtituta. Quæ deinde ſubiungis ſcripturæ teſtimonia, quibus magiſtratuum authoritas ſancitur, agnoſco: ſed te malè tuo more concludere video. Non enim Apoſtolus ſingulis magiſtratuum edictis conſcientias noſtras illaqueat, ſed de ipſa authoritate loquitur, quæ ſacroſancta eſt, & contemni ſalua conſcientia non poteſt. Eſt enim Dei pręceptum vt magiſtratui noſmet ipſos ſubjiciamus, & hoc Dei pręceptū conſcientiam attingit. Magiſtratui ergo quoad genus parendum eſt, propter conſcientiam, quia generali pręcepto iubemur magiſtratui parere: particulares tamen magiſtratuum leges nullū habent in conſcientias dominatum. Deinde quando leges ſingulas obſeruamus, non hæremus in ipſis præceptis, quaſi his aut illis præſtandis conſcientiæ ſatisfieret: ſed finem, id eſt, Dei voluntatem ſpectamus, quæ obedientiam honeſtis & iuſtis legibus pręſcribit. Atq; hîc nunc exitus eſt harum calumniarum: illas verò, quas minaris, flocci facimus. Satis nobis perſpecta eſt facultas tua: maledicis gnauiter, diſſolutè & languidè diſputas, vt decet Ieſuitam. De noſtrorū diſſidijs, quæ commemoras, reſpondeo cum Nazianzeno, κρείσσων ἐμπαθοῦς ὁμονοίας ἡ ὑπὲρ εὐσεβείας διάστασις.

LIBER NONVS, DE Sophiſmatis.

DVRAEVS, Fol. 312. &c.



Ruſtra hîc conaris Whitakere ſophiſtarum nomen à te, tuiſq; ſimilibus depellere. Monachos omnes ac venerandos religioſorum hominum cœtus petulanter inſectaris. Prodiêre certè ex Monachorum familijs innumeri, hac noſtra ætate tam fortes ac ſtrenui veſtrarum hæreſium expugnatores, vt quicquid in illos à vobis dicitur, non niſi ab iniquiſſimo odio profectum intelligatur. Iam quòd ſcholaſticam Theologiam multis verbis exagitas, & à Luthero, Caluinoq; edoctus, ſophiſticam falsò appellas, minùs equidem miror: non immeritò ſcholaſticæ Theologiæ peritos odiſtis, quorum vim ac differendi rationem ferre non poteſtis.

WHITAKERVS.

1 

Reteruecti τῶν παραδόξων argutias in ſpinas ſophiſmatum delabimur. Sophiſtarum verò nomen, quòd nobis Campianus tuus obiecit, nemo eſt tam rerum imperitus, qui nō veſtrum eſſe totum meritò fateatur. Si enim vera argumenta è proprijs ſcripturarum locis deſumpta valere poſſent, nec ſophiſticas pōtificij Theologi & perpetuas in eludendis ſcripturis fraudes adhiberent, conſtitui iamdudum ac dirimi om-

nes

nes controuersiæ potuissent. Dum autem Monachi in nomen causamque pontificiam iurati veram Theologiam suis captionibus & paralogismis corrumpunt, & tanquam Philistæi arcam Iehouæ huc atque illuc circumferunt, nullus contentionum finis esse potest. Prodiere quidem, vt dicis, è monachorum claustris nimis multi, quos in illis monasteriorum impuris diuerticulis perpetuò latuisse, quàm ad ecclesiæ calamitatem prodijsse prestabat. Quid enim è monasterio nisi monasticum, superstitiosum, indoctum expectes? Aut quem multis annis ingenuum monachum Christianus orbis vidit? Ex te licet de reliquis existimare. Qualis enim tu in hoc libro patronus pôtificius extitisti, tales illi etiam innumeri sunt, quos è monachorum familijs prodijsse dicis. Eadem omnes officina perpoliuit, atque ex vno omnes agnosci possunt. Nimium autem certè Duræe tuo, tuorumque collegarũ ingenio tribuis, si nos tanti facere existimas doctrinam & acumen monachorum. Erumpant in nos omnes Monachorum familiæ, cum mille Turrianis, Campianis, Duræis: nunquam mihi crede, ex acie fugiemus, aut in hac tam bona causa vniuersas Monachorum cateruas pertimescemus. Scholasticam verò Theologiam minimè repudiamus, sed ab illa sophisticam secernimus. Et quanquam acuti scholastici sunt, quãdo tamen veras sententias impugnant, quod sæpissimè faciunt, ijs nihil obtusum magis aut ridiculum fingi potest, id quod nulli ignotum est, qui Scotum, Occamum, Thomam viderit aliquando.

quando. Facilè autem exiſtimo te quidem non valde eſſe Theologiæ ſcholaſticæ peritum, cùm tua vis ac diſſerendi ratio tám planè expers ſit ſcholaſtici acuminis.

DVRAEVS, Fol. 314. &c.

Lubet tibi Whitakere, pauca de noſtris, vt ais, notiſſimis paralogiſmis & ſophiſticis elenchis deguſtare. *Nemini mirum videri debet, ſi accuratam illam omnibusq; numeris abſolutam docendi rationem maiores noſtri ſapientiſſimi homines non ſemper obſeruarunt, quibus non ſemper cum præfractis ac pertinacibus ingenijs negotium fuit.*

WHITAKERVS.

2 Scitè quidem tuorum paralogiſmos defendis, quando maioribus veſtris rē fuiſſe negas cum aduerſarijs obſtinatis. Quid enim ſi nulli erant aduerſarij, quos refellere cupiebant, an propterea in Theologia tractanda licebat paralogiſmos adhibere? Miſeram profectò eſſe cauſam neceſſe eſt, quę ſine ineptiſſimis paralogiſmis non ſatis commodè exponi & defendi potuit. Cui verò dubium eſt, & maiores veſtros, viros ſapientiſſimos his nunquam vſuros fuiſſe argumentis, ſi meliora inuenire potuiſſent, & homines illos, quibuſcum ij rem habebant, valde faciles extitiſſe, quos iſta tam ἀσύστατα atque ἀσυλλόγιστα in veſtram ſententiam compulerint. Præfractiores multò nunc ſunt homines, vt videtur, quàm olim fuerunt: qui ſe falli amplius inaniſſimis præſtigijs nolunt, & argumentorum fallacias penitus diſcutere didicerunt. Itaque rem pro-

fectò

fectò ridiculam facis, dum hîc tuorum paralogismos defendere conaris: ex quo quid aliud, quàm sophistæ nomen, & infamiam lucrari potuisti?

DVRAEVS, Fol. 315.

Ac primùm quod ex Innocentio secundo contra presbyterorum nuptias affers, nullam nostram sophisticam, sed singularem tuam ignorantiam arguit. Perspicuum est illud pontificem pro comperto habere cœlibatus legem à sacerdotibus sua sponte susceptam fuisse, quam qui fœda libidine superati seruare nollent, quid mirum si in carne eos esse, ideóque placere Deo non posse *dixerit? Eodem iure Apostolum Paulum sophistam appellaris, quòd viduas dixerit damnationem habere, quia primam fidem irritam fecerunt,* 1. Tim. 5.

WHITAKERVS.

3 Vnde id verò perspicuum est, cœlibatus legem ab illis sacerdotibus susceptam esse, quorum Innocentius iste nuptias tam fastidiosè damnat? Immo de omnibus diaconis & presbyteris loquutum esse pontificem constat. Sic enim ait, *Neque eos ad sacra officia fas sit admitti, qui exercent etiam cum vxore carnale consortium, quia scriptum est, Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, dicit Dominus Deus vester.* De voto nullum verbum facit, & ijs, qui ignorantia Syricianę legis peccarunt, veniā tribuit, quod satis ostendit, nullū votum interuenisse. Qui enim matrimoniū suscepto cœlibatus voto contrahunt, eos opinor, pontifex suum gradum tueri minimè patietur. De voto quidem, deq; illa prima fide iampridem Distinc. 82. cap. Proposuisti.

satis

satis multa respondimus. Paralogismus est, παρὰ τὴν ἄγνοιαν τοῦ ἐλέγχου. Cùm enim ipsi intelligant cœli-batus lege non astringi ecclesiam orientalem, & Apostolo nihil de ministrorum continentia præ-cepisse fateantur, tamen contra ministrorum nuptias multa scripturarum testimonia profe-runt.

Dist.31. Aliter. Dist.82. Proposuisti. Glossa in margine.

DVRAEVS, Fol.316.

Aliud sophisma scilicet nostrum ita proponis, Quod Paulu coniugibus permittit, seorsim vt possint ad tempus cubit re, ex eo colligit pontifex hoc ipsum sacerdotibus mul magis faciendum. *Quod hîc vel leuissimum paralogismi sign esse potest? Etenim si orationi Laïci, vt par est, vacare nisi ab vx rum commercio sese abstineant Paulo iudice nequeunt, an non ti consentaneum videtur, vt quibus orationi sacrisq; alijs eccles functionibus perpetuò vacare ex officio incumbit, sibi penitus vxoribus temperent? Ante omnia enim vt testis est Origenes, s cerdos castitate debet accingi: hoc si est sophistam agere, Hiero mus etiam sophista fuit, lib.1.contra Iouin. Fuit & Ambrosius, li 1.offic.cap.50. Epiphanius etiam, in hæres. Cathar.*

Origen. homil.4. in Leuit.

WHITAKERVS.

4 In hoc pontificio argumento nullum para logismi signum agnoscis, in quo tamen multi plex paralogismus reperitur. Primũ enim quo Paulus ad omnes Christianos scripsit, de Laïc duntaxat exponitur. Deinde quod de singula & extraordinaria ieiunandi & precandi occasio ne intelligi debet, ad omne tempus accommo datur. Postremò sophisticè concluditur ex bre laïcorum abstinentia perpetuus ministroru

cœliba

cœlibatus. Quæ enim ratio cogit, vt quia laici
debent ex consensu ad tempus secubare, proin-
de ministris necessarium esse existimemus à nup-
tijs per omnem vitam abstinere? Nam quòd ais,
non posse aliter precibus vt par est, vacare,
quas preces Apostolus intelligat, parum atten-
dis. Nam de solennibus & extraordinarijs, non
quotidianis precibus loquitur, quod duplici ar- *1.Cor.7.5.*
gumento demonstrabo. Primum est, quia cum
istis precibus ieiunium coniungit: deinde quia
iubet Christianos omnes Christus, & Apostolus *Luc.18.1.*
perpetuò precari: itaque necessarius est, si hæc *1.Thess.5.*
interpretatio valet, omnibus Christianis perpe- *17.*
tuus in omni vita cœlibatus. Vitium est παρὰ τὸ
μὴ ἁπλῶς, ὡς ἁπλῶς & παρὰ τὸ ἀναίτιον ὡς αἴτιον. Non enim
sequitur, Ministri semper debent esse puri, atque
ad precandum idonei: ergo semper debent esse
cœlibes. Castitatem verò ministro necessariam
esse, quemadmodum Origenes scribit, nulli du-
bitant: at tu hîc non tantùm sophista es, sed e-
tiam hæreticus, quando à matrimonio castita-
tem separas: quasi qui coniuges sunt, casti esse
nequeant, quod antiqui hæretici affirmarunt.
Paphnutius autem in synodo Nicena longè ali- *Socrat. lib. 1.*
ter docuit, eique patres omnes assensi sunt, *Con- c.11.*
gressum cum legitima vxore esse castitatem. Hie- σωφροσύνην
ronymum non conabor defendere, quem scio ἐκάλει καὶ τῇ
multa contra matrimonium nec dialecticè, nec νομίμῃ γυ-
Theologicè disputasse, cuiusmodi illud est, *Bo-* ναικὶ τὴν
num est homini mulierem non tangere, ergo malum συνέλευσιν.
est mulierem tangere. Et se Hieronymus inge-
nuè fatetur in disputando victoriam potius,

quàm veritatem quæsiuisse, quod in hac profectò cum Iouiniano lite vel maximè fecit. Ambrosius ministrum à secundis nuptijs deterret, primas non damnat. Sic enim scribit, *De castimonia quid loquar, quando vna tantùm, nec repetita permittitur copula?* Sic etiam docet requiri à ministro Domini, *vt abstinens sit à vino*. Ita Epiphanius non primas, sed secundas nuptias in ministris reprehendit.

Ambros. de offic. li. 1. ca. 50.

DVRAEVS, Fol. 317.

Postremum de cœlibatu sophisma nostrum ita recenses: Cùm sacerdotes templum Domini, spiritúsque sacrarium esse debeant, non oportet cubilibus & immunditijs inseruire. *Quid in his verbis non castum, quid non honestum, non sanctum, non diuinis literis, patrumq́; omnium sententijs consentaneum? Sacerdotes qui spreta sanctissimi voti religione voluptati succumbunt, cubilibus seruire & impudicitijs rectissimè pontifex dixit. Quo argumento Tertullianus olim acutissimus vsus est in re non dissimili, vt digamos ostenderet à sacris ordinibus meritò arceri. lib. 1. ad vxorem.*

WHITAKERVS.

Dist. 28. ca. Decernimus.

5 Si qui contrahunt matrimonium, cubilibus atque immunditijs deseruiunt, quemadmodum iste impurus pontifex statuit, omnes profectò Christiani debent à matrimonio prorsus abstinere. Omnes enim quicunque Christo nomen dederunt, ἐν κοίταις καὶ ἀσελγείαις viuere prohibentur: ita nullum erit inter Christianos matrimonium, si huius decreti sententia, ratioq́; constat. Sed

Rom. 13. 13.

ist

iste pontifex errauit παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως. Non enim matrimonium apostolus in vllo hominum genere vt crimen damnauit, sed omnes à libidine & lasciuia & impudicitia absterruit. Quid ergo profanum magis, aut impium, aut inhonestum dici potuit, contra sacrosanctam matrimonij dignitatem? De voti verò religione nullam fecit mentionem, quemadmodum tu fingis, & satis intelligimus illud votum non fuisse omnibus necessarium. Iste autem Innocentius subdiaconos reliquosque omnes remouet à ministerio, si duxerint vxores, quia cùm templum Domini & spiritus sancti esse & dici debeant, indignum est eos cubilibus & immunditijs inseruire. Itaque hanc tui pontificis blasphemiam plusquam sophisticam nunquam defendes. Cùm autem Tertullianum citas, quid aliud facis, quàm te palàm sophistam prodis? Quis enim ignorat Tertullianum secundas nuptias, non tantùm in ministris, sed in omnibus etiam Christianis damnare cum Montano? Interim non attendis, eius te contra ministrorum nuptias vti testimonio, qui & presbyter fuit, & vxorem in matrimonio habuit, & cum ea vixit, & in ministerio nihilominus permansit.

DVRAEVS, Fol. 318.

Nunc alium, quem nobis obijcis paralogismum, expendamus: Singulis gregibus singuli pastores præsunt, ergo papam oportet omnibus Ecclesijs dominari? *Pontifex non dominatur Ecclesijs, cùm se ipse seruum esse seruorum Dei palàm*

profiteatur? Verùm ex vno singulorum gregum pastore vnum quoque vniuersæ Ecclesię præesse pastorem debere catholici doctissimè docuerunt. Nullo argumento Whitakere efficies singulis Ecclesijs non nisi singulos esse pastores præficiendos: quin eodem toti quoque Ecclesiæ suum esse concedendum pastorem vel inuitus fateri cogaris. Est enim illud vestrum perfugium sanè vanissimum, vniuersalis Ecclesiæ Christum esse pastorem, cùm & singularum quoque Ecclesiarum pastorem esse Christum nemo ignoret. Inter duodecim *(inquit Hieronymus)* vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio. *Contra Iouin. Et Cyprianus*, vt vnitatem manifestaret Christus, vnam cathedram constituit: & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua authoritate disposuit: *de vnit. Eccles. Et Irenæus*, ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam. *lib. 3. ca. 3. Neque aliter vnam esse Ecclesiam posse Anglicanam existimas, nisi ministrorum vniuersa colluuies, vni vestræ reginæ tanquam capiti adhærescat.*

WHITAKERVS.

6 Quòd negas Ecclesiæ pontificem dominari, quia se seruum seruorum agnoscit, in eo nobis ineptè atque sophisticè conaris oculos prestringere. Non enim quem se vocet, sed qualem se præbeat, intuemur: & quando sibi nomen serui sumit, tum illum Domini authoritatem atque imperium exercere perspicimus. Nam & præscribit, & iubet, & minatur, & punit, & denique facit quicquid vllus Dominus potest. Quid si verò Turcarum Imperator se suorum seruum appellaret, an esse Dominus desisteret? Noli ergo hoc te modo putare posse pontificis tui tyrannidem defendere. Nunc ad paralogismum veniamus, qui quam-

quam

...am est insulsus, tamen à pontificijs sophi-
...s magnificè iactatur: *Unus esse debet pa-*
...r singulorum gregum, ergo vnum etiam toti
...cclesiæ pastorem præesse oportet. Quod perinde
...mino est, ac si quis concludat, Si singu-
...homines vnum caput habent, ergo omnes v-
...m habere debent: & quia singulis ouium gre-
...ibus singuli certique pastores præficiuntur, om-
...ibus vnum præesse oportet. Nam singu-
...s gregibus singulæ Ecclesiæ similes sunt: ni-
...l autem est, quamobrem vnus pastor om-
...i potiùs Ecclesiæ, quàm cunctis ouium gre-
...ibus præponatur. Quare quòd me nullo
...gumento efficere posse affirmas, singulis Ec-
...lesijs singulos pastores præficiendos esse, quin
...dem toti etiam Ecclesiæ vnum pastorem
...ncedere cogar, tuam prodis incredibilem
...entis ἀβλεψίαν. Nam singulas Ecclesias singu-
...i pastores viua voce docere, monere, ex-
...ortari, verbo & sacramentis pascere pos-
...nt: eamque ob causam suum quæque Ec-
...lesia pastorem desiderat. Totam verò Ec-
...lesiam per orbem terrarum fusam nullus hoc
...odo docere, aut ea præstare potest, quæ ad
...ni pastoris officium pertinent. Quare
...m singulæ Ecclesiæ multò minùs possint
...n vnum locum congregari, vt vnum pasto-
...m docentem audiant, quàm singuli gre-
...s in vnum cogi, atque ab vno homine pas-
..., nulla ratio persuadet, vt illis potiùs quàm
...s vnum pastorem prǽficiamus. Cùm autem
...ngulæ Ecclesiæ membra sint corporis Christi,

omnesque vnum corpus constituant, huic nul-lum, nisi Christum, pastorem præsidere posse d-cimus. Et quanquam ipse etiam non modò to Ecclesiæ, sed etiam singulis Ecclesijs præest, h tamen non euincit sic vnum toti præter Chri-stum præfici oportere, quemadmodum singu singuli præficiuntur. Nam singulæ Ecclesiæ v-sibiles sunt, & à suis pastoribus administrari p verbi & sacramentorum ministerium possun quemadmodum Christus instituit: at vnum his omnibus visibile corpus colligi nunqua omnino potest, quousque sunt particulares v-sibiles Ecclesiæ. Itaque in hoc argumen monstrum est, Singulis Ecclesijs singuli pasto præsunt, ergo vniuersis vnus præesse debe Fallis ἐν ἀγνοίᾳ τοῦ ἐλέγχου, quia non est eadem ra partium & totius.

Ad patres accedo, quorum nemo est qui a quid ad huius paralogismi defensionem con rat. Nam Hieronymus non ait vnum pon ficem toti Ecclesiæ præpositum esse, sed in duodecim vnum electum fuisse, vt capite co stituto schismatis occasio tolleretur. Schism enim nascuntur, quando omnes sunt in singu pares. *Quòd postea* (inquit) *vnus electus e qui cæteris præponeretur, in schismatis remedi factum est, ne vnusquisque ad se trahens Chr Ecclesiam rumperet.* Nónne enim eodem loco Hieronymus affirmat, *super omnes Apos los Ecclesiam fundari, cunctos claues regni c lorum accepisse, ex æquo super eos Ecclesiæ for tudinem solidari?* Ita alio in loco scribit H ron

Hieron. ad Euagrium.

Hieron. contra Iouinian lib. I.

ronymus, *Idem est presbyter, qui Episcopus &* *antequam Diaboli instinctu, &c.* tum sequitur, *In toto orbe decretum est, vt vnus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur.* Cyprianus Ecclesiæ vnitatem ex eo probat, quòd Petro Christus dixerit, Pasce oues meas, cùm tamen eandem omnibus potestatem tribuerit. Itaque non debere concludit plures esse in vna Ecclesia Episcopos. De primatu verò pontificis nunquam somniauit, quod satis in eodem libro mox ostendit his verbis: *Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod Petrus fuit, pari consortio præditi & honoris & potestatis.* Et deinceps, *Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.* Si ergo vnus sit Episcopatus, eiusque singuli Episcopi partem in solidum tenent, nihil amplius Romanus pontifex habet, quàm reliqui omnes: sed quòd vnum Petrum Christus affatus est sæpiùs, in eo omnium Ecclesiarum vnitatem indicare voluit. Hæc Cypriani mens est, à tuo paralogismo prorsus aliena. Romanam verò Ecclesiam Irenæus *principalem* vocat, non quia alijs Ecclesijs præfuit atque imperauit, sed quòd alias fide, constantia, magnitudine, fama, consilio superaret. De Anglicana Ecclesia quod subiungis, frigidum est & malitiosum. Vnitas Ecclesiæ nostræ in vnius Euangelij prædicatione consistit: singulis verò Ecclesiarum

In 1. cap. ad Titum.

Cyprian. de vnit. Ecclesiæ.

Irenæus lib. 3. cap. 3.

ministris iure optimo regina præest, eosque i officio continet, quod omnes Christiani princi pes facere debent.

DVRAEVS, Fol. 319.

Alius iam paralogismus sequitur, Petro Christus dixit, Pa ce oues meas, ergo Petrus est summus ac princeps past Ecclesiæ. *Quem tu hîc paralogismum inueneris equidem ha scio. Nam si Christus à Petro, num ipsum plus cæteris amare non alia de causa est percontatus, quàm vt suarum illi ouium cu ram committeret, moxq; audito Petri responso, addidit*, Pas agnos meos: *Efficitur profectò maiorem illi quoque in pascen dis ouibus authoritatem tribuere Christum voluisse, adeóque E clesiæ totius suæ caput ac fundamentum eum constituere, quod facturum promiserat. Ne solos hîc nos sophistas putes, eodem s phismate summam Origenes Ecclesiæ authoritatem Petro conce sam fuisse concludit in cap. 6. ad Rom. Eodem Chrysostomus lib. de sacerd. Eodem Gregorius lib. 4. Epist. 32. Eodem Barnardus li 2. ad Eugen.*

WHITAKERVS.

7 Quem hîc paralogismum inuenerim paucis expediam. Nam vt omittam alios, e in hoc argumento paralogismus, quem philo sophus vocat παρὰ τὸ ἑπόμενον. Non enim sequi tur, nisi sophisticè, Petrus iubetur oues Chris pascere, ergo & solus iubetur pascere, & om nes pascere, & illi maior pascendi, quàm cæ teris Apostolis authoritas defertur. Nam om nibus Christus Apostolis eadem mandata, & parem potestatem tribuit. Sic enim omnes

Mat. 28.19. alloquitur, *Profecti docete omnes gentes:* &

rursus

rursus, *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos.* Ioan.20.21.
Cur autem nunc Christus Petrum nominatim interroget, eique oues pascendas tradat, ea causa est, quia voluit Petrum post lapsum confirmare, ne quisquam de illius Apostolico munere & ministerio dubitaret. Itaque vt Augustinus ait, *Redditur trinæ negationi trina confessio: ne minùs amori lingua seruiat, quàm timori.* Augustin. tract. in Ioan. 123. Nihil autem hîc de Petri primatu, nihil de Petri successore, nihil de pontifice Romano accepimus. Amor autem ille Petri non potuit ad pontificem transire, vt si Petro oues suas Christus tradidit, quia Petrus plus amauit, easdem propterea pontifici reliquerit, qui nullum amoris indicium vnquam ostendit. Potui his tuis patrum testimonijs alia infinita opponere: sed quia id locus iste non flagitat prætermittam. Nihil autem hîc patres commemorant, quod non agnoscam. Nam super Petrum fundatur Ecclesia, sed non solum: & Petro totius Ecclesiæ cura commissa est, sed non soli: quia hoc illi fuit cum reliquis Apostolis commune, quemadmodum & scripturæ & patres clarissimè testantur. Bernardum si placet propter recentem ætatem dimittamus.

DVRAEVS, Fol.320.

Illud forsan sophisma apertius est, quàm vt defendi à quoquam possit: Fecit Dominus duo magna luminaria, solem, & lunam, ergo Papa Imperatorem splendore ac magnitu-

dine superat. *Non hoc quasi argumento pontifex nititur, sed explicandæ veluti rei gratia solis illa lunæq; similitudine vsus est. Solis instar latiùs pontificis, quàm imperatoris authoritas manauit.*

WHITAKERVS.

8 Nullum est tam apertum sophisma, quod tu noua arte instructus non coneris defendere. Quid enim impudentius aut arrogantius à pontifice fingi potuit, quàm vt seipsum soli, imperatorem lunæ compararet, quasi non suo imperator, sed pontificis lumine luceret, & instar lunæ lucem amitteret, cùm primùm aspectum à pontifice auerteret? *Sed hoc* (inquis) *pontifex quasi argumento non nititur*. Si nec argumentum est, nec quasi argumentum, quid aliud est, quàm sophisma? *Immo* (inquis) *explicandæ veluti rei gratia illa similitudine vsus est*. Non ergo rem explicat, sed *veluti* explicat: hoc est, non explicat quidem, sed videtur explicare: quod semper sophistis in more positum est: non enim concludunt, sed videntur concludere. At alij putant hac similitudine rem præclarè explicari: itaque quàm multis gradibus imperatorem pontifex dignitate superet, exponunt, nempe *septuagies septies*. Si verbi diuini vim atque authoritatem cum hominum principatu comparas, nemo dubitat illius excellentiorem esse, quàm huius dignitatem. Sed quid ea res ad pontificis primatum pertinet, cùm isto argumento non

Ioannes Andreæ.

tantùm

tantùm pontificem, sed quemuis sacrificulum imperatori anteferre possis. Error est, παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως, & παρὰ τὸ συμβεβηκός.

DVRAEVS, Fol. 321.

Insignis verò tua est in alio paralogismo impudentia: Hîc sunt duo gladij, ergo papa vtrumque gladium gestare debet. *Nos ex hoc loco nihil aliud colligimus, quàm quod olim Bernardus expressit, lib. 4. ad Eugen.* Tuus ergo & ipse est, tuo forsitan nutu, etsi non tua manu euaginandus. *In quam sententiam & Augustinus, epist. 48. Seruiunt reges Christo leges ferendo pro Christo. Et sic epist. 50. Vt taceam hoc loco vtrumq; vos gladium reginæ vestræ concessisse.*

WHITAKERVS.

9 Tuo quidem ego pudori parcam, quia non videris multum habere reliquum: sed paralogismum istum meritò possum appellare impudentem. Quid enim hi duo gladij habent cũ duplice pontificis iurisdictione conferendũ? Discipulos Christus monuit de emendis gladijs: id illi perperam intelligunt, ac proinde respondent, *Ecce duo gladij hîc.* Errorem Christus corrigit, quando ait, *satis est*: quasi dicat, non de istis gladijs loquor, nec talibus indigemus. Tamen hinc scilicet duo pontificis gladij fabricati sunt: cùm interim incredibile sit, vtrumque Petri gladium fuisse. Quid enim faceret cum duobus gladijs vnus, cùm reliqui omnes gladijs carerent?

Etsi

Etsi pudet defendere ridiculum commentum, tamen Bernardi nomen sophismati prætexis. At quid interest, ipsiné sophismata excogitetis, an ab alijs sumatis? Nescis hunc à vestris Theologis paralogismum tractari? De duobus hisce gladijs sic Ioannes à Capistrano scripsit, *Satis est duos gladios iudiciarios in authoritate summi pontificis, spiritualem videlicet potestatem actu, temporalem verò potestatem non actu, sed habitu retinere*. Tum adiungit, *Notandum est, quòd dixit, tuum: nam per hæc pronomina meum, tuum, & suum, significatur dominium*. Itaque Bonifacius districtum gladium sibi præferri iussit, vt se vtroque gladio armatum esse declararet. Quæ adducis ex Augustino, quorsum quæso spectant? Num enim, Si reges Christiani pias leges condunt, & religionis aduersarios coërcent, papæ vtrumque gladium tributum esse sequitur? Quod autem ais nos reginæ nostræ vtrumque concedere, id quidem meritò tacere potuisti: est enim (vt omnes norunt) egregiè falsum.

De Pap. & conc. pag. 77

Paral. Vrsperg.

DVRAEVS, Fol. 323.

Addis deinde paralogismum alium: Non est seruus supra magistrum: ergo nulli fas est papam accusare aut reprehendere. *Quis Catholicus vel scripsit vnquam, vel docuit, summum à nemine pontificem posse reprehendi? Pius Romanus pontifex non de Romano pontifice, sed de omnibus omnino episcopis loquitur, quos cùm à suis accusari ouibus meritò posse negat, illorum tantummodo audaciam, qui sceleribus licèt ipsi plurimis onusti, pastores tamen suos atque episcopos vel ex sola suspicione accusare non verebantur. Tu si in ea esse sententia Catholicos putas, nulli vt*

credant

credant inferioris notæ homini licere episcopum accusare, hoc errore vel solus te D. Thomas, si eum consuluisses, facilè liberasset. De Romano pontifice idem tibi hoc loco responsum puta, quod centum illi & octoginta Episcopi Marcello olim Romano pontifici re- 2.2.q. 78. art.11. *sponderunt.* Tuo te ore, non nostro iudicio iudica. Nam prima sedes à nemine iudicatur.

WHITAKERVS.

10 Ita Catholicum fuisse pontificem negas, qui scripsit & docuit, papæ culpas istic à nullo mortalium redargui oportere, quantumuis innumerabiles populos secum ducat primo mancipio gehennæ cum ipso plagis multis in æternum vapulaturos? An nescis alium etiam pon- Dist.40. Si Papa. tificem huiusmodi legem promulgasse, *Neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque à regibus, neque à populo iudex iudicabitur?* Quid alia hu- 9.qu.3.cap. Nemo. iusmodi legum & sanctionum pontificiarum fragmenta commemorem, quibus seipsos omni iudiciorum periculo liberarunt? Et verò ista duo pontificia axiomata rem Romanam præclarè communiunt, Ecclesia Romana errare non potest, quicquid docuerit: pontifex Romanus non debet accusari, quicquid admiserit. Ex his intelligi potest, quid Pius pontifex decreuerit: cuiusquoquo modo verba interpreteris, nunquam tamen effugies, quin scripturæ testimonio abusus fuerit, & Paralogismo fefellerit. Quale enim argumentum est, Serui non sunt suprà Magistrum: ergo Episcopus non debet ab alijs temerè accusari? Hoc quidem consequens verum

rum est, sed nulla vi ipsius consecutionis. De Marcellino nihil est necesse respondere. Cùm e-nim apostata & idololatra fuerit, illum accusari leges pontificiæ concedunt potuisse. Tu tamen aliter videris sentire, quando synodi Sinuessanæ verba profers. Ita nec tecum ipse, nec cum tuis congruis.

DVRAEVS, Fol. 324.

Addis pro paralogismo alio: Christus precatus est, vt Petri fides non deficeret: ergo papa errare non potest. *Quid hîc sophisticum Whitakere? Cùm enim ascensurus in cælum Christus ecclesiæ suæ caput, summumq; in terris vicarium Petrum constitueri[t,] quid aliud illa ad patrem oratione eum petiuisse credibile est, quàm vt sui fides vicarij nullo vnquam tempore deficeret? Cuius demonstrationis vim prisci Ecclesiæ patres satis perspexerunt. August. lib. q. vet. & noui Testamen. quæst. 75. Cyprian. Epist. 55. Leo Sermon. 3. in anniuers. assump. Bernard. epist. 190. Crebrò & diligenter ex varijs Christiani orbis partibus Romani pontificis de grauissimis re[bus] sententiam patres quæsiuerunt.*

WHITAKERVS.

11 Quod primò sumis vicarium esse Christi pontificem, insignis paralogismus est παρὰ τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβανόμενον. Id enim nunc inter nos quæritur, quod tu tanquam certum & concessum arripis. Deinde vt demus Petri successorem esse pontificem, quid tamen illa precatio Christi, quam pro Petro fecit, ad pontificem pertinebit? Christus

Luc. 22. 32. enim ait, *Rogaui pro te*, non ait pro te, & tuis suc-

ces-

cessoribus. Quàm verò hoc putidum sophisma est παρὰ τὸ ἑπόμενον, Christus rogauit pro Petro, ergo pro quouis pontifice Romano? Et Petri fides non defecit: ergo nullius pontificijs fides deficiet? Quàm hoc falsum sit cùm multa pontificium exempla testantur, tum ipsi sophistæ pontificij satis intelligunt. Si enim pontifices possunt in hæresim incidere, quod euenire posse ipsi concedunt, deficere procul dubio pontificis fides potest. Et palàm Bonifacius pontifex redargui papam permittit, *si deprehendatur à fide deuius*. Si papa potest à fide deuius deprehendi, fides papæ deficere potest: at verum est antecedens, si pontifici, & pontificijs credimus: verum igitur consequens. Quid nunc de Christi precatione statues? Christus enim proculdubio impetrauit, quod petijt: quare si pro Romanis pontificibus precatus Christus fuisset, nullus à fide aberrare Romanus pontifex potuisset. Si verò quæris quamobrem pro Petro Christus nominatim precatus fuerit, non est difficile rationẽ expedire. Petro enim grauior & periculosior lapsus imminebat, quàm cuiquã Apostolo: quare auxilio præstantiore Petrus indigebat. Quanquã Christus non tantùm pro Petro, sed pro reliquis etiam omnibus Apostolis precatus est: nec modò pro Apostolis, sed pro tota etiam Ecclesia. Num verò Christi precationem credemus minùs in reliquis, quàm in Petro valuisse? Si ergo Petri successores errare nequeunt, quia pro Petro Christus precatus est: tum ne reliquorum quidem Apostolorum successores

Dist.40. Papa.

Ioan.17.9. 20.

à fide deficere possunt, cùm pro illis etiam Christum precatum esse constet. Et tamen hunc tam apertum paralogismum non pudet vocare demonstrationem, eamque à priscis ecclesiæ patribus perspectam affirmare. At quis vnquam pater antiquus isto modo disputauit, Christus precatus est pro Petro, ne illius fides deficeret: ergo Romanus pontifex nunquam errabit in fide? Nihil eiusmodi Augustinus, nihil Cyprianus, nihil Leo scripsit. Quanquam illum de quæstionibus veteris & noui Testamẽti librum omnes norunt non esse Augustini. Ad Cypriani locum prius respondimus. Leo ait, *specialem à domino Petri curam susceptam esse, eumq́ principem* vocat: quod nos aliquo modo verum esse non negamus: sed ineptè facis, qui nobis Leonem in ista causa obijcis, quem constat suam sedem ac dignitatem nimiùm semper extulisse: multò verò ineptior es, quando Bernardum toties introducis, quasi nos Bernardum nesciamus, multis suorum temporum erroribus prauisque opinionibus imbutum fuisse. Id verò plusquàm ineptum est, quòd pontificem nunquam errare contendis, quia multi olim pontificem de grauissimis rebus consulebant. Quid ego istis deliriis verbum vnum referam?

DVRAEVS, Fol. 325.

Admissas priuatas transis, & mirificum nobis paralogismum proponis: Populus ad cœnam dominicam raró & negligenter accedit: ergo sacerdos potest priuatas Missas celebrare.

Nullum

Nullum hîc sophisma videres, si vel Malachiæ Prophetiæ crederes, vel verum hoc sacrificiũ, illiusq; fructum esse vllum agnosceres. Satis iam multa de hac re tibi suprà respondisse videor.

WHITAKERVS.

12 Malachiæ certè credo: sed eius vaticinium nihil impedit, quo minùs sit in argumento pontificio paralogismus. Quid si enim sacrificium ab ortu solis ad occasum offertur, idné est necesse de Missa intelligamus? At Tertullianus, Eusebius, Hieronymus pias sanctorum preces his verbis declarari disertè scribunt. Tum vt demus aliquid de Missa prædicere Prophetam, de qua illi nihil vnquam in mentem venit, num sequitur, Missa offeretur in toto orbe, ergo priuata? Fructus verò Missæ, quis tandem ad populum peruenire ex inani aspectu potest? Nam fidei tantam, opinor, vim nequaquam tribues, quam toties ante hac risisti: & cur sacerdos aliquid in Missa ore percipit, cùm solus aspectus vberrimum fructum afferat? Si illum esse publicum sacerdotem, & illam actionem publicum sacrificium responderis, rogandus es vt hæc primùm scripturarum testimonijs confirmes: deinde hãc nobis argumẽtationem comprobes: Missa est publicum sacrificium, ergo prodest spectãtibus & absentibus, quantumuis non sumatur. Perinde possis de verbi ministerio statuere, cùm publicum sit, satis esse vt illud sacerdos solus tractet, solus audiat, solus credat, eo populum etiam absentem & nihil tale cogitantem serua-

ri. Sed de priuata Missa satis antè multa diximus: paralogismus iste non causam pro causa ponit. Nam populi negligentia, aut impietas non est idonea causa priuatæ Missæ.

DVRAEVS, Fol. 326.

Illum paralogismum posse prætermittere, Christus solos Apostolos adhibuit ad cœnam, ergo soli sacerdotes debent integrum sacramentum percipere: populum altera tantùm parte contentum esse oportet. *Hîc tu mihi adeo delirare videris, v[t] nisi vtramq; sacramenti speciem populus sumat, integrum ab eo sacramentum sumi non existimes: cuius certè erroris regium puder[e] professorem meritò deberet. Quid magis sophisticum, quàm qu[i] Christus in cæna vltima dixit,* Bibite ex hoc omnes, *Christiani[s] præceptum affirmare, vt ex calice bibant? Tametsi præceptum e[...] rat, vt ex agno typico omnes vescerentur, nullum tamen vini tu[m] sumendi præceptum à Deo datum fuit. Lucas Christum porrect[o] iam Apostolis corpore dixisse refert,* Hoc facite in mei cōmemorationē, *vt omnes nimirum Christiani corpus sibi Dominicum su[...] mendū intelligerent: de sanguine nihil à Christo huiusmodi dictu[m] expressit. Quin & Paulus ita loquutum esse Christum refert,* Ho[c] facite quotiescunque bibetis, in meam commemorationē, *vt intelligerent Corinthij nullo se sumendi calicis præcepto teneri.*

WHITAKERVS.

13 Quid verò stultum magis aut delirum fin[...]gi potuit, quàm intĕgrum sacramentum in alter[a] specie sumi? Si enim altera tantùm species sumi[...]tur, integrum sacramentum non sumitur, nisi au[t] integrum, & pars integri idem sunt, aut Christu[s] quando duas species præscripsit, plus quàm integrum sacramentum instituit. Quanto te sapientior fuit Romanus pontifex, qui alteram speciem non esse integrum sacramentum apertè scribit [...]

Cùm

Cùm enim de quibuſdam hæreticis, veſtris maioribus, mentionem feciſſet, qui à calice abſtinebant, præcipit vt *vel integra ſacramenta percipiant, vel ab integris arceantur*. Quid nunc reſtat, niſi vt delirаſſe pontificē ſtatuas, quia illos negat integra ſacramenta percipere, qui non niſi alteram ſpeciem ſumunt? Aequum certè eſt vt te tui pudeat, niſi fortè ex eorum numero es, quos nihil pudere poſſit. Si verò illud ſophiſticum eſt, cùm Chriſtus dixerit, *Bibite ex hoc omnes*, Chriſtianis omnibus præceptum affirmare, vt ex poculo bibant, quid quæſo theologicū eſſe poteſt? Quæro enim num ſolis Apoſtolis Chriſtus præceperit, an non? Id non audes affirmare: itaque timidè reſpondes, ſic de poculo præcepiſſe Chriſtum, vt rem totam eccleſiæ iudicio prudentiæque relinqueret. Quod ſi ita eſt, idem quoque de altera ſpecie ſtatuas eſt neceſſe. Etenim vt de poculo dixit, *Bibite ex hoc omnes*, ita de pane, *Accipite, edite*: hoc tantum intereſt, quòd poculum porrigens diſertè *omnes* iubet bibere, cùm vniuerſalem notam in panis diſtributione prætermiſiſſet. Aut ergo omnes Chriſtiani vtramque ſpeciem ſumere iubentur, aut neutram: ſi neutrā, tum falſum eſt quod ais, *vt omnes Chriſtiani corpus ſibi Dominicum ſumendum intelligerent*. In quo video tibi malè cum tuo Campiano conuenire. Nam ille palàm confeſſus eſt potuiſſe eccleſiam de pane etiam Laïcis non præbendo ſtatuere, quemadmodum de poculo ſtatuit, quod Paulus egregiè refellit, quando ait ſe Corinthijs tradidiſſe, quod à Domino accepiſſet:

De conſ. diſt. 2. cā. Comperimus.

1. Cor. 11. 23.

28. & iubet vt se quisque probet, atque ita de pane illo edat, & de poculo bibat. Qui hoc præceptum ad solos presbyteros pertinere existimat, delirus meritò censeatur. De agno paschali miserum est sophisma tuum, & vix quidem sophisticum. Agnus typicus sine vino, aut cum vino comedi potuit: ergo populus in Cœna Dominica vinum omittere potest, altera parte contentus esse debet. Si enim de vino tam apertè Dominus Iudæis præcepisset, quàm Christus nobis, non illis liberum fuisset agnũ sine vino comedisse. Saltem cur non populo libertas illa relinquitur, v[t] vino vel vtatur, vel abstineat. Nisi esses Iesuita, non isto quidem modo disputares. Macte: Sic proculdubio restituetis rem.

Quid verò est quod subiungis, *Lucas refert Christum porrecto corpore dixisse, Hoc facite in meam commemorationem, de sanguine nihil eiusmodi retulit.* Non te delirare dicam, etsi quidem videris parùm sapere. Sic enim Christum non tantùm de corpore, sed etiam de sanguine dixisse,

1.Cor.11.45. Paulus luculentissimè testatur. In vtroque enim symbolo repetit, *Hoc facite ad mei recordationem.* Sed ait (inquis) Paulus, *Quotiescunque biberitis, vt intelligerent Corinthij nullo se sumendi calicis præcepto teneri.* Nunquam te istorum sophismatum pigebit? Nónne vides Paulum mox addere, *Quotiescunq; ederitis panem hunc, & populum hoc biberitis, mortem Domini annunciatis vsquequo venerit.* Quare isto argumento non poculum tantùm, sed panem etiam eripies populo. Non est necesse

futilem

futilem paralogiſmum longiùs perſequi: Omnes Apoſtoli iubẽtur bibere, ergo nulli niſi Apoſtoli, id eſt, ſacerdotes iubentur bibere, fallit ratio παρὰ ὁ ὁμώνυμον.

DVRAEVS, Fol. 327.

Quis Catholicum vllum ſic diſſerentem audiuit? Titulus quẽ cruci Pilatus affixit, Hebraïcè, Græce, Latinè inſcriptus eſt, ergo preces eccleſiaſticæ nullo ſermone, niſi vel Hebraico, vel Græco, vel Latino recitandę ſunt. *Cui dubium eſſe poteſt non vacaſſe myſterio triplicem hanc crucis Chriſti inſcriptionem? Auguſtinus ex eadem hac crucis inſcriptione contra Arrianos retinendum eſſe nomen ὁμοούσιον probat: Epiſt.* 178. *Cernis igitur Whitakere præcipuas Auguſtino linguas videri, in quibus crucis Chriſti inſcriptio diuino concilio affixa eſt.*

WHITAKERVS.

14 Nulli ignotum eſſe poteſt, qui libros pontificiorum legerit, ex triplice crucis inſcriptione ſumi argumentum contra vernaculas eccleſiarum preces, de quo nunc non eſt neceſſe multa te dicere, cùm eius te pudere videam. Erant illæ linguæ omnium proculdubio celeberrimæ, quas in titulo Pilatus inſcripſit, atque his etiam linguis Euangelium Chriſti latiſſimè diſſeminatum eſt: ſed hoc non efficit, preces his linguis facere eos oportere, qui illas ignorant, multò minùs omnia eſſe in Eccleſijs publicè his linguis peragenda, quantumuis populus ita ſit imperitus, vt verbum nullum intelligat. De myſterijs reſpondebo, cùm

ea nobis enunciaris : populi quidem ignoranti
nihil habet myſterij. Auguſtinus ineptiſſimè cita-
tur cùm nihil dicat, quod tantulum faciat a
cauſam.

DVRAEVS, Fol. 328.

Ad aliam nunc paralogiſmum veniamus: Non oportet quo
ſanctum eſt dare canibus : ergo populus à ſcripturis lege
dis prohiberi debet. *Non nos populum à ſacrarum literarum l*
ctione arcendum dicimus : etſi non paſſim omnibus, ac ſine diſcrim
ne ſacroſancta illa diuinarum ſcripturarum myſteria committen
iudicamus: &c.

WHITAKERVS.

15 Debebas in ipſa cauſa inſiſtere, quæ ſu
aliena prætermittere : quod tu ſemper cont
facis. Quaſi enim quicquid vſpiam legiſſes,
librum tuum aliquo modo compingere ſtatui
ſes, ita teſtimonijs non neceſſarijs abundas, & l
ctionis potiùs quàm prudentiæ ac iudicij laude
quæris. Habendum eſſe aliquem hominu
delectum, nec omnia omnibus paſſim nullo di
ſcrimine proponenda nemo dubitat : qui verò
canes & porcos oſtendunt, ij quidem à ſacris a
ceri atque abigi debent. Verùm nunc aliud qu
ritur, an quia Chriſtus ſancta canibus præberi v
tuit, populus ſit à ſcripturarum lectione rem
uendus, vt pontificij interdum diſputant. V
hoc probandum tibi, vel tacendum fuit.

DVRAEV

DVRAEVS, Fol. 328.

Ad Euchariſtiam redis, Hoc eſt corpus meum: ergo panis in corpus Chriſti conuertitur. *Quis verò hîc paralogiſmus eſt? Si quod Apoſtolis Chriſtus dedit, ſuum ipſius corpus fuiſſe ipſe teſtatur, panis certè eſſe non potuit, ex quo efficitur panem in illius corpus tranſmutatum fuiſſe.* Accipite (*inquit Chriſtus*) & comedite: *Quid tandem?* Hoc (*totam nimirum quam manibus tenebat ſubſtantiam demonſtrans*) eſt corpus meum. *Illa Chriſti verba,* Hoc eſt corpus meum, *abſq; vlla figura in proprio ſenſu natiuoq; veriſſima ſunt, ergo panis in corpus Chriſti tranſmutari fatendum eſt.*

WHITAKERVS.

16 Tranſſubſtantiationis Chimæram ſatis ſuprà diſcuſſimus: nunc paralogiſmum paucis videamus. Chriſtus ait, *Hoc eſt corpus meum*: ergo panis in corpus Chriſti tranſſubſtantiatur, ſophiſticè & ridiculè, παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως. Nam Chriſtus more ſcripturis familiari ſymbolum appellauit nomine ipſius rei cuius ſymbolum eſt, quales ſunt in ſacris literis infinitæ enũciationes. Ac Chriſtus quidem Apoſtolis & corpus dedit, & corporis ſacramentum, illud fide, hoc ore ſumendum & comedendum: iam qui concludet externum ſignum in corpus conuerti, quia corpus μετωνυμικῶς vocatur propter ſacramentalem coniunctionem, non tantùm ſophiſta ſed delirus meritò videatur. Quid enim aliud ſophiſtæ, quàm planè delirant in hoc loco, dum alij aliud fingunt, nec ſeſe tamen expedire poſſunt? Tu rem præclarè confeciſti,

quando *Hoc* significare dicis *totam illam substantiam, quam Christus manibus tenuit*. Illa verò substantia quænã fuit, panis, an Christi corpus? Si panis, tum est verborum μετωνυμικὴ & sacramentalis κατηγορία, quod nos verissimè affirmamus, vos ineptè & improbè negatis. Si corpus, tum transsubstantiatio extitit antequam verba pronunciata sunt, quod palàm cum commentis placitisque vestris pugnat. Deinde hic verborum sensus fuit, *Hoc corpus meũ est corpus meum*, quod nisi duo Christus illo tempore corpora diuersa habuit, verè dici non potuit. Aliud enim corpus fuit, quod illam substantiam dixit esse corpus suum, aliud quod ipsa fuit substantia. Non te vides hîc miserè σοφιστεύειν? Quod etiam mox facis apertissimè, cùm ais illa verba, *Hoc est corpus meum, absque vlla figura verissima esse*. In eo enim principium petis, & sumis vt concessum, quod nullis vnquam argumentis demonstrabis. Hinc quæso quid aliud concludi potuit, quàm tuus iste præclarus solœcismus, *Ergo panis in corpus Christi transmutari fatendum est*? Turpior ne sit solœcismus an paralogismus, vix possum statuere.

DVRAEVS, Fol. 329.

Eiusdem generis paralogismum alium recenses: Adorate scabellum pedum eius: ergo sacramentum adorandum est: *qui si paralogismus est, non à nobis sanè inuentus, sed à beato Ambrosio, & Augustino vsurpatus est. Quod vos de arca Testamenti commenti estis, &c. quis tantam Caluinianorum ignorantiam non*

non admiretur, qui Euchariſtiæ adorationem ex hoc loco non ſine paralogiſmo colligi affirmant poſſe, arcam verò adorandam abſque vllo paralogiſmo ſibi videntur concludere?

WHITAKERVS.

17 Hunc paralogiſmum neque Ambroſius vnquam, neque Auguſtinus vſurpauit. Docent illi Chriſtum adorandum eſſe in myſterijs: ipſa autem myſteria nunquam dixerunt eſſe adoranda. Quantus verò hîc paralogiſmus eſt? Scabellum pedum eius, hoc eſt, vt Ambroſius atque Auguſtinus tradunt, caro Chriſti ſuſcepta de terra adorari debet, idque etiam in ſacramento: ergo ipſum ſacramentum adorandum eſt. Quis enim patrum hoc modo diſputauit? Aut quis ſacramentum vocauit ſcabellum pedum eius? Patres ſecundæ ſynodi Nicenæ multò videntur prudentius concluſiſſe, *Adorate ſcabellum pedum eius, ergo imagines ſunt adorandæ.* Quod de Caluinianis narras, in eo quidem inſulſè calumniatis. Caluinus verè locum tranſtulit, *Adorate ad ſcabellum pedum eius*, id eſt, Deum adorate in templo eius, in quo habitat. Hinc tu colligis Caluinum docuiſſe arcam eſſe adorandam: quo nihil ieiunius comminiſci quiſquam potuit.

Ambroſ. de ſpirit. ſanct. lib. 3. ca. 12. Auguſt. in Pſal. 98.

Pſal. 99. 5.

DVRAEVS, Fol. 329.

Pighio ſophiſma hoc tribuis: Deus non eſt προσωπολήπτης: ergo neminem deſignat ad vitam æternam, niſi merito-

rum

rum ratione: *cui viro idipsum, quod tu ais, excidisse nihil moramur. In Catholicorum Academijs celeberrima est sententia meritorum præscientiam prædestinationis causam non esse.*

WHITAKERVS.

18 Pighij paralogismum agnoscis, & Academiarum vestrarum sententiam cum illius iudicio discrepantem proponis. Eum ergo si placet vestris Academijs exagitandum relinquamus: quanquam forsan plures vestri cum Pighio, quàm cum Academijs sentiunt. Quid si autem Academiæ non idem omnes doceant? Id enim in scholis vestris tritum est, regnum cælorum ijs præparatum esse, qui illud meriti sunt suis benefactis: quod quid aliud est, quàm prædestinationem ad meritorum præscientiam alligare? Si enim nos ab æterno Deus ex sua solius misericordia prædestinauit atque elegit ad vitam, necesse est vitam cælestemque hæreditatem gratuitò nobis donari, non nostris virtutibus comparari, meritisque redimi: quod quando dicitis, prædestinationem aut tollitis, aut ex operum præscientia suspenditis, & Pighium verbis oppugnatis, re defenditis.

DVRAEVS, Fol. 330.

Est & hic paralogismus tuo Whitakere iudicio valde ridicu-

ridiculus, Vngi ægros Iacobus iubet, ergo nobis nunc ægri perungendi sunt. *Si qui aduersa nunc valitudine affliguntur, non minùs cùm corporis tum animæ sanitate opus habent, quàm cùm hæc olim Iacobus scriberet, æquúmne tibi videri potest, vt tam salutari remedio nulla alia de causa priuentur, quàm quòd Luthero aut Caluino non satis arrideat?*

WHITAKERVS.

19 Paralogismum paralogismo defendis. Quid si enim qui nunc aduersa valetudine laborant, non minùs & corporis & animæ sanitate indigent, quàm olim, an sunt propterea vnguentis oblinendi? Quasi olei perfusio vel corpori, vel animę salutē afferat. Fuit primis illis tēporibus symbolum valetudinis restitutæ, quando extraordinaria dona in Ecclesia florebant: nunc signum ab illis retineri ac frequentari, qui muscam sanare nequeunt, plusquam ridiculum est. De Iacobi loco satis multa diximus alibi. Paralogismus est ἄγνοια τοῦ ἐλέγχου.

DVRAEVS, Fol. 330.

De altero etiam paralogismo nihil est cur hîc plura commemorem: sacramentum hoc magnum est: ergo matrimonium est sacramentum. *Ad matrimonium enim hæc Pauli verba propriè vereq́; pertinere abundè iam docui.*

WHITAKERVS.

20 Te verò abundè quidem ex Apostolo refutaui, qui mysterium illud non de matrimonio, sed de Christi atque Eccle-

Ecclesiæ mystica κοινωνία interpretantur. Nam matrimonium nec magni mysterij, nec omnino mysterij nomen meretur: in illo verò arcano vinculo, quod inter Christum atque ipsius Ecclesiam intercedit, multa mysteria versantur. Etsi non nego interdum à patribus communi quadam vocabuli vsurpatione matrimonium dici sacramentum, quia symbolum est illius nostræ cum Christo copulationis. Sed tum verbi ὁμωνυμίαν omnes agnoscunt: huius autem paralogismi vitium est σχῆμα τῆς λέξεως.

DVRAES, Fol. 330.

Paralogismum hîc esse exclamas, Elias & Ioannes in solitudine vixerunt, ergo monachorum vitam ac disciplinam instituerunt. *Verùm si illi ob admirabilem, quam in eremo traduxerunt vitam, in summo apud omnes honore semper fuerunt, nihil equidem obstare video, quo minus præclarum hominibus monasticæ vitæ exemplum reliquisse videantur. Sanctißimi Ecclesiæ patres ab hoc paralogismo minimè abhorruerunt. Chrysost. homil. 1. in Marcum. Hieron. ad Eustoch. Theophyl. in 1. Luc. Isidor. de offic. lib. 12. cap. 15. Quid Augustinum referam, quid Palladium, quid Theodoretum, quid Cassianum, quid Sozomenum, quid Euagrium, quid alios penè innumeros?*

WHITAKERVS.

21 Eliam & Ioannem Monachi sine causa iactant, cùm illis simile nihil habeant. Nam vt de priscis Eremitis loquamur, istos vrbanos mittamus antiquis temporibus incognitos, si Elias missus à Deo cessit furori Iezebelæ, & reliquit hominum frequentiam, seque in montes syluasq;

uasque contulit, an idem illis faciendum eſt, quibus nec tale aliquid Dominus mandauit, & qui in nullo vitæ periculo verſantur? Equidem Eliæ nullo exemplo tam inepta κακοζηλία defendi poteſt. Minùs autem ferendi ſunt, qui Ioannem baptiſtam in latebras ſylueſtres extrudunt, atque illum ſolitariam vixiſſe vitam fingunt. Nam quòd Ioannem Lucas *in deſertis* Luc.1.18.
fuiſſe ſcribit, id de montoſa illa regione Iudæorum intelligendum eſt, in qua Ioannes cum Zacharia habitauit. Ita enim Maria, cùm Elizabetham inuiſeret, profecta eſt εἰς τὴν ὀρεινὴν, hoc Luc.1.39.
eſt, *in montanam regionem*: & Ioannem Matthe- Math.3.1.
us ſcribit in *deſerto* prædicaſſe, quod ille procul dubio inter homines fecit. Etenim in libro Ioſuæ Ioſu.15.61.
ſex ciuitates commemorantur ſitæ in *deſerto Iuda*: & Ioabus dicitur domi ſuæ *in deſerto* ſepul- 1.Reg.2.35.
tus. Potuit ergo Ioannes in deſerto viuere, & tamen non deſerere hominum conſuetudinem, quia plagam illam & tractum, in quo Zacharias habitabat, propter rariores hominum conuentus & concurſus, vulgò *deſertum* vocabant. Quid patres de Ioannis vita ſenſerint, id meâ nihil intereſt, qui plus ſcripturis, quàm patrũ coniecturis deferre didici. Nec ignoro quàm magnificè vitam monaſticam illi prædicent, ſed quàm id rectè faciant, requiro. Nam illud ἀθεόλογον eſt & ἀναπόδεικτον, Patres ita ſenſerunt & docuerunt: ergo hoc credendum eſt, atque ab omnibus ſine controuerſia ſuſcipiendum.

DVRAE-

DVRAEVS, Fol. 331.

De sacramentorum numero paralogismum profers, septem sunt peccata mortalia, ergo septem sunt sacramenta. *Apud quem legeris, vellem ingenuè indicasses. Ignorare non potes quàm solida nobis sunt argumenta, quibus septenarium sacramentorum numerum ex diuinis literis, totiusq; Ecclesiæ consensione probamus. Neque verò noua hæc est ex analogia disserendi ratio. Ita enim Tertullianus olim ex duodecim fontibus Elim, Apostolorum Christi numerum conclusit. Idem Iustinus probauit ex duodecim tintinnabulis.*

Cont. Marc. lib. 4. Iustin. in dia.

WHITAKERVS.

22 Nulli ignotum esse potest, qui sophistarum libros attigerit, quàm præclarè & diuinitus sacramentorum septenarius numerus demonstretur. Ioannes Ludouicus Viualdus magnam copiam demonstrationum effudit. *Conuenienter* (inquit) *cælestis medicus septem instituit sacramenta, quia septem sunt vulnera, quibus infirmatum humanum genus.* Deinde, *Ideo septem sunt sacramenta, quia disponunt nos ad septem virtutes habendas.* Nam baptismus est sacramentum fidei, confirmatio spei, Eucharistia charitatis, pœnitentia iustitiæ, extrema vnctio perseuerantiæ, ordo prudentiæ, matrimonium temperantiæ. Adiungit, *Aut septem sunt sacramenta, quia septem sunt diuersitates hominum in Ecclesia Dei:* prima est intrantium, quibus ordinatur baptismus: secunda est pugnantium, quibus conuenit confirmatio: tertia est vires resumentium, quibus ordinatur Eucharistia: quinta resurgentium,

In libro, qui inscribitur, Aureum opus de veritate contritionis: fol. 128.

tium, quibus instituta est pœnitentia: sexta ministrantium, quibus datur ordo: septima nouos milites introducentium, pro istis institutum est matrimonium. Non persequar alia, quæ sequuntur huiusmodi. Hæc olim forsan valebant, nunc contrita & contempta iacent: tametsi hoc postremum Alanus non putauit omnino repudiandum. Tua verò quæ vocas solida argumenta satis confregimus. Nec tamen ignoramus ista analogia vsos olim esse veteres patres aliquando, vt earum rerum quæ in nouo Testamento apertissimè proponuntur, quasdam ex vetere similitudines caperent. Ita Iustinus & Tertullianus hoc loco multis figuris veteris Testamenti numerum Apostolorum declaratum fuisse scribunt. Si tam apertus esset in nouo Testamento sacramentorum numerus septenarius, quàm Apostolorum duodenarius, hoc patrum exemplo defendere tuos posses. In re autem dubia nihil efficiunt συμβολικὰ argumenta.

Alan. de sacr. cap. 41.

DVRAEVS, Fol. 332.

Paralogismum esse nostrum ais, Deus condidit hominem iuxta imaginem suam, ergo imagines in templis collocandæ sunt. *Adrianus pontifex non tam hoc argumento legitimum esse imaginum vsum demonstrat, quàm sumpto inde scribendi initio ex hominis ad Dei imaginem creatione ostendit, imaginum vsum diuino hoc opere fuisse adumbratum.*

WHITAKERVS.

23 Preclarũ certè Adrianus tuus initiũ scribendi sũpsit ab hoc scripturæ testimonio. Quis .n. ista

imagine,

imagine, quam Deus fecit, vestras imagines adumbratas esse finxisset, nisi aliquis delirus senex, & superstitiosus εἰκονολάτρης? Itaque mirum non est exitum principio respondisse, atq; illos pseudepiscopos ad imaginum religionem confirmandam in synodo Nicena secunda congregatos in illam sententiam frequentes abijsse.

DVRAEVS, Fol. 332.

Nunc manet fides, spes, charitas, tria hæc: maior horum charitas: ergo nos charitate magis, quàm fide iustificamur. *Cùm nihil sit præstantius iustitia, consentaneum videtur vt summum donum à præstantissima virtute promanet.*

VVHITAKERVS.

24 Paralogismus est, παρὰ τὸ μὴ ἁπλῶς, ὡς ἁπλῶς λεγόμενον. Charitatē enim Apostolus non omni modo, sed tantùm κατά τι fide ac spe maiorem vocat quia nempe, vt Chrysostomus scribit, *charitas in altero etiam seculo permanet*, cùm fidei atque spei nullum sit post hanc vitam munus. Nos autem quærimus, non vtra sit diuturnior, fides, an charitas, sed vtra Christum apprehendat, qui nostra est iustitia. Fide autem Christus, non charitate apprehenditur, quia nobis ea conditione Christus offertur, si credimus. Tu verò valde ineptus es, quando cum virtute donum comparas, quasi fidei nos merito beati iustique fieremus.

Chrysost. in 1. Cor. 13. hom. 34.

DVRAE-

DVRAEVS, Fol. 332.

Magni cuiusdam paralogismi loco adiungis, Vadam (*inquis Dominus*) ad locum meum, donec ponant in corde suo, & quærant faciem meam: ergo homines suapte voluntate atque ingenio possunt ad Dominum reuerti. *Cui Catholico in mentem venit, solis hominem naturæ viribus ad Deum posse à peccato reuerti?* Εἰρωνικῶς (*inquis*) *&* μιμητικῶς *dixit. Quid? an tu* εἰρωνικῶς *ad pœnitentiam vocare nos Deum putas?*

WHITAKERVS.

25 Quid psedocathuolici de arbitrij libertate doceant, suprà expositum est. In argumento paralogismus est παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως Illorũ enim hominum personam deus induit, qui cùm nihil beneficentia apud suos ac liberalitate proficiunt, illos deserunt, & suis ingenijs relinquunt. Hinc ergo colligi non debet, in voluntate nostra positum esse, vt nosmet ad deum conuertamus, præsertim si à deo deserimur. Itaque εἰρωνικῶς loquutum esse dominum manifestum est: nec tamen vt tu fingis, nos ad pœnitentiam εἰρωνικῶς hortatur, sed qui Dei benignitate induci non possunt, vt Deum quærant, mirum non est horum ingratitudinem, atq; amentiam à Deo rideri. Tales enim frequentes sunt in scripturis εἰρωνεῖαι.

DVRAEVS. Fol. 333.

Ad sequentem paralogismum propero: Multa præcipit dominus vt faciamus, ergo ea possunt à nobis præstari. *Augustinus hic nullum paralogismum deprehendere potuit. Quis vel in-*

ter homines legiſlator inuentus eſt, qui ciuibus leges præſcriberet, quas à nemine ſeruari poſſe exiſtimaret? Quo denique modo vel obtemperantibus præmia, vel ſupplicia alijs decerneret? Caluinus ait Deum hominum partem in eum finem condidiſſe, vt æterna eos morte damnaret: qua blaſphemia, neſcio quæ maior Deo tribui vel ab atheo poſſit.

Li.3. Inſtit. c.21. ſect.5.

WHITAKERVS.

26 Cùm legem ſuam dominus propoſuit, non quid noſtris viribus, ſed quid ipſius iuſtitiæ conſentaneum eſſet, ſpectauit. Mirum ergo non eſt, ſi multa præcipiantur, quæ noſtras vires omnino ſuperent: itaque non debet ex Dei præceptis noſtra facultas æſtimari, vt quia Deus præcepit, nos poſſe præſtare exiſtimemus. Auguſtinus quidem quando rem habet cum Pelagianis, Deum interdum negat *impoſſibilia* præcepiſſe, quod quo ſenſu fecerit, ſuperiore libro explicauimus. Nam & Adamus illa omnia præſtare potuit, & nos ea in futura vita præſtabimus, & nunc etiam præſtare dicimur, quando quæ non præſtantur, propter Chriſtum ignoſcuntur. Sic mentem Auguſtinus ſuam perſpicuè declarauit: multiſque locis diuinæ legi à nemine in hac vita ſatisfieri poſſe docuit, quemadmodum antè oſtendimus. Argumenta tua à politicis rebus ſumpta nihil concludunt. Nam & legiſlatores ipſi homines ſunt, & diuina non ſunt ex humanis metienda: deinde, ſi hominem primum ſpectamus, eius naturæ lex congruebat. Aequúmne verò fuit, vt poſtquam nos Deus integros condidiſſet, & nos noſtra ſponte pec-

caſſe-

cassemus, suam Deus iustitiam mutaret, & leges ad nostrum ingenium peccato corruptum & contaminatum accommodaret? Si crudelem fuisse Deum putas, quòd ea præceperit, quæ nullus præstare posset, quid Eusebio respondes, cuius hæc verba sunt, Θεώρησον δὲ καὶ ἄλλως τὰ ἀδύνατα *Euse. de de-* πᾶσιν ἀνθρώποις τῆς μωσέως νομοθεσίας? Ita legem Mosis a- *monstr. E-* pertè affirmat à nullis hominibus seruari potu- *uang. lib. 1.* isse. Atque eo modo Thomas scribit, *Moses* *Thom. in* *multa quidem præcepit, quæ nullus implere potuit,* *Galat. 3.* *ad domandam Iudæorum superbiam.* Caluinus po- *lect. 4.* stremò nihil aliud tradit, quàm quod scripturæ clarissimis verbis docuerunt. Salomon inquit, *Omnes operatus est deus propter seipsum: etiam im-* *Prou. 16. 4.* *pium in diem malum.* Et Paulus ait, *vasa iræ coag-* *Rom. 9. 22.* *mentata esse ad interitum.* Quare cælestem hanc doctrinam nulli præterquam Athei damnabunt.

DVRAEVS, Fol. 334.

Paralogismus tibi est, Whitakere, Christus descendit ad inferos, ergo patres è limbo extraxit. *Explica igitur si potes quorsum Christus ad inferos nisi patres liberaturus descendit. Quid aliud Zacharias prædixerat, c. 9? Et alius propheta,* Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem: *Psal. 67. Nondum enim teste Paulo, propalata erat sanctorum via, priori tabernaculo adhuc statum habente: Hebr. 9. Hieron. de obit. Blesillæ. Origen. in ca. 5. ad Rom. Basil in Psal. 48. Ambros. lib. 3. de fide, cap. 3. Nazianzen. in epitaph. Basil. August. 137. & epist. 99. Neque verò te latet, quàm Puritani in vos grauiter inuecti sunt, quòd in Apostolorum symbolo versibus Anglicis reddito sic canatis;*

His sprit did after this descend,
Into the lower parts:
To them that long in darkenesse were,
The true light of their hearts: *id est,*

Tunc ima Christi spiritus ad loca
Descendit, & lux splendida cordium
Illuxit illis, quos tenebræ
Nube diu tenuere cæca.

WHITAKERVS.

27 Vt Christum ad inferos descendisse vel maximè fateamur, nō tamen illum eam ob causam descendisse sequitur, vt patres è limbo extraheret. Ita paralogismus est in argumēto, cùm sumitur pro concesso, quod versatur in quæstione. Me verò nihil est quod interroges, quamobrem ad inferos Christus descenderit, qui Christi animam à corpore solutam non modò ad inferos nequaquam descendisse, sed mox in cælum sublatam esse credam. Tu primùm doce sic descendisse ad inferos Christum, vt vos putatis, tum hanc descensionis illius fuisse causam, quam fingitis. Nā hæ scripturæ de limbo nihil loquuntur. Zachariam suprà explanauimus. Propheta Dauid de Christi in cælos ascensione ac sessione ad dexteram Dei vaticinatus est. Sed quale argumentum est, Christus de hostibus suis triumphauit, partaq; victoria in summos cælos ascendit, ergo descendit ad inferos, vt patres è limbo educeret? Si hoc ineptum est, illud multò ineptius ex epistola ad Hebræos sequitur. Stante tabernaculo nondum patefacta est via in sacrarium, id est, illis sacrificijs, quæ in priore taber-

naculo

naculo fiebant, non sumus reconciliati deo: ergo pulli in cælum ascenderunt, antequam Christus ex inferis emergeret, suoq; ascensu cælum aperiret. Patrum in hac causa testimonijs supersedere, tuoq; labori parcere potuisses. Nam sine scripturis nihil te patres iuuare poterunt. De versibus Anglicanis, quos commemoras, responsum ab eo pete, qui versus ipsos condidit.

DVRAEVS, Fol. 335.

Alium mox nobis tribuis. Ecclesia scripturas dijudicat: ergo ecclesiæ maior est quàm scripturarum authoritas. *Non immeritò scripturas dijudicare ecclesia dicitur, quæ spiritu sancto afflata, sponsi sui vocem atque verba optimè cognoscit. Neque maiorem ecclesiæ, quàm scripturæ sacræ authoritatem esse Catholici dicunt. Aequum est vt in discernendis scripturis, non suo quisque enthusiasmo, quod vos facitis, sed ecclesiæ iudicio nitatur.*

WHITAKERVS.

28 Vera ecclesia scripturas agnoscit & dijudicat, quia prophetarum & apostolorum fundamento nititur. Interim scripturis summam authoritatem tribuit, ijsq; obtemperat. Vestra autem pseudecclesia nō id modò sibi sumit vt scripturas sacras dijudicet, sed eas etiam suo iudicio interpretetur, cogitq; omnes Christianos in illa interpretatione quantumuis manifestò falsa acquiescere. Nam vt mille proferas ex scripturis argumenta, & te nihil planè aliud docere, quàm quod scriptura tradidit clarissimè demonstres, te tamen sola ecclesiæ, hoc est Romani pontificis authoritate isti refutabunt, & hæreticum, nisi

ſententiam mutaueris, pronunciabunt. Qui ſic ſcripturas dijudicant, maiorem ſibi vendicant, quàm ſacris literis relinquunt authoritatem. De enthuſiaſmo quod ſubiungis, nihil aliud eſt, quàm putidum probrum.

DVRAEVS, Fol. 336.

Illud quale ſit videamus, quod pro magno haberi paralogiſmo vis, Iubet Paulus Theſſalonicenſes, vt traditiones teneant quas fuerant edocti, ergo non omnia quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, literis ſunt prodita. *O ſagaciſſimos Caluinianos! Cùm Theſſalonicenſes Paulus ita alloquitur,* State & tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram: *An non luce clarius eſt, multa eum Theſſalonicenſibus commendaſſe, quæ literis minimè mandaret? Nihil hic paralogiſmi, ſi magno illi Dionyſio credimus, c.1. Eccleſ. hierarch. Baſil. lib. de ſpiritu ſancto, c.29. Chryſoſtomo hom.1. in acta. Epiphanio, hereſi.61.*

WHITAKERVS.

29 Huius paralogiſmi multa vitia ſunt. Primum enim non eſt neceſſe, ſi Theſſalonicenſes Apoſtolus & verbis & ſcriptis docuit, vt alia illum verbis, alia ſcriptis docuiſſe exiſtimemus. Quid enim impedit quò minus quod ſermone præſens tradiderit, literis deinceps commendaret? Deinde quàm illud ἀνακόλουθον eſt, Apoſtolus non eſt complexus Epiſtola illa, quam ad Theſſalonicenſes ſcripſit, quicquid illos viua voce docuerat, ergo aliquid Apoſtolus docuit, quod neque in alijs illius Epiſtolis, neque in reliquis ſcrip- *2. Theſ. 2.15*

scripturarum libris reperitur? Postremò vt fingamus multa esse prætermissa, vnde tamen illa esse ad salutem necessaria intelligemus? Num enim sequitur, Paulus non scripsit omnia, ergo non omnia ad salutem necessaria? Tam multi sunt in hoc argumento errores παρὰ τὸ ἑπόμενον. Dionysium tuum mitto, de reliquis respondeo quod tibi satisfacere possit: primùm quod affirmant nonnulla Apostolos ἀγράφως tradidisse, id ex nullis scripturæ testimonijs cognosci potest: deinde non dicunt illa, quæ traditione non scripta continentur, esse ad salutem necessaria. Tu verò ex hoc Apostoli loco docere debes, non modò aliquid, quod Apostoli tradiderunt, nunquam esse sacris literis proditum, sed illud etiam ita esse necessarium, vt eo sublato seruari nequeas.

DVRAEVS, Fol. 337. &c.

Illud quoque Catholicorum sophisma vocat: Ipse seruabitur, ita tamen vt per ignem: ergo per ignem purgatorium ad vitam peruenitur. *Hoc loco Augustinus non esse paralogismum vllum credidit in Psal. 37. Origen. hom. 12. in Ierem. Basil. de spiritu sanct. c. 15. Ambros. in Psalm. 118. Dies Domini vel extremum iudicij diem significat, vel illum certè, quo singulos homines post mortem est iudicaturus. Basilius, Nazianzenus, alijq́; veteres Ecclesiæ scriptores in ipso iudicis aduentu quosdam illo igne purgandos senserunt.*

WHITAKERVS.

30 Hunc ignem cuius Paulus meminit, flammis purgatorijs dissimilem esse ex ipso loco multis modis constat. Nam Paulus de culpa 1. Cor. 3. 15.

 loqui-

loquitur: in purgatorio autem non culpæ exu-
runtur, sed culparum pœnæ perferuntur. Tum
Paulus ignis examinationi cuiusque opus per-
mittit, siue aureum, siue ligneum: isti in ficta
purgatorij flammas non nisi lignum, & fœnum,
& stipulas conijciunt. Deinde Paulus scribit ho
igne cuiusque opus manifestum fieri, quod de
purgatorio igne intelligi non potest, cùm ipse si
occultissimus, nec vllam vnquam lucem ostēde
rit. Postremò ignis nomen sumi μεταφορικῶς null
dubium esse potest, nisi fortè de vero etiam au
ro, & argento, & fœno, & ligno loqui Apostolum
existimemus: at ignis purgatorius, si horum in
somnijs credimus, verus est, non μεταφορικὸς, & tan
tùm superat calore nostrum, quantùm noster pi
ctum. Alius ergo ignis est, quem Apostolus sig
nificat, nempe spiritus sanctus, qui tanquam ig
nis omnem doctrinam probat, atque adulteri
nam à vera secernit. Ambrosius in eodem libro
quem tu citas, cùm nullam purgatorij mentio
nem facit, tum hunc ignem de Christi sermone
intelligit, *Ignis ergo hic* (inquit) *sermo Christi est*.
Quanquam non ignoro veteres patres interdum
aliquid de illo igne suspicari, Origenem tuum se
quutos: quàm autem timidè ac dubiè, testatur
Augustinus. Sic enim scribit, *Tale aliquid post
hanc vitam fieri incredibile non est: & vtrum ita
sit, quæri potest*. Et in alio loco, *Non redarguo,
quia forsitan verum est*. Deinde patres plerique
purgationem istam in Christi aduentu futuram
existimarunt, vt tu fateris, quod à Pontificiorum
igne purgatorio, alienum est. Chrysostomus
ait,

Ambros. in Psal. 118. Serm. 18.3.

August. Enchir. c. 69. De ciuit. Dei lib. 21. c. 26.

ait, *Deus quando peccata abolet, nullam reliquam facit cicatricem, nullum vestigium sinit manere: sed vnà cum sanitate eximium etiam confert formæ decus. Simul enim atque eximit pœna, donat & iustitiam: peccatorem enim facit parem ei, qui non peccauit.* Nihil ergo purgatorio reseruatur. Tertullianus ait, *Exempto reatu eximitur & pœna.* Nulla ergo pœna restat in purgatorio luenda. Hieronymus ait, *Quod tegitur, non videtur: quod non videtur, non imputatur: quod non imputatur, nec punietur.* Nullum ergo peccatum, quod hîc remissum fuit, pòst vindicatur: nam Christus pœnam peccatis omnibus etiam minimis debitam pertulit. De die Domini ineptissimè commentaris. Adeo es in sacris literis hospes, vt *die Domini* præsentis etiam vitæ tempus sæpissimè declarari nescias? Ne multa loca commemorem, sic Propheta Ezechiel habet, *Propinqua est dies Iehouæ: cùm inuadet gladius Ægyptum.* Sed hîc planè dormitabas. Non enim Apostolus ait, *Dies Domini declarabit*, sed simpliciter, ἡ γὰρ ἡμέρα δηλώσει: id est, *Dies enim declarabit.*

Chrysost. in proœm. in Isaiam. *Tertull. de baptis.* *Hieron. in Psal. 31.* *Esai. 53.6.* *Ezech. 30.3.* *1. Cor. 3.13.*

DVRAEVS, Fol. 339.

Meliùs fortasse atque fæliciùs tua defendes, quàm oppugnasti nostra. Ac primùm vobis σκιαμαχίας vitium Campianus obiecit, cuius exemplum certè aptissimum mox addidit: Contra cœlibes (*inquit*) iuratos, quòd nuptiæ bonæ sint, virginitas melior, afferuntur scripturæ loquentes honorificè de coniugio. Quem feriunt? *Hîc tu Syricium atque Innocentium secundum feriri respondes, eósque ais, multa de coniugio abiectè, contumeliosè, nefariè loquutos esse. Quo nihil à te dici impudentius potuit. Matrimonium tam sanctum est, vt etiam sacramentum sit.*

Sciamachia.

WHITAKERVS.

31 Satis adhuc fæliciter videor & mea defendisse, & vestra oppugnasse: te verò in istis caussis infælicissimè versatum esse hactenus omnes perspiciunt. De Syricio atq; Innocentio non est necesse nunc plura dicere: quare ad σκιαμαχίαν tuam veniamus. Cur verò nullum scripturæ testimonium profers ex quo virginitatem esse coniugio sanctiorem constet? Non minùs enim scripturæ de nuptijs honorificè, quàm de virginitate loquuntur; ex quo perspicuum est tam sanctum esse matrimonium, quàm virginitatem. Quando ergo scripturas honorificè de matrimonio loquentes afferimus, æqualem esse matrimonij ac virginitatis sanctitatem apertissimo spiritus sancti testimonio demonstramus. Quæ enim hęc sanctitas est? Num omnes sancti sunt, qui cœlibem vitam degunt? At nullos esse impuriores totus terrarum orbis locupletissimè testatur. Ita in ipso vitæ genere nullam esse sanctitatem intelligimus: & quicquid est in cœlibatu sanctitatis, id nascitur aliunde: quare nihilo sanctior est coniugio cœlibatus. Si enim esset, tum cœlibes sanctiores esse, quàm coniuges oporteret. Id cùm omnes falsissimum videant, sequitur nullam esse in ipso cœlibatu sanctitatem, quę non in matrimonium etiam cadat. Quàm autem absurdè matrimonium & sacramentum faciatis, & tamen cœlibatum eo sanctiorem esse doceatis, omnes facilè agnoscunt. Aequius sanè fuit cœlibatum

esse

esse sacramentum, quàm matrimonium, cùm matrimonio sanctior sit opinione vestra cœlibatus.

DVRAEVS. Fol. 339 340.

Videamus tamen tuum argumentum constringendo fortius effi-dis. Si nuptiæ *(inquis)* sunt in quouis hominum genere honorificæ, lectúsque sanctus, in nullis censeri debent inhonestæ aut impuræ. *At verum est antecedens: ergo consequens. Quid est σκιαμαχεῖν, si hoc non est? Non Campianum modò, sed Paulum etiam tuo hoc argumento confecisti. Nam & in illis viduis honorificæ erunt nuptiæ, quas ille, quia nubere volunt, damnationem habere dixit. Quòd Tatiani nobis, Eucratitarum, aliorumq́ hæreticorum errorem tribuere conaris, frontem te non perfricuisse modò, sed omnino perdidisse ostendis. Quis vnquam Catholicus nuptias pares scortationibus fecit?*

WHITAKERVS.

32 De hoc Apostoli loco aliquoties iam suprà diximus. Argumentum fortius constrictum est, quàm vt dissolui à te possit. Quid enim comminisci potes, quo minùs nuptiæ cùm sint in quouis hominum genere & honorificæ, & sanctæ, æquentur virginitati, præsertim cùm nusquam scriptura dixerit, virginitatem esse in omnibus honorificam & sanctam? Illas verò viduas Apostolus damnandas esse scribit, non quòd nupserint, sed quòd fidem ac professionem Christianam abiecerint, quemadmodum suprà copiosè docui. Quòd autem frontem hîc meam accusas, quàm id nulla fronte facias manifestum est. Vt enim multiplices contumelias prætermittam, quibus vestri matrimonium affecerunt, nulli ignotum est, quibus argumẽtis hypodiaconos Innocentius secundus à nuptijs deterruerit,

quia

quia cùm debent eſſe ſancti & ſacraria ſpiritus ſancti, non oportet eos immunditijs, & cubilibus inſeruire, quemadmodum antè accepimus. Quid hoc aliud eſt, quàm ſcortationibus pares eſſe nuptias? aut quid vnquam ipſe Tatianus dicere potuit in nuptias iniquum magis & ſceleratum?

DVRAEVS, Fol. 340. 341.

Contra meritum hominis Chriſtiani promuntur teſtimonia *(inquit Campianus)* quibus iubemur nec naturæ, nec legi, ſed ſanguini Chriſti fidere. Quem iſta refellunt? *Reſpondes*, Quæ contra hominum merita diſputantur, ea vos apertiſſimè refellunt: natura corrupta eſt, & lex morbum indicat, non ſanat: ſpes ergo ſalutis noſtræ omnis in Chriſti ſanguine collocatur. *Omnia bonorum operum merita non niſi ex Chriſti ſanguine vim ſuam atque efficieṫiam habere perſpicuè docemus. Paulus ait, 2. Theßal. 1. vt digni habeamini regno Dei. 2. Timoth. 4. repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi iuſtus iudex. Hebr. 6. Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri. Quoties verò vita æterna iuſtorum merces in ſcripturis vocatur? Sapient. 5. Math. 5. Hebr. 10. Apoc. 2. merces verò ſine merito eſſe non poteſt.*

WHITAKERVS.

33 Quis vnquam putaſſet eò blaſphemiæ proceſſuros ſophiſtas, vt Chriſti ſanguini iuſtitiam, redemptionem, ſalutem noſtram detraherent, eamque meritis noſtris eodem Chriſti ſanguine tinctis aſcriberent? quaſi Chriſtus mortem obierit, & ſanguinem ſuum profuderit, non vt ipſe nos ſuo ſanguine ſeruaret, ſed vt noſtris operi-

operibus hanc vim tribueret? Tingi quidem opera nostra Christi sanguine fatemur, vt quę prius erant penitus impura, & Deo odiosa, nunc illi propter Christi sanguinem placeant: sic autem tingi, quemadodum sophistæ sacrilegè fingunt, vt vitam æternam hoc modo mereantur, id verò scripturæ totæ pernegant, & Christo, eiusque sanguini iniuriosum esse clamant. Nam antè multis scripturarum patrumque testimonijs euicimus, opera nostra, quantumuis bona, vitio tamen aliquo laborare. Cùm ergo opera ipsa expiatione indigeant, mereri summam fælicitatem nequeunt. Paulus ait, *Vnus Deus est, vnus etiam mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus: qui semetipsum dedit redemptionis precium pro omnibus*. Si verò opera nostra sanguine Christi imbuta Dei iram placare, nostramque redemptionem conficere possunt, non vnum certè redemptorem & mediatorem esse constat, cùm operibus quisque suis redimatur. At Christus mortuus est, non vt nostris operibus diuinam efficacitatem merendi afferret, sed vt nostra peccata expiaret, quemadmodum scriptura infinitis locis clarissimè docet. Si verò mortuus est vt peccatorum remissionē morte sua nobis impetraret, quàm illud horrendū est, vt Christum non perfecisse quod in se suscepit, sed rem omnem in nostra opera transtulisse dicas. Si enim morte Christi nobis omnia peccata remittuntur, quid in nostris operibus remissionem peccatorū quærimus? Christus autem ipse sua morte sustulit peccatum mundi: Christi sanguis pro multis effusus

1. Tim. 2. 5. 6.

Ioan. 1. 29. Matth. 26. 28.

1.Pet.2.24. Esai.53.6. Act.10.43. effusus est in remissionem peccatorum: Christus peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum: in Christũ imposita est iniquitas omnium nostrûm: quisquis in Christum crediderit, remissionem peccatorum per nomen eius accipiet. Hæc satis indicant remissionem omnem peccatorum ex solo Christi sanguine, non ex
Esai.43.12. nostris meritis pendere. Dominus ait, *Ego ipse deleo peccata tua propter me*: non propter merita tua. Deinde si nostris meritis Christi sanguine tinctis fidendum est, tum non soli Deo fidendum est, nisi fortè hæc merita, quæ Christi sanguis tinxit, in Deum commutentur. Pau-
1.Cor.4.4. lus quidem cùm præstantissimis operibus a-
Gal.6.14. bundaret, his se iustitiam & vitam meritum esse tamen negauit: nec in vlla re præterquam
Deut.9.4. in cruce Christi gloriari voluit. Iudæos prohibet Moses ne putent propter suam iustitiam se in terram Cananæam introductos esse: nos sophistæ docent propter merita nostra cælestem hæreditatem vitamque consequi. Quid coner pluribus profanum & blasphemum commentum refellere? Ad tua nunc argumenta venio, quæ duo sunt. Dignos nos regno Dei scriptura fieri, & vitam æternam esse mercedem testatur. Breuiter ad vtrumque respondeo. Primùm non sequitur, sumus digni, ergo propter merita nostra. Omnis enim nostra dignitas in Christi meritis consistit. Deinde merces non arguit meritum, vt tu ineptè somnias. Merces enim quædam gratuita est, vt omnes norunt, quæ benignissimè donatur, non meri-

meritis persoluitur. Mercedis scriptura sæpius meminit, meriti nunquam.

DVRAEVS, Fol. 342. &c.

Quicquid pro debito exigitur (*inquis*) meritum non est. Quidquid autem agimus, id totum debitum est: quare nullum est omnino nostrum meritum. *Quasi verò vestrum hoc ac non potius D. Thomæ argumentum esset 1. 2. quæ. 104. art. 1. Erras Whitakere dum meritum esse nullum putas, vbi quod agitur debitum est. Quid enim? An non cœlestes illos ac beatos spiritus beatitudinem meruisse rectissimè dicemus? An non primi illi generis humani parentes, si innocentiam seruassent suam, beatitudinem mereri potuissent? At neque in angelis, neque in primis illis hominibus quidquam erat, quod Deo non optimo iure deberetur. Hieronymus ait*, Ideo præcipit, vt causas habeat remunerandi: *neque dubitauit Augustinus nostra merita Dei dona appellare*. Cùm bonis iustorum operibus æternæ vitæ mercedem promiserit, neque fallere omnino, mentiri, aut seipsum negare possit, hanc sibi veluti legem imposuit. *Istam doctrinam Augustinus perspicuè confirmat in psal. 83. & psal. 100.* *Hieron. ad Cleant. August. lib. 9 confess. c. 13*

WHITAKERVS.

34 Argumentum hoc non ex Thoma, sed à Christo, & Paulo didici. Christus enim ait, *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus: nam quod debuimus facere, fecimus*. Si Dominus seruo, quem non fecit, & cui nullam agendi vim præbuit, gratiam tamen pro omnibus officijs nullam debet, quia seruus contrà Domino debet, quidquid *Luc. 17. 10.*
omnino

omnino præstare poteſt: quanto minus nobis Deus aliquid debebit, quos & creauit, & redemit, & viribus donauit? Si fecimus quod debuimus, gratiam non meremur, quia debuimus, antequam fecimus: merentur enim aliquid, qui faciunt, quod non debent. Paulus verò nos de-
Rom.8.12. bitores vocat, quod planiſſimè omnem debitorum rationem excludit. Nunquam enim quod debitum eſt, meritum eſſe poteſt, niſi cùm nos Deo omnia debeamus, nobis contrà Deum debere omnia exiſtimemus, atque ex debito non debitum faciamus. Qui debet pecuniam, tam inſanus erit, vt ea ſe aliquid ab illo redimere poſſe ſperet, cui illam debet? Quàm verò præclarè Thomas reſpondeat, non eſt difficile dijudicare.
1.2.q.114. Art.1.ad 1. Sic enim ait, *Homo in quantum propria voluntate facit illud quod debet, meretur:* quaſi hoc ipſum non ſit debitum vt propria voluntate faciamus.
ad.3. Itaque coactus eſt ad extremum, vt Deum ſibi potiùs, quàm nobis debitorem eſſe fateretur.

Nunc quemadmodum tu me erraſſe doceas, videamus. Angeli (inquis) beatitudinẽ meruerũt, & primi parentes noſtri mereri potuiſſent, in quibus tamen nihil erat, quod non Deo deberetur. Primùm quis non videt res diſſimiles comparari? Noſtra enim opera multis modis vitioſa ſunt, nec perfectioni legis diuinæ reſpondent. Angeli verò, parenteſque noſtri ante lapſum puras mentes, & integras vires habuerunt. Tum etiam, cui dubium eſt, ſi Chriſtus verè docuit inutiles eſſe ſeruos, qui quę iubentur

tur omnia præstiterint, cùm nihil aliud omnino fecerint, quàm quod debuerant, quicquid autem angeli habent, aut parentes nostri habuissent, id non illorum meritis, sed Dei gratuitæ misericordiæ tribuendum esse? Quæ affers ex Hieronymo atque Augustino tam multa, vno verbo expediri possunt. Nostris operibus Deus amplissimam mercedem tribuit, quia ipsius in Christo filij sumus, & ad regni cælestis hæreditatem vocamur: quam ille nostris quidem operibus, sed non propter operum nostrorum merita & dignitatem reddit. Cùm ergo disputas, remuneratur opera nostra Deus, & nobis coronam debet, & factis mercedem reddit, ergo nos nostris operibus æternam vitam meremur, & ipse erras turpissimè, & alios in errorem inducere conaris. Est enim Dei hæc gratuita remuneratio, debitio, merces.

DVRAEVS, Fol. 345.

Nunc alterum eiusdem generis syllogismum audiamus tuum: Si per legem est iustitia, sine causa Christus mortuus est: at si per merita iustificamur, per legem iustificamur: ergo si per merita iustificamur, Christus sine causa mortuus est. *Si ijs Catholici meritis iustificari hominem dicerent, quæ suis ipse viribus sola legis conditione adiutus præstare posset, haberet certè probabilitatis aliquid ratiocinatio tua. Dum meritis, quæ ex Christi gratia fluunt iustificamur, non per legem nos, sed per gratiam iustificamur.*

WHITAKERVS.

35 Nihil hac reſponſione putidius excogitari potuit. Adeóne enim hoſpes es in Apoſtolicis Epiſtolis, vt Paulo rem fuiſſe neſcias cum ijs, non qui ſuis viribus & ſola legis conditione ſe iuſtificari ſperabant, ſed qui legis opera cum fide tãquam neceſſaria ad ſalutem ſubſidia coniungebant? Galatæ enim Chriſti fidem ſuſceperant, nec Chriſtum à iuſtificatione excludebant: ſed tamen ſine legis operibus haud ſe poſſe iuſtitiam conſequi putabant. Eadem veſtra cauſa eſt, niſi fortè nondum intelligis quid ipſi de iuſtificatione ſentiatis. Quare ſi hoc Apoſtoli argumentum contra Galatas firmum fuit, contra vos etiam eodem modo valebit. Quando ergo in lege iuſtitiam quæritis, Chriſti mortem abrogatis. Atque hoc eſt, quod in ea-
Gal 2.21. dem Epiſtola Apoſtolus ſcribit, *Si data fuiſſet lex*
Gal.3.21. *quæ poſſet viuificare, verè ex lege eſſet iuſtitia*. At
18. hæreditas eſt ex promiſſione, non ex lege, quam promiſſionem prorſus gratuitam intelligi oportet, quandoquidem lex etiam promiſſionem habet, ſed operum conditione alligatam. Ita ſi operibus iuſtificamur, nihil inter legem ac promiſſionem intereſt. Illud verò Ieſuiticum eſt, nempe ἀθεόλογον, quod dicis, meritis ex gratia fluentibus iuſtificari, non eſſe per legem iuſtificari. Nunquam te iſtius inertiæ pudebit? Quid enim? Nónne opera ſemper legis ſunt, ſiue ante fidem, ſiue poſt fiant? Cur ergo legem nobis eſſe neceſ-

ſariam

ſariam docetis, niſi vt lege iuſtificemur?

DVRAEVS, Fol. 345. &c.

Tertium σκιαμαχίας exemplum Campianus profert. Hîc Whitakere toto quod dicitur cælo aberras. Non enim ſanctos nos, vt Deos colimus, ſed vt Dei amicos, ſeruóſque chariſſimos inuocamus. Paulus Apoſtolus Corinthiorum, Romanorum, & aliorum ſe precibus adiuuari poſtulauit. Iiſdem nos calumnijs aggrederis, quibus maiores noſtros patriarchæ illi veſtri gentiles, philoſophi, Apoſtatæ, hæretici aggreſſi ſunt. Sic Maximus Maudarenſis ad Auguſtinum ſcripſit: Epiſt. 43. Eadem querela Manichæis olim familiaris fuit, Auguſt. cont. Fauſt. li. 20. c. 4. Quid de Iuliano loquar apoſtata? Cyril. lib. 6. contra Iulian.

WHITAKERVS.

36 Hæc σκιαμαχία veſtram θεομαχίαν ſatis refellit. Scripturas enim perſpicuas ac frequentes afferimus, quibus vnum Deum inuocare atque adorare præcipimur, & vllam diuini cultus partem ad alios transferre prohibemur. Nec illa veſtram idololatriam vmbra defenſionis conteget, quòd ſanctos dicis à vobis, non vt Deos, ſed vt Dei amicos inuocari. Nam iſte honor cum nullis Dei amicis communicari debet. Quantæ verò amentiæ eſt cùm Deum ipſum adire atque alloqui poſſis, preces tuas ac teipſum Dei amicis commendare? Dominus ait, *Inuoca me:* nec vllum alium pij vnquam, præterquam vnum Deum leguntur inuocaſſe. Christus iubet vt quando precamur, dicamus *Pater noſter qui es in cælis.* Non ergo ad Dei amicos, ſed ad ipſum Deũ accedere debemus. Paulus ait, *quomodo inuocabũt, in*

Pſal. 5. 15.
Luc. 11. 2.
Rom. 10. 14.

quem non credunt? Si ergo ſanctos inuocamus, in ſanctos credimus. Cùm verò quicquid ſine fide ſuſcipitur, Deo ingratum ſit, & fides ex Dei verbo naſcatur, hunc ſanctorum cultum neceſſe eſt Deo maximè diſplicere, quia nullo Dei verbo comprobatur. Huc etiam accedit, quòd ſancti nec vbique ſint, vt nos vbique precantes audiant, nec mentium noſtrarum cogitationes & internos ſenſus inſpicere poſſint, vt veréne an fictè precemur, intelligant. Quod de Paulo refers Corinthiorum, & Romanorum ſe precibus adiuuari poſtulante, tuam & argumentorum & ingenij inopiam arguit miſerandam. Viui iubentur alij alios ſuis precibus adiuuare: de mortuorum precibus nullum in ſcripturis verbum legitur. Tum viui poſſunt alij aliorum ſtatum cognoſcere: mortuis viuorum res notas eſſe vnde intelligemus? Poſtremò num Romanos Paulus, aut Corinthios, aut alios precibus inuocauit, quemadmodum vos ſanctos ſoletis? Quid quæſo afferri ineptius potuit? De Ethnicis, philoſophis, apoſtatis, hæreticis, quorum nos ſimiles videri vis, reſpondeo nihil eſſe diſſimilius. Nam illi mortuos à Catholicis adorari falsò putabant, vobis nos non alium mortuorum cultum obijcimus, quàm qualem ipſi agnoſcitis. Nam mortuos palàm colitis, adoratis, inuocatis, quod olim catholici à ſe alieniſſimum eſſe teſtabatur. Sic enim Maximo huic Madaurenſi grammatico reſpondit Auguſtinus, *Scias à Chriſtianis catholicis nullum coli mortuorum.*
Auguſt. Epiſt. 44. Et in alio loco, *Honoramus eos charitate, non ſeruitute:*

nitute: nec eis templa constituimus. Sic Vigilantio Hieronymus, *Quis O insanum caput aliquando martyres adorauit*? Quod de Fausto dixit Augustinus, de te mihi licet vsurpare, *Si Duraeus cogitaret, non tam disertè deliraret*. *De vera relig. cap. vlt. Hieron. aduers. Vigilant.*

DVRAEVS, Fol. 348. &c.

Iam quod addis, Nos diuos inuocando, omnibus in locis praesentes eos facere, meram esse calumniam perspicuum est. *Sanctos multis simul in locis, ijsque maximo interuallo disiunctis diuina virtute esse posse minimè dubitamus. Si in terris Elizeus absentem licèt seruum Giezi munera accipientem vidit: an non tibi consentaneum videtur, vt quae in terris agimus, sancti etiam absentes queant intueri? Vtinam differentem hac de re Augustinum audires, lib. de cur. pro mort. c. 15. & 16. Ex quibus perspicuum est neque absurdum beato Augustino videri, pluribus simul in locis sanctos versari, neque qui sanctos inuocant, eos omnibus in locis praesentes facere, cùm & absentes iuuare possint: quod & sanctus Maximus eleganter expressit, in natali Naza. & Celsi. In eandem sententiam Hieronymus Vigilantio respondit.* 4. Reg. 5.

WHITAKERVS.

37 Hîc te nobis tui similem prębes, hoc est, egregium sophistam, & merum Iesuitam. Quid enim istae sibi tam ridiculae ineptiae volunt? Sanctos vbique inuocandos esse concedis, & tamen vbique praesentes adesse negas. At qui sanctos inuocant, id sibi primùm persuadent, illos adesse, & preces omnes audire, immo

cogitationes etiam ipsas cognoscere: aliàs enim sic nunquam delirarent, vt absentium opem implorarent. Qui Thomam apud Indos colunt, præsentem esse in India Thomam existimant: similiter, qui Romæ, Parisijs, Venetijs, Babylone, denique remotissimis & disiunctissimis locis Thomam inuocant. Aut verò abest Thomas quibusdam locis, aut hos simul omnes tam longinquis regionibus & spatijs precantes audit. Ita quod Deo soli conuenit, vbique erit Thomas. Si enim vbique locorum Deum inuocamus, quia nullus locus diuina præsentia vacat, Deos etiam esse sanctos, & presentes in omnibus locis versari oportet, si in omnibus locis inuocantur. Erit enim illud semper Basilij firmissimum argumentum, spiritum sanctum esse Deum, quia preces piorum audit, quocunque tandem loco fiant.

Verùm attendite (quæso) Academici sophisticum stuporem nostri Iesuitæ: non audet affirmare in omnibus locis presentes esse sanctos, tamen in multis simul locis, ijsque disiunctissimis esse posse non dubitat, quod magis absurdum est, quàm alterum. Si enim sancti in multis, ijsque disiunctissimis locis præsentes esse possunt, quid impedit, quò minùs sint in omnibus? Quod enim facit vt in multis sint, idem vt in omnibus esse possint faciat est necesse. Etenim si in multis sunt, incircumscriptam, & infinitam, ac proinde diuinam naturam habent. At hoc ne angelis quidem tributum est. Etenim vt Damascenus ait, sunt angeli περιγραπτοὶ. *Quando enim in cælo sunt, non*

non sunt in terra: & quando in terram à deo mittuntur, non permanent in cælo. Atque hoc ipsum Thomas apertissimè docet, cuius te discipulum profiteris. Si verò angeli in multis simul locis esse nequeunt, multò minùs sancti possunt. De Elizæo & Augustino iam semel respondi: & te miror argumento tam inepto iterum vti voluisse. Nam hoc de Elizęo argumentum multò magis ad terrestres quàm cælestes sanctos pertinet. Num verò etiam sanctos in terra versantes tanta facultate præditos esse censes, vt in multis simul locis esse possint? Quanquam autem Gehezin munera accipientem vidit Elizęus, tamen Shunamitidis filium mortuum esse nesciuit. Siccine ergo disputabis, Deus interdum sanctis suis dum viuerent, quid in locis remotis fieret patefecit, ergo sancti post hanc vitam in multis simul locis sunt, vt omnium vbique preces audiant? Maximus & Hieronymus pompæ causa introducti sunt: neuter enim aliquid scribit, quod tuam causam attingat, nec quisquam præter te sic vnquam desipuit, vt in multis simul locis esse sanctos somniaret.

Damasc. lib.2.ca.3.
Tho.1.q.52 art.2.
2.Reg.4.27.

DVRAEVS, Fol.350.&c.

Quod olim Vigilantio Hieronymus, idem ego nunc tibi respondeo. Quis enim (*inquit*) ô insanum caput aliquando martyres adorauit? *Eadem deinde ignorantia, vel sanè impudentia mox addis,* Qui nouos deprecatores, mediatorésque introducunt, ij sunt in Christum iniuriosi. *Non quia vnus mediator, pro alijs alij orare, aut aliorum orationes expetere prohibemur, quin potiùs hac ipsa de causa, si D. Paulum audiamus, vtrunque præstare debemus.*

WHITAKERVS.

38 Si meritò inſanos Hieronymus appellauit, qui martyres putabant adorandos, quid pontificijs inſanius fingi poteſt, quorum maxima pietas ac religio in martyrum & ſanctorum adoratione conſiſtit? Nam ſanctos in cælo verſantes, & immenſis locorum ſpacijs abſentes inuocare, eorumque opem implorare, nihil omnino aliud eſt, quàm ſanctos adorare. Quis enim dubitat, adorationis partem eſſe inuocationem? Martyres autem & ſanctos inuocatis: id ergo facitis, quod vel ſuſpicari de Catholicis inſanum Hieronymus exiſtimauit. Sin iſta inuocatio non alia tibi videatur, quàm quæ hominibus tribui poſſit, cur non viuos eo modo inuocatis, quo mortuos ſoletis? Id quidem negare non poteſtis, quin multò amplius veſtris martyribus & ſanctis deferatis, quàm aut angelo Ioannes, aut Petro Cornelius dare voluit. Quæ verò maior in Chriſtum iniuria eſſe poteſt, quàm iſta tam multorum mediatorum inuocatio? Cur enim Chriſtum relinquitis, atque ad alios mediatores confugitis? Non vult Chriſtus, quod illi volunt? Non poteſt, quod illi poſſunt? At vos indignos forſan iudicatis, qui Chriſtum inuocetis, & martyrum ſanctorumque dignitatem vobis eſſe neceſſariam exiſtimatis. Hoc nimirum illud eſt, quod ſummam in Chriſtum blaſphemiam atque iniuriam continet. Sic enim ſanctorum meritis ac dignitati aſcribitis, quod Chriſti ſolius

solius sanguini debetur. Is enim solus est, qui nos suis meritis in Dei aspectum adducit: Christus ait, *Nemo venit ad patrem nisi per me.* Et, *quæcunque, petieritis à patre meo, in nomine meo, dabit vobis.* Paulus ait, *Christus est ad dexteram patris, & interpellat pro nobis.* Apostolus ad Hebræos ait, *Christus semper viuit, vt interpellet pro nobis.* Ioannes ait, *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum.* Ita Christum intelligimus nostrum esse solum non modò redemptionis, sed etiam intercessionis mediatorem: & vos blasphemos atque in Christum iniuriosos existere, qui sanctos inuocatis, vt vobis illorum merita prodesse possint. Id quod Apostolus apertissimè in eo loco tradit, in quo *vnum esse mediatorem Dei atque hominum, hominem Iesum Christum scribit:* vbi palàm non nisi propter vnum Christum nostras Deo preces placere docet. Quare cùm inuocantes audire, eosque Deo commendare spectet ad Christum, & Christi sacerdotium, ad alios transferri vel viuos vel mortuos sine sacrilegio non potest.

Ioan.14.6. *Ioan.16.23.* *Rom.8.34.* *Hebr.7.25.* *1.Ioan.2.2.* *1.Tim.2.5.*

DVRAEVS, Fol.352.

Tandem ad nescio quos rituales libros confugis, ex quibus obsoleta quædam vndique corradis. An hæc (*inquis*) vestra audes defendere, Iure matris impera? *Nihil illum qui hæc scripsit à vera religione alienum cogitasse planè mihi persuadeo: sed cum summa apud filium gratia atque authoritate beatissimam matrem valere non dubitaret, vulgarem loquendi consuetudinem*

est sequutus, qua imperare eum nobis posse dicimus, cuius permagnam apud nos authoritatem esse significamus.

WHITAKERVS.

39 Nunquam te profanæ blasphemiæ pudebit Iesuita? Qui Mariam Christo iure matris imperare iussit, eum tu nihil à vera religione alienum cogitasse defendis? Christo Mariam imperare vera religio docet? Apage sacrilegam vocem, atque hanc tibi ἀθεόλογον & ἄθεον theologiam serua. Ne verò quis putet hoc vnius temeritati tribuendum, alia huiusmodi infinita publicè in ecclesijs pontificijs decantantur, quæ mihi animus horret vel recitare. Eiusmodi illud est, quod in horario quodam legitur, cuius inscriptio est, historia secundùm chorum Augustensem de commemoratione beatissimæ virginis Mariæ: *Gaude matrona cælica, Exultando magnifica deum tuum salutarem, qui te fecit singularem: tu ancillam Iesu Christi te vocare voluisti, sed vt docet lex diuina, tu ipsius es domina: Nam ius habet & ratio Matrem praeesse filio, Ergo ora suppliciter, & præcipe sublimiter, vt nos in mundi vespera, ad regna ducat suprema.* Tum in eodem sequitur, *Tu sola sine exemplo, quam elegit dominus, vt esses mediatrix Dei & hominum, reperatrix sæculi, terminus exilij, ablutio peccati, via consilij, fiducia præmij, scala cæli, ianua paradisi.* In officio Mariæ, quod Pius quintus *reformauit*, his verbis Mariam inuocatis, *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, Tu nos ab hoste*

hoste protege, & hora mortis suscipe. Cui ignotum est illud virginis Psalterium, in quo omnes Psalmi ad Mariam transferuntur atq; accommodantur per incredibilem blasphemiã? De alijs sanctis qui sunt innumerabiles taceo, quia hanc impurissimam sentinam commouere nolo. Si in te vlla esset reliqua pietatis scintilla, tibi hæc tam horrenda blasphemia grauiter & meritò displiceret.

DVRAEVS, Fol. 353. &c.

In rythmo duo quædam, ni fallor, aures illas tuas teretes offendunt, quorum alterum est, quod deiparam virginem spem nostram nuncupemus. In quo sanè quicquid est criminis, cum ipso nobis beato Paulo commune est, quem minimè puduit cùm ad Thessalonicenses scriberet, spem illos suam nuncupare. Nos non aliter in deipara virgine, vllaue creatura spem collocamus, quàm in causa efficiente secundaria & instrumentali. Intellexit hoc Epiphanius, hom. de laud. Mariæ. Ephrem. de laud. virg. Nazianzenus orat. in laud. Cyprian. Ioannes ille Damascenus, & Theophilus Ciliciæ œconomus. 1. Thessal. 2.

WHITAKERVS.

40 Meas quidem aures non ista tantùm offẽdunt, quæ commemoras, sed reliqua etiam omnia, quæ in hoc blasphemo rythmo perscribuntur, quantumuis ea tibi pulchra ac diuina videantur. Quis enim Mariam ferat *dici spem certam miserorum, matrem orphanorum, leuamen opressorum, medicamen infirmorum, omnibus omnia,* nisi fortè qui quod vni Deo conuenit, cum Maria cõmunicandum esse censeat? Tu id mihi inprimis displicere existimabas, quòd illam spem vestrã nuncupetis, cũ nihil sit in toto carmine, quod non

Anti-

Antichriſtianam impietatem ſpiret, & gloriam Deo ſuam detrahat. Vbi verò nos ſcriptura vnquã in creaturis ſpem noſtram collocare docuit?

Pſal.71.3. Propheta Dauid ait, *Tu es expectatio mea Domine*

Ier.17.5.7. *Iehoua: fiducia mea à pueritia mea.* Et Ieremias, *Maledictus vir, qui fiduciam habet in homine: & ſtatuit carnem brachium ſuum. Benedictus vir ille, qui fiduciam habet in Iehoua, & cuius confidentia*

1.Timo.1.1. *eſt Iehoua.* Paulus Chriſtum vocat *ſpem noſtram*:

1.Pet.1.21. Et Petrus *fidem ac ſpem noſtram* in Deo collocat. Atque ita ex omnibus ſcripturis in Deo ſolo ſperandum eſſe diſcimus, qui nos ſolos perditos ſeruare, orbos ſuſcipere, infirmos curare, oppreſſos liberare poteſt. Scitum verò eſt, & dignum acumine Ieſuitico, quod ex Apoſtolo adducis, Paulus Theſſalonicenſes ſpem ſuam vo-

1.Theſſ.2.19. cat, ergo nobis Mariam vocare ſpem noſtram licet. Num ergo ſpem ſuam in Theſſalonicenſibus Paulus poſuit, aut eos in aliquo diſcrimine inuocauit? Ita cæcus es, ita ſtupore mentis oppreſſus, ita ad blaſphemiam defendendam proiectus, vt Theſſalonicenſes ſic Pauli ſpem facias, quemadmodum Mariam eſſe veſtram ſpem putatis? Illos Apoſtolus ſpem ſuam & gaudium, & coronam dixit, quia ex ſuis laboribus, quos in illis docendis inſumpſit, ſpem maximam percepit, & gaudendi ac gloriandi materiam adeptus eſt: Mariam vos ſpem veſtram appellatis, quia illius meritis confiditis. Quod de efficiente inſtrumentali cauſa ſubiungis, in eo quid aliud facis, quàm veterem blaſphemiam noua defendis? Quis Mariam fecit noſtræ ſalutis inſtrumentum? aut

aut quando Dominus se huiusmodi instrumentis in nostra salute procuranda vti velle dixit? Quæ sequuntur de Epiphanio, Ephremo, Ioanne Damasceno, Theophilo, ex putida sentina hauriuntur, nec vllam responsionem merentur. Nazianzeni Iustina multò meliùs fecisset, si Deum inuocare, quàm Mariam maluisset.

DVRAEVS, Fol. 354. 355.

Sed illud fortasse omnium tibi absurdissimum videtur, quod postremum ex illo rythmo commemorasti. Omnibus esse omnia. *Quam sanè phrasin nullo tu vnquam Ecclesiæ Catholicæ calculo probatam fuisse ostendes: quanquam & suam illam interpretationem haud incommodam ferat*. Sicut Eua seducta est (*inquit beatus Irenæus*) vt effugeret Deum, sic Maria suasa est obedire Deo, vt virginis Euę virgo Maria fieret aduocata, & quémadmodum astrictum est morti genus humanum per virginem, sic saluatur per virginem. *Nec dissimile est illud Tertull.* Quod Eua non credendo deliquit, hęc credendo deleuit.

lib. 5. c. 16.

De carne Christi.

WHITAKERVS.

41 Quid verò absurdius dici potuit, quàm *omnibus esse omnia* Mariam? Quam phrasin etsi Ecclesiæ calculo comprobatam esse negas, tamen interpretatione commoda defendi posse arbitraris. Sed tuam interpretationem nondum Ecclesiæ, opinor, calculus approbauit: itaque illam mittamus. Mariam Irenæus Euæ aduocatam dicit, non vt plures aduocatos constituat, quàm vnum Christum, sed quia Christum Maria peperit redemptorem & aduocatum nostrum, qui reatum

ſtum Euæ peccato introductum ſoluit atq; ſuſtulit. Atq; hoc illud eſt, quod Tertullianus etiam de Maria ſcripſit, niſi forte noſtram redemptionem Mariæ deinceps tribues, Chriſto derogabis. Idem Sedulius ſuis verſibus declarauit: non enim expectas vt aliquid Damaſceno, aut tuo Iacobo reſpondeam.

DVRAEVS, Fol. 356. &c.

Logomachia.

Nunc λογομαχίαν expendamus, quam vos ſingularem committere Campianus ait, cùm Miſsæ vobis nomen, aut purgatorij in diuinis libris oſtendi petitis. Primùm qui Miſſæ ſacrificium in ſcripturis reperiri pernegas, nunquámne apud Euangeliſtas legiſti in vltima cœna Chriſtum dixiſſe, Hoc eſt corpus meum? *Nihil Euangeliſtæ clarius, nihil diſertius ſcribere potuerunt. At tibi fortaſſe non hoc idem eſſe videtur, quod Miſsæ ſacrificium inſtituiſſe, cùm Miſſa à nobis oblatio quædam ac ſacrificium eſſe dicatur. Ignoras videlicet quid oblationis nomine ac ſacrificij intelligi debeat. Eſt enim offerre nihil aliud, quàm alteri quidpiam tradere atque donare.*

WHITAKERVS.

42 De nominibus non pugnamus, quorum vis in ſcripturis reperitur. Miſſæ verò & purgatorij nomina meritò auerſamur, quia rebus ſacrilegis & commentitijs tribuuntur. Nam Miſſæ ſacrificium Chriſti ſacrificio palàm aduerſatur, & purgatorio nihil vnquam ineptius ac vanius fingi potuit, quod ex ſcripturis facilè demonſtrarem, ſi id locus iſte poſtularet. Sed mihi nunc ſufficiet tuam σοφιςικὴν refutare, quæ tam

ridi-

ridicula eſt, vt eam omnes Duræo dignam eſſe intelligant. Quæris an apud Euangeliſtas nunquam legerim Chriſtum in cœna vltima dixiſſe, *Hoc eſt corpus meum.* Et quis non tantam quæſtionem à ſumma ſapientia profectam eſſe fateatur? Legi verò Duræe, & hîc ſacramentum à Chriſto inſtitutum, non ſacrificium factum eſſe didici. Nam me ſcripturæ docent Chriſtum hoc ſacrificium non niſi ſemel obtuliſſe. Quòd ſi verò hoc ſacrificium Chriſtus in cœna ſimul, & in cruce obtulit, bis profectò idem à Chriſto oblatum eſſe ſacrificium conſtat: quo quid dici monſtroſum magis aut ſcripturis contrarium poteſt? Nam in omni ſacrificio mors victimæ requiritur: ſi ergo in cœna Chriſtus immolatus eſt, in cœna etiam mortuum eſſe Chriſtum ſequitur: at viuus in cœna Chriſtus fuit: ergo & mortuus ſimul & viuus extitit, quod in Miſſis omnibus neceſſariò verum eſſe perſpicimus, ſi eſt vllũ in Miſſis Chriſti ſacrificium. Tum ſacrificia externa, cuiuſmodi hoc veſtrum Miſſæ ſacrificium eſſe contenditis ſub aſpectum ſenſuſque externos cadunt: at Chriſtum vel in cœna, vel in Miſſis immolari nullus vnquam vidit: quare nec vllum in cœna ſacrificium factum eſt, & nullum in Miſſis fieri perſpicuum eſt. Hîc tu me quid oblationis & ſacrificij nomine intelligatur docere aggrederis, quaſi id ego neſcierim, aut hoc aliquid ad rem faciat. Et tamen hîc pueriliter admodum & ocioſè longam hac de re orationem expromis, in qua nullam vel ingenij, vel lectionis, vel iudicij ſcintillulam oſtendis.

Hebr. 9. & 10.

Mitte (inquam) iſtas ἐκβολὰς τοῦ λόγου & doce quod cauſa poſtulet, aliquam in Chriſti cœna fuiſſe vel oblationem, vel ſacrificium.

DVRAEVS, Fol. 358. &c.

Tu verò Whitakere expectas, vt ſuum in nouiſſima cum Apoſtolis cœna corpus ac ſanguinem Deo patri in ſacrificium obtuliſſe Chriſtum probemus. Cùm Dei filius ſeſe eò vſque demiſerit, vt ſub infimis egeniſq; panis ac vini ſymbolis contineri non recuſarit, ſi tunc ſe patri minimè obtulit, nulla profectò vera eſſe oblatio vnquam poterit. Corpus & ſanguis Chriſti ſacramentali modo in Euchariſtiæ ſacramento exiſtunt. Chriſtus ſeſe patri obtulit toto vitæ tempore, atque etiamnum in cælo. Quis non facilè colligat Chriſtum in cœna cùm panem, vinumq; in corpus ſuum ac ſanguinem tranſmutauit, incruento ſeipſum ſacrificio ſecundùm ordinem Melchiſedech Deo patri obtuliſſe? Vidit hoc Irenæus li.4.c.32. Cyprian. lib.2. epiſt.3. Auguſt. in Pſal.33. Ambroſ. in c.10. ad Hebr. Ac ne ſim prolixior in re ſatis aperta, qui hoc non viderit, patrum nemo eſt.

WHITAKERVS.

43 Hoc quidem, vt dicis, expectabam, tu quemadmodum expectationi meæ ſatisfacias, videamus. Quis verò non miretur tantum *iſtorum* ſophiſtarum ſtuporem, qui ſe non omnium hominum vaniſſimos atq; ineptiſſimos eſſe ſentiant? Id nunc Duræe diſputas, Chriſtum in cœna ſuum corpus & ſanguinem Deo patri obtuliſſe, quæ quàm magna quæſtio ſit non ignoras. Tuis verò argumentis, quibus ea confirmare conaris, quid vnquam futilius aut inertius eſſe potuit? Chriſtus (inquis) eò ſe demiſit, vt ſub infir-

infirmis egenisque panis ac vini symbolis contineri non recusarit: quod quanquam concedimus, quid tamen ad sacrificium aut oblationem conferemus? Nam Christus se demisit, vt humanam naturam in virginis vtero assumeret, in eoque verè non fictè existeret, quod tamen sine sacrificio factum esse nemo nescit. Verùm sic se Christum demisisse, vt sub egenis illis panis viníque formis latitaret, nunquam profectò Duræe euinces. Illam Christi demissionem Paulus multò, quàm tu, rectiùs de Christi humili incarnatione & morte interpretatur. Et vide (quæso) quàm malè tibi cum Paulo conueniat. Nam istam demissionem Paulus ait nunc esse cum summa gloria ac maiestate commutatam: tu Christum adhuc in illa demissione versari statuis, quando illum in egenis panis ac vini formis includis. Nihil huius iniuriæ ac contumeliæ, qua Christum afficis, pudet? Quod addis Christi corpus & sanguinem sacramentali modo esse in Eucharistiæ sacramento, facilè quidem agnosco. Sed quid tum postea? Nónne etiam Christus est sacramentali modo in baptismi sacramento, in quo nullum esse sacrificium omnes intelligunt? Illam verò oblationem à Christo factam vitæ suæ tempore, semper etiamnum in cælo fieri, prodigiosum est. Paulus eam ait semel esse factam, & quidem in cruce. Quia enim semel Christus mortuus est, semel oblatum esse Apostolus concludit. Si ergo nunc Christus offertur, nunc etiam moritur, atque hoc ex tua opinione necessariò sequitur. Tan-

Phil. 2.7.8.

Hebr. 9.25. 26.

dem ad tranſſubſtantiationem & incruentum ſacrificium delaberis. Sed quàm abſurdè! Nam tranſſubſtantiatio non occidit, ſed facit corpus, ſacrificium non facit, ſed occidit corpus: ergo tranſſubſtantiatio ſacrificium non admittit. Incruentum verò ſacrificium Chriſti nullum ſcriptura propitiatorium agnoſcit, quia mors neceſſaria eſt in peccatorum expiatione: eamque ob cauſam Chriſtus mortuus eſt, vt hoc ſacrificio noſtra peccata tolleret. Iam quæro illud ſacrificium Chriſti cruentum an fuerit perfectum, nécne? Si enim perfectum fuit, atque ad omnium peccatorum expiationem valuit, quid eodem nunc opus eſt incruento? Vt taceam quàm abſurdum ſit, vnum idemque numero ſacrificium & cruentum ſimul eſſe, & incruentum. Patres autem iſti de ſacrificij ſacramento loquuntur, cuiuſmodi eſſe Euchariſtiam confitemur. De illo verò externo reali propitiatorio Miſſę ſacrificio, quod noſtri ſophiſtæ defendunt, nullus vnquam pater ſomniauit.

DVRAEVS, Fol. 362. 363.

Quæ res & ex fine, ob quem eſt à Chriſto Euchariſtia inſtituta, demonſtrari poteſt. Hoc facite (*inquit*) in meam commemorationem .i. in memoriam cruenti in crucem ſacrificij iugem ac perpetuam. *Si nihil aliud eſt, quàm cœna quædam Euchariſtia, qua mortis Chriſti beneficium in nos deriuatur, quis non videt nullam in ea propriam eſſe ac peculiarem Dominicæ paſſionis repræſentationem? Veſtræ cœnæ nullam mortis Chriſti vel leuiſſimam memoriam continent. Ipſo Euchariſtiæ vſu ac celebratione mortem Domini commemorare iubemur: quod veteres illos Eccle-*

sia Catholicæ patres uno omnes ore testari perspicuum est. Clemens lib. 8. constit. Apost. cap. 5. Martial. ad Burdegal. Chrysostom. homil. 24. in 1. Corinth. Ambros. in Psal. 38. Augustinus. Leo serm. 7. de pass.

WHITAKERVS.

44 Iussit Christus vt faceremus, quod ille fecit: atque hoc præceptum ad omnes Christianos pertinet cœnam Dominicam celebrantes, quemadmodum Apostolus Corinthios planissimè docuit. Quare si his verbis sacrificium institutum est, quicunque ad cœnam accedunt, sacrificium Deo offerunt, & quidem ex vestra sententia illud ipsum, quod Christus obtulit. Quid ergo tandem de vestro sacerdotum ordine statuemus si hoc sacrificium omnibus Christianis præscribitur? Quàm verò hoc insulsum argumentum est, Eucharistia instituta est, vt mortem Domini perpetua memoria celebremus: ergo Christus in Eucharistia offertur & immolatur? Quis enim tam stupidus est, & bardus, vt sacrificij memoriam sine sacrificij ipsius repetitione atque vsurpatione conseruari posse non intelligat? In nostris verò cœnis quid tandem desideras, quo minùs in illis mortem Domini, quemadmodum ipse præcepit commemoremus? Singularem quandam ac peculiarem in Eucharistia Dominicæ passionis representationẽ postulas, quæ non sit omnium sacramentorũ cõmunis. Et quis non videt in cœna mortem Christi singulari quodam

1. Cor. 11.

modo declarari, & multò quidem illuſtriùs, quàm vel in baptiſmo, vel in verbi prædicatione? Nam illa panis fractio, & vini effuſio ipſam Chriſti mortem nobis ob oculos clariſſimé proponit, in qua Chriſti corpus laceratum, & ſanguis effuſus fuit. Sic ipſa cœnæ actio viuam oſtendit Dominicæ mortis imaginem, multò certè magis expreſſam ac iucundam, quàm ſacrificulorum ἱερουργία. Quod ergo contendis & veterum teſtimonijs confirmas oportere nos in Euchariſtia mortem Domini celebrare, atque in hoc ſacramento nobis illius ſacrificij memoriã, quod Chriſtus peregit, cõmendari ac repræſentari, nullus vnquam dubitauit. Ita quicquid ex Clemente, Martiale, Chryſoſtomo, & reliquis commemoras, otioſum eſt & alienũ. Quanquam Clementem tuum & Martialem nolim exiſtimes tanti apud me fieri, vt quid illi vel dicant, vel non dicant, ad meam cogitationem aliquid pertinere cenſeam.

DVRAEVS, Fol. 363.364.

Sed cur hîc patres commemoro? Cùm clariſsima ſit ipſius Eccleſiæ Catholicæ vox, quæ ſanè ab Apoſtolis ad noſtra vſque tempora eodem ſemper, quo nos maioreſq; noſtri ſenſu illud Chriſti præceptum intellexit, Hoc facite in meam commemorationem. *Vnde & in ipſo quotidiano ſacrificio poſtquam ſacerdos dixit,* Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis, *mox addit,* Vnde & memores Domine nos ſerui tui, &c. *Qualia tu ante annos mille recitata fuiſſe ex Ambroſio diſcere potuiſti, lib. 4. de ſacr. cap. 6. Proſper. lib. 1. de prædeſt. cap. 6. Chryſoſt. hom. 83. in Matth.*

VVHITAKERVS.

45 Nihil certè fuit, cur tam multos patres commemorares, præſertim qui nullo cauſam tuam teſtimonio adiuuarent. Sed hoc tibi vnum ſemper reliquum eſt deſperationis remedium, cùm ex ſcripturis nihil ſuppetat, quo cauſam perditam defendas, tum aliquid ex patrum libris in medium profers, quod plerumque etiam ab inſtituto alienum eſt. Quorſum enim nunc Ambroſium, Proſperum, Chryſoſtomum introducis? His verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, incruentum Eccleſiæ ſacrificium præcipi affirmas, quod ſit externum & reale, & illud ipſum, quod Chriſtus obtulit. Num id Ambroſius, num Proſper, num Chryſoſtomus tradit? Nihil ſanè minùs. Atque vt omnem in voluendis patribus ætatem atque induſtriam conſumas, nunquam tamen hoc veſtrum ſacrificium inuenies. Euchariſtiam patres nomine quidem ſacrificij vocant, non quòd illud ipſum ſit, quod Chriſtus ſemel fecit, ſed quia eſt eiuſdem ſacrificij μνημόσυνον ac ſacramentum. Cùm omnia attuleris, quæ afferri ex patribus poſſunt, ad hanc reſponſionem obmuteſces. Illa autem verba, Hoc facite in meam commemorationem, non incruentum reale ſacrificium præſcribunt, ſed fidelem Dominicæ mortis in hoc illius ſacrificij ſacramento recordationem præcipiunt.

DVRAEVS, Fol. 365.

De Purgatorio non agam hoc loco prolixius: omnium mihi instar erit pium illud ac celebre Iudæ Maccabæi factum in libris Maccabæorum descriptum.

WHITAKERVS.

46 Purgatorium à te tam frigidè defensum esse minimè miror. Quàm enim bonis argumenmentis egeas facilè constat, cùm illo Iudæ facto in Maccabæorum libris perscripto potissimùm nitaris. Primùm enim libri ipsi non sunt Canonici, quemadmodum abundè in primo libro docui. Deinde ex illo facto Purgatorium non concluditur. Nam illi pro quibus obtulit Iudas, vt vos putatis, sacrificium, in maximo peccato perierunt. Surripuerant enim ἱερόμενα quædam Idolis Ianniensium consecrata, eaque inuenta fuerant sub illorum vestibus. At qui in aliquo graui scelere moriuntur, cuiusmodi hoc illorum fuit, ijs vestra opinione locus est in inferno, non Purgatorio constitutus. Quare ex hoc loco Purgatorium nunquam euinces.

DVRAEVS. Fol. 365.

Quid causæ est Whitakere, cur presbyteri nomen ad eas res certas vos minimè accõmodatis, ad quas ecclesiasticos scriptores accommodasse non ignoratis? Idem in Euangelica lege presbyteri officium est, quod olim in lege Mosis sacerdotum fuit.

WHI

WHITAKERVS.

47 Presbyteri nomen libenter quidem retinemus, quod ipſe nobis ſpiritus ſanctus in nouo Teſtamento commendauit. Quid ergo hîc potes dignum aliqua reprehenſione reperire? Sacerdotum verò aut ſacrificorum nomina noſtris noui Teſtamenti miniſtris nullo modo niſi καταχρηστικῶς & ὁμωνύμως conueniunt. Cùm autem vtrumque nomen vno Anglicano reddi ſolitum ſit, idq́; non Preiſt. presbyterorum, ſed ſacerdotum munus communi hominum opinione indicet, illud vobis non inuiti relinquimus, qui ſacerdotes ſcilicet pontificijs freti ſacris eſſe vultis. Idem verò eſſe preſbyteri officium, quod olim fuit ſacerdotum, abſurdiſſimè affirmatur. Si enim idem ſit amborum officium, cur ſacerdotum nomen nunquã in nouo Teſtamento presbyteris tributum eſſe legimus? Aut quid nouo nomine opus fuit, ſi munus idem remaneret? Tum ita es ignarus, vt eſ- 1.Tim.5.17 ſe in Chriſti eccleſia presbyteros neſcias, qui gu- *Ambroſ.in* bernationi tantùm, non verbi aut ſacramento- 1.Tim.5. rum adminiſtrationi operam darent?

DVRAEVS. Fol.366.

Ad homonymiæ igitur vitium deinceps pergamus. Chriſtianos Homonymia. *(inquis)* omnes non Ioannes modò ſacerdotes, ſed Petrus etiam ἱεράτευμα ἅγιον καὶ βασίλειον appellauit. *Quid tum poſtea Whitakere? Eodem argumento & Iudæis nullos fuiſſe oſtendes. Elegunter duplicem hanc Sacerdotis ſignificationem, commu-*

communem (inquam) omnium Christianorum, & eam quæ noui Testamenti sacerdotibus conuenit D. Augustinus expreßit, lib. 10. De Ciuit. Dei, cap. 10.

VVHITAKERVS.

48 Ego verò tuas ineptias breuiter diluere pergã. Si quidem essent vlli in nouo Testamento sacerdotes, qui proprium aliquod & externũ sacrificium diuina authoritate facerent, quales fuisse veteris Testamenti sacerdotes intelligimus, meritò nobis ὁμωνυμίας crimen obijceres. Sed nulli tales sunt in ecclesia Christiana sacerdotes, & nobis scripturæ sacerdotem in nouo Testamento nullum cui hoc propriè conueniat, præter Christũ Iesum proponunt. Itaq; sine vllo ὁμωνυμίας vitio contra pontificios sacerdotes disputamus, cùm nomen sacerdotis Euangelium nulli præterquam Christo in sua & propria significatione tribuat, communi autem eiusdem nomins vsurpatione Christianos omnes appellet sacerdotes, absurdè atque iniquissimè facere pontificios, qui quod omnibus Christianis æquali iure concessũ est, sibi solis singulari ratione vendicent. Ioannes & Petrus omnes Christianos vocat sacerdotes. Esaias ait, *Vos sacerdotes Iohouæ vocabimini.* Sic Hieronymus scribit, *Genus sacerdotale & regale sumus omnes, qui baptizati in Christo, Christi censemur nomine.* Sic Chrysostomus, *Omnis sanctus est sacerdos.* Nunquam verò ostendes sacerdotis nomen propriè sumptum ad vestros potiùs sacrificos, quàm ad quosuis plebeios pertinere.

Apoc. 4. 5. 10 *1. Petr. 2. 5.* *Esai. 61. 6.* *Hieron. in Mala. 1. ca.*

re. Quod de Iudæis affers, insulsum est. Nam inter Iudæos Dominus sacerdotium certum & solenne constituit, quod tu inter Christianos factum esse velim me doceas. De Augustino respondeo, quod de alijs etiam patribus responderi potest, hoc nomen tributum ab illis esse ministris Euangelij ὁμωνύμως & impropriè: quia nunc ministri in Ecclesia locum obtinent veterum sacerdotum, non quia verè & propriè sacerdotes sunt, quales illi extiterunt. Quàm igitur miserum illud tuum sophisma est in vocabuli ὁμωνυμίᾳ positum, Patres nonnunquam abusione quadam nomen sacerdotis tribuunt ministris Euangelij: ergo ministri Euangelij sunt propriè sacerdotes?

DVRAEVS, Fol. 367.

Hoc nomen Sacerdos (*inquis*) nusquam in nouo Testamento ad Euangelij ministros propriè accommodatur. *Sed neque in scripturis vnquam sacramenti nomen baptismo, vel Eucharistię tributum legimus. Christus in cœna sacrificium instituit. Esaias prædixit,* Vos autem sacerdotes Domini vocabimini. *Et alio loco,* Assumam ex eis in sacerdotes & Leuitas dicit Dominus. *Non communem sed propriam sacerdotis appellationem à Propheta vsurpatam esse vox assumendi te docere potest.* Omnis pontifex (*inquit Paulus*) ab hominibus assumptus, &c. *Et certè quamdiu procurandæ apud Deum salutis hominum locus est, assumi semper ex hominibus quosdam necesse est, qui inter Deum & homines veluti mediatores quidam in ijs quæ ad Deum sunt constituantur.*

Esai.61. *Esai.66.* *Hebr.5.*

49 Saderdotis nec nomen in noui Testamēti libris, nec res vlli, nisi Christo tribuitur: sacramenti verò etsi nomen non est positum in scripturis, res tamen apertissimè baptismo & Eucharistiæ conuenit. Iam vt tu munus ipsum sacerdotis in nouo Testamento remanere doceas, expendamus. *In cœna* (inquis) *sacrificium Christus instituit*. At nullum in cœna Christus sacrificium, sed sacrificij duntaxat sacramentum instituit. Esaiæ primus locus de Christianis vniuersis, totoque fideli populo loquitur: alter de ministris, quos sacerdotes vocat nomine vsitato, quia in locum sacerdotum successerunt. Sic autem nunc pastores & episcopi sacerdotes sunt, vt Diaconi Leuitæ, hoc est, per κατάχρησιν, nisi nunc etiam Diaconi reuera sunt tuo iudicio Leuitæ. Apostolus verò ad Hebræos de veris quidem sacerdotibus meminit, quales & Leuitici fuerunt, & Christus. Sed num hinc conficies ministros Euangelij dici propriè sacerdotes? Quid si enim assumi semper ex hominibus aliqui debent, qui publico munere in ecclesia fungantur? Ex eóne sequitur perpetuos fore in ecclesia Christiana sacerdotes? Nunquam te tam dissolutæ disputationis pudebit? Quasi nihil sit, cuius causa assumi semper aliquos oporteat, nisi vt sacrificium offerant, & tanquam mediatores inter Deum hominesque intercedant. Nos tale sacrilegium non agnoscimus, & vobis istos sacerdotes ac mediatores relinquimus.

DV-

DVRAEVS, Fol. 368.

Quid enim? quorsum vestris illis ministris est opus? Cur non, vt pro se quisq; orat, ita & sacramenta sibi conficit, sibi sumit, sibi denique omnia ipse administrat? Vos non nisi Laïci estis, talesq; haberi ab omnibus vultis.

WHITAKERVS.

50 Ministris opus est non ad sacrificium offerendum (nam eo quidem nihil opus est,) sed ad publicum Ecclesiæ ministerium exercendum, quod in verbi prædicatione, & sacramentorũ administratione consistit. Quid ergo ineptissimè nugaris, cùm satis profectò scias hoc ministeriũ non omnibus Christianis, sed ijs tantùm concedi, qui ad illud gerendum ac procurandum deliguntur. Si vobis Laïci videmur, equidem non dolemus: sacerdotes quidem nec esse, nec haberi volumus. At necesse non est Duræe, vt nos Laïci simus, si non sumus sacerdotes. Qui enim in publico ministerio versantur, quod Christus instituit, atque in Ecclesia perpetuum esse voluit, ij faciunt, quod illis, quos tu Laïcos vocas, attingere nefas est.

DVRAEVS, Fol. 369. &c.

At sacerdotis nomine (*inquies*) Apostoli in suis scriptis vti noluerunt, presbyteri nomẽ crebrò vsurparunt. *In promptu causa est. Noui nimirum Testamenti ministros ab ijs distinguere voluerunt, qui in lege Mosis sacerdotes secundùm ordinem Aaron dicti sunt. Presbyteri verò nomine quid Apostoli, atque Euange-*

Euangelistæ significarint, ab ijs, qui vel cum ipsis vixerunt Apostolis, vel eorum ætatem proximè secuti sunt, discendum existimo. Quis non videt πρεσβυτέρους à Græcis ἱερεῖς passim vocari, à Latinis verò sacerdotis ac presbyteri nomen nullo discrimine pro eodem vsurpari? Dionys.c.5.Eccles. Hier. & Epist.8.ad Demoph. Ignat. ep. ad Smyr.Clemente. Quid Gregorium referam Nazianzenum? De Latinis scriptoribus quid attinet dicere? Ne Anglicè quidem, vt nosti, nomen aliud ad eam rem significandam hactenus inuentum est.

WHITAKERVS.

51 Acutè atque elegantur. Distinguere Apostoli ministros noui Testamenti ab ijs voluerunt, qui erant in lege sacerdotes secundùm ordinem Aaronis. Cur ergo nō sunt vsi eo nomine, quod erat sacerdotibus consentaneum? Num enim πρεσβύτερος sacerdotem in offerendis sacrificijs occupatum significat? Aut nomen Apostolis idoneum defuisse existimandum est, quo munus Ecclesiasticum & perpetuum declararent? Si vero sacerdotes etiam presbyteri sunt, nec tamen Aaronici, cuius tandem generis sunt sacerdotes? Num quæso secundùm ordinem Melchisedechi? At hoc sacerdotio solus ipse per se Christus fruitur, qui est ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, dierum principio vitæque fine cerens: Taléśne illi sunt vestri triobolares sacrifici? Aut tu audes teipsum inscribere sacerdotem secundùm ordinem Melchisedechi? Sacrilegum, infandum, blasphemum est. Quare cùm ministros noui Testamenti nunquam ἱερέας, sed ποιμένας, ἐπισκόπους, πρεσβυτέρους, προεστῶτας, in Apostolicis & Euangelicis scriptis dici

Heb.7.3.

dici intelligamus, nullum illis tributum esse sacerdotium constat. Hîc verò quasi ignotum dubiumque sit, quid presbyteri nomine intelligatur, nos ad patres Gręcos ac Latinos remittis, à quibus presbyteri ἱερεῖς & sacerdotes nominantur. Quis id negat? Verùm id fit, vt diximus, non propriè, sed καταχρηστικῶς. Nam quod sit munus presbyteri multò certissimè & clarissimè ex ipso Apostolo discimus. Is autem docet presbyteros institutos esse, non qui Missas conficiant, & sacrificia quædam deuorent, sed qui ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ laborent: nec vnquam in scripturis presbyteri sacrificium facere iubentur. Quàm autem egens sis bonis argumentis, id ostendit, quod de verbo Anglico arripis, in quo tamen minùs prudentes fuimus, quàm ipsi Apostoli vel tuo iudicio fuerunt. Si enim Apostoli nomine presbyteri potiùs quàm sacerdotis vsi sunt, vt noui Testamenti ministros ab illis Aaronicis distinguerent, cur nos & illos & hos eodem nomine appellamus? Dabis ergo nobis deinceps veniam, vt Apostolorum exemplum sequamur, & illud nomen, quo veteres sacerdotes significantur, vtpote à nobis alienum repudiemus.

1.Tim.5.17

DVRAEVS, Fol. 371.

At Christus (*inquis*) factus in æternum sacerdos iuxta ordinem Melchisedech, nullos huius sacerdotij collegas habet. *Quis hoc Catholicus negat? Ipse est enim Christus qui se sub panis ac vini symbolis præsentem exhibet? Sacerdotes verò qui*

rò qui

Euangelistæ significarint, ab ijs, qui vel cum ipsis vixerunt Apostolis, vel eorum ætatem proximè secuti sunt, discendum existimo. Quis non videt πρεσβυτέρους à Græcis ἱερεῖς passim vocari, à Latinis verò sacerdotis ac presbyteri nomen nullo discrimine pro eodem vsurpari? Dionys. c. 5. Eccles. Hier. & Epist. 8. ad Demoph. Ignat. ep. ad Smyr. Clemente. Quid Gregorium referam Nazianzenum? De Latinis scriptoribus quid attinet dicere? Ne Anglicè quidem, vt nosti, nomen aliud ad eam rem significandam hactenus inuentum est.

WHITAKERVS.

51 Acutè atque elegantur. Distinguere Apostoli ministros noui Testamenti ab ijs voluerunt, qui erant in lege sacerdotes secundùm ordinem Aaronis. Cur ergo nō sunt vsi eo nomine, quod erat sacerdotibus consentaneum? Num enim πρεσβύτερος sacerdotem in offerendis sacrificijs occupatum significat? Aut nomen Apostolis idoneum defuisse existimandum est, quo munus Ecclesiasticum & perpetuum declararent? Si vero sacerdotes etiam presbyteri sunt, nec tamen Aaronici, cuius tandem generis sunt sacerdotes? Num quæso secundùm ordinem Melchisedechi? At hoc sacerdotio solus ipse per se Christus fruitur, qui est ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, dierum principio vitæque fine carens: Taléisne illi sunt vestri triobolares sacrifici? Aut tu audes teipsum inscribere sacerdotem secundùm ordinem Melchisedechi? Sacrilegum, infandum, blasphemum est. Quare cùm ministros noui Testamenti nunquam ἱερέας, sed ποιμένας, ἐπισκόπους, πρεσβυτέρους, προεστῶτας, in Apostolicis & Euangelicis scriptis dici

Heb. 7. 3.

dici intelligamus, nullum illis tributum eſſe ſacerdotium conſtat. Hîc verò quaſi ignotum dubiumque ſit, quid presbyteri nomine intelligatur, nos ad patres Grӕcos ac Latinos remittis, à quibus presbyteri ἱερεῖς & ſacerdotes nominantur. Quis id negat? Verùm id fit, vt diximus, non propriè, ſed καταχρηστικῶς. Nam quod ſit munus presbyteri multò certiſſimè & clariſſimè ex ipſo Apoſtolo diſcimus. Is autem docet presbyteros inſtitutos eſſe, non qui Miſſas conficiant, & ſacrificia quædam deuorent, ſed qui ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ laborent: nec vnquam in ſcripturis presbyteri ſacrificium facere iubentur. Quàm autem egens ſis bonis argumentis, id oſtendit, quod de verbo Anglico arripis, in quo tamen minùs prudentes fuimus, quàm ipſi Apoſtoli vel tuo iudicio fuerunt. Si enim Apoſtoli nomine presbyteri potiùs quàm ſacerdotis vſi ſunt, vt noui Teſtamenti miniſtros ab illis Aaronicis diſtinguerent, cur nos & illos & hos eodem nomine appellamus? Dabis ergo nobis deinceps veniam, vt Apoſtolorum exemplum ſequamur, & illud nomen, quo veteres ſacerdotes ſignificantur, vtpote à nobis alienum repudiemus. *1. Tim. 5. 17*

DVRAEVS, Fol. 371.

At Chriſtus (*inquis*) factus in æternum ſacerdos iuxta ordinem Melchiſedech, nullos huius ſacerdotij collegas habet. *Quis hoc Catholicus negat? Ipſe eſt enim Chriſtus qui ſe ſub panis ac vini ſymbolis præſentem exhibet? Sacerdotes verò qui*

rò qui ſumus, miniſtrorum tantummodo locum tenemus, qui tamen non minùs profectò verè ſacrificare, quàm & baptizare dicimur. Huius doctrinæ Chryſoſt. teſtis eſt homil 83. in Matth. & Hom, 1. in 2. Timoth. Eadem eſt Ambroſij, & cæterorum patrum conſtans doctrina.

WHITAKERVS.

52 Siccine tandem miniſtri potiùs, quàm ſacerdotes eritis? Quis hoc vnquam ſperaſſet? Chriſtus ſacerdos eſt: vos tantùm miniſtrorum locum tenetis. Quamobrem ergo Chriſti nomen vſurpatis, & vos ſacerdotes dicitis? Si enim vos verè & propriè ſacerdotes eſtis, tum Chriſtus non eſt ſolus ſacerdos, cùm illius vos collegæ ſitis. Semper autem hactenus, quod ſciam, ſacerdotes eſſe & dici voluiſtis, quam tu appellationem nunc fateris non ſatis commodè vobis tribui. Verùm hîc nobis nouum Chriſti ſacerdotium ac ſacrificium narras. *Ipſe Chriſtus* (inquis) *ſe ſub panis ac vini ſymbolis præſentem exhibet*. Sic tandem iſta omnia in Tranſſubſtantiationem recidunt, quam moneo vt poſthac diligentiùs communias, ſine qua nihil tenere potes. Quis verò ineptiſſimas Satanæ fraudes non miretur? Externũ reale ſacrificium offertur opinione veſtra, & tamen nullum aut ſacrificium, aut ſacerdos apparet. Latet ſacerdos, latet ſacrificium, idque ſub egenis panis & vini ſymbolis. Sed quænam hæc amentia eſt veſtrorum ſophiſtarum? In Miſſa idem ſcilicet ipſum numero ſacrificium

crificium offertur, quod Chriſtus obtulit in cruce. At in cruce omnes & ſacrificium & ſacerdotem viderunt: hîc neutrum. In cruce nulli erant miniſtri, quales in hoc ſacrificio neceſſarij ſunt. Itaque aut idem eſt numero ſacrificium aſpectabile, & non aſpectabile: offerri per miniſtros, & ſine miniſtris, quod eſt prorſus ἀσύστατον & ἀδύνατον, aut hoc aliud eſt ſacrificium, non illud ipſum, quod in cruce Chriſtus obtulit. Huius tu doctrinæ teſtem fuiſſe Chryſoſtomum affirmas, qui certè nunquam iſto modo delirauit. Id Chryſoſtomus docet in Euchariſtia Chriſtum ipſum efficacem eſſe, nec pendere è miniſtris vim ſacramenti. Quid hoc ad tuum occultum ſacrificij genus? Aut quis vnquam pater de tali ſacrificio ſomniauit?

DVRAEVS, Fol. 371. &c.

Sacerdos æternus æternum quoque ſacrificium poſtulat: quod autem ſemel tantùm peractum eſt, æternum dici quî poteſt? Chriſtum Paulus quia ſacerdos & pontifex eſt, aliquod habere quod offerat, concludit. Tranſlato ſacerdotio vt Paulus diſſerit, legis fieri tranſlationem neceſſe eſt. Cùm ergo ab Euangelica lege ſacrificium tollatis, legem quoque ipſam tollitis. Illud enim crucis ſacrificium, ſi vim illius atque efficientiam ſpectemus, non ad Euangelicam modò legem, ſed ad Moſäicam, adeoq; ipſam naturæ legem pertinere perſpicuum eſt. Quæ eſſe lex, quæ religio poteſt, vbi ſupremus ille religionis cultus, qui in ſacrificio vel maximè conſiſtit, nullus cernitur? Minorem in Chriſtianis religionem eſſe vis, quàm in ijs, qui ſub naturæ lege, vel Moſäicis ritibus Deum coluerunt? Abſit. Hebr. 5.

WHITAKERVS.

53. Magnam effundis argumentorum copiam, è quibus tamen nihil conficitur ac demonstratur. Quod semel peractum est, inquis, æternum dici non potest. Quid ni? Apostolus enim
Heb.10.14. disertè scribit, *Vnica oblatione consecrauit in perpetuum, eos qui sanctificantur*. Quanquam ergo vnica oblatio fuit, eam tamen Apostolus esse perpetuam confirmat. Nónne Christum Ioannes
Apoc.13.8. ab origine mundi occisum fuisse scribit? Nónne eodē modo ad mundi etiam finem occiditur? Et tamen Christus non nisi semel occisus fuit, quāquam mors illa vim æternam obtinet. Sacrificium verò vt Christus aliquod haberet necesse
Heb.8.3. fuit, cùm pontifex esset. Et nónne Christus seipsum obtulit in sacrificium? Quemadmodum
Heb.7.24. 28. autem æternus est sacerdos quandoquidem in æternum manet, atque in æternum sanctificatus est, vt Apostolus clarissimè tradit, ita nunc illud suum sacrificium retinet, quod æternum meritò appellatur propter immortalem illius vim atque efficacitatem. Ita Christus æternus pontifex est, suumque æternum sacrificium habet. Tolli autem à nobis ex Euangelio sacrificium egregia est calumnia. Nos enim Christi sacrificium, quod Euangelij proprium est, stabilimus: Missas vestras tollimus quidem, quia sunt huic sacrificio inimicæ. Sed hîc mirificè disputas, Vis sacrificij Christi non tantùm ad Euangelicam, sed etiam ad Mosaïcam, & naturæ legem

legem pertinet: ergo nisi ipsum in Euangelio sacrificium remanet, Euangelium tollitur, quia *translato sacerdotio, necesse est legem transferri.* Quę tu Apostoli verba non intelligis. Probat enim Apostolus cùm iam Christi sacerdotium constitutum sit, legem illam quæ Aaronis sacerdotium confirmauit, mutari atque abrogari. Christi verò sacerdotium nunquam mutari potest: Euangelij ergo nulla vnquam mutatio erit. Quomodo nunc ista Apostoli sententia ad tuam causam pertinebat? Quãquam autem vis sacrificij Christi non fuit ab antiquis aliena, tamen qui ante Christum vixerunt eam obscurius in figuris & sacrificijs Leuiticis senserunt? Si verò religio esse sine sacrificio nulla potest, nos Christi sacrificio fruimur, quod si tibi nullum videtur, aliam ergo legem & religionem quære. Sin nullam esse sine eiusmodi sacrificijs religionem existimas, qualia erant Aaronica, aut quale est illud vestrum Missæ sacrificium, id nunquam, Duræe, nobis persuadebis. Sic tamen loqueris, quasi omnis pietas & religio in Missa consistat, quam summam esse religionis pestem omnes vident, qui videre aliquid possunt. Heb.7.12.

DVRAEVS, Fol. 373.

Sic veritas ipsa per prophetas futurum iam olim prædixit, sic Prophetarum oracula patres interpretati sunt, futurum scilicet, vt pro cruentis illis brutorum animalium sacrificijs, sacrosancta Meßiæ ipsius caro sanguisq; offerretur. Quod varijs Hebræorum prolatis testimonijs abundè probauit Petrus Galatinus. Petr. Galat. de arc. cath. ver. li. 10. c. 5. 6. 7.

Galatinus. Neque aliter profectò, qui Christi in terras aduentum sequuti sunt, intellexerunt. Arnob. in Psal. 109. Hieron. Epi. 17. ad Marcellam. Et innumeris penè locis Augustinus sacerdotium Melchisedechi, id est, Christi & Ecclesiæ perpetuum fore atque æternum ait, Aaronicum autem iam olim fuisse abrogatum. Similia sunt Chrysostomi, Theophylacti, Oecumenij verba.

WHITAKERVS.

54 Nihil hic affers; quod vllam refutationem aut responsionem postulet. Quis enim nescit sublata esse cruenta illa, atque Aaronica bestiarum sacrificia: solumque nunc Messiç sacrificium in Ecclesia remanere? Tuum ergo in hac causa Petrum Galatinum minimè profectò desideramus, nec Hebræorum testimonijs illis indigemus. Nam Christi caro nunc offertur, quia vis illius oblationis nunquam interit, & quia perpetuum carnis & sanguinis Christi sacramentum, quod ipse Christus instituit, celebratur. Ipsam verò carnem & sanguinem Christi nunc in externo sacrificio realiter, vt vos defenditis, offerri, impium est & blasphemum, nec vllis vnquam vel scripturarum, vel Hebræorum, vel patrum testimonijs euincetur. Quod autem patres Melchisedechi sacrificium de pane & vino interpretantur, id quanquam nihil ad vestram causam facit, tamen apud nos exiguum momentum habet, cùm Apostolus quando Christum cum Melchisedecho cõparat, de hoc sacrificij genere taceat. Si verò Christus fuisset sacerdos secundùm ordinem Melchisedechi, quia

panem & vinum obtulit, id Apostolus nunquam omnino prætermisisset, & huius sacrificij disertè meminisset. At nullum Apostolus verbum de tali sacrificio facit, alijsque in rebus cum Melchisedecho Christum comparat, in quibus illi Christus similis fuit: & nos potiùs in spiritus sancti authoritate, quàm hominum iudicijs ac coniecturis acquiescemus. Atque vt demus fuisse Christum hoc modo secundùm ordinem Melchisedechi sacerdotem, id tamen sine externo reali sacrificio fieri potest. Si enim Melchisedechus sacerdos fuit, quia panem & vinum obtulit, quæ figuræ erant corporis & sanguinis Christi, nónne huius ordinis sacerdotibus sufficit, vt corporis & sanguinis Christi sacramentum in pane vinoque celebrent? Ita nullum hinc, quale vos fingitis, sacrificium concluditur. Quòd Melchisedechus panem & vinum protulit, id patres ad Eucharistiam accommodant, in qua Christus corporis ac sanguinis sui sacramentum in panis & vini symbolis instituit. Quod quanquam sine scripturæ testimonio faciunt, quid tamen in eo tradunt, quod vestrum reale externum sacrificium confirmet? Nunquam certè ista tam disiuncta coniunges. Nam quale argumentum est, Melchisedechus obtulit in pane & vino figuram corporis ac sanguinis Christi; ergo sacerdotes nostri in formis panis & vini ipsum corpus & sanguinem Christi realiter offerunt? Nihil ergo Arnobius, nihil Hieronymus, nihil Augustinus, nihil Chrysostomus, nihil denique

vllus antiquus pater de Melchiſedechi ſacerdotio, & ſacrificio ſcripſit, quod aliquid pro pontificio ſacerdotio, aut ſacrificio faciat. Theophylactus autem atque Oecumenius veterum patrum ætate multis ſeculis recentiores ſunt.

DVRAEVS, Fol. 374.

Mox illa adiungis, Tamen huius miniſterij, quod Chriſtus in Eccleſia ſua perpetuum eſſe voluit, nullis adminiſtrationem permittimus, niſi ijs quorum intereſt, quíq; ſunt ad illud munus certa lege euocati. *Profer ergo ſi potes, quis Lutherum, quis Caluinum, quis Bezam, reliquoſq; Euangelij veſtri præcones ad munus illud euocarit.*

WHITAKERVS.

55 Digreſſiones libenter captas: ſed te ſequar. Quæris quis Lutherum, & reliquos Euangelij præcones ad munus illud euocarit. De Luthero nihil fuit, quod quærreres, aut dubitares. Fuit enim Lutherus veſtro etiam ritu presbyter atque doctor: potuit ergo presbyteri doctoriſq; munus in Eccleſia veſtra adminiſtrare. Et talē fuiſſe Zuingliū, Bucerum, Oecolampadium, alioſque innumerabiles conſtat. Aut ergo nulli apud vos presbyteri ſunt, aut hos fuiſſe presbyteros ad legitimum munus euocatos negari nō poteſt. Tum ſi presbyteri erant, & ſunt presbyteri iure diuino ijdem, qui Epiſcopi, alios etiam Eccleſijs presbyteros præficere potuerunt. Ita tibi facilè de noſtris præconibus ex veſtro etiam iure reſpōdetur. Sed nolim exiſtimes à nobis veſtros ordines

dines tanti fieri, vt ſine illis nullam eſſe legitimam vocationem ſtatuamus. Itaque veſtros vobis ordines ſeruate, Deus nullis ordinibus aſtringitur, quo minùs extra ordinem, quando id Eccleſię vſus poſtulat, miniſtros in eccleſijs conſtituat. Et habent Eccleſię poteſtatem legitimam ſuos miniſtros eligendi, vt nihil opus ſit, à vobis ſumere, qui miniſterio inter nos fungantur. Cyprianus ait, *Ipſa Eccleſia maximè habet poteſtatem vel eligendi dignos ſacerdotes, vel indignos recuſandi*. Caluinus & Beza miniſtrorum atque Eccleſiæ voce in illo munere collocati ſunt. Cypr. Ep. 68.

DVRAEVS, Fol. 375.

Iam de ieiunio Chriſtiano quàm ὁμωνύμως, quamq; ridiculè loquaris, paucis oſtendam. Ciborum (*inquis*) delectum habere religionis cauſa, & dies certos ſtatóſque præſcribere, in quibus neceſſariò ieiunemus, alterum inſanum, alterum ſuperſtitioſum eſt. *Egregiè his verbis Lutheranæ ſectæ ſpiritum expreßiſti. Ieiunij diſciplinam, ſi beato Leoni credimus, inter prima cæleſtis doctrinæ ſacramenta ſpiritus ſanctus Apoſtolos docuit, ſerm. 4. de ieiun. pentec. Hanc doctrinam quibus veſter ille ſpiritus argumentis oppugnet, videamus.* Quis enim (*inquis*) eum ieiunare exiſtimet, cui liceat modò à carnibus abſtineat, in omnes ſeſe delicias ingurgitare? *Quaſi verò in ſola carnium abſtinentia ſitam eſſe ieiunij vim ac rationem vllus vnquam Catholicus dixerit.*

WHITAKERVS.

56 Ad aliam nunc ὁμωνυμίαν accedis, in qua ipſo, de quo loqueris, ieiunio ieiunior es. Cùm enim de legitimo & Chriſtiano ieiunio quærimus, primùm nobis exponis, non quid ſpiritu

ſancto, ſed quid beato ſcilicet Leoni videatur. At quis Leonem ſpiritus docuit edoctos eſſe à ſpiritu ſancto Apoſtolos inter prima cæleſtis doctrinæ ſacramenta, vt certas quarta ſextaq; feria ieiuniorum ſolennitates obſeruarent? Nihil in ſcripturis tale ſpiritus ſanctus tradidit, & nos loquentem in ſcripturis ſpiritum ſanctum audiemus: quod verò ſine ſcripturarum authoritate dicitur, nobis Duræe nunquam vel à decem Leonibus perſuadebitur. Quale autem veſtrum ieiunium ſit, ſatis omnes norunt, vt quid Catholici dicant, parùm laboremus. Nónne enim ieiunia veſtra omnia in diebus certis, & ciborum generibus conſiſtunt? Qui quadrageſima, quatuor temporibus, vigilijs ſanctorum, ferijs, & ſabbatis abſtinent à carnibus, nónne hos ieiunare exiſtimatis, etiamſi interim alijs cibis vtantur ſatis copioſè? Ita qui his temporibus piſces multos deuorauit, vobis tamen non videtur ſanctum ieiunium violaſſe: qui carnem ſemel momordit & guſtauit, non modò ieiunij laudem amiſit, ſed ſe etiam magno ſcelere obſtrinxit. Quid iſto tuorum ieiunio inſanius, aut ſuperſtitioſius fieri poteſt?

DVRAEVS, Fol. 376.

At delectum habere ciborum religionis cauſa inſanum eſt. O inſanum ergo Heliſæum, vt cum beato loquar Ambroſio, qui ſylueſtribus ramis & amaris paſcebat prophetas! O inſanum Danielem, qui vt diuinam placaret iram, carnibus & vino abſtinuit. Inſanum Ioannem baptiſtam, qui non niſi locuſtis ac melle ſylueſtri vtebatur.

Daniëlis exemplo docemur, tempore ieiunij à cibis delicatioribus abstinere. Quam in Ecclesia consuetudinem perpetuò seruatam videmus, Chrysost. hom. 2. in Genes. Athanas. in vita Anton. Hier. in vita Hilar. Euseb. lib. 5, cap. 1.

WHITAKERVS.

57 Insanum est sic ex ciborum generibus ieiunium æstimare, vt qui non vescuntur carnibus, & tamen alios cibos adhibent non minùs delicatos, ij propter hunc delectum escarum ieiunare censeantur. Siccine Elizæus cum prophetis, siccine Daniël, siccine Ioannes, siccine vlli olim Christiani ieiunabant? Miror te non pudere tam putidæ sententiæ. Elizæus prophetas ramis syluestribus & amaris pauit. Idné verò religionis causa fecit, an quia alius cibus non suppetebat? Et quid si pulmentum ex oleribus confectum prophetis apposuit? An hunc illorum perpetuum fuisse victum sequitur? Daniël verò non tantùm carnibus & vino abstinuit, sed omni etiam *cibo rerum desiderabilium*: idq; non vt hoc ieiunio iram diuinam placaret, queadmodum tu existimas, sed vt fratrũ suorum miserias quasi συγκακουμένων vehementiùs doléret, atq; animo ad Deum solutiore ac paratiore accederet. Id verò non magis carnium, quàm piscium abstinentiam postulat. Tum Daniël non stato atq; anniuersario tempore, vt vos soletis, ieiunauit, sed tum, quando Ecclesiæ calamitas ieiunium flagitabat. Ioannis verò ieiunio quid quæso vestra simile habet? Vosne locustas, & mel syluestre comeditis? Vos per omnem vitam victum vnum atq; eundẽ colitis?

2. Reg. 4.

Dan. 10. 3.

Quid tibi de alijs respondeam, quos cõmemo-ras? Ieiunarunt olim Christiani, & ciborũ generibus vsi sunt. Quis id negat, aut improbat? Cuiuis consentaneũ est ijs potissimùm cibis vti, qui maximè ad sobriam sanctamq; vitã accõmodati sunt. At verò à carnibus simul vniuersos homines certis temporibus prohibere, aliorumque ciborum licentiam permittere, id quidem nihil ab insana superstitione, aut superstitiosa insania differt.

DVRAEVS, Fol. 377.

Paulus (*inquis*) reprehendit Galatas, quòd dies, menses, & tempora obseruarent. *Vetus nimirum hæreticorum calumnia, quam eruditè Hironymus eundem Apostoli locum explanans repulit.* Ad quod qui simpliciter respondebit, dicet non eosdem Iudaïcæ obseruationis dies esse, quos nostros. Nos enim non azymorum pascha celebramus, sed resurrectionis & crucis. *Et Augustinus*, Eos inculpat qui dicunt, non proficiscar, quia posterus dies est, aut quia Luna sic fertur, &c.

Epist. 119.

WHITAKERVS.

58 Cùm ego scripturas adduco, tu mihi Hieronymum mox aliquem, aut alium authorem obijcis. Sed tamen isto modo non effugies. Quanquam enim Ecclesia olim dies aliquos & tempora obseruauit, in eo tamen nullum conscientijs hominum laqueum iniecit. At vos harum obseruationum lege necessaria conscientias alligatis, in quo palàm vestra eadem est causa, quæ fuit Galatarum. Quemadmodum enim illi die-

Gal. 4. 10.

dierum & temporum obseruationem sibi esse ad salutem necessariam existimabant, ita vos Christianis necessarium esse defenditis, vt certis temporibus more vestro ieiunent, quæ superstitio maior est, quàm illa veterum Galatarum fuit. Nam illi diuinam legem putabant esse retinendam, at vos conscientias decretis placitisque hominum constringitis. Quicquid verò patres vel senserint, vel factitarint, nobis nostra libertas tuenda est, qua nos Christus liberauit, vt nullo posthac seruitutis iugo nostras conscientias implicari patiamur. *Gal. 5. 1.*

DVRAEVS, Fol. 377.

Altero deinde Pauli loco abuteris, quo Coloss. præmuniebat (*inquis*) ne illorum superstitione caperentur, qui cibos quosdam non attingendos, non gustandos, non contrectandos censerent. *Et meritò quidem præmuniebat, ne coruscante iam Euangelij luce ad antiquas illas iamque emortuas Iudæorum ceremonias relaberentur. Sic enim hæc verba Hieronymus explanat, q. 10. ad Algasiam.* Ieiunant (*inquit Tertull.*) vt humilitatem animæ suæ victus castigatione Deo immolent. *Quod & pulchrè Bernardus expressit,* Abstineo (*inquit*) à carnibus, ne dum nimis nutriunt carnem, simul & carnis nutriant vitia. *Tertull. de cultu fæminarum.*

WHITAKERVS.

59 Pauli locus iste vestram superstitionem clarissimè refellit. Nónne enim hæc est vestrorum hominum vox, *ne attigeris, ne gustaris, ne contrectaris*? Quis nescit? At hoc illud est, quod Paulus clarissimè reprehendit. Nec vos Hie- *Coloss. 2. 21.*

 ronymus

ronymus ab iſta reprehenſione defendit. Num enim ſequitur, Si Paulus Iudaïcas cæremonias improbauit, veſtras non improbauit? Quis vnquã tam ineptè & ſophiſticè reſponderet? Nam & Iudaïcas à Paulo cæremonias, & alias præterea omnes, quæ ſimiles eſſent, damnari conſtat, quod ex ipſo Apoſtolo manifeſtiſſimum eſt. Sic enim
Verſ.20. ait, *Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi, quid vt viuentes in mundo* δογματίζεσθε, *id eſt, ritibus & cæremonijs oneramini?* Si cæremoniæ à Deo inſtitutæ pro mundi elementis habentur, quantò magis humanæ quædam traditiunculæ ſtultiſſimis ineptijs refertæ repudiari debent? Sic enim mox ſequitur, quod veſtras cæremonias diluit,
Verſ.22. *Ex mandatis & doctrinis hominum.* Neque enim negare potes, humanam eſſe traditionem, quam defendis: aut nobis tabulas diuinas oſtende. Itaq; nunc vt vides non tantùm Iudaïcæ cæremoniæ, quas ipſe Deus præſcripſit, ſed alias etiam vniuerſas, quas homo quiſquam tradidit & docuit, quales veſtræ omnes ſunt, apertiſſimè prohibentur. Tertullianus non de veſtro ieiunio loquitur, in quo carnes damnantur, piſces permittuntur, ſed de illo, in quo ab omnibus animalibus abſtinetur. Carnem verò & carnis vitia non minùs piſces & reliquę deliciæ quę ſunt in veſtris ieiunijs vſitatæ, quàm carnes nutriunt, quemadmodum in veſtris quarundam ſectarum monachis ſatis conſtat.

DVRAE-

DVRAEVS, Fol. 378.

Postremò à certis abstinere cibis (*inquis*) diabolicum atque hypocriticum Paulus esse statuit: *Non te pudet Whitakere Manichæorum armis Catholicos oppugnare? Sic enim Faustus, August. lib.* 30. *contra Faustum cap.* 3. *cui Augustinus respondit. cap.* 5. Christiani non hæretici, sed Catholici edomandi corporis causa propter animã ab irrationalibus motibus amplius humiliandam, non quòd illa esse immunda credant, non solùm à carnibus, verùm à quibusdam etiam terræ fructibus abstinent: vel semper, sicut pauci, vel certis diebus atque temporibus, sicut per quadragesimam ferè omnes, quantò magis quisque, vel minùs seu voluerit, seu potuerit.

WHITAKERVS.

60 Apostolus diabolicum & hypocriticum esse scribit, non cibos damnare, atq; à malo Deo factos affirmare, sed quò minùs illis vti liceat prohibere. Quod à vobis fieri, nemo est qui non intelligat. Quid ergo nobis veteres hæreticos narras, quasi Paulus homines, non ipsum genus doctrinæ damnet? Quicunque ergo tandem fuerint, qui cibis sanctis, à Deo creatis, & cum gratiarum actione sumendis abstinere lege necessaria cogunt, eos Paulus notauit. Hæccine sunt arma Manichæorum? An nunc Paulus Manichæus? Vtri verò Manichæorum similiores sint quis dubitat? Manichæi suis interdixerunt, ne cibis quibusdam vescerentur: idem vos etiam facitis, quibusdam in perpetuum, reliquis ad tempus. Cibos Manichæi immundos esse tradiderunt: Vos pollui cibis Christianos docetis. 1.Tim.4.3.

Num

Num hæc obſcura ſunt? Quod autem Fauſto reſpondit Auguſtinus, id palàm oſtendit, quantũ à veſtris ieiunijs vetera eccleſiæ ieiunia differebãt. Nã olim vſi ieiunijs Chriſtiani ſunt, *vt corpus edomarent, animam humiliarent*: in veſtris illis ſtatis ieiunijs hic fructus minimè reperitur. Illi cibos nullos vnquam immundos putabant: vos immũdos fieri cibis veſtros exiſtimatis. Illi à carnibus non tantùm terreſtrium beſtiarum, ſed piſcium etiam, & quibuſdam fructibus abſtinebant: vobis fructus & piſces ieiunantibus in delicijs ſunt. Illi liberè ieiunabant, prout quiſque aut vellet aut poſſet: veſtræ de ieiunijs communes leges ſunt. Ita vobis præclarè cum Manichæis, malè cum priſcis Catholicis conuenit.

DVRAEVS, Fol. 378. 379.

Et tamen adhuc petis à Campiano, vt Heliam, Dauidem, Ioannem baptiſtam, & Apoſtolos doceat, aut carnibus piſces prætuliſſe, aut ſtatutis atq; anniuerſarijs ieiunijs vſos eſſe. *Hoc te docere quis non poteſt? Quid quadrageſima, quid feriæ quartæ, & ſextæ, quid quatuor anni temporum ieiunio apud antiquiſſimos etiam Chriſtianos notius, quid celebrius fuit? Clem. lib. 5. Apoſt. conſtit. Orig. Hom. 10. in Leuit. Epiphan. in Doctr. compend. de fide cathol. Auguſt. piſt. 86.*

WHITAKERVS.

61 Appoſitè tu quidem, Duræe, reſpondes & pereleganter. Ego de Helia, Dauide, Ioanne baptiſta, Apoſtolis quæro, tu mihi de quadrage-

dragesima, quartis sextisq; ferijs, quatuor temporum ieiunijs, antiquis Christianis multa commemoras. Sic te σοφιστεύειν, & nostris Academicis illudere decebat? Num enim Elias, aut Dauid, aut Baptista, aut Apostoli vel carnibus pisces prætulerunt, vel hæc vestra ieiunia celebrarunt? Aut id istorum quisquam affirmat, quorum tu hîc testimonia ineptissimè introducis? De statis veterum quibusdam ieiunijs non dubito: in illis autem ieiunijs pisces carnibus prælatos esse istorũ nullus vel vno verbo testatur. Non vides à te susceptam esse miserrimæ causæ defensionem?

DVRAEVS, Fol. 379. 380.

Denique quis nescit, Hæreticum ab Ecclesia Aërium iudicatum fuisse, quòd inter cæteras hæreses, eam etiam defendit quam tu nunc tueris? Epiphan. hæres. 75. Vnde apud ipsos studium est (*inquit Epiphanius*) vt potiùs in die Dominica ieiunent, quarta verò & prosabbato edant. *Hoc vos num in Anglia obseruetis, ipsi videritis. In Scotia nostra si quis ieiunio dies eligatur, is potissimùm est dominicus. Augustinus die Dominico ieiunare* scandalum esse magnum *dixit. Tertull.* Die dominico ieiunare nefas ducimus. *Vos Manichæorum & Marcionitarum vestigia persequimini. Vetustissimo ecclesiæ more factum est, vt nulla inter pascha & pentec. ieiunia christiani Catholici obseruarent. Vestra hæc non aliò spectant ieiunia, quàm vt resurrectionis fidem his veluti cuniculis euertatis?* **De coron. milit.**

WHITAKERVS.

61 Eustathio rigidam quandam ieiuniorum disciplinam tradenti Aërius iste restitit: & Eustathium

thium vetus ecclesia improbauit, quemadmodum ex Socrate & Sozomeno intelligimus. Aërius verò, si fuit Arrianus, quod illi crimen obiecit Epiphanius, in hæreticis meritò numeratur. De ieiunio verò nihil à fide Catholica alienum docuit. Nam nulla ab Apostolis instituta fuisse ieiuniorũ certa tempora Augustinus disertè scribit, & Socrates in historia testis est. *Liberè verò & voluntariè ieiunandum esse non ex imperio & lege præcepti* docuit olim Christianorum ecclesia, quemadmodum perspicuè Tertullianus tradit in eo libro, quem contra Catholicos de ieiunio scripsit. Si hæc in Aërio hæretica erant, hæreticam fuisse veterem ecclesiam est necesse. Cùm verò Eustathium Epiphanius defenderet ac probaret, quem prius ecclesia reprehenderat, mirum non est ab illo Aërium esse grauissimè damnatum. Quod autem Aërium Epiphanius accusat de Dominicæ diei ieiunio, id Eustathio Socrates tribuit, à quo Aërius maximo odio dissidebat. Vtcunque sit, ad nos nihil pertinet. Etsi enim illis temporibus die dominica ieiunare nefas fuit propter hæreticos & Iudæos, qui Christi resurrectionem impugnabant, iamdudum tamen illa offensio nullum in Ecclesia locum habet, vt planè nugatorium sit, quod tu de nostris in Anglia & Scotia ieiunijs calumniaris, quasi eò spectent, vt his cuniculis resurrectionis fidem euertamus, quo quid insulsius cogitari aut malitiosius potuit? Etsi eras nostris ieiunijs offensus, tam absurdum tamen crimen nobis obijcere non debebas.

Socrat.lib.2. cap.43. Sozom.li.3. cap.13.

Aug.epi.86.

Tertul.aduers. psychicos.

Socrat.li.3. cap.43.

D v

DVRAEVS, Fol. 381, &c.

Veſtrum illud τὸ ἐν ἀρχῇ ſophiſma, quod quarto Campianus loco recenſuit, pauliſper excutiamus. Veras eccleſiæ notas dum Catholici quærimus, legitimam nobis ſacramentorũ adminiſtrationem, & Dei verbum obtruditis. Cùm petimus, vt hæc apud vos integra eſſe atque legitima oſtendatis, mox ſophiſtarum more, principium petitis, & veſtrum eſſe Dei verbum contenditis. Quàm excogitaſtis ſcripturarum ſententiam, neque patrum authoritate, neque conciliorum decretis, neque fidei regula, id eſt, communi Chriſtiani populi vſu ac conſuetudine probatis vnquam. Humana induſtria nihil eſt incertius, pluribuſq; erroribus obnoxium. Circulatio.

WHITAKERVS.

63 Hæ repetitiones cuiuſmodi in tuo libro crebræ ſunt, egeſtatẽ inopiamq; tuam produnt. Noſtra eccleſia doctrinam Apoſtolicam tuetur: noſtræ igitur eccleſiæ conuenit, quod veram eccleſiam conſtituit. Si non fateris doctrinam à nobis Apoſtolicam defendi ac propagari, ſacros libros producimus, ex quibus nihil nos aliud docere demõſtramus, quã quod prophetę, Chriſtus, Apoſtoli docuerunt. At de verborum ſententia quæritur. Et hæc ſententia, quæ eſt ad ſalutẽ neceſſaria, perſpicuè ac dilucidè in ſcripturis proponitur, quemadmodum ipſi etiam patres confitentur. Quæ verò obſcuriora ſunt, ex apertioribus explicari poſſunt: ita nullis ignota eſſe poteſt ſcripturarum ſententia, qui vero ſtudio religionis

ligionis scripturas consulunt. Patres sæpe errant in scripturis interpretandis, quod illorum commentarij libríque omnes loquuntur: in concilijs antiquis ne millesima pars scripturarum exposita fuit: vsus & consuetudo populi pro regula fidei haberi non debet. Quemadmodum autem qui se Aristotelis aut Platonis discipulos esse profitentur, ex horum philosophorum libris diiudicantur: ita qui veri Christiani sunt, non aliter quàm ex sacris literis agnoscuntur. Quanquam autem multi ecclesiæ nomen ementiũtur, id tamen non euincit incertam aut obscuram esse scripturæ sententiam. Hominum enim hoc vitiũ est in suis opinionibus peruicaciùs atq; obstinatiùs inhærentium, & nonnunquam in rebus etiam clarissimis hallucinantium. Industria verò illa, quæ in scripturis cognoscendis tota consumitur, si eam viam sequitur, quam Augustinus in libris de doctrina Christiana præscribit, ad earum rerum cognitionem certissimè perueniet, quæ sunt necessariæ, quæque sine salutis iactura ignorari nequeunt. Sed hîc nugaris, & veteres nobis de ecclesia calumnias frigidissimas reponis, quas quia satis antè dilui, hoc loco prætermittam.

DVRAEVS, Fol. 383.

Addis, de patribus responsum est, ij toti sunt in maximis iudicijs nostri, in leuioribus varij, in paucissimis ac minimis vestri. *Si patres vestri essent, nunquam illorum authoritatem tantopere eleuaretis. Ne longiùs abeam, illud satis indicat, quod hoc ipso loco eorum iudicio stare recusas.*

WHI-

WHITAKERVS.

64 Si vestræ essent in his controuersijs scripturæ, ijs multò magis, quàm patribus confideretis. Quis enim cum scripturis diuino spiritus sancti instinctu editis patrum commentationes conferat? Ab his autem palàm repulsi, eò confugere coacti estis, vnde subsidium omnino vllum ostenditur, id est ad patrum libros, & recentiora monimenta, in quibus saltem aliquid speratis posse reperiri, quod vestræ causæ sẽtentięq; faueat. Quod cuiusmodi sit, satis antè expositum est. Quemadmodum enim post Apostolorum ætatem mox errores irrepere in Ecclesiã cęperunt, quod historia clarissimè testatur, ita fateor in veterum scriptis extare interdum aliquid, quod & ipsos fuisse homines arguat, & pontificiam hanc superstitionem olêre videatur. Nam id satis perspicuum est, ex omnium authorũ & temporum vitijs atque erroribus conflatum hoc esse Antichristianæ ἀποστασίας monstrum, & vobis ad omnem erroris ac superstitionis defensionẽ sufficere, si quid eritis in hoc aut illo patre nacti vitiosum, quod vobis vllo modo conueniat. Quàm sint autem patres in maximis causis à vobis alieni, satis hactenus patuit. Num verò nostros non esse patres sequitur, quia non ex Patrum libris, sed solis scripturis omnes de religione controuersias dijudicari oportere defendimus? At hoc ipsi etiam patres apertissimè profitentur, ipséque inprimis Augustinus, quemadmodũ antè accepimus,

pimus. Quanquam ergo iudices in omni causa patres recusamus, in multis tamen, iisq; maximis testes libenter admittimus.

DVRAEVS, Fol. 383. 384.

Alium Augustini locum profers epist. 111. *Quis Catholicus patris alicuius scripta velut scripturas Canonicas habuit vnquam? Addis deinde illam D. Thomæ Aquinatis sententiam* 1. *p. q.* 1. 8. *art.* Authoritatibus scripturæ sacræ vtitur sacra doctrina ex necessitate argumentando: authoritatibus aliorum Ecclesiæ doctorum probabiliter arguendo. *Ignoras videlicet nos non vnius alteriúsue patris sententiam, sed communem pastorum, doctorumq; Ecclesiæ consensionem, firmissimum esse ad vestra sophismata refellenda argumentum asserere.*

WHITAKERVS.

65 De Catholico non quærimus, qui nunquam cum canonicis scripturis patrum scripta exæquauit: at pontificij patrum authoritatem non tantùm comparant cum scripturis, sed etiam præferunt. Id quidem ex eo manifestum est, quòd controuersias non ex scripturis, sed ex patribus decidi statuiq; volunt, & vnius potiùs patris sententiam, quàm multas scripturas suscipiunt. Augustinus contra omnium hominum quantumuis *Catholicorum & laudatorum disputationibus* scripturas anteponit. Et Thomas ex scripturis necessariò, ex doctoribus non nisi probabiliter argui scribit. Nec valet, quod de communi pastorum doctorumque consensione respondes. Nam scripturas doctoribus simul vniuersis

uerſis opponit, atque ex his probabilia, ex illis neceſſaria ſumi argumenta concludit. Hæc ergo Thomæ manifeſta ſententia eſt, probabiles ex doctorum ſcriptis adferri poſſe rationes, at neceſſarias in Theologia argumentationes ex ſolis ſcripturis peti. Quid quæſo dici illuſtrius, Duræe, potuit?

DVRAEVS, Fol. 384. &c.

Non me fugit tamen quanto faſtu Caluinus patrum nos authoritatem pro arbitrio reijcere iactitet. Sic enim ille, Ex patribus erat, quorum alter dixit Deum noſtrum non edere, neque bibere, itaque non habere opus calicibus neque diſcis. *Fuit ille quidem Acatius. Nihil ille aliud voluit, quàm ſplendidam huiuſmodi Eccleſiæ ſupellectilem non ita eſſe neceſſariam, quin ſi uiuorum Chriſti membrorum extrema neceſſitas poſtulet, ad ſubleuandam eorum inopiam vendi atque erogari poſſit.* *Caluin.in præfat.instit.* *Trip. hiſt. li.11.c.16.*

WHITAKERVS.

66 A me nunc ad Caluinum digrederis, cuius quandam præfationem totis viribus oppugnas. Quanquam autem mihi non fuit neceſſe pro Caluino reſpondere, paucis tamen oſtendam, quàm tu fruſtra tuum illud, quo abundas, otium monaſticum in Caluino refutando conſumpſeris. Acatius Deum negauit lancibus aut poculis indigere. Ex eo Caluinus hunc ſplendorem magnificæ ſupellectilis, quo pontificij vtuntur, non eſſe Eccleſijs neceſſarium oſtendit. Nec tamen decorum & conſentaneum ornatum improbat, ſed illas immodicas

ac superuacaneas opes perstringit, quas pontificij iactant atq; adhibent, quasi in illis pars magna cultus ac religionis diuinæ consistat.

DVRAEVS, Fol. 386.

Alter (*inquit Caluinus*) pater erat, qui dixit sacra non aurum quærere, neque auro placere, quæ auro non emuntur. *Quis Catholicus dicat sacramenta sine auro administrari non posse? Ita quàm impudens Caluini calumnia, qui nos ait putare, sine argento, & auro, ebore, marmore, lapillis, sericis Deum ritè coli non posse?*

Ambros. de offic. lib. 2. cap. 28.

WHITAKERVS.

67 Quod de luxu pontificio Caluinus scripsit, id omnes verum esse intelligunt. Si enim ille splendidus & sumptuosus apparatus remoueatur, quid habet religio vestra, quod quisquam pili faciat? Quis sine maximis opibus Pontificem summum curet? Quis Cardinales, Episcopos, Monachos inopes non contemnat? Quis Missam ipsam remotis ornamentis non fastidiat? Denique quis non videt apud vos nihil esse sine diuitijs preciosum, & omnem vestram in externa quadam pompa positam esse religionem?

DVRAEVS, Fol. 386.

Pater etiam erat (*inquit*) qui dixit ideo se liberè carnes edere, quo die cæteri abstinebant, quia Christianus esset. *Immò hoc nullus pater vnquam dixit, sed merum est Caluini mendacium.*

dacium. Ex hoc Spiridionis facto nihil aliud effici potest, quàm homini Christiano vbi alij cibi ad vitam tuendam non suppetunt, carnibus etiam ieiunij tempore vesci licere: quod nemo sanæ mentis negauerit. *Trip. hist. lib. 1. cap. 10.*

WHITAKERVS.

68 Si quidem hospiti mox pereundum fuisset, nisi illum istis carnibus Spyridion pauisset, aliquid dixisses. At cùm hospes Christianus respondet nolle se tempore hoc ieiunij carnes comedere, satis indicat nullum fuisse mortis periculum, si abstineret. Sed illum tamen fessum ex itinere Spyridion noluit ieiunum permanere. Itaq; hunc illi de genere cibi scrupulum adimit, *quia mundis omnia munda esse diuinus sermo declarauit.* Cùm ergo hospes velle se quidem illis carnibus vesci diceret, nisi Christianus esset: hoc argumentum Spyridion in ipsum retorquet, eoq; magis debere vesci confirmat, quia Christianus fuit. Quid hoc, Duræe, aliud est, quàm quod Caluinus ipse tradidit? *Sozom. lib. 1. cap. 11.*

DVRAEVS, Fol. 387.

Patres erant (*addit Caluinus*) quorum vnus dixit Monachum, qui manibus suis non laboret, violento, aut si mauis, latroni iudicari æqualem. *De illis loquitur, qui ne alijs oneri essent, suis ipsi laboribus victum quærebant.* *Hist. trip. lib. 8. cap. 1.*

WHITAKERVS.

69 Quantum fuci vestri ab antiquis monachis

differant, hoc testimonium clarissimè demonstrat. Tam erant olim laboriosi Monachi, vt qui laborem Monachus fugeret, latroni similis videretur. Nostra ergo monasteria, in quibus nullus Monachus laborat, quid aliud esse possunt, quàm latronum domicilia, cuiusmodi olim monachorum ληστρικὰ σπήλαια Letoïus euertit? Tuū responsum admodum puerile est. Loqui enim istum ais de illis, qui suis laboribus victum querebant, ne alijs oneri essent: quod quidem necesse est, cùm nulli omnino Monachi essent, qui victum aliter, quàm suis laboribus cōpararent. Iam verò si priscis Monachis tam salutare fuit in perpetuo labore viuere, nostris proculdubio perniciosum est in quotidiano otio & luxu consenescere: sique, vt Cassianus tuus ait, operans Monachus vno demone pulsatur, otiosus innumeris, fieri non potest, quin illa amplissima & frequentissima otiosorum Monachorum receptacula innumeris demonum legionibus circumsedeantur.

Theodor. lib. 4. c. 11.

DVRAEVS, Fol. 388.

At pater etiam erat (*inquit*) qui dixit non licere Monachis ex alieno viuere, etiamsi assidui sint in orationibus, in contemplationibus, in studijs. *Hos Augustinus Monachos reprehendit, qui pigritiæ suæ ac desidiæ hanc excusationem querebant, quòd orationibus, psalmis, lectioni, & verbo Dei vacarent. Nunquam tamen putauit non licere Monachis manuum labore abstinere.* Si alicui sermo erogandus est (*inquit*) & ita occupa-

August. de opere Monach. c. 17.

occupatur, vt manibus operari non vacet, nunquid omnes hoc in Monasterio possunt? *Ibid.c.18.*

WHITAKERVS.

70 Et qua tuos Monachos alia excusatione defendere potes, quàm ista, qua vsi illi Monachi sunt, quos Augustinus vehementissimè reprehendit? Si lectioni, orationi, psalmis, verbo Christi vacarent, facerent quod pios Monachos facere oporteret: & tamen laborem manuum propter has occupationes intermittere non deberent, quemadmodum statuit Augustinus. Quid ergo tam multi Monachorum greges suę inertię atque otio prętexent? Quanquam si sit aliquis in numero monachorum, qui in verbi ministerio occupatur, illius habendam esse rationem Augustinus confitetur: sic tamen vt reliqui incumbant in labores, adeo vt si possent omnes Monachi *vel lectiones diuinas exponere, vel de aliquibus quæstionibus salubriter disputare, id tamen vicissim facere deberent*. In vestris verò Monasterijs paucissimi sunt, qui facere omnino aliquid pręterquam horas communes percurrere, & cibum dimensum capere possunt. *Quando ergo* (vt inquit Augustinus) *non omnes possunt, cur sub hoc obtentu omnes vacare volunt?* Ita vides Augustino nullum placere Monachum nisi manibus suis laborantem: pontificios ergo Monachos, quos omnes, quàm sint otiosi intelligunt, si videret Augustinus, non valde, opinor, probaret. *Augus.de opere Monach.c.18.*

DVRAEVS, Fol. 389.

Epiphan. Epiſt. ab Hieron. verſ.

Addit Caluinus, Pater erat, qui dixit horrendam eſſe abominationem videre depictam vel Chriſti, vel ſancti vllius imaginem in Chriſtianis templis. *Immo nullus hoc vnquam pater dixit. Hæc non ſunt Epiphanij. Nam Epiphanius cùm hæreſes omnes refutaret, imaginum quidem vſum ne verbo quidem vno in vllo opere reprehendit. Et in ſeptima ſynodo cùm omnia iconoclaſtæ ex Epiphanio quæ corradere poterant, obiecissent, hunc tamen locum ne attigerunt quidem. Ab hæretico adiectum hoc eſſe certiſsimum eſt, quod vel ſola epiſtolæ ſeries ſtiliq́; diſsimilitudo oſtendit. Denique Gregorius pontifex in Epiſtola ad Serenum apertiſsimè indicat, nihil ipſius ætate de Epiphanio huiuſmodi fuiſſe auditum.*

WHITAKERVS.

71 Pungit εἰκονολάτρας hæc Epiſtola Epiphanij, tum propter facti gloriam, tum Epiphanij atque Hieronymi authoritatem. Itaque multa nunc à pontificijs finguntur ad labefactandam Epiſtolæ fidem, in quo tamen iſti nihil aliud, quàm deſperationem ſuam perfidiamq́ue produnt. Hanc enim Epiſtolam Epiphanius ſcripſit ad Ioannem Hieroſolymitanum, eamq́ue Hieronymus tranſtulit in Latinum odio Ioannis & Ruffini, quemadmodum Eraſmus ſcribit. Nec verò minus licet de quauis alia Hieronymi Epiſtola, quàm de iſta dubitare. Nobis quidem ſuccenſetis, quando quæ manifeſtiſſimè ſuppoſititia ſunt reijcimus: interim ipſi patrum vera & explorata monimenta contemnitis veſtro arbitratu ſine ratione. Nam hæ ſuſpiciones tam futiles falſæque

Epiſt. Epiphan. ad Ioan. Hieroſ. in 2. Tom. Hieron.

que sunt, vt verbo diluantur. *Imaginum* (inquis) *vsum Epiphanius in illo opere ne verbo quidem vno reprehendit*. Quid mirum, cùm nondum ista hæresis de colendis publicè imaginibus vllas in Ecclesia radices egisset? Quid tamen de illa omni idololatria Epiphanius iudicarit, ex his ipsius verbis manifestum est. *Diabolus mortalem naturam in hominum oculis deificans: statuas imagines humanas præferentes per artium varietatem expressit*. Septimæ verò synodo quanta fides tribuenda sit, non ignoramus. Nec sequitur, Nulla fuit in illa synodo mentio huius Epistolæ, Ergo hæc Epistola non fuit in illa synodo iconolatris obiecta. Quod de Epistolę serie, & stili dissimilitudine calumniaris, in eo te satis ridiculum prębes. Nihil planè aut in rebus dissentaneum, aut in verbis dissimile est. Si verò Gregorius hanc Epistolam nunquam legit, id nullam fuisse omnino eiusmodi Epistolam ostendit? Non vides, quàm temere atque imperitè fidem detrahas pulcherrimæ Epistolæ?

Epiphan. contra Collyrid. hæres. 79.

DVRAEVS, Fol. 390.

At in concilio Elebertino decretum fuisse addit Caluinus, ne quod colitur, in parietibus depingatur. *Quis hîc summam impudentissimi hominis fraudem non miretur? Pro imaginum honore Elibertini concilij patres decreuerunt, ne scilicet in parietibus depingerentur, quia huiusmodi imagines defluentibus paulatim parietum crustis corrumpebantur, & Paganorum incursionibus ac ludibrio exponebantur, dum fugientibus Christianis auferri non possent.*

WHITAKERVS.

72 Caluino impudentiam obijcis ipse omnem verecundiam & modestiam prætervectus. Synodus Elibertina picturas omnes ex Ecclesia tollit: sic enim statuit, *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere*: quod de omni picturarum genere intelligi oportere nulli dubium esse potest, idque pontificij iamdudum agnoscunt. Tu parietum solummodo picturas prohiberi affirmas, causis inductus ineptissimis. Nam tabulæ & statuæ non minus corrumpi ac deformari solent, quàm illæ picturæ: & magis etiam paganorum contumelijs expositæ sunt, quemadmodum in excidio Constantinopolitano apparuit. Quales autem hodie sint in Hispania picturæ, id nimirum populus curat.

Eliber. Concil. cap. 36. Harding. contra. Apolog. Et annot. in hunc can. in lib. concil.

DVRAEVS, Fol. 390.

Alius pater consuluit (*inquit*) vt officio humanitatis erga mortuos in sepultura defuncti sineremus eos quiescere. *Ambrosium hîc nobis obycere voluit, cuius neque verba ille, neque mentem callet. Nihil aliud quàm immoderatum mortuorum luctum prohibet: preces verò pro defunctis & sacrificia offerre nequaquam: quod innumeris Ambrosij testimonijs probari posset.*

Ambros. lib. de Abrah. 1. cap. 9.

WHITAKERVS.

73 Ambrosij verba sunt, *Docemur vt non diutius inhæreamus mortuis, sed quantum satis est officij deferamus.* Hoc autem officium in moderato

luctu

luctu & ſepultura conſiſtit: ex quo illas exequias, & perpetuam de mortuis ſolicitudinem ad hoc officium minimè pertinere conſtat. Non tibi nunc Caluinus videtur & verba Ambroſij & mentem calluiſſe? Sacrificia verò illa & preces cuiuſmodi fuerint, nulli ignotum eſt. Quanquam enim negari non poteſt, in ijs aliquid ſuperſtitionis fuiſſe, tamē non eo animo fiebant, vt mortuorum animas è purgatorio liberarent, ſed vt viuis potiùs, quàm mortuis prodeſſent. Nam Valentinianum & Satyrum Ambroſius non putauit in Purgatoria regione hærere, ſed iam cæleſti fęlicitate perfrui.

DVRAEVS, Fol. 391.

Ex patribus erat (*inquit*) qui ſubſtantiam panis & vini teſtatur in Euchariſtia ita permanere & non deſinere, ſicut manet in Chriſto Domino ſubſtantia & natura hominis iuncta diuinæ. *Hoc teſtimonium nullas aduerſus catholicum de Tranſſubſtantiatione dogma vires habere ſuprà oſtendi.* *Gelaſ. papa in Concil. Rom.*

WHITAKERVS.

74 Deſine Duræe monſtrum illud hęreticæ opinionis catholicum dogma nominare, & cum Gelaſio papa confitere ſic eſſe integram in Euchariſtia panis viniq́ue ſubſtantiam, quemadmodum natura hominis integra in Chriſto Domino cum diuina coniungitur.

DVRAEVS, Fol. 391.

Addit deinde: Patres erant, qui vti vniuerſæ eccleſię vnā duntaxat

Chrysost. in cap. 1. ad Ephes.
Calixtus papa de cõsecra. dist. 2.

duntaxat Eucharistiam exhibebant, atque vt inde arcebant flagitiosos & sceleratos, ita grauissimè damnabant omnes qui præsentes ea non communicarent. *Chrysostomus populi tantùm torporem reprehendit. Quod verò de vna scribis Eucharistia vanissimum est. Sæpius eadem die atque in eadem ecclesia offerri Eucharistia consueuit: quod olim à Leone preceptum legimus epist. 81. Eadem vanitate queritur Caluinus priuatis interdum in locis sacrificium à nobis offerri. August. lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 8.*

WHITAKERVS.

75 De Missis priuatis diximus, & Chrysostomi sententiam exposuimus. Caluinus verò sæpius in die, quàm semel Eucharistiam celebrari posse nunquam dubitauit, si id populi multitudo postularet, quod à Leone cautum præceptúmque fuit. Ab otiosis autem sacrificulis Missas priuatas vno die tam multas confici amentię, quàm religioni similius videtur. Ex Augustino præclarum proculdubio testimonium adducis, quo licere Eucharistiam in priuatis locis administrare doceas. Erant certæ ædes dæmonibus infestæ: rogantur presbyteri, *vt aliquis illo pergeret, cuius orationibus cederent. Accessit quidam, sacrificium obtulit, orauit, vexationem sustulit*. Hinc tu, vt quàm hoc legitimè factum fuerit ab Augustini presbytero non quæramus, efficies domi priuatim posse ab vno sacrifico fieri & percipi Missam, quemadmodum inter vos solet? Laodicena synodus vetuit, *Ne fierent in domibus oblationes ab episcopis aut presbyteris?* Ita Iustinianus veterum legum & apostolorum authoritate inductus prohibet

Laodic. concil. cap. 58. ὅ δεῖ ἐν τοῖς οἴκοις προσφορὰς γίνεσθαι.

hibet ſacra in priuatis cuiuſquam ædibus admi-niſtrari. *In Nouel. Conſtit.57.*

DVRAEVS. Fol. 392.

Pergit Caluinus: patres erant quorum vnus ab vſu ſacræ Chriſti cœnæ in totum ſubmouendos decreuit, qui alterius ſpeciei participatione contenti ab altera abſtinebant: alter fortiter pugnat non denegandum populo Chriſtiano domini ſui ſanguinem, pro cuius confeſſione ſanguinem ſuum effundere iubetur. *Prior ille, Gelaſius eſt, quem contra nos teſtem denuo producit, ſed quàm ineptè id ſuprà oſtendi. Alter verò Cyprianus eſt, cuius teſtimonium ſuprà quàm dici poteſt imprudenter abutitur. Nihil ille aliud, quàm pœnitentibus Euchariſtiam vrgente perſecutione concedendam eſſe contendit. Non videt Caluinus Cypriano indice tam verè Chriſti ſanguinē martyres ſumere, quàm ſuum ipſi funderent.* *Gelaſ. can. Comperimus de conſecr. diſt. 2. Cyprian. lib. 1. Epiſt. 2.*

WHITAKERVS.

76 Gelaſij decretum contra tuas calumnias ſuprà defenſum eſt. Quæ verò illa eſt Caluini impudentia, quam tu tantis clamoribus inſectaris? Nunquam te iſtius petulantiæ ac leuitatis pudebit? Quid ſi enim non tum pugnauit Cyprianus pro vtriuſque ſpeciei communione? An non populo Chriſtiano ſanguinem domini præbendum eſſe contendit? Quamobrem igitur vos hunc ſanguinem populo Chriſtiano denegatis? Aut quæ cauſa fuit, cur populum tanto beneficio priuaretis? Ita quàm longè pontificia eccleſia ab antiqua Chriſti Catholica eccleſia receſſerit, in qua Cyprianus, & illi præſtantiſſimi patres vixerunt, facilè animaduerti poteſt. Sumptum

tum verò esse à martyribus Christi sanguinem nullus negat, sed fidei ac mentis ore spiritualiter, sine vlla vini in Christi naturalem sanguinem commentitia Transsubstantiatione.

DVRAEVS, Fol. 393.

August. lib. 2. de peccat. merit. & remiß. cap. vltim.

Addit deinde Caluinus: Pater erat, qui temeritatem esse asseruit, de re obscura in vtramuis partem definire sine claris atque euidentibus scripturę testimonijs. *In obscurissimam quæstionem de origine animæ Augustinus inciderat, de qua nihil neque ex traditione, neque ex vllo ecclesiæ decreto poßet elicere. Sed obscuræ quæstiones Augustino non sunt, de quibus clara extat vel maiorum traditio, vel ecclesiæ sanctio, licèt apertis scripturarum testimonijs demonstrari non poßint, vt disertè testatur lib. 1. contra Crescon. cap. 33.*

WHITAKERVS.

August. de pecc. mer. & rem. lib. 2. cap. 36.

77 Agnosce nunc temeritatem tuam, qui locum Augustini, quem non videris, interpretandum susceperis. Neque enim Augustinus de origine animæ disputat, sed alias quęstiones commemorat, nempè quomodo Deus etiamsi non creat ex traduce animas, non sit tamen author reatus. Hæc illa res est obscurissima de qua Augustinus meminit. Et quanquam non desunt scripturarum testimonia, quibus hæ difficultates expediantur, præcipitationem tamen Augustinus & *præsumptionem* cauendam esse monet, vt *sinę certis clarisque scripturarum documentis* nihil temere

temere statuatur. Ita omnium quęstionum diiudicationem ex diuinis scripturis sumendam esse concludit: traditionis verò aut decreti ecclesiastici nullam mentionem facit. Nam his quantum tribuat, mox ostendit, quando omnem doctrinam Christiano necessariam ad salutem in diuinis eloquijs clarè expositam esse scribat. Hæc eius verba sunt: *Etsi quodlibet horum quemadmodum demonstrari & explicari possit, ignorem, illud tamen credo, quòd etiam hinc diuinorum eloquiorum clarissima authoritas esset, si homo illud sine dispendio promissæ salutis ignorare non posset.* Quicquid ergo sine salutis iactura non potest ignorari, non tantùm proponitur in scripturis, sed etiam clarissimè docetur. In altero verò loco, quem affers, Augustinus Cresconium eos qui baptizati sunt ab hęreticis iterum baptizandos esse contendentem, vniuersę ecclesię authoritate reprimit. Quanquam priùs ait, *Sequimur sanè nos in hâc re etiam Canonicarum authoritatem certissimam scripturarum*. Hoc autem ecclesię argumento Augustinus eò libentius vtitur, quia res illi fuit cum Donatista, qui ecclesię authoritatem contemnebat. Sed vt planè videas quàm exiguus ad tuam causam fructus ex hoc loco Augustini perueniat, do tibi quicquid vniuersa ecclesia tenet, à nobis etiam retinendum esse, *quamuis* (vt inquit Augustinus) *huius rei de scripturis canonicis non proferatur exemplum*, modò nihil scripturis dissentaneum habeat. Hęc Augustini sententia est, ex

August. contra Crescon. lib. 1. cap. 32.

ex qua nihil elicere potes, quod pontificias traditiones, impiasque superstitiones comprobet.

DVRAEVS, Fol. 393.

Pater erat (*inquit Caluinus*) qui Montano inter alias hæ-
Euseb.lib.5. cap.17. reses exprobrauit, quòd primus ieiuniorum leges imposuisset. *Et hoc quoque mendacium est. Nihil minùs Apollonius, quàm primum Montanum ieiuniorum leges instituisse ait, sed nouas leges & veteribus contrarias innexisse.*

WHITAKERVS.

78 Vbique aliquod malitiosi spiritus indicium ostendis. De Montano sic Apollonius apud Eusebium scribit, οὗτός ἐστιν ὁ διδάξας λύσεις γάμων, ὁ νηστείας νομοθετήσας, id est, *Hic ille est qui coniugiorum*
Euseb.lib.5. cap.17. *dissolutiones docuit, & leges de ieiunijs instituit.* Ex quo perspicuum est ante Montanum nullas fuisse in ecclesia certas & necessarias de ieiunijs leges. Nam hæreticum ecclesia Montanum iudicauit, quia certa ieiunia præscripsit, cùm priùs Christiani liberè nulla necessitatis opinione aut conscientiæ seruitute ieiunarent, quemadmodum paulò priùs ex ipso Tertulliano ieiunij Montanici patrono exposui.

DVRAEVS, Fol. 394.

Hist.tripart. lib.2.ca.14. *Illud apud Caluinum sequitur*, Pater erat, qui negauit ecclesiæ ministris interdicendum cõiugium, castitatem pronunciauit cum propria vxore concubitum. *Paphnutius,* *quem*

quem huius sententiæ patronum facis, illud tantùm Niceni concilij patribus teste Socrate suasit, vt qui in clerum antè ascripti erant, quàm duxissent vxores, hi deinceps à nuptijs se abstinerent: non tamen quenquam ab illa, quam iampridem cùm laicus erat, vxorem duxisset seiungi debere. *Socrat. lib. 1. cap. 8.*

WHITAKERVS.

79 Crebris istis molestisque repetitionibus voluminis tui magnitudinem auxisti. De Paphnutio responsum est suprà, ex quo perspicuè constat, primùm nullam esse diuinam legem, qua ministris Euangelij nuptiæ prohibentur, tum coniugalem consuetudinem in ipsis etiam ministris esse castissimam. Si qua sit ecclesiæ diuersa traditio, eam scripturis cedere par est.

DVRAEVS, Fol. 394. 395.

Pater erat (*inquit Caluinus*) qui censuit vnum Christum audiendum esse, de quo dictum sit, ipsum audite, nec respiciendum quid alij ante nos aut dixerint aut fecerint, sed quid qui primus est omnium Christus præceperit. *Non me latet similia apud Cyprianum interdum legi. De hæreticorum baptismo quæstio magna contentione agitabatur. Magna est Caluini impudentia, quem non puduit aduersum nos illud ex Cypriano proferre, quod nunquam ab eo, nisi ad confirmandum errorem vsurpatum est, quódque in illo omnes Catholici deinceps reprehenderunt.* *Cypr. epist. 2. lib. 2.*

WHITAKERVS.

80 Quid hoc aliud est, quàm temere, quod nesciàs, effutire, & te planè ridiculum tuis, no-

bisque omnibus præbere? *Magna* (inquis) *Caluini impudentia est*, sed interim, quid de te homines judicent, parùm cogitas. Nam hîc certè nullum in te pudoris Christiani indicium apparet. Quod enim ais? quæ ex Cypriano Caluinus protulit, nunquam ab eo nisi ad confirmandum errorem vsurpata esse? id nunquam, opinor, dixisses, si Cyprianum ipsum legisses. Neque enim hoc loco de hæreticorum baptismo disputat, sed Aquariorum hæresin refellit, qui solam aquam in Dominico calice adhibebant. Ita hoc argumento Cyprianus vsus est, non vt eo errorem confirmaret, sed hæresin refutaret. Hæc Cypriani verba sunt, quorum Caluinus meminit: *Id nos obaudire & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandauit: quando ipse in Euangelio dicat, Si feceritis quod mando vobis, iam non dico vos seruos, sed amicos. Et quod Christus debeat solus audiri, pater etiam de cælo contestatur, dicens, Hîc est filius meus dilectissimus, in quo bene sensi, ipsum audite. Quare si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putauerit, sed quid qui ante omnes est Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem, &c.* Similia tu quædam scilicet legi interdum apud Cyprianum meministi. Verùm vt demus hæc Cyprianum ad malæ causę defensionem attulisse, nullum propterea in hoc testimonio pondus erit? Quasi quicquid

Cypr. lib. 2. epist. 3. apud Pamel. epist. 63.

quid ad erroris confirmationem comparatur, vnà cum errore repudiandum ſit.

DVRAEVS, Fol. 395.

Pergit Caluinus. Pater erat, qui contendit eccleſiam non debere ſe Christo præponere, quia ille ſemper veraciter iudicet, eccleſiaſtici autem homines plerumque fallantur. *Nihil eiuſmodi eo quem Caluinus indicat loco Augustinus ſcriptum reliquit. Eccleſiaſtici iudices in facti, vt loquuntur, quæſtione errare interdum poſſunt: vbi verò de fide, vel de moribus agitur, fallax eſſe eccleſiaſticum iudicium neque Augustinus, neque vllus vnquam ſcriptor Catholicus affirmauit.* August. contra Creſcon. cap. 2.

WHITAKERVS.

81 Hîc iterũ nobis egregiũ tuę negligentię ſpecimen oſtendis. De Cęciliani iudicio loquutum Auguſtinum arbitraris: ſed in eo falleris. Aliã enim rem tractat iſto in loco Auguſtinus, nimirum vt quos eccleſia iudicauit, baptizare poſſe doceat, quia baptizare eos Chriſtus permittit, quos iam ipſe iudicauit. Eccleſia autem ſubdita eſt Chriſto, ac proinde, ſe Chriſto prę-ponere non debet: *& Christus ſemper veraciter iudicat. eccleſiaſtici autem iudices ſicut homines plerũq; fallũtur.* Tua verò, quę ſequitur, diſtinctio ſophiſtica eſt & ridicula. Idẽ enim ille ſpiritus, qui iudices eccleſiaſticos in vera de fide & moribus ſententia tenet, illos etiã a facti errore defendere poteſt, cùm ſit extraordinarius. Vbi enim vlli iudici quantũuis eccleſiaſtico Chriſtus promiſit, vt Contra Creſcon. lib. 2. cap. 21.

quanquam in facti quæstionibus interdum erraret, quicquid tamen de religione statueret, verum semper iudicaret? Nam quod ais, quando de fide & moribus agitur, errare ecclesiasticum iudicium neque ab Augustino, neque à quouis scriptore catholico affirmari, quis non videt, quàm à te proiectè, & temere dicatur? Nam hoc ipsum ecclesiasticum de baptismo hæreticorum iudicium errauit, quemadmodum & Augustinus, & alij catholici patres agnoscunt. Ita, quod Caluinus asserit, solus Christi iudicium semper verum est, alij iudices, quicunque tandem fuerint, errare fallique possunt.

Cypr. epist. 7

DVRAEVS, Fol. 396.

Illud iam superest quod ait, Patres omnes vno pectore execrati sunt, & vno ore detestati sanctum Dei verbum sophistarum argutijs contaminari & dialecticorum rixis implicari. *Quomodo Theologia scholastica, quam hîc Caluinus perstringit, sophistica censeri potest, quæ sophisticas omnes argutias dignoscere & vitare docet? Qua Augustinus, Basilius, Nazianzenus, & quicunque hæreticorum sophismata fæliciter refutarunt, quàm optimè instructi fuere?*

WHITAKERVS.

82 Nullam vnquam Caluinus artem reprehendit, nedum dialecticam, qua ipse excelluit: sed illas sophisticas argutias, quibus plena est scholasticorum Theologia, grauissima reprehensione dignas esse meritò quidem iudicauit. Quàm enim indignum est sacra Theologia, quod

quod illi vbique faciunt, dum controuersias causasque Theologicas ex Aristotele, Auicenna, Alexandro, & philosophis confirmant? Illæ verò innumerabiles quæstiones ac captiones quorsum spectant, nisi vt veram Theologiam sepeliant, atque errores multiplices, miseramque ignorantiam pariant? Ita enim ab istis Theologis sacrosanctam Dei doctrinam nõ modò neutiquam esse fideliter tractatam & traditam constat, sed etiam fœdissimè multis modis contaminatam. Thomas grauiter scribit, *Cùm aliquis ad probandam fidem inducit rationes, quæ non sunt cogentes, cedit in irrisionem infidelium. Credunt enim quòd huiusmodi rationibus innitamur, & propter eas credamus.* Quod si scholastici Theologi cõsiderassent, illas multiplices λογομαχίας, & [illegible] & [illegible] prætermisissent, quibus disputationes suas & commentarios referserunt. Part.32. quæ.1.art. in corp.

Dvraevs, Fol. 396. 397.

Hæc illa sunt Whitakere, vt ad te nunc redeam, quæ ex innumeris antiquissimorum patrum voluminibus Caluinus in medium proferre potuit. Non unius fortè, alterius sue patris sententia, sed patrum consensio firmum Theologo argumentum suppeditat. Atque hæc de sophismatis vestris.

VVhitakervs.

83 Caluinum nunc relinquis, quem infælicissimo conatu oppugnasti. Plura autem ex patribus afferri contra vos posse, quàm in hac præ-

fatione Caluinus protulit, satis iamdudum, opinor, intelligis? Quod verò de patrum communi consensione scribis, suprà dilui. Vobiscum enim omnes patres in nulla contra nos causa sentiunt: aut profer aliquod, si potes, dogma vestrum à nobis improbatum, quod patres, quicunque in Ecclesia vixerunt, communibus suffragijs & testimonijs comprobent. Vestram quidem communionem diminutam, Transsubstantiationem, Realem presentiam, sacrificium μονοφαγίαν, sacramenti adorationem, externum reale sacrificium, liturgiam peregrino sermone habitam, Pontificis παντοκρατορικὴν iurisdictionem, & multa huiusmodi alia omnes nobiscum antiqui patres vna voce sententiaq; damnant, quemadmodum apertissimè ex illorum libris ostendimus. Quorum nunc sophismata sint, Lectores Christiani judicent.

LIBER



LIBER DECIMVS de omni genere Testium.

DVRAEVS, Fol. 404.

QVis te hîc tergiuersari non videt, cùm Campiano tantam pro se testium nubem producenti nihil aliud quàm meras eum nugas agere respondeas? Audes tamen Campianum ridere quod nunc in cælum subuolet, nunc in tartara dilabatur, nunc Iudæos, Ethnicos, Turcas inuisat. In quo si quid risu dignum est, Prophetam etiam rideas licet, eadem celeritate vniuersitatem hanc peragrantem. Et Paulum à prophanis etiam poëtis veritatis testimonium petentem, quale est illud, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν; Ipsius enim & genus sumus, aliaque nonnulla. Act. 17.

WHITAKERVS.

POSTREMVS hic locus ita totus sophisticus est, vt in eo nec principium argumenti, nec exitum inuenias. Quàm enim indignum est Theologo vel è scripturæ finibus erumpere, & externa quædam assumptaque testimonia conquirere, vel in disputationis fundamento ponere, quod si verbo sustuleris, totam molem disturbaueris? Religionem pontificiam Campianus omni genere testium confirmare voluit, cuius argumenti hæc summa fuit, nihil esse in omni rerum natura, quod non Ecclesiam fidemq; ponti-

ficiam approbaret. Quæ si ratio Pontificijs succederet, facilem controuersijs finem imponeret. Sed quid ista verborum iactatione vanius, stolidius, puerilius? Nego enim aliquid omnino in tota rerum natura reperiri, quod illam religionem comprobet. Tu nunc potes illud Collegæ tui tam stupidum λῆμμα defendere? Tu docere, quicunque nunc in cælis versantur, vestræ Ecclesiæ alumnos fuisse, qui ad inferos detrusi sunt, vestram ecclesiam odisse? Tu demonstrare, quicquid in terris, Apostolicis sedibus, populis Christianis, aut denique vsquam extat, id totum vestræ fidei suffragari? Non te pudet insolentis amentiæ tuorum, qui cùm bonorum argumentorum inanissimi sint, tantopere verbis inflati perstrepant? Ego verò tecum non contendam verbis, & hunc locum omnem tam vacuum rebus breuiter strictimque percurram: si quid occurrerit, quod explicationem requirat, aut argumenti speciem præbeat, discutiam. Et quod de Propheta primùm atq; Apostolo commemoras, quis nescit Deum in creaturis agnosci, atque ex incorrupta natura religionem illustrari? Sed quæ natura docuit Campianum, vt isto modo de cælitibus, de damnatis, de rebus vniuersis iudicaret? Num ex natura disci potest, qui religionem pontificiam professi sunt, eos nunc fælicitate cælesti frui, qui auersi ab illa fuerant, apud inferos cruciari? Sin terras, principes, populos, nationes obijcis, quid aliud facis, quàm quod olim impurum illud Symmachum fecisse legimus, qui religionem Christianam ijsdem armis & argumen-

Ambros. epist. 30. Prudent. contra Symmachum.

gumentis oppugnauit?

DVRAEVS, Fol.405.

Aditum inquis ad Christi Ecclesiam propheta describit planum, & facilem, & admodum expeditum, *quo loco magna ignoratione Prophetam ais viam in Christi Ecclesiam describere, cùm non viam ille in Ecclesiam, sed Ecclesiam ipsam, quæ vnica est in cælum recta via nobis ob oculos ponat: vt ex alio loco, Esai.2. Mich.4.* Esa.35.

WHITAKERVS.

2 Vtrouis modo viam interpreteris, nec meâ aliquid interest, nec tuâ. Quis enim Ecclesiam negat esse viam, qua nos in cælum peruenire oportet? Sed quinam tandem istam viam inueniant, in eaq; ad cælum contendant, id demum quæritur. Non enim quia plana via est, ab omnibus percipitur; nec quia recta est, ab omnibus tenetur: sed qui Christum didicit, is in hac via sine vllo errore ingreditur, quantumuis stultus atq; imperitus fuerit.

DVRAEVS, Fol.406.

Hanc (*inquis*) huiusmodi fore Propheta prædixit, vt nullus in ea homo pollutus, vel leo, vel fera truculenta reperiatur. *Hæc si ita se habent, vera esse Ecclesia non potest, quæ homines peccatis contaminatos pollutósque continet, vt patres intellexerunt, viam hanc Ecclesiæ pollutis hominibus inaccessam esse ait, i. ijs, qui sacro baptismate emundati non sunt.*

WHITAKERVS.

3 De electorum & sanctorum Ecclesia lo-

Esa.35.8.9.11. qui Prophetam constat, quia pollutos per hanc viam nullos transituros ait, eamq; solis redemptis, quorum perpetuum gaudium erit, attribuit. Nam in Ecclesijs aspectabilibus multi sunt impuri homines, quos Christus non redemit, & quorum gaudium peribit. Baptismus verò nullos purgat, *Ephes.5.26.* nisi qui promissionem gratuitæ in Christo iustificationis accipiunt. Itaque Apostolus ait nos purgari lauacro aquæ per verbum: *Tit.3.5.* & baptismi vim in regeneratione ac renouatione spiritus constituit. Si enim externus baptismus omnes omnino sordes ablueret, nulli essent in Ecclesia maculati. Sancti autem quos Deus in Christo ad vitam æternam elegit, etsi multa peccant quotidie, tamen sancti esse nequaquam desinunt, quia Christi iustitia ac sanctitate per fidei imputationem donantur.

DVRAEVS, Fol. 408. &c.

Ad vos quod attinet, si vera sunt, quæ de Antichristo ante annos fere mille quadringentos sanctissimus Martyr Hippolytus scripsit, illius profectò characterem geritis. Dabit enim (*inquit ille*) characterem in dextera manu, & in fronte, ne quis dextra sua preciosam illam crucem pingat in fronte. *Et rursum,* *Hippolyt. de consummat.* Dicimus fortasse, scripturam illius sigilli esse ἀρνοῦμαι. *Hæc quàm in vos aptè conueniant, nemo est qui non videat. Etenim à signo crucis non minus quàm dæmones abhorretis. ἀρνοῦμαι verò quàm sit vobis familiare, quicunque vos norunt, satis experti sunt. Quid enim Caluinianis frequentius in ore, quàm nego hunc librum esse in Canone: nego omnes patres, nego omnia Concilia, nego quicquid ante Lutherum Christiani*

stiani crediderunt; nisi quantum ille probauerit: Nego efficere Deum posse, ut Christi corpus in Eucharistia sit, nego septem sacramenta, nego gratiam per sacramenta conferri, nego liberum hominis arbitrium. &c. *Beza contra Brentium.*

WHITAKERVS.

4 Hippolytum tuum, præclarum scilicet authorem; non moramur. Si scriptura proprijs verisque notis Antichristum descripsit, Romanum pontificem esse Antichristum profectò constat. Quid tuo Hippolyto visum fuerit, nemo est, opinor, qui tantuli faciat, præsertim cùm sit perspicua de Antichristo scripturarum sententia. De cruce egregium est iudicium tuum. A cruce (*inquis*) non minùs quàm dæmones abhorremus. Quid ita Duræe? Nos enim Christum in cruce peccata nostra pertulisse credimus, & spes salutis nostra omnis in sola Christi cruce consistit. Idololatriam verò & superstitionem vestram, quia crucem λατρείᾳ colitis, & vos innumeris crucibus quotidie signatis, cùm dæmones probant, tum pij omnes toto animo execrantur. In altero autem Antichristi signo planè deliras. Num enim quia negamus, quæ neganda sunt, nobis illud Hippolyti ἀρνοῦμαι conueniet? At vide quæso quanto illud pontifici Romano magis consentaneum sit. Hæ sunt enim pontificæ negationes, Nego Christum esse solum Ecclesiæ prophetam, regem, sacerdotem: Nego Deum solum esse adorandum & inuocandum: nego scripturæ doctrinã nobis sufficere ad salu- *1. Petr. 2. 24.*

salutem: nego Ecclesiam ex Dei verbo agnoscendam ac dijudicandam esse: nego nos sola fide & Christi meritis iustificari: nego sanctos vita defunctos mox à suis laboribus quiescere: nego Eucharistiam sic administrandam esse, quemadmodum Christus instituit: nego hominem carnalē libero arbitrio carere in bonis: nego quenquam certum esse de salute sua: nego peccata omnia mereri mortem æternam: nego spiritum sanctū in scripturis iudicem esse omniū controuersiarū: Hæc atque huiusmodi alia Christianæ doctrinæ principia tuus pontifex negat: immo illi familiare est, quod omnes omniū negationum impietates superat, Nego Deum. Aut ergo malè tuum argumentum concluditur, aut pontifex tuus est Antichristus. Nos verò nihil negamus, quod non spiritus sanctus in scripturis negat. De libris Canonicis, patribus, Concilijs responsum est. Beza verò si negat Deum mentiri posse, non est, vt ego existimo, accusandus. Quæ subiungis de Antichristo, in alio libro satis diluimus.

DVRAEVS, Fol. 410.

Hæc si ita Episcoporum sunt vt regum esse nullo modo poßint, te iudice Whitakere caput esse Regina Ecclesiæ Anglicanæ non potest. &c.

WHITAKERVS.

5 Nos nullum Ecclesiæ caput præterquam Christum agnoscimus. Principes verò etsi nec popu-

populum docere, nec sacramenta celebrare nec claues regni cælestis tractare possunt, ijs tamen, qui ista faciunt, præsunt ac præscribunt, vt suo officio diligenter fungantur, quod si neglexerint, illos authoritate sua reprehendere, cogere, punire debent, quemadmodum sanctos Ecclesiæ Israëliticæ & Christianæ reges semper fecisse legimus. Cuius verò cerebri est isto modo disputare, Principes non habent authoritatem docendi, ergo non habent authoritatem puniendi eos, qui falsam doctrinam populo Dei proponunt? Aut quid si principes non ita sunt in scripturis exercitati, vt de singulis doctrinæ capitibus per se iudicare possint? An proinde non pertinet ad principes, vt hæreses ex Dei verbo iudicatas è suis Ecclesijs exterminent? Collige paulisper vires ingenij tui, & tecum expende quàm hoc sit, quod disputas, ab omni iudicio & ratione alienum.

DVRAEVS, Fol. 411

Nego (*inquis*) ab Apostolis sancitum omnino fuisse ieiunium Quadragesimæ: *Ego testibus probo Augustino, Hieronymo, Basilio, Ambrosio, Epiphanio, Clemente, alijsq; innumeris. De Clemente consule eruditam Turriani nostri in Clementis libros præfationem.*

WHITAKERVS.

6 Nullum ieiunij certum tempus à Christo vel

vel Apostolis institutum esse apertè scribit Augustinus : ergo Quadragesimam nec Christus nec Apostoli prescripserunt. Tum *indifferenter* olim Christiani, vt Tertullianus testatur, *ex arbitrio non ex imperio noua disciplina pro temporibus & causis vniuscuiusque ieiunabant* : Quod quadragesimę necessariam & constitutam obseruationem tollit. Chrysostomus ingenuè fatetur, Christum non iussisse, vt ipsius ieiunium imitemur: at quadragesima quid aliud est, quàm illius ieiunij imitatio? Deinde statas ieiuniorum solennitates primus Montanus induxit. Postremò huius ieiunij summam fuisse in prima Ecclesia varietatem Irenæus apud Eusebium narrat, eamque non suo tempore, sed multò prius cępisse significat : itaque falsum est 40. dierum ieiunium esse à Christo aut ab Apostolis traditum. Vt interim pretermittam, inter vestra, & Manichęorum ieiunia nihil interesse, si Augustino fidem habemus. Nam Manichęi à carnibus abstinebant, & frugum delitias adhibebant, quod in ieiunijs vestris solenne & summum est. Clementis constitutiones sexta synodus nominatim damnauit his verbis : *Has constitutiones ad Christianissimi gregis ædificationem ac securitatem vtiliter reiecimus, hæretica falsitatis fœtus nequaquam immiscentes, & germana ac integra Apostolorum doctrina inserentes*. Turrianum tuum tibi relinquo, & te illius eruditione ac iudicio frui non inuitus patior.

August. Epist. 86. — *Tertullian. aduers. physicos.* — *Chrysost. in Matth. hom. 47.* — *Euseb. lib. 5. c. 17.* — *Euseb. lib. 5. c. 26.* — *August. de mor. Manichæ. lib. 2. cap. 15. & 13.* — *Synod. 6. can. 2.*

DVRAE-

DVRAEVS, Fol. 413.

Victoris supremam in omnes Ecclesias authoritatem agnitam fuisse ostendit Campianus, quòd Asiam ille edicto coërcuerit. Tu voluisse quidem coërcere, sed non potuisse respondes. Neque Ireneus, neque vllus alius hanc Asianas Ecclesias excommunicandi potestatem Victori negauit.

WHITAKERVS.

7 Quanti Victorem Asianę Ecclesię fecerint, satis ex historia constat. Cùm enim Victor acerrimo & violentissimo conatu cõtenderet legem Ecclesijs Asianis imponere, & excommunicationem etiam ni morem gererent, denunciaret, coactus tamen est ad extremum desistere, nec omnino aliquid pręstitit. Ex quo Romani pontificis primatum illis Ecclesijs incognitum fuisse intelligimus. Nam Victori tam multę Christianorum Ecclesiæ nunquam restitissent, si Romanum pontificem esse Christi in terris vicarium, & summum Ecclesiæ caput existimassent. Victorem autem non ab Ireneo solo, sed à multis præterea catholicis Episcopis grauiter esse reprehensum Eusebius author est. *Euseb. lib. 5 c. 25.*

DVRAEVS, Fol. 414.

Quæ est ista colligendi ratio? Lis de Paschate ad Concilium vsque Nicenum perdurauit: ergo Victoris decretum nihil potuit in coërcenda Asia. Eodem enim argumento efficies ne decretum quidem Nicenæ synodi ad eam litem decidendam aliquid ponderis habuisse.

WHITA-

WHITAKERVS.

8 Ratio ſatis firmo vinculo continetur. Si enim Victor pontifex Romanus nec exemplo ſuo, nec argumentis, nec minis apud Eccleſias Aſianas efficere potuit, vt Paſcha Romano more celebrarent, tum Victorem ab illis non eſſe habitum pro capite Eccleſiæ manifeſtum eſt: at antecedens patet ex hiſtoria: ergo conſequens verum eſt. Quanquam autem poſt ſynodum Nicenam quędam Eccleſiæ aliter Paſcha obſeruarent, tamen plurimæ ſecutę ſunt ſynodi iudicium atque authoritatem. Ita Concilij Niceni plus valuit, quàm Romani pontificis decretum.

DVRAEVS, Fol. 415.

Polycarpus propter hanc de die Paſchæ quęſtionem Romam Hieron. teſte profectus eſt, defunctóque iam Pio cum Aniceto collocutus ab eo impetrauit, vt Eccleſijs illis acceptum ab Ioanne Apoſtolo morem retinere liceret.

WHITAKERVS.

9 Quid hoc facit ad pontificis primatum, quòd Romam ad pontificem profectus ſit Polycarpus? aut quis vnquam niſi inertiſſimus ſophiſta tam leues coniecturas pro argumentis venditaret? Multi enim de multis cauſis conſuluntur, quorum nulla eſt ſingularis in alios authoritas. Si enim Polycarpus Ioannis Apoſtoli diſcipulus conſtitutum à Chriſto in ſede Romana primatum agnouiſſet, nunquam vel à Pij pontificis ſententia diſceſſiſſet, vel poſtquam Anicetum Romæ conuenerat in priſti-

na

na consuetudine perstitisset. Venisse autem Romam vt à pontifice aliquid impetraret, aut illius gratiam veniamque ambiret, nec Hieronymus, nec quisquam affirmat. Quid interim de Apostolicis Traditionibus statues? Si enim illa fuit Apostolica traditio, quam Polycarpus sanctissimus Martyr defendebat, tum Romani pontifices Apostolicam traditionem contemnebant.

DVRAEVS, Fol.415.&c.

Reliquias (*inquis*) Polycarpi ecclesia Smyrnensis collegit, non vt coleret, sed vt conderet, quemadmodum apud Eusebium legimus. *Smyrnensis igitur ecclesiæ Christianos apud Eusebium loquentes audiamus.* Inuidus, (*inquiunt*,) & odiosus, &c. *Rumperis inuidia in tanto Martyrum reliquias honore apud Christianos haberi, in quo certè Iudæorum te, adeoque ipsius dæmonis imitatorem præclarè ostendis.*

WHITAKERVS.

10 Miror tuum otium, cui vacat tam multis verbis nihil dicere. Primùm Epistolam Smyrnensis ecclesiæ bene longam recitas, tum multa de sanctorum reliquijs testimonia commemoras. Ad vtrumque breuiter respondeo. Et quidem collectas esse Polycarpi reliquias, non vt colerentur, sed vt conderentur, disertè scribit Eusebius his verbis, *Nos colligentes eius ossa gemmis & auro pretiosiora condidimus vbi erat consentaneum.* Paulò autem priùs, *Nos Christum relinquere nunquam possumus, aut alium aliquem colere.*

Euseb.lib.4. cap.15.
ὅτι ἕτερόν τινα σέβειν.

τοῦτον μὲν γὰρ υἱὸν ὄντα τοῦ θεοῦ προσκυνοῦμεν· τοὺς δὲ μάρτυρας ἀγαπῶμεν: id est: *Christum veneramur, Martyres diligimus.* At vos Martyrum reliquias circumgestatis, ostẽtatis, colitis. Quod autem me inuidia rumpi, & Iudæos ipsumque dæmonem imitari dicis, agnosco egregiam malidicendi facultatem tuam. Nullis ego sanctorum reliquijs inuideo, & ipsos sanctos pia memoria prosequor: nec illa miracula vana fuisse puto, quæ in Martyrum monimentis facta narrantur. Quorsum ergo tam multis historijs opus fuit? Sed cultas esse religioso honore Martyrum reliquias, quemadmodum nunc in vestris ecclesijs vsitatum est, nondum audio, nec tu quãtumuis rumparis ostendere vnquã poteris, etsi hanc superstitionem cæpisse indies altiores in ecclesia radices agere non ignoro.

DVRAEVS, Fol. 419.

Quis non videt summam in omnes ecclesias Romani pontificis authoritatem ex eo demonstrari, quòd Africanum ille errorem resciderit, licèt non Africanus, sed Romanus esset episcopus?

WHITAKERVS.

11 Itáne vel tu desipis vel nos delirare putas, vt quia errorem Romanus pontifex rescidit Africanum, hinc eius summam fuisse in ecclesias Africanas authoritatem fateamur? At Paulus quàm multos Galatarum, Corinthiorum, Romanorum, Iudæorum, & reliquorum errores

res refutauit, qui summus tamen pontifex nunquam fuit? An Augustinus quia multos hæreticos repressit, summam in Ecclesias potestatem exercuit? Aut quis vnquam ante nostros Iesuitas tam ineptè & peruersè disputauit? Quanquam non intelligo, quis hic error fuerit, quem à Romano pontifice sublatum esse defendis. Si enim illum de hæreticorum baptismo significas, quem Cyprianus, multique Africani propugnarunt, hunc quidem pontifex rescindere non potuit, ex quo perspicuum est episcopos Africanos, atque ipsum inprimis Cyprianum, nunquam in ea fuisse opinione, vt Romano pontifici traditum esse à Christo primatum iudicarint. Si enim sancti Martyres, & innumerabiles sanctorum ecclesiæ Romanum pontificem esse caput Ecclesiæ, nec posse errare putauissent, nunquam certè ab illius iudicio ac sententia tantis animorum studijs dissensissent.

DVRAEVS, Fol. 420.

Iámne vides Whitakere Sixtum Romanum pontificem, sacerdotem, diaconis astantibus in altari sacrificantem corpus & sanguinem Christi nostrum esse, Caluinianum esse non posse?

WHITAKERVS.

12 Vnum video Duræe, nihil te videre. Quis enim vnquam isto modo concluderet, nisi sensus & mentis expers, Sixto Episcopo

ſacram Euchariſtiam adminiſtranti ſeptem diaconi aſtiterunt, ergo Sixtus veſter fuit? quaſi nulli apud nos diaconi ſint, qui miniſtro Euchariſtiam celebranti inſeruiant.

DVRAEVS, Fol. 422. &c.

Addis verò, Helena crucem inuenit: Eſto. num autem adorauit? Audi Ambroſium, Inuenit titulum, regem adorauit, non lignum vtique, quia hic gentilis eſt error, & vanitas impiorum. Non ergo veſtra fuit, quia crucem vobiſcum minimè adorauit. *Diuino numini ſupremum honorem deferimus, quem Græci λατρείαν vocant: crucem exoſculamur, & coram ea proſternimur, non vt diuinitatem illi ineſſe aliquam profiteamur, ſed vt excellentiæ opinionem quantum poſſumus maximam Chriſto, qui cruci affixus eſt, conciliemus.*

WHITAKERVS.

13 Helena crucem inuenit: fateor: etſi Gelaſius hanc de crucis inuentione hiſtoriam palàm perſtringit. Sed demus eſſe inuentam ab Helena crucem: quid ea res in alterutram partem facit, cùm idem ipſe Ambroſius, qui Helenam inueniſſe crucem ſcribit, adoraſſe neget? At vos crucem adoratis, non illam modò, quã Helena inuenit, in qua Chriſtus ipſe mortem obijt, ſed quamlibet aliam à vobis ipſis factam ac fabricatam. Itaque Helena veſtra non eſt, & vos planè idololatræ eſtis, qui lignũ more Gentilium & impiorum adoratis. Nec vos illa diſtinctio λατρείας & δουλείας excuſabit, cùm crucem & imaginem Chriſti omnes λατρείᾳ adorandam eſſe doce-

Diſt. 15. Sancta Romana.

Amb in orat fun. Theod.

Thom. 3. part. 25. q. art. 3. & 4.

doceatis, quod tam pestiferum est & horrendum, vt omnem veterum idololatrarum superstitionem superet. Et tamen hic patres tuos commemoras atque iactas, quasi vllus vnquam Catholicus senserit, aut dixerit crucem eodem genere cultus adorandam esse, quo Christus adoratur. Non sum nescius cruces olim in aliquo precio habitas esse, quia Christiani probrum illud & dedecus crucis subire atque in se suscipere cupiebant, vt veros se esse Christi discipulos, quos non illius crucis pudeat, quam hostes religionis ac nominis Christiani contemnebant, clarissimè demonstrarent. Ab vllo autem illis temporibus Christiano ipsam crucem diuino cultu adoratam esse nunquam Duræe ostendes. Itaque nugaris, & tua nobis deliria non argumenta proponis.

DVRAEVS, Fol. 425. &c.

Nihil apertius, quàm quod Campianus scribit, flagitasse Monicam, vt pro ea corporis & sanguinis Christi sacrificium offerretur. Quod enim aliud est, aut esse potest pretij nostri sacrificium, vel quæ alia victima, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis? Orauit, *inquis*, Augustinus pro matre: non nego, *Hoc tamen petiuisse matrem impudentissimè negas.*

WHITAKERVS.

14 De Monica respondi, quod tu nunquam dilues. Pro se fieri sacrificium nequaquam petijt, sed tantùm sui memoriam ad altare Augustino

commendauit. Sic enim Augustinus scribit, *Tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desiderauit*. Solita est autem Ecclesia patriarcharum, prophetarum, Apostolorum, Mariæ virginis, martyrum, confessorum memoriam celebrare, quorum animas non putabat in purgatorio torqueri. At vestrum Missæ sacrificium pro ijs offertur, quos nondum illis flammis perfunctos, atque in cælesti gaudio constitutos esse existimatis. Illud autem sacrificium quale fuerit, ipse Augustinus mox exponit his verbis, *Ad cuius pretij nostri sacramentum ligauit ancilla tua animam suam vinculo fidei*. Eucharistiam igitur Augustinus victimam vocat, quæ delet chirographum nobis contrarium, quia est illius victimæ sacramentum. Num verò dixi Duræe, non petijsse Monicam, vt pro ipsa oraret Augustinus? Quasi nullæ sine Missæ sacrificio preces fieri pro mortuis possint. Tum quid si nihil tale petijt? Si pro Monica Augustinus orauit, id vt faceret, ab Augustino petijsse Monicam constat? Quænam ergo illa est impudentia, quam narras? aut quis non maiorem in te modestiam requirat?

August. Cōfess. lib. 9. c. 13.

DVRAEVS. Fol. 427.

Quia Catholicis papistæ nomen per ludibrium tribuis, illud mihi velim respondeas, à quo nos papa papistas appelles: profer obsecro antiquum nomen: aliquod enim, opinor, nobis nomen fuit. At nullum certè aliud, quàm Catholici nomen inuenies.

WHITA-

WHITAKERVS.

15 Num tibi displicet papistæ nomen? At quod nam vobis aptius tribui potest, cùm toti ab ipso munere & persona papę pendeatis? Nos Lutherum & Caluinum tanquam excellentes Euangelij doctores suscipimus, tamen nec Lutherani, nec Caluiniani, sed tantùm Christiani sumus. Tu papista simul es, & Iesuita: & sis per me, qui voles, si quod præterea nomen desideras. Religio enim non consistit in nominibus. Antiquum verò si quod vestrum nomen fuerit, quæris, non est facilè respondere. Nam interdum adulterini liberi nominibus carent. Quodcunque tamen vestræ sectæ nomen ipsi prætenderetis, eratis quidem re papistæ, hoc est, hæretici, non Catholici. Nam nominis possessio atque vsurpatio ψιλοῦ ὀνόματος nullam habet in theologia vim argumenti.

DVRAEVS, Fol. 428.

Nostrum esse Satyrum Camp. dixit, quia tremendam illam hostiam gestans in orario fide plenissimus in Oceanum naufragus insilijt, & enatauit. Quis ex vobis Caluiniana cœna munitus idem præstaret? Et si aliud fortè argumentum requiris, recordare Satyrum eos solos censuisse Catholicos, qui cum Romana Ecclesia fidei communionem seruarent.

WHITAKERVS.

16 Si Satyrum dominus in naufragio liberauit, quid

Ambr. de obitu fratris.

quid hoc quæso ad vestram Transsubstantiationem pertinet? Nam sacramentum Satyrus collo appendit, non quia latêre in sacramento Christum putauit, sed quia sacramento corporis Dominici se nonnihil defendi iuuarique posse sperauit. Et fuit his temporibus in more positum circumgestare sacramentum, quod sine omni scripturæ authoritate factum esse quis dubitat? Nec solus tamen Satyrus periculum euasit, sed reliqui etiam seruati sunt. *Sed quis* (inquis) *ex vobis cœna Caluiniana munitus idem præstaret?* Et quis vestrum hostia munitus in mare sese demittere auderet, nisi qui fortè natare didicisset? Sed quia hoc leuiculum fuit, alio argumento vestrum fuisse Satyrum demonstras. *Solos enim eos* (inquis) *censuit catholicos, qui cum Romana Ecclesia fidei communionem seruarent.* Et illo quidem tempore ij soli censendi erant catholici, qui cum Romana Ecclesia consentiebant. At hanc Romam illi Romæ, hanc Ecclesiam illi Ecclesiæ similem esse nunquam probabis. Tum etiam Satyrus cùm Ecclesiam schismaticis plenam videret, illorum commercium vitare summa cautione voluit. Itaque ab Episcopo quærit, *vtrum cum Romana Ecclesia conueniat.* Hinc enim explorare se posse intellexit, Catholicusne, an Luciferianus esset.

DVRAEVS, Fol. 431.

Scotistæ certè, ac Thomistæ non sectarum nomina sunt, sed eorū tantùm

tantùm qui Ioannis Duns Scoti aut D. Thomæ sententias sequuntur, contrarias illas quidem aliquando, sed nunquam nisi in ijs rebus, quæ vel ad fidem non pertinent, vel salua fidei regula vtramque in partem disputari possunt. Dominicani, Franciscani, Iesuitæ, non hominum sunt aliter atque aliter de fide sentientium nomina, sed eorum qui in Ecclesiæ Catholicæ castris sub vno Christi vexillo crucis quasi per diuersas classes, phalanges, atque ordines sunt distributi.

WHITAKERVS.

17 Nihil fuit quamobrem hoc loco de sectis vestris & putidis illis Scotistæ, Thomistę, Franciscani, Dominicani, Iesuitæ nominibus tam multa responderes. Quid si enim idem isti omnes de fide sentiant, num sequitur ex antiquis aliquem aut Thomistam, aut Scotistam, aut Dominicanum, aut Iesuitam fuisse? Verùm id me doceas velim, vbi Christus istas vel in schola sua classes, vel in exercitu phalanges, vel in ciuitate ordines instituit? Aut quæ fidei regula rectior excogitari potuit, quàm Christiana? Quare cùm hæ φυτεῖαι nunquam fuerint à cælesti patre satæ, tandem quidem radicitus euellentur. Vnum Christus verbum Ecclesiæ suæ commendauit, quod à doctoribus ac pastoribus vniuersis eodem modo tradi exponique voluit. At istis scholasticorum & theologorum ordinibus nihil fingi magis varium & multiplex potest. Si enim rem vnam eodem modo tractant, quorsum ista regularum & nominum distinctio instituta est? *Idem* (inquis) *omnes de fide sentiunt*? Esto: cur ergo non *Matth. 13. 15.*

vnam omnes regulam sequuntur? At Corinthios Paulus idem de fide sentientes reprehendit, quòd plus ministris detulerint, quàm oportebat, dum se alij Paulo, alij Apollo, alij Petro addixerint: ex quo perspicuum est nefas esse in religione vllius hominis nomen assumere. Quid ergo Scotistis, quid Thomistis, quid reliquis fiet? Num Scoti, Thomæ, Francisci magis sancta ac legitima in discipulis suis nomina sunt, quàm Petri, Pauli, Apollo? Tum quanta fuerit non tantùm in nominibus, sed in rebus etiam discrepantia, cui ignotum est? Nam Scotus eam de industria viam sequutus est, quam Thomæ maximè contrariam esse sensit, eique se in omni ferè causa aduersarium præbuit: & Thomistarum Scotistæ semper inimici fuerũt. Atque hinc illæ scholasticorum pugnæ tam asperæ ac terribiles extiterunt, non tantùm de rebus illis, quæ aut nihil ad fidem pertinebant, aut salua fidei regula defendi in vtramque partem poterant, vt tu existimas, sed quæ maximè ad fidem spectabant, & in quibus non potuit salua fide errari. Quid enim de illa quæstione statuis, crux & imago Christi sitné adoranda eo genere adorationis, quo Christus ipse adoratur? Nihil hoc ad fidem pertinet? At hîc errari sine idololatria non potest. Et alijs scholasticis ijsque præcipuis aliter visum esse non ignoras. Quid de illa etiam controuersia iudicas, quæ tamdiu scholas omnes atque Ecclesias exercuit, Mariane originali vitio laborarit, an pura semper

1. Cor. 1. 12.

ſemper extiterit? Quid alias infinitas huiuſmodi ſcholaſticorum, & omnium ordinum cotentiones repetam, quas tibi ſatis eſſe notas facilè exiſtimo.

DVRAEVS, Fol. 434. &c.

Nos non niſi in eadem cum maioribus noſtris cauſa verſamur, qui non curioſitate, ſed religione loca ſacra adierunt. Hier. Epiſt. ad Marcel. & Paulin. Tametſi Deus domo non egeat, quis tamen ignorat templa ſibi illum delegiſſe, vbi precantibus largiora dona concederet? Iudæi cùm apud tabernaculum fœderis, poſteaq́, in templo Hieroſolymitano Deo preces funderent, præſentiorem ſibi numinis opem perſæpe ſenſerunt. Sapienter Auguſtinus, Vbique Deus. &c. *in ep. ad Clerum & pop. Hipp.*

WHITAKERVS.

18 Si me tuis inſolentiſſimis maledictis commoueri exiſtimas Duræe, multum quidem falleris, nec illum quem ſperabas petulantiæ tuæ fructum percipis. De peregrinationibus reſpondeo, quod ex ſcripturis didici, veniſſe horam quando nec in monte illo, nec Hieroſolymis, ſed in veritate ac ſpiritu pater adorandus ſit. Quare ſi Deum poſſum in patria mea cum maximo fructu adorare, non video, quorſum aut Hieroſolymas aut peregrè vſpiã proficiſcar. Dum autem ego me ſcripturarũ authoritate defendo, noli mihi Hieronymum aut Auguſtinum, aut

Ioan. 4. 21. 23.

aut quemuis alium obijcere, quos ego ſine ſcripturis loquentes contra ſcripturas non admittam. Si verò fiunt vllis in locis miracula, his ij fruantur, quos illorum participes facere Dominus voluit: nos enim illis miraculis non egemus. Sed hîc duo argumenta proponis, quibus peregrinationes confirmare conaris, ſi modò argumenta ſunt, quæ nihil concludunt. *Deus* (inquis) *templa ſibi delegit*. Et nobis, inquam, templa non deſunt. Coniunctis quidem Eccleſiæ precibus Deus vehementius permouetur: quis id negat? Et nos eam ob cauſam publicos conuentus agimus, vt ſua Deus in nos dona vberiùs effundat. In his autem, vel illis templis Deum eſſe magis propitium, atque à nobis Hieroſolymis, aut Romæ fælicius, ſanctiuſque orari, quàm domi ex quo tandem Dei verbo intelligemus? Quod verò de Hieroſolymitano templo & tabernaculo fœderis narras, id ante Chriſtum valuit: ſi nunc tale aliquid fingis, in Iudaïſmum relaberis. Et quando patres tam arroganter obiectas, an neſcis omnem hanc peregrinationum ſuperſtitionem à
Greg. Nyſſ. Gregorio Nyſſeno doctiſſima ac luculentiſſima ratione refutatam eſſe? Nónne Bernardus ſcribit, *Hieroſolymam cæleſtem, non terrenam requirere monachorum eſt, & hæc non pedibus proficiſcendo, ſed affectibus proficiendo.* Nec iſtæ quidem Monachis potiùs, quàm alijs hominibus peregrinationes conueniunt.

Gregor. Epiſt. 319. ad Leibertum.

DVRAE-

DVRAEVS, Fol. 436.

Odium (*inquis*) Iudæorum in Christianos non inde cœpit, quòd Christiani in illam regionem maximis numeris confluerent, sed Euangelium harum inter nos atque illos inimicitiarum causa fuit. *Quasi Christi passio, & quem illius monimentis honorem Christiani habemus ab Euangelio seiungi possint. Deinde non tam nos ob fidem oderunt, quàm quòd regno illos ac sacerdotio spoliauimus, atque è patrijs demum sedibus eiecimus. Paulus autem ait, non nobis propter Euangelium, sed Deo potiùs inimicos euasisse Iudæos. Obseruauit hoc certè Chrysostomus diligenter, hom. 19. in ep. ad Rom.*

WHITAKERVS.

19 Quid attinet de causis quærere odij illius, quo Christianos Iudæi prosequuntur? Quasi quos illi oderunt, eorum esse veram religionem necesse sit. *Nos oderunt* (inquis) *non tam ob fidem, quàm quòd regno illos ac sacerdotio spoliauimus*. At quis Iudæos Christianus regno spoliauit, aut illos è sedibus suis expulit? Num Caligula, num Titus, num Adrianus Iudæos propter Christi religionem perdiderunt? Si verò nos Iudæi oderunt, quia sacerdotio spoliati sunt, nos propter fidem atque Euangelium oderunt. Nam Euangelium docet sacerdotium à posteris Aaronis ad Christum transijsse. De Pauli loco non contendam, nec eius aliam interpretationem attuli, quàm *Rom. 11. 28.* tuam. Quæ enim causa Iudæos Deo exosos red- *1. Thes. 2. 16* didit, eadem nobis illos effecit infestissimos, ipsum nempe Euangelium.

DVRAEVS, Fol. 437.

Catholicos certè ex Iudæis nouimus multos: Caluinianum adhuc audiui neminem.

WHITAKERVS.

20 Nos Iudæos non Caluinianos fieri, sed Christianos cupimus, quales sunt in nostris Ecclesijs plurimi. Quia neminem te audiuisse dicis, vnum nominabo, de quo si nunquam audieris, miror. Emmanuel Tremellius genere Iudæus ad Christi religionem traductus, Caluino semper charissimus fuit, eiusq; Catechismum in linguam Hebraïcam transtulit. Ego Iudæum adhuc nullum noui Iesuitam.

DVRAEVS, Fol.439.&c.

Deinde inquis, Lychnos clara ac meridiana luce accendere, quemadmodum apud vos fieri solet, summæ amentiæ est. *Annon hîc patres amentes vocas? Antiquissimum hunc Ecclesiæ morem fuisse Vigilantius apud Hieron. ostendit, Hieron. contra Vigilant. August. in Psal. 65. Nazianz. in Monod. & in laud. Cæsar. Paulinus in natal. Felic. Prudent. in benedict. cerei Paschat,*

WHITAKERVS.

21 Lucente sole & lumen locis omnibus clarissimum præbente, non video cuius sit sapientiæ lychnos quærere. Semper enim stultum habitum est, & trito prouerbio notatum, *Solem facibus*

facibus adiuuare, atque vt Græci loquuntur, τὸ φῶς ἡλίῳ δανείζειν. Idque Lactantius grauissimè ridet ac reprehendit. *Num igitur* (inquit) *mentis suæ compos putandus est, qui authori & datori luminis candelarum ac cerarum lumen offert pro munere?* Et quæ sequuntur in hanc sententiam multa. In vetere autem Ecclesia, cùm primùm lucernæ in obscuritate tenebrisque nocturnis necessariæ essent, postea in publicos & meridianos conuentus quibusdam in locis traductæ sunt. Verùm id qua scriptura aut ratione factum fuerit, quærimus. Nam mysterium quod fingis ridiculum est: oportet in mente accensum esse lumen fidei, ergo candelæ in templo accendi meridie debent. Ita quis tandem ineptissimorum mysteriorum finis erit? Nullus locus signis, symbolis, mysterijs vacabit. Sed vobis ignosco, quibus obscurissima ignorantia & mentis caligine oppressis nullum lumen sufficit.

Lactant. lib. 6. cap. 2.

DVRAEVS, Fol. 440. &c.

Pergis in Laurentij historia: Quod autem de auro, & scyphis argenteis, & sestertiorum millibus tyrannus obiecit, id fictum crimen fuit. *Immo verò falsa hæc tua ac ficta responsio est. Quod enim Laurentio obiectum à tyranno fuit, verum id quidem fuit, licèt à crimine longissimè abfuerit.*

WHITAKERVS.

22 Ego nullas Ecclesiæ opes inuideo, & illam semper florentissimam atq; opulentissimam

esse

esse cupio. Sed tamen quando Laurentius erat Ecclesiæ Romanæ diaconus, mediocres fuisse Ecclesiæ facultates ac diuitias constat. Ita enim apud Gratianum legimus: *Bonifacius martyr, & Episcopus interrogatus si liceret in vasculis ligneis sacramenta conficere, respondit, quondam sacerdotes non aureis, sed ligneis calicibus vtebantur. Xepherinus 16. Romanus Episcopus patenis vitreis Missas celebrare constituit. Deinde Vrbanus Papa omnia ministeria sacra fecit argentea. In hoc enim sicut & in reliquis cultibus magis ac magis per incrementa temporum decus succreuit Ecclesiarum.* Exuperius Tolasanus authore Hieronymo corpus Domini in canistro vimineo, sanguinem in vitreo vasculo circumtulit: quod ille non fecisset, si supellex preciosa suppetisset. Hieronymus ait, *Ecclesia postquam ad Christianos principes peruenit, potentia quidem & diuitijs maior, sed virtutibus minor facta est.* Nec video quemadmodum Ecclesia regnantibus tyrannis potuerit tantis auri atq; argenti diuitijs abundare.

De consecr. dist. 1. cap. Vasa in

Hieron. ad Rustic.

Hieron. in vita Malchi.

DVRAEVS, Fol. 443.

Multis (*inquis*) annis antè Syluester è viuis excesserat, quàm est baptismo tinctus Constantinus, quemadmodum ex Eusebio, Socrat. Theodor. Sozom. cognosci potest. *Non te latet eorum primum, quem cæteri secuti sunt, Arrianum fuisse.*

VVHITAKERVS.

23 Constantini baptismus non potuit ignotus aut obscurus esse: itaq; mentiri Eusebium in

re

re tam celebri incredibile est, præsertim cùm redargui tam facilè posset. Tibi sufficit illum vocare Arrianũ, quod quo iure facias, ipse videris. At si Romæ à Syluestro tinctus esset baptismate Constantinus, id Socrates, Theodoritus, Sozomenus aliquo modo cognoscere potuissent, atq; Eusebij mendacio rei fidem anteposuissent. Tui verò testes, Ammianus, Damasus, Zonaras, Gregorius Turonensis, Cedrenus, Nicephorus, non sunt cum illis conferendi.

DVRAEVS, Fol. 444.

De cella Constantini parùm referre scribis, summoq; illum loco ante Episcopos sedisse contendis, quo nihil à te dici ineptius potuit.

WHITAKERVS.

24 Quod de sella ista scripsi, id si refelles, errasse Eusebium atq; Sozomenum ostendes. Nã Constantinum Eusebius qui synodo interfuit, in primo ordine in aurea sedecula consedisse scribit: Sozomenus illi thronum paratum esse, eumq; & maximum, & alijs superiorem fuisse perhibet. Cùm autem Constantinus assedisset, tum iussam esse synodum sedere in subsellijs vtrinque ad parietes directis narrat.

Euseb. lib.3. de vita Constant.
Sozom. lib. 1.cap.19.
μέγιστος δὲ ἦν ... τος, καὶ τῶν ἄλλων ὑπερφέρων.

DVRAEVS, Fol. 449.

Si Caluinianus es, tuam esse hoc Simonis Magi dogma frustra negas, cùm adeo Caluinus omnem è rebus libertatem sustulerit, vt necessitatem Stoicorum fato longè maiorem induxerit.

WHITAKERVS.

25 Ego sum Christianus, tu Iesuita. Si verò Dei prouidentiam & prædestinationem nondum potes à fato distinguere, agnosco imbecillitatem ingenij tui. Caluinus voluntatis libertatem nunquam sustulit, quemadmodum tu ipse satis intelligis: nisi fortè isto modo disputabis, voluntas hominum non est libera in bonis, antequam à spiritu sancto regeneratur: ergo nulla omnino est libertas voluntatis. Si verò fatum Caluinus posuit, quia diuinæ prouidentiæ nihil esse fortuitum docuit, quid de tuo Thoma respondebis, qui fatum disertè statuit his verbis? *Sic igitur in quantum omnia, quæ hîc aguntur, diuinæ prouidentiæ subduntur, tanquam per eam ordinata, & quasi prælocuta, fatum ponere possumus.*

Thom. 1. p. 116. q. 1. art. in corp.

DVRAEVS, Fol. 450.

Nouatus præterea pœnitentiæ hostis ab Ecclesia iudicatus non est, quòd à venia quenquam excluserit, sed quia pœnitentiæ sacramentum, in quo sacerdotes peccata remittunt, sustulerit. Socrat. lib. 4 cap. 23. Ambros. lib. cap. 2. de pœnit. Sozom. lib. 1. cap. 21.

WHITAKERVS.

26 Non illa fuit inter Catholicos & Nouatum contentio, sitné pœnitentia sacramentum an non: sed num aliquis sit relictus peccantibus pœnitentiæ locus, vt illis minister fidem facere

facere possit crimina condonari, si verè pœnitet. Nos hanc peccata remittendi potestatem ministris Euangelij tributam esse concedimus: itaque à Nouato quidem & illa omni Catharorum hæresi remotissimi sumus. Quorsum ergo testes in re perspicua non necessarios adhibes?

DVRAEVS, Fol. 450.

Baptismo omnem prorsus peccata remittendi ac conferendæ gratiæ vim cum Manichæis detrahitis. Reipsa ijs etiam qui fide sunt præditi ex opere operato gratiam conferre Caluiniani omnes pernegatis.

WHITAKERVS.

27 Nunquam te pudebit maledicti? Nos in baptismo peccata remitti & conferri gratiam credimus ac docemus, quod negare soliti sunt Manichæi: ergo nos à Manichæis alieni sumus. Illud autem operis operati commentum prorsus reijcimus, in ijs etiam qui fide prędití sunt. Quid enim opus est, vt ex opere operato conferri gratiam fingamus, si fides non defuerit?

DVRAEVS, Fol. 451.

Respondes Vigilantium te & Iouinianum nec defendere, nec certè magnopere accusare. Acutè sanè. Sed alterum facias est necesse.

WHITAKERVS.

28 Semper nobis Vigilantium & Iouinianum obijcitis, qui si aliquid contra scripturas defenderint, hæretici quidem fuerunt: sin minus, nullius ecclesiæ iudicio damnari potuerunt. Quanquam nos cum Vigilantio nequaquam dicimus Martyrum reliquias in sterquiliniũ projiciendas esse, nec cum Iouiniano cœlibatum ijs, qui castè viuere in cœlibatu possunt, ad illud tãtum conducere, vt licentiùs & minùs molestè vitam in hoc mundo transigant. Nam in illis, quibus continentiæ donum Dominus concessit multas habet ac præclaras ad pietatem opportunitates.

DVRAEVS. Fol.452.

Non nego (*inquis*) illam summam, primariam, præcipuam, maximam, principem ecclesiam esse habitam. *Quid ni igitur Whitakere, qui huic ecclesiæ præest, eum cæterorum præsulum maximum esse, adeoq; principem ac summum sacerdotẽ fateris?* At id (*inquis*) Augustinus in Carthaginensi concilio vetuit, ne primæ sedis episcopus, princeps sacerdotũ diceretur, aut tali aliquo nomine appellaretur. *Propterea sic appellari primates patres vetuerunt, quia vt in Romana ecclesia Apostolicæ cathedræ principatum semper viguisse non ignorabant, ita soli Romano pontifici summi sacerdotis nomen conuenire non dubitarunt.*

Can.39. & dist.99. primæ sedis.

WHITAKERVS.

29 Nisi esses omni iudicio miserè spoliatus, hoc argumento nihil ineptius esse facilè perspiceres. Num enim sequitur, si ecclesia Romana

na fuit omnium ecclesiarum maxima, celeberrima, primaria, princeps, huius ecclesiæ episcopum esse Christi vicarium, & tenere summum in omnes ecclesias principatum? Quid quæso te coniecit in istam mentis ἀῤῥωστίαν? Neque enim in excellentia semper inest authoritas ac dominatus, quod te docere infinita exempla possunt. Quis tribum Iudah summam semper, & primariam, & principem fuisse nescit? Num verò proinde qui primæ familiæ in hac tribu caput fuit, imperium in omnes tribus obtinuit? Princeps Philosophorum Aristoteles, poëtarum Homerus, medicorum Hippocrates, pictorum Apelles habitus est: an ergo isti in reliquos authoritatem exercuerunt? Ita quanquam diu Romana ecclesia multis nominibus inter alias excelluit, non tamen aliquam in reliquas Christi ecclesias dominationẽ atq; imperiũ tenuit. Patres autem Concilij Carthaginensis prohibent, ne quisquam primæ sedis episcopus dicatur aut ἔξαρχος τῶν ἱερέων, aut ἄκρος ἱερεὺς: hoc est *princeps sacerdotum aut summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi*: quod omnes primarum sedium episcopos, ipsumque in cæteris Romanum episcopum attingit; quem fuisse primæ sedis episcopum nulli dubium est. Itaque pareat concilij decreto, atque illo nomine contentus esto: principis, summique sacerdotis appellationem repudiet. Aniceti & Clementis epistolas tanti facio, quanti te.

DVRAEVS, Fol. 455.

Quanto rectiùs dixisses ab Euangelio longissimè recedere, qui

vni-

vniuersum orbem contra Christum coniurare poße affirmas? ô miserrimos Caluinianos, qui fidem suam aliter defendere non poßunt, quàm si & suam Christo regnum, & orbi Christiano fidem eripiant!

WHITAKERVS.

30 Longiſſimè quidem, vt dicis, ab Euangelio recedit, qui orbem vniuerſum contra Chriſtum coniurare poſſe affirmat. Nos id verò vnquam, Duræe, diximus? Siccine tuum illum maledicendi calumniandiq́; morem ad extremum vſque retinebis? O te potiùs miſerum qui malitia & ignorantia cæcatus tuam miſeriam minimè ſentis! Non orbis vniuerſus, ſed veſtra ſynagoga in Chriſtum coniurauit, quæ pars exigua orbis vniuerſi fuit. An verendum autem eſt, ne Chriſtus regnum, orbis fidem amittat, ſi tuus pontificulus cum ſuis gregalibus vniuerſis ab Euangelio diſceſſerit? Quantumuis vos perfidi & nequam ſitis, Deus ſemper fidelis permanebit.

DVRAEVS, Fol. 457. &c.

Societatem nostram inuadis, & Christum nos ais diuidere. An quia sunt equites spiritus sancti qui se spiritui sancto singulari quadam propriaq́; ratione dicarunt, propterea spiritum sanctum diuisum esse pronunciabis? Sic certi homines hoc sibi præ cæteris nomen elegerunt, ut Societatis Iesu dicerentur, quia se huic nomini propagando totos consecrarunt. An non Christi vos collegium in Academia Oxoniensi habetis?

WHITAKERVS.

31 Ego tecum multis non contendam de tua

societate,

ſocietate, quam certè nihili facio. Si verò voſmet ipſi Ieſu certa & peculiari ratione conſecraſtis, quæ tandem illa ratio eſt? Cur non doces, quid à vobis fieri Ieſus flagitet, quod non facere alij Chriſtiani debeant? Si veſtri inſtituti ratio poſtulat, vt Ieſu nomen propagetis, illuſtretis, amplificetis, in hoc etiam ſtudio ſi non omnes Chriſtianos, at certè Epiſcopos, & veſtrum inprimis pontificem verſari oportebat. Si ergo illi ſunt Ieſuitę qui hoc faciunt, cur non omnes theologi, epiſcopi, cardinales, pontifices ſunt Ieſuitę? Forſan hæc cura ab illis aliena eſt. Cùm ergo nomina rebus diſtinguendis inſeruiant, inania verò ſint, quando in re diſcrimen nullum eſt, aut oſtende quod Ieſuitarum proprium ac peculiare munus ſit, aut hoc à vobis ſine cauſa aſſumptum eſſe confitere. At (inquis) *annon Chriſti vos collegium in Academia Oxonienſi habetis?* Maximè: habemus etiam in Cantabrigienſi & Chriſti collegium, & Ieſu. Sed qui in his collegijs viuunt, nullo niſi Chriſti nomine cenſentur. Num verò quot ſunt collegia diuerſis nominibus diſtincta, tot ſunt ordinum inter ipſos homines & profeſſionum diſcrimina? In locis diſtinctio nominum neceſſaria eſt, nec vllum periculum habet: niſi fortè aliqua murorum ſchiſmata eſſe poſſunt. Nihilne verò aliud, quod pro tua ſecta reſponderes, habuiſti?

FINIS.

A

 Au-

Paulus

Fidelium

Q.

R.

S.

Etiã

FINIS.

Pag.	Lin.	Errata.
In Epist. Dedicat.	¶ 5	Si quid.
23	14	Cùm enim,&c.
27	3	iudicabant.
	14	verissimum, hominem.
32	9	operibus.
36	20	facit, dele.
	27	ideóque.
56	27	[illegible]
112	28	[illegible], desideratur.
115	14	gurgitem.
121	1	post [illegible], reponendũ nihil
128	17	post defendisse, reponendum non.
129	13	post sanctus, repon. loquutus est.
130	10	[illegible]
	27	[illegible]
138	29	post loquentẽ, repon. Dom.
139	24	[illegible]
143	26 28	ad.
148	24	[illegible]
158	16	qui.
251	16	qua.
308	10	[illegible]
368	10	misereat.
390	26	[illegible]
373	12	Apollonio.
380	30	perspicies.
396	12	recitas.
410	23	non delendum.
416	1	perfunguntur.
429	22	non delendum.
437	31	indicationem
438	28 22	indictionem.
444	26	Heronem.
447	31	diaconos.
453	2	Vigilium.
457	15	Iudæorum.
467	28	[illegible]
507	27	ignoretur.
514	10	quis
515	10	Trimithuntis.
525	30	affectuum.
532	15	ignota.
549	[illegible]	ridicula.
562	[illegible]	delictorum.
638	[illegible]	[illegible]
639	[illegible]	[illegible]
698	[illegible]	[illegible]
764	[illegible]	[illegible]
7[illegible]	9 29	[illegible]
821	31	spiritui.

Christi *scribit. Cyrillus Hierosolymitanus, Catech.5.myst.* Aquā (*inquit*) aliquando mutauit in vinum,& non erit dignus cui credamus, quòd vinum in sanguinem transmutauit? *Cyprian.serm.de Cana,* Ineffabiliter effundi,*ait*, diuinam essentiam,& omnipotentia verbi factam carnem profitetur. *Chrysostom.Hom.83.in Matthæ.* Non sunt (*inquit*) virtutis humanæ hæc opera,quæ fecit Christus in cœna.

WHITAKERVS.

13 Esse aliquod in cœna miraculum nunquam certè demonstrari potuit, quod tamē summum & omnium maximum esse debuit,si ex pane Christus totus fieret. Cum hoc miraculo,si quod omnino eiusmodi esset, non omnia quæcunque miracula in rerum natura extiterunt,cōferenda erant. Maius enim miraculum est ex pane Deum fieri, quàm ex nihilo mundum creari: & transubstantiationis non vnum est,sed multa, & pene infinita miracula. Posito enim semel hoc Transsubstantiationis figmento, nihil sine miraculis saluum esse potest. Sed ista in sacramentis miracula comminisci,de quibus nihil aut scriptura docuit, aut sensus miraculorum testis suspicari potuit, est sacramentis ad excercendas præstigias abuti, & æternas naturæ leges ab ipso Deo constitutas violare, & Christum ipsum maximis contumelijs afficere. Augustinus quidem honorem huic sacramento religiosum tribuit, mirum in eo nihil,quod stuporem mereatur, agnoscit: quod ille nunquam scripsisset, si tam multa

August.de Trinit.lib.3 ca.10.

multa hîc esse mira, & stupenda, & miracula sensisset, quàm multa transubstantiationem necessariò consequuntur. Augustinum ais de huiusmodi miris loqui: *quæ ex corporea materia fiunt, & sensibus aliquid nunciant. Tale nihil* (inquis) *in Eucharistia cernitur*. Non fuit Augustino necessarium vt nullum in Eucharistia sentiri miraculum commoneret. Id enim sensus ipse testatur & panem & vinum in sua propriaq; natura remanere: nec vlla vel leuissima miraculi cuiusquam similitudo apparet. At miracula si vera sunt, in ipsos sensus incurrunt, & sensuum certissimo testimonio comprobantur, qualia ea omnia sunt, quæ in scripturis commemorantur. Itaque Augustinus scribit, *Miraculum voco quicquid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet*. Cùm ergo nullum in Transubstantiatione miraculum appareat, nullum in ea miraculum esse sequitur, quandoquidem quæ occulta sunt, miracula non sunt, vt verè tradit Augustinus. Proinde cùm de scripturæ mirabilibus libros tres conscriberet, de hoc sanè inaudito miraculo nullum verbum fecit, quod tamē meritò fuit propter magnitudinem suam in summis ac præcipuis numerandum. Ex quo facilè intelligi potest, Hoc transubstantiationis miraculum pontificium Augustino ignotum fuisse. Quod etiam de Nazianzeno constat, qui quando Christi miracula recenset, hoc miraculum prætermittit.

August. de vtilit. credendi, c. 16.

Sed hîc mihi & Augustinū ipsum, & alios nōnullos obijcis antiquos Patres, quos tamen nosti

nihil

nihil vnquam de Transſubſtantiatione ſcriptis prodidiſſe. Scribunt illi quidem de hoc ſacramento magnificè, atque honorificè, & nonnunquam miraculorum mentionem faciunt. Sed quale hoc tuum argumentum erit, Sunt in hoc ſacramento miracula: ergo eſt hîc Tranſubſtantiationis miraculum? quaſi nullum ſine Tranſubſtantiatione miraculum eſſe poſſit. Ita enim ſæpe etiam Patres Baptiſmi miracula ingẽtia prędicant, in quo tamen nullam Tranſubſtantiationem ſtatuunt. Miraculum enim Patres impropriè vocant, quod noſtram opinionem ſuperat: cuiuſmodi eſt, vt qui ad ſacramentum hoc ſumendum accedunt, quemadmodum Chriſtus præſcripſit, vnà cum pane & vino, quæ ore corporis accipiuntur, corpus etiam ac ſanguinem Chriſti animo ſuo percipiant, & quaſi ſubuecti in cælum diuino vitæ cibo potiantur. Quis negare poteſt, hanc rem maximam eſſe, & naturæ viribus longè ſuperiorem? Tum externis iſtis creaturis vſum eſſe ſpiritum ſanctum, quibus nos intus ad æternam vitam confirmaret, ſummam admirationem meretur. Ita vides aliquid in cœna miraculi eſſe poſſe, vt omnem interim Tranſubſtantiationem penitus excludamus. Sed quãquam hæc interdum miracula vocantur, propriè tamen miracula non ſunt, & talia Patres in Euãgelij annunciatione, atque in Baptiſmo miracula agnoſcunt, ne putes huiuſmodi miracula in Cœna ſola reperiri. Sed Auguſtinus (inquis) ſcribit, *Non ſanctificari, vt ſit tam magnum ſacramentum, niſi operante inuiſibiliter ſpiritu ſancto.* Spiri-

Spiritus ſancti inuiſibilem ἐνέργειαν audio, miraculum nullum video. Iuſtinus autem vehementiùs, *Eodem*, inquit, *verbo Domini incarnatum eſſe Chriſtum, & panem fieri carnem Chriſti*. Agnoſco, & panem myſticè ac ſacramentaliter fieri carnem Chriſti concedo. Tranſſubſtantiationem autem omnem his Iuſtini verbis euerſam eſſe planè perſpicio. Si enim panis fit caro Chriſti, quemadmodum Chriſtus eſt in vtero virginis incarnatus, tum id ſine omni Tranſſubſtantiatione fit. Nam verbum non fuit in carnem tranſſubſtantiatum: quare nec panis tranſubſtantiatur in carnem Chriſti. Vtrumque autem effectum eſt Dei verbo, vt & Chriſtus in vtero matris carnem ſumeret, & panis iſte caro Chriſti, hoc eſt, carnis Chriſti ſacramentum fieret. Cyrilli eadem etiam eſt ſententia, vinum non eſſe commune & vulgare quod ſumis, ſed ſanguinis Chriſti verum ſacramentum: ſic enim ſcribit, μὴ πρόσεχε οὖν ὡς ψιλοῖς τῷ ἄρτῳ καὶ τῷ οἴνῳ: in quo iubet vt de hoc pane ac vino non tanquam nudo ac ſimplice, cuiuſmodi antè fuit, ſed multò auguſtiùs cogitemus: & nos guſtare ait non panem ac vinum, id eſt, panem vinumq; vſitatum, ſed antitypon ac ſymbolum corporis & ſanguinis Chriſti. Cyprianus id docere voluit, verè Chriſtum in hoc ſacramento adeſſe, & verè percipi, atque hunc panem quem pij ſumunt, non inanem eſſe, ſed vnà cum hoc pane carnem Chriſti ſumi. Ore autem Chriſtum comedi, aut panem in carnem Chriſti tranſſubſtantiari palàm in eodem libro negat, quando ait, *Hæc quoties agimus, non dentes ad*

Cyril. Hieroſoly. κατηχ. δ. & κατηχ. γ.

Cyprian. in serm. de cœna Domini. *tes ad manducandum acuimus: sed fide syncera panem sanctum frangimus, & partimur.* Chrysostomus meritò dixit, opera hæc, quæ fiunt in cœna, non esse humana: sed quid hoc ad miraculum? Nam quicquid Christus diuinitus facit, id non est necesse vt pro miraculo habeamus. Ita cùm multa non modò in cœna, sed in Baptismo, & in quotidiano verbi ministerio diuina agnosco, tum miraculum nullum perspicio, & rerum naturas integras manere sentio, & Transsubstantiationi nihil simile reperio.

DVRAEVS, Fol. 53.

Illud etiam ignorantiam egregiè tuam demonstrat, quòd fingere nos ais Corpus Christi non à pijs tantùm, sed ab ipsis etiam sceleratissimis hominibus sumi posse. Non hoc nos dicimus, sed scriptura testatur, Patres docuerunt, & ipsa sacramenti ratio exigit. 1. Cor. 11. *Quid apertius, quàm quod Paulus ait,* Quicunque manducauerit panem hunc, &c. *Quod Augustinum minimè latuit, cùm ait,* Corpus & sanguis Domini nihilominus illis erat, quibus dicebat Apostolus, qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, *lib. 5. contra Donat. ca. 8. Et rursum,* Nam & Iudas proditor bonum corpus, & Simon Magus bonum baptisma accepit, *lib. contra Fulgentium Donat. cap. 6. Sed hæc (vt video) fidei vestræ summa est: si vultis, Christi vobis corpus est: si non vultis, non est.*

WHITAKERVS.

14 Non hoc meam ignorantiam arguit, quòd Christi corpus ab impijs minimè sumi defendã, sed vestram summam impietatem ostendit, qui Christi sanctam, & salutarem, & vitæ effectricem carnem

carnem à Satanæ mancipijs mandi comedique posse affirmatis. Hoc nunquam scriptura docuit, hoc nunquam Patres tradiderunt, hoc ratio, sensus, pietas auersatur. Quòd Paulum adducis, malè tibi ipse consulis. Non enim Paulus hoc ait, Qui manducauerit corpus Christi, sed qui ederit panem hunc, & biberit poculum Domini indignè, reum fore corporis & sanguinis Domini: Neque ait, qui panem edit indignè, Domini corpus edere, sed iudicium sibi edere. At qui Christum edit, eum propter Christum, & per Christum viuere perpetuò necesse est. Sed instas. Qui neque corpus edit, neque sanguinem bibit, non potest esse reus vtriusque. Hoc iam tibi restabat demonstrandum, quod quia nimis laboriosum fuit, consultò prętermittis. Quis enim nescit, qui principis imaginem indignius tractarit, aut literas discerpserit, aut sigillum adulterarit, reum esse læsæ maiestatis, quantumuis ipsam principis personam nunquam attigerit? Sic de profanis hominibus Apostolus scribit, illos conculcare filium Dei, & sanguinẽ fœderis profanum ducere, & spiritum gratiæ contumelia afficere. Et tamen isti nunquam aut filium Dei, aut sanguinem fœderis, aut spiritum sanctum perceperunt. Ita qui prolabuntur, eos Apostolus in eadem Epistola affirmat Christum denuò crucifigere, quem tamẽ illi ne quidẽ vnquã viderũt. Perinde est, quod eodẽ in capite Paulus tradit, virũ esse imaginem & gloriã Dei, eamq; ob causã nõ debere caput suũ velare, ex quo sequitur si caput velarit, domini gloriã ab eo esse imminutã.

1.Cor.11. 27.29.

Heb.10.29.

Heb.6.6.

1.Cor.11.7

Ad illa autem Augustini duo testimonia respondeo, sacramentum esse corpus & sanguinem Domini, quia est corporis & sãguinis Dominici mysterium: & Iudam bonum corpus accepisse, sacramento tenus, quia sacramentum boni corporis accepit, quod semper est sacramentum corporis, & proinde ipsum corpus, quod ad Deum attinet, qui semper rem cum signo offert, etsi non quoad ipsum Iudam, qui signum sine re accepit. Quare Iudam Augustinus alibi non Dominum ipsum, sed panem Domini edisse scribit. *Illi manducabant* (inquit) *panem Dominum, ille panem Domini contra Dominum.* Atque hæc Augustini perpetua sententia fuit, impios ipsam Christi carnem non aliter percipere, quàm quia huius carnis sacramentum duntaxat accipiunt. Itaque apud Gratianum ait, *Non tantùm in sacramento sumens, quod mali faciunt, sed vsque ad spiritus participationem, vt in corpore Domini tanquam membrum maneat.* Et in alio loco: *Non dicendum eum manducare corpus Christi, qui in corpore non est Christi.* Et pòst, *Nec isti ergo dicendi sunt manducare corpus Christi, quoniam nec in mẽbris computandi sunt Christi.* Si ergo mali corpus Christi verè comedunt, alterum horum necesse est consequatur, vt vel hoc Christi corpus vi sua careat, vel impijs verè vitam præbeat. Vtrumque autem nefandum est & valdè hæreticum: ergo Christi corpus mali verè non comedunt.

August. in Ioan. Tractat. 19.

De Consecr. dist. 2. ca. credere.

August. de ciuit. li. 21. ca. 25.

Quomodo tum (inquis) huius corporis rei sunt quod non accipiunt? dupliciter quidem: primùm,

primùm, quia ſacramento corporis Chriſti abutuntur: deinde quia corpus Chriſti, quod illis Chriſtus in hoc ſacramento offert comedendum, non comedunt, ſed ſumma ingratitudine ac perfidia reſpuunt atque reijciunt. Reos eſſe corporis & ſanguinis Domini Ambroſius ſcitè interpretatur, *pœnas dare mortis Domini:* quod ſine Tranſſubſtantiatione fieri ſanè poteſt. Et Auguſtinus, *Tantæ rei ſacramentum ad iudicium ſibi manducat & bibit, quia immundus præſumpſit ad Chriſti accedere ſacramenta, quæ aliquis non dignè ſumit, niſi qui mundus eſt.* Summa ergo fidei noſtræ non illa eſt, quam tu commemoras, *Si volumus, eſt corpus, ſi nolumus non eſt corpus*: ſed eſt corpus, nos ſeu velimus, ſeu nolimus. Hæc potiùs ſacrificorum veſtrorum fides eſt, qui verè quidem affirmare poſſunt, ſi modò vera ſunt quæ vos docetis, ſi volumus, erit mox corpus Chriſti, ſi nolumus, non erit. Si enim volunt conſecrare, & hunc animum habent, eſt corpus Chriſti: ſi non attendunt, & fortè de rebus alijs cogitant, tum nihil minus eſt quàm corpus Chriſti. Et ſitné, vel non ſit corpus Chriſti, nullus præter ipſum ſacrificum, qui ſolus ſuæ voluntatis conſcius eſt, intelligere poteſt. Hæc veſtræ Theologiæ ſumma eſſet, quam meritò poſſis amentiæ ſummam appellare.

Ambroſ. in 1. Cor. 11.

Aug. tract. 26. in Ioan.

DVRAEVS, Fol. 54.

De Tertulliano facilè dictu eſt: Hoc eſt corpus meum dicendo, id eſt corporis mei figura. *Docet Tertullianus eundem*

esse veteris nouiq; Testamenti authorem, quod impius ille Marcion negabat: quod vt faceret, quæ in lege Euangelica Christus gessit, eadem Testamenti veteris cum prophetijs prædicta, tum figuris adumbrata fuisse demonstrat, atque exemplum de pane affert, quem in vetere lege corporis Christi figuram fuisse ait, in noua verò ex pane, qui olim figura erat, corpus ipsum esse factum. Hoc sibi Tertullianum voluisse, ipsius verba ostendunt. Quod enim addit, figura non fuisset, nisi veritatis esset corpus: quid quæso aliud, quàm de veteris se Testamenti figura loquutum significat? Aliàs non (fuisset) profectò, sed (esset) dixisset. Et rursum: Cur panem corpus suum appellat, & non magis peponem &c. non intelligens veterem istam fuisse figuram corporis Christi. *Denique quid apertius, quàm quod paulò pòst addit,* Ita nunc sanguinem suum in vino consecrauit, qui tunc vinum in sanguine figurauit? *Neque iniuria. Si enim in veteri Testamento panis ac vinum Christi corporis ac sanguinis figura fuerunt, quis non videt vt huic figuræ in noua lege veritas respondeat, ex pane verum corpus, verumq; ex vino sanguinem confici oportere?*

WHITAKARVS.

15 Tertulliani verba sic illustria atque explicata sunt, vt tibi nihil vnquam difficilius fuisse perspiciam, quàm ea vt posses aliqua responsionis probabilitate eludere. Quanquam quæ hîc respondes, ne probabilia quidem sunt: ita cum Tertulliani argumento atque instituto tua responsio malè cohæret. *Docet (* inquis *) Tertullianus eundem esse veteris nouique Testamenti authorem: id enim Marcion negabat.* Intelligo: & vera quidem sunt, quæ dicis, sed alia etiam vera sunt, quæ non dicis. Marcion enim non modò veteris Testamenti authoritatem sustulit, sed de Christi etiam

corpore

corpore impiè atque hæreticè ſenſit. Chriſtum enim dixit non verum corpus habuiſſe,ſed tantùm veri corporis ſimulachrum. Hanc illius hæreſin iſtis verbis Tertullianus refellit, atque id nunc agit,vt Chriſti corpus non fictum,phantaſticum, imaginarium, ſed verum, humanum, naturale fuiſſe doceat. Sic enim ait, *Cæterùm vacua res, quod eſt phantaſma, figuram capere non poſſet.* Et pòſt, *Nullius enim coporis ſanguis eſſe poteſt, niſi carnis.* Hinc luce clarius apparet Tertullianum hoc loco contra illud phantaſma corporis diſputare, quod Chriſto Marcion tribuebat. Argumentum autem ſumit à ſacramento, quod eſt figura corporis Chriſti. Hinc enim probat Chriſtum habere verum corpus, quia ſacramentum inſtituit, quod eſſet corporis ſui figura. At figura nulla eſſe poteſt rei vacuæ ac phantaſticæ, cuiuſmodi eſſe Chriſti corpus Marcion affirmabat. Sic ipſa verba habent, *Acceptum panem ac diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit, Hoc eſt corpus meum dicendo, id eſt figura corporis mei: figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus. Cæterùm vacua res, quod eſt phantaſma, figuram capere non poteſt.* Quaſi hoc Marcionem ſyllogiſmo conficeret, Si Chriſtus in ſacramento figuram corporis ſui reliquit, tum verum corpus habuit, non phantaſticum, quia phantaſmatis nulla figura eſſe poteſt: At Chriſtus in ſacramento reliquit figuram corporis ſui, quando dixit, Hoc eſt corpus meum,

Tertull. contra Marcion. lib. 4.

id eſt figura corporis mei: ergo Chriſtus verum corpus habuit. Hæc Tertulliani verba, hoc argumentum eſt: ex quo panem dici corpus Chriſti, non quia Tranſſubſtantiatur in ipſum Chriſti corpus, vt pontificij contendunt, ſed quia eſt ſacramentum & figura corporis Chriſti, quemadmodum nos veriſſimè docemus, manifeſtum eſt.

Tu nouum ab aliquo magiſtro commentum didiciſti, quo nobis fucum faceres. Tertullianum enim reſpondes non panem illum quem in nouiſſima cœna Chriſtus fecit corpus ſuum, figurā appellare, ſed de alio quodam pane loqui, qui corporis Chriſti figura fuit in vetere lege. Scitè admodum, atque vt decuit non Theologum vulgarem, ſed Ieſuitam. Sed vbi (quæſo) animus, vbi acumen, Duræe, tuum fuit, cùm hæc ſcriberes, quæ tam palàm cum verbis ipſis pugnant? Quis enim ille panis fuit, quem corpus ſuum Chriſtus fecit, & de quo dixit, Hoc eſt corpus meum? Nónné ille ipſe panis, quem eadem nocte, qua traditus eſt, in manus accepit, fregit, diſcipulis tradidit? Et tamen hunc panem Tertullianus figuram appellauit. Aut doce vbi vnquam in vetere lege panem Chriſtus acceperit, eumq; eſſe ſuum corpus dixerit, quod nunquam potes. Equidem non dubito, quin hæc ſcribentem tua te conſcientia conſtrinxerit ac refutarit. Cùm enim ex ipſis verbis conſtat de eodem illo pane loquutum eſſe Tertullianum, quem tunc in cœna Chriſtus accepit, tum id ipſum ex alio etiam loco intelligi poteſt. Sic enim in primo

libro contra Marcionem Tertullianus ſcribit: *Non reprobauit panem, quo ipſum corpus ſuum repræſentat.* Sic vides pane non alio, quidem, quàm eo quo nos vtimur in cœna celebranda, ipſum corpus Chriſti repreſentari, id eſt, hunc panem eſſe (vt hîc loquitur) figuram corporis Chriſti. Tamen pergis aliquas interpretationis tuæ coniecturas colligere. Aliâs (inquis) dixiſſet, non Fuiſſet, ſed Eſſet. Argutè verò: quaſi hoc tanti ſit, aut quaſi non eſſet facilis verborum ſenſus: Panis ille, quem Chriſtus ſuum corpus eſſe dixit, non fuiſſet figura corporis, niſi corpus verum eſſet. Quod ſubiungis ex Tertulliano, concedo eſſe veriſſimum. Fuit enim panis in vetere lege figura corporis Chriſti. Sed ſi fuit in vetere Teſtamento figura, num proinde in nouo figuram minimè eſſe ſequitur? Quod verò de vino & ſanguine adducis, contra te facit. Iacobi enim de Iuda verba Tertullianus citat, *Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ amictum ſuum.* Hæc ad Chriſtum accommodat, atque hinc Chriſti carnem & ſanguinem demonſtrat: *Stola & amictus* (inquit) *caro eſt, vinum ſanguis.* Quis negabit tibi, ſi id poſtulas, aut ſi valere aliquid ad cauſam tuam arbitraris, illum ſanguinem vuæ, id eſt, vinum, huius vini aut ſanguinis figuram fuiſſe? Sed hîc nouum argumentum oritur, omnium pulcherrimum, & Duræo noſtro digniſſimum. Si panis ac vinum (inquis) in vetere Teſtamento figura e-

rant corporis ac ſanguinis Chriſti, quis non videt, vt huic figuræ veritas reſpondeat, ex pane verum corpus, & verum ex vino ſanguinem confici oportere? Quod tandem huius connexi vinculum eſſe exiſtimemus? Panis & vinum in vetere Teſtamento figuræ erant corporis ac ſanguinis Chriſti: ergo in nouo Teſtamento (tu nouam legem impropriè vocas) neceſſe eſt ex pane confici verum corpus, & ex vino verum ſanguinem? Id quidem ſequitur, vt figuræ veritas reſpondeat, cùm hæc eſſent in vetere Teſtamento corporis & ſanguinis Chriſti figuræ, vt Chriſtus in nouo Teſtamento verum corpus & verum ſanguinem haberet, quod Tertullianus probare voluit, & ego facilè concedo. Vt verò ex pane corpus, & vino ſanguis fieret, id nulla figuræ & veritatis analogia flagitat. Si enim quia vetera Sacramenta noſtrorum typi ac figuræ erant, idcirco neceſſarium ſit, vt noſtra ſacramenta nullo modo figuræ ſint, ſed in res ipſas, quarum ſunt figuræ Tranſſubſtantientur, tum quia Diluuium, & mare rubrum, & nubes erant noſtri baptiſmi figuræ, ſequetur baptiſmum non eſſe figuram, aut ſymbolum, ſed in ipſum Chriſti ſanguinem conuerti. Id ſanè tua hæc ratio, ſi haberet aliquid rationis, neceſſariò euinceret. Sed cùm ego tibi tam multa de Tertulliano reſponderim, tu mihi nunc viciſſim aliquid etiam reſponde. Panem in ſacramento nullum eſſe ſtatuis: Nam panem Tranſſubſtantiatio extruſit. Quid ergo eſt
quod

quod ſpeciem panis habet? Phantaſma ſcilicet panis remanet, ſed nullum eſſe panem omnino tamen certum eſt. Itáne tandem ais? Et non vides hoc modo Tertulliani argumentum planè euerſum eſſe? Si enim ſacramentum hoc imaginem & ſpeciem panis oſtendit, ſed tamen panis naturam penitus amiſit: quid ni Tertulliano mox Marcion reſponſitarit, Ita Chriſtum phantaſma corporis habuiſſe, ſed corporis tamen vera propriáq; natura caruiſſe? Sic præclarè veſtra Catholica tranſſubſtantiatio cum hæretico Marcionis axiomate congruit.

DVRAEVS, Fol. 55.

Iudam (*inquit Auguſtinus*) adhibuit ad conuiuium, in quo corporis & ſanguinis ſui figuram diſcipulis commendauit. *Quis hoc Catholicus negat? Aut quis non intelligit figuræ nomine ſacramentum ſignificari? Quàm verò ridiculum illud eſt: quia figuram, ſiue ſacramentum corporis & ſanguinis ſui dedit, corpus ipſum ac ſanguinem non dediſſe? Cùm D. Auguſtinus de eodem Iuda alio in loco ſermonem faciens,* toleraſſe dicat Chriſtum Iudam inter innocentes diſcipulos ſumere, quod norunt Chriſtiani pretium noſtrum. Epiſt. 162.

WHITAKERVS.

16 In Auguſtino iterum coactus es, quemadmodum in Tertulliano fuiſti, vetera tuorum commenta relinquere, noua excogitare. Panẽ & vinum Auguſtinus corporis ac ſanguinis Chriſti figuram diſertè vocat. Quid dici illuſtrius potuit? Aut quis nobis vitio vertat, ſi ſacramentum cum Auguſtino figurã appellemus? Si enim Auguſtinus pani & vino Euchariſtico figuræ nomen rectè

Auguſt. Pſa. 3.

rectè vereq; tribuit, cur nobis non licebit in illis Christi verbis figuram statuere, & panem corporis, vinum sanguinis Christi figuram cum Augustino nuncupare? Aut ergo huius sermonis vsuram nobis concede, aut Augustinum malè loquutum esse conuince. *Sed Augustinus* (inquis) *figuræ nomine sacramentum significauit*. Etsi Christum dedisse discipulis sacramentum fateor, tamen Augustinus non sacramenti, sed figuræ vocabulum vsurpauit. Quanquam enim omne sacramentum est figura, tamen non omnes figuræ sunt sacramenta. Cùm autem nulla figura sit res ipsa, cuius est figura, (sic enim inter figuram & rem nihil interesset, & Relatorum natura ac discrimen tolleretur) panem non esse corpus Christi propriè, nec vinum sanguinem manifestum est. Iam si transsubstantiationem admittimus, nec figuram Christus, nec sacramentum discipulis dedit. Eruntné enim Duræe, illa spectra panis & vini aut figuræ, aut sacramenti nomine censenda? At inter figuram seu sacramentum, & rem ipsam cuius est figura vel sacramentum, aliqua saltem intercedere similitudo debet, quemadmodum docet Augustinus. Illa verò accidentia nihil habere possunt Christo simile. Ita vel corpus ipsum erit figura sui ipsius (quod tamen nimis absurdum esse natura ratioq; clamat, & figura esse non potest, quæ nusquam apparet) vel nullam Christus discipulis suis figuram in illo conuiuio tradidit. Quare necesse est, vt panem ac vinum dici ab Augustino corporis & sanguinis Christi figuram fateamur. Nec tamen dedisse

etiam

etiam diſcipulis Chriſtum corpus & ſanguinem ſuum negamus, & nunc etiam dare ijs minimè dubitamus, qui harum rerum ſacramentum vera fide percipiunt. Quòd autem Auguſtinus Iudam ait pretium noſtrum ſumpſiſſe, quis vnquam tam improbus fuit ſyllabarum auceps, vt id quẽadmodum diceretur, non attenderit? Si enim huius pretij Iudas verè particeps fuiſſet, huius certè pretij beneficium nunquam amiſiſſet. Sed pretium noſtrum vocat Auguſtinus figuratè, quòd eſt pretij noſtri ſacramentum. Sic enim in eodem loco ſcribit, ***Et tamen primum ſacramentum corporis & ſanguinis ſui, nondum illo excluſo, communiter omnibus dedit.*** *Auguſt. Epiſt. 162.*

DVRAEVS, Fol. 55.

Alium deinde Auguſtini locum profers: Non enim dubitauit Dominus dicere (*inquit Auguſtinus*) Hoc eſt corpus meum, cùm ſignum ſiue ſacramentum daret corporis ſui. *Cùm Manichæi varijs de cauſis vetus Teſtamentum reijcerent, atque inter alias illam etiam afferrent, quòd ſanguinem Moſes animam appellaſſet: acutè Auguſtinus reſpondet, præceptum illud in ſigno poſitum eſſe, quòd ſanguis nimirum, etſi propriè anima non ſit, ſignum tamen animæ intus latentis exiſtat: quemadmodum & ipſum corporis Chriſti ſacramentum, quod ſenſibus noſtris obijcitur, corpus Chriſti appellatur, quia corporis Chriſti, quod continet, ſignum eſt. Vides, quemadmodum anima ſanguine continetur, ita Auguſtinum ſacramento Chriſti corpus verè contineri credidiſſe. Illud etiam te fallit, quod Auguſtinus nouæ legis ſacramenta, non nuda & inania ſigna, vt exiſtimas, eſſe putauit, ſed quæ res ipſas, quarum ſigna ſunt, verè contineant.*

WHITAKERVS.

17 Si quando Dominus dixit, Hoc eſt corpus

pus

pus meum, signum corporis sui intellexit, quemadmodum perspicuè scribit Augustinus, tum figuratè loquutum esse Dominum constat, quod nos quia dicimus, à vobis sine causa reprehendimur. Si enim id suum corpus Dominus vocauit, quod sui corporis signum fuit, inesse in verbis Tropum nulla ratio negabit. Nunc quid Augustino respondeas excutiamus. Rem illi cum Manichæis fuisse satis manifestum est, à quibus illa veteris Testamenti sententia, *sanguis est anima pecoris*, improbata fuit. Hanc illorum calumniam Augustinus diluit, atque hæc verba figuratè accipienda esse ostendit, vt sanguis anima dicatur, non quia ipsa anima sit, sed quia sit animæ signum. Ita enim in nouo Testamento Christum id appellasse corpus suum, quod corporis ipsius signum fuit. Nihil sanè scribi contra transsubstantiationem disertius aut luculentius potuit. Tu sanguinem dici affirmas signum intus latentis animæ, & sic sacramentum esse signum corporis Christi, quod verè sacramento continetur. Num verò pecoris sanguinem comedi vetuit Dominus, dum in illo sanguine anima lateret? Nequaquam certè, nisi in bestiæ mactatæ sanguine aliquam latere occultam animam existimas. Effundi autem in terram sanguinem Dominus iussit, quia est anima pecoris: at in sanguine effuso nulla anima includi aut latêre potest: quare hic sanguis pecoris, de quo Dominus hanc legem tulit, non potest esse latentis in eo animæ signum, cùm animam prorsus nullam habeat.

August. contra Adimātum. cap. 12.

beat. Siccine verò ineptum ac imperitum fuiſſe Auguſtinum cenſes, quem tamen acutè reſpondiſſe dicis, vt ſanguinem pecoris in vaſculo incluſum quandam continere latentem animam exiſtimaret? Sic iſta vides in tuum caput reuolui. Anima nulla latet in ſanguine pecoris effuſo, ac proinde nullum in ſacramento corpus continetur: Sanguis eſt ſignum animæ, quæ in eo minimè latet, ergo ſacramentum eſt ſignum corporis Chriſti, quod in eo tamen minimè continetur. Atque vt latêre quandam animam fingamus, cuius ſignum ſanguis ſit, tamen in iſtam animam tranſſubſtantiari ſanguinem nequaquam affirmabis. At in ſacramento non modò latêre Chriſti corpus, ſed ipſum ſacramentum in corpus Chriſti tranſſubſtantiari ſtatuis. Ita nihil in reſponſione tua cohæret. Quodnam autem illud ſacramentum eſt, quod ſenſibus obiectum eſſe dicis? Si panem & vinum intelligis, tranſſubſtantiationem tollis. Si tuas in aëre ſuſpenſas, atque ab omni materia abſtractas harum rerum imagines, nihil fingi putidius aut peruerſius poteſt. Sacramentum enim non eſt inſtar ſpectri, in quo nihil ſolidi ſubſit, ſed naturam quandam & materiam habere debet. Quòd autem me exiſtimare dicis ſacramenta noui Teſtamenti eſſe nuda ſigna, nimis ieiunum eſt. Neque enim qui tranſſubſtantiationem non agnoſcit, noui Teſtamenti ſacramenta nuda facit, niſi etiam non tantùm in cœna,

ſed

ſed in baptiſmo etiam & reliquis illis veſtris noui Teſtamenti commentitijs ſacramentis tranſſubſtantiationem ineſſe arbitraris. At hæc ipſa inaniſſima tranſſubſtantiatio, non modò nudum, ſed planè nullum relinquit ſacramentum.

DVRAEVS, Fol. 57.

Illud iam ſequitur, quod de flagitio ex Auguſtini libris de doctrina Chriſtiana affers, lib. 3. cap. 16. Si (*inquit Auguſtinus*) flagitium & facinus videtur iubere, aut beneficentiam vetare, figurata eſt loquutio. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & ſanguinem biberitis, &c. *Equidem hic verba Auguſtini agnoſco, à quorum te ſenſu longiſſimè video aberrare, quem tamen ex Auguſtino diſcere potuiſti in comment. in Pſal. 98.* Putauerunt quòd præciſurus eſſet Dominus particulas quaſdam de corpore ſuo, &c. *& tract. 27. in Ioan.* Carnem ſic intellexerunt, quo modo in cadauere dilaniatur. *Hoc verò immane facinus eſſe quis negat? In his verbis, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, tropum in carne & ſanguine Caluiniani conſtituunt. Non carnem Chriſti manducare, ſed laceram ac diſcerptam (vt Capernaitæ intelligebant) manducare flagitium Auguſtinus putauit. Integram enim carnem Chriſti ſumere non magis Chriſtiano homini flagitium eſt, quàm beatæ virgini fuit eam integram concipere, & in vtero ſuo alere. Et ex Auguſtino conſtat tam verè Chriſtianos ſanguinem Chriſti ſumere, quàm veterum ſacrificiorum ſanguinem bibere erat prohibitum. Vide Auguſt. q. 57. in Leuiticum.*

WHITAKERVS.

18 Illa Chriſti verba, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & ſanguinem eius biberitis, non habetis vitam in vobis, figuratè intelligenda eſſe tradit Auguſtinus, quandoquidem facinus

Auguſt. de doct. Chriſt. lib. 3. cap. 16.

cinus

cinus & flagitium præcipere videantur. Ex quo facilè intelligimus Augustinum nunquam sensisse Christi carnem aliter, quàm fide ac spirituali modo sumi, cùm & in verbis figuram inesse palàm scribat, & sine figura facinus horrendum præcipi confirmet. Tu verò nec figuram agnoscis in præcepto, nec flagitium esse arbitraris Christi carnem quotidie dentibus tuis conficere, atque in ventriculum traijcere, & tamen nihil te ab Augustini sensu putas aberrare. Sed quis non videt transsubstantiatione pontificia non modò figuram excludi, sed illud etiam admitti, quod tanquam flagitium Augustinus auersatur? Respondes non sic comedi carnem Christi, vt particulæ quædam de corpore Christi præcidantur, quemadmodum Capernaïtæ somniabant. Non enim carnem Christi manducare, sed laceram ac discerptam manducare flagitium putauit Augustinus. De flagitio aliquid respondes, de figura omnino taces. At Augustinus in illis verbis figuram constituit, quæ nulla prorsus esse potuit, si carnem Christi vel totam, vel in partes minutas concisam sumeremus. Quando ergo hanc *figuratam* esse *loquutionem* affirmat, nullum locum vel Capernaïticæ, vel vestræ opinioni relinquit, quæ planè nihil à Capernaïtica differt. Et si immane facinus esset vt tu fateris, particulas de Christi corpore præcidere, nónne multò immanius ac truculentius esse meritò iudicemus totum Christum vno morsu deuorare? Vtrum enim ferum magis & flagitiosum est, Christi carnem particu-

latim exedere, an repentè totam in fauces demittere, nec satis præmansam deglutire? Si ergo illi sunt immanes, qui Christum volunt membratim depascere, multò maior illorum immanitas censenda est, qui membra pariter vniuersa eodem momento consumunt. Et quidem inter Capernaïtas & Pontificios hoc tantùm interest, quòd illi partes aliquas præcidendas putabant, hi nihil omnino præcidunt, sed totum voracissimè in os ventremq; inijciunt. Verùm Augustinus quemadmodum Christi caro comedenda sit, ostendit, quando quid hac figurata loquutione præcipiatur exponit, nempe *passioni Domini esse cõmunicandũ, & suauiter atq; vtiliter recolendũ, quòd pro nobis caro eius crucifixa est.* Ita Christi carnẽ edere Augustino interprete est, Christi passioni communicare, eiusque carnem pro nobis in pretium nostræ redemptionis datam fide accipere. Sic enim Augustinus, *Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, nec bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent: sacramentum aliquod commendaui vobis, spiritualiter intellectum viuificabit vos.* Et alibi, *Christum fas vorari dentibus non est.* Et rursum, *quid paras dentem & ventrem? Crede & manducasti.* Et in alio loco, *Credere in eum, hoc est manducare panem viuum: qui credit manducat, inuisibiliter saginatur, quia inuisibiliter renascitur. Est enim* (vt alibi scribit) *non ventris, sed mentis cibus, ad cuius manducationem qui inuitantur*

August. in Psal. 98.

De consecr. dist. 2. c. Verum.

Tractat. in Ioan. 25.

Tractat. 26. in Ioan.

uitantur, *non ventrem*, *sed mentem parare iubentur*. Sic Chrysostomus, *Carnale est* (inquit) *dubitare, quomodo nobis Christus carnem suam ad manducandum dare possit, cùm hoc sit mysticè, & spiritualiter intelligendum*. Quemadmodum autem olim ista Augustini verba, de quibus nunc contendimus, antiqui authores acceperint, ex Bertramo intelligi potest, cuius liber extat de corpore & sanguine Christi doctus inprimis ac pius: *Cernimus* (inquit) *quòd Augustinus mysteria corporis ac sanguinis Christi sub figura dicit à fidelibus celebrari. Nam carnem illius, sanguinemq́; eius sumere carnaliter, non religionis esse dicit, sed facinoris*. Iam ergo si quando Christus ait, Nisi carnem meam ederitis, & sanguinem biberitis, non habebitis vitam, figuratè loquutus est, quique aliter loquutum illum esse intelligit, flagitium ab eo præcipi statuit, hinc & Christi corpus carnaliter nequaquam comedi, & transsubstantiationem horrendi facinoris ac flagitij ream esse constat. Quod autem subiungis Christiano homini non magis flagitium esse integram Christi carnem comedere, quàm virgini beatæ fuit eam integram concipere atque alere, omnem profectò opinionem superat. Perinde est enim ac si dicas, flagitium non est infantem concipere ac parere: ergo eundem in lucem editum deuorare flagitium non est. O te nobilem transsubstantiationis patronum, cui nihilò magis flagitiosum videtur

Chrysost. hom. 46. in Ioan.

Bertramus.

hominem deuorare, quàm hominem generare. Illud verò quòd Caluinianos ais Tropum in carne & sanguine constituere, falsum est, quemadmodum tu ipse quidem nosti, si Caluini libros vel leuiter inspexisti. Veram enim carnem & verum sanguinem, non vt tu ais, figuram tantùm istarum rerum à nobis percipi minimè dubitamus. Postremò, quod ex Augustino affers, Christi sanguinem ab omni populo Christiano bibi, libentissimè concedo. Sed bibi interim Christi sanguis sine transsubstantiatione potest.

DVRAEVS, Fol. 58.59.

Venio ad Theodoretum: Symbola (*inquit*) mystica non amittunt propriam naturam. *Quid apertius dici potuit quàm quod à Theodoreto pro nostra sententia scriptum est, corpus ac sanguinem Christi sub panis ac vini symbolis contineri? Eranistes.* Sed quid facta sanctificatione reputas? *Orthodoxus.* Corpus & sanguis Christi. Et creduntur esse quæ dicuntur, & tanquam talia adorantur. *Sed transsubstantiationem tibi Theodoretus negare videtur. Hæreticos eo loco refellit, qui humanam Christi naturam, in diuinam prorsus fuisse mutatam docebant. Et Eucharistiæ exemplo vtebantur. Quibus Theodoretus respondet non ita elementa in Christi corpus & sanguinem abiisse, vt non retineat naturales proprietates. Apud Theodoretum naturæ nomine naturales proprietates rei intelligi debent. Si transsubstantiationem Ecclesia tum non credidisset, nec Eutychiani rem tam manifestè falsam pro argumento attulissent, neque Theodoretus respondisset sanctificari panem & vinum in carnem & sanguinem Christi, atque μεταστοιχειοῦσθαι, id est transsubstantiari.*

WHITA-

WHITAKERVS.

19 Theodoritum habes acerrimum in causa aduersarium, quem aut omnino reijcias, aut mox succumbas oportet. Sic enim palàm huius scripta transsubstantiationi pontificiæ infesta sunt, vt si transsubstantiationem consultò oppugnare statuisset, nunquam tamen insulsum commentum grauiùs affligere & conuellere potuisset. Obiecci Campiano breuem ex hoc Patre sententiam, in qua affirmat, *Symbola mystica post sanctificationem non amittere propriã naturam*, quæ transsubstantiationem omnem necessariò euertit. Si enim panis ac vinum naturam propriam retinent, & si in sua propriaque natura persistunt, quo modo tandem in corpus & sanguinem Christi transsubstantiantur? Rem fuisse dicis Theodorito cum Eutychianis, qui hunanam Christi naturam dicebant sic in diuinam prorsus abijsse, vt naturales humani corporis proprietates amiserit. Agnosco: & cùm illorum Patronus Eranistes à natura sacramentorum argumẽtum sumeret, id ipsum à Theodorito in hæreticos acutissimè retortum video. Huius autem argumentationis hic exitus est, vt quemadmodum panis mysticus post sanctificationem remanet quidem panis, & naturam pristinam retinet, etiamsi nactus est conditionem meliorem: ita Christi corpus post gloriam ac resurrectionem maneat corpus humanum, quantumuis ad statum gloriæ excellentissimum ascenderit.

Theodorit. dialog. 2.

Naturæ nomine naturales rei proprietates significari respondes, quod quidem satis ad te refellendum valet. Si enim rei proprietates naturales maneant, rem ipsam manere constat. Propria enim adiuncta nunquam possunt à suis subiectis diuelli. Sed tu proprietates intelligis à re ipsa ac substantia secretas, quales in rerum natura nullæ possunt reperiri. Et quidem si quid eiusmodi in Ecclesia illo tempore receptum fuisset, Theodorito hæreticus mox respondisset, Quemadmodum panis post sanctificationem naturales proprietates panis, non naturam ipsam retinet, sic Christum post ascensionem proprietates istas corporis, sed non verum tamen corpus habuisse. Sic semper sunt responsiones tuæ ad hæreticarum partium, quàm Catholicæ religionis defensionem propensiores. Tuas verò has naturales proprietates à sua substantia abstractas & seiunctas nunquam aut Theodoritus, aut quisquam pater Catholicus agnouit, & ipse mox proximis verbis Theodoritus euertit. Sic enim statim scribit, μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας, καὶ τοῦ σχήματος, καὶ τοῦ εἴδους. Si ergo panis mysticus non tantùm in figura sua ac specie, sed etiam in substantia priore remanet, quid nobis proprietates, & qualitates, nescio quas, commemoras, cùm se naturæ nomine Theodoritus non modò istas qualitates, sed ipsam inprimis substantiam intelligere testetur? Et tamen ais nihil dici apertiùs potuisse, quàm quod à Theodorito pro vestra sententia scriptum sit, *Corpus & sanguinem Christi sub panis & vini symbolis contineri*. At hoc nusquam

nuſquam ſcripſit Theodoritus. Profer enim, ſi potes, aliquem ex omni Theodorito locum, in quo ſub panis viniq́ue ſymbolis corpus ac ſanguinem Chriſti contineri ſcribat. Nam quòd ait, *Symbola poſt ſanctificationem eſſe corpus & ſanguinem Chriſti, ac credi quæ dicuntur, & tanquam talia adorari*, ineptus es ſi id de tua Tranſſubſtantiatione intelligi ſuſpicaris. Fatetur quidem donum in altari poſitum poſt ſanctificationem eſſe corpus & ſanguinem Chriſti, nimirum ſacramentaliter: & quanquam hæc ſymbola naturam propriam & priorem ſubſtantiam integram retinent, credi tamen eſſe quæ dicuntur, & adorari tanquam ea, quæ creduntur. Si verò corpus & ſanguis Chriſti omnem ſymbolorum naturam ac ſubſtantiam penitus ſuſtuliſſet, & corporea quadam ac reali præſentia adeſſet, tum hic honor non ſymbolis conueniret, ſed ad ipſum corpus Chriſti pertineret. Sunt quidem ſymbola ſacramentaliter idipſum, quod creduntur, & ſummo honore ac religione tractari ſumiq́ue debent, cùm ſint Dominici corporis ac ſanguinis ſacramenta: ſed tamen nunquam propriam naturam mutant, aut in corpus & ſanguinem Chriſti conuertuntur. Chryſoſtomus de myſtico pane

ſcribit apertiſſimè, *Dignus habitus eſt Dominici* *Chryſoſt. ad*
corporis appellatione, etiamſi natura panis in illo re- *Cæſarium.*
manſerit. Id te etiam alio in loco Theodoritus docebit. Sic enim in primo Dialogo *Theodor.*
habet: *Symbola quæ videntur corporis & ſan-* *dial. 1.*
guinis ſui appellatione honorauit, non naturam ἄτρεπτος.

mutans, sed naturæ gratiam addens: atque eò illa Theodoriti disputatio spectat, vt quàm verè panis substantia in Eucharistia manet, tam verè corporis substantiam in Christo remanere confirmet. Aut ergo panis substantiam in sacramento saluam esse concede, aut palàm Christi corpus euerte. Si verò Eutyches aut quisquam alius tam delirus hæreticus symbola in res ipsas mutari credidisset, idné quicquam ad pontificiam hanc Transsubstantiationem nobis probandam valere debuisset? Quid si enim hæretici insaniunt? ergo Transsubstantiationem vetus Ecclesia approbauit? Quid dici futilius potuit, præsertim cùm hoc Eutychianum λῆμμα tanquam insulsum mox Theodoritus repellat atque respuat? Sed hoc contendit Eranistes, quemadmodum symbolũ mutat appellationem, & corpus Christi vocatur, sic Christum non hominem dici, sed Deum oportere. μεταστοιχειοῦσθαι autem panem & vinum quo tandem in loco scripsit Theodoritus? Nam hic nusquam illud vocabulum reperio.

DVRAEVS, Fol. 60.

Theodoretum Macarius sequitur. In Ecclesia offertur panis & vinum *ἀντίτυπα, id est,* antitypa atque exemplaria carnis & sanguinis Christi. *Antitypon non idem est, quod figura vel τύπος, sed id quod in figuræ locum substituitur. 1. Pet. 3. Sic Patres hoc nomine vsi sunt, vt nobis in nouo Testamento corpus & sanguinem Christi dari ostendant, tanquam ἀντίτυπα pro typis illis, quibus in veteri testamento adumbrabantur: eoq; libentiùs hoc nomine vsi sunt, quòd etsi corpus & sanguinem Christi verissimè in sacramento habemus, tamen tectum & velatum. Damascenus ait,* Non est τύπος panis & vinum corporis & sanguinis Christi (*absit*

(abſit enim hoc) ſed eſt ipſum corpus Domini deificatum. *Et Cyrillus Hieroſol. catech.4.* ἐν τύπῳ τοῦ ἄρτου *datur nobis corpus. hoc eſt enim habere nos* ἀντίτυπα, *corpus nempe & ſanguinem Chriſti panis vini'q; τύπῳ velata. Imo & Macarius mox addidit, Qui ſumunt* ἐκ τοῦ φαινομένου ἄρτου, *id eſt,* ex eo qui apparet panis.

WHITAKERVS.

20 Tranſſubſtantiationem veſtram Macarius monachus planiſſimè refellit his verbis, in quibus diluendis admodum ac fruſtra deſudas. *Macar. homil.27.* Si ſunt enim panis & vinum ἀντίτυπα, quemadmodum ſcribit Macarius, hoc eſt rerum aliarum exemplaria, tum certè res ipſæ, quarum exemplaria ſunt, eſſe nequeunt. Quid tu nunc excogitare potes, quod illuſtriſſimam huius teſtimonij lucem obſcuret? *Antitypon* (inquis) *non eſt* τύπος, *ſed id quod in figuræ locum ſubſtituitur*. Subſtitui quidem nonnunquam in τύπου locum ἀντίτυπον fateor: ſed tamen ἀντίτυπον nihilò magis res ipſa eſt, cuius ἀντίτυπον vocatur, quàm τύπος fuit. Iſta enim nomina non re diuerſa ſunt, ſed ratione. Nam ἀντίτυπον alteri τύπῳ reſpondet, & verbum hoc vtrumque non rem ipſam, ſed rei figuram atque exemplar ſignificat. Id ex eo loco Petri, quem adducis, diſcere potuiſti. Baptiſmum enim Petrus aquæ diluuij ἀντίτυπον eſſe dicit, & tamen non *1.Pet.3.21.* modò illa aqua, ſed baptiſmus etiam figura eſt, niſi etiam aliquam fortè in baptiſmo Tranſſubſtantiationem fingis. Ille prior τύπος Eccleſiæ liberationem adumbrauit, ſic quoque hic alter τύπος illi per omnia ſimilis & verè ἀντίτυπος eandem Eccleſię liberationem ac ſanctificationem ſignificat. Nec ſẽper ſubſtituitur in τύπου locũ ἀντίτυπον.

Heb.9.24. Quando enim tabernaculum Apostolus cælorum ἀντίτυπον appellat, quis non videt ἀντίτυπον pro typo sumi? Sic Nazianzenus Abrahami sacrificium ἀντίτυπον illius magni vocat. Denique quotiescunque hoc verbum legitur, non rem sed rei exemplar indicat. Cùm ergo ἀντίτυπα ipsum corpus & sanguinem Christi interpretaris, nec mentem authoris, nec vocabuli vim intelligis. Sed te Macarius ipse palam refutabit. Panem enim & vinum ἀντίτυπα appellat non alterius typi, sed carnis & sanguinis Christi. Si verò panis & vinum sunt caro & sanguis Christi, non possunt eiusdem carnis ac sanguinis ἀντίτυπα nominari. Nam quòd de corpore tecto & velato subiungis, dic verò, num antitypo corpus tegitur & velatur? Id fieri non potest, cùm ἀντίτυπον, vt tu vis, sit ipsum corpus & sanguis. Idem autem non potest eodem tegi ac velari. Sic cùm ἀντίτυπα dicuntur carnis & sanguinis, necessariò efficitur non esse ipsam carnem & sanguinem. Et hoc nomine sæpe quidem appellantur. Basilius panem vocat ἀντίτυπον corporis Christi, idq; post consecrationem, quemadmodum ex ipsa liturgia constat: quo magis ineptus Damascenus fuit, qui sic dici quidem à Basilio, sed tamen ante consecrationem scribit: quasi ante consecrationem aliquid omnino à pane communi differat. Sic Nazianzenus de sorore Gorgonia, *Si quid* (inquit) τῶν ἀντιτύπων *honorandi corporis aut sanguinis manus collegerat*. Et Theodoritus, *Diuina mysteria sunt* ἀντίτυπα *veri corporis*. Sed panē & vinū ἀντιτύπων quidē dici fateris, τύπον verò nullo modo dicen-

Basil. in liturg.

Nazianzenus in Epitaph. Cæsarij.

Theodo. in dial. ἀσύγχυτος.

dicendum eſſe contendis, atq; id tanquam nefandum auerſaris. In quo te Damaſcenus tuus mirificè fefellit. Si enim panem & vinum non tantùm ἀντίτυπα, ſed τύπους etiam à patribus appellari ignoras, nihil legiſti. Vbique enim Patres de cœna loquentes & hoc & illo nomine promiſcuè vtuntur. Sic Theodoritus, *Cuius exiſtimas Symbolum & τύπον ſanctiſſimum cibum?* Sic Nazianzenus, *Accedimus ad ſacram menſam, & τύπους noſtræ ſalutis.* Sic Chryſoſtomus, *Hoc ſacrificium illius τύπος eſt.* Quid plura deſideras? Nonné etiam ipſe tuus Hieroſolymitanus Cyrillus dari nobis Chriſti corpus affirmat, ἐν τύπῳ panis? Eſt ergo panis τύπος corporis Chriſti. Non enim de accidentium inani ſpecie, ſed de ſacramento loquitur, in quo nobis verum Chriſti corpus præbetur. φαινόμενος autem ἄρτος apud Macarium non panis vacuam ſimilitudinem, ſed verum panem omnium præſentium oculis ſubiectum ſignificat. Et qui ex illo, quem aſpiciunt, pane ſumunt, illi carnem Chriſti comedunt, ſed πνευματικῶς, vt ipſe Macarius ſcribit, id eſt *Spiritualiter*. Si verò panis in carnem Chriſti conuerſus ac tranſſubſtantiatus eſſet, vt nihil præter panis vmbram remaneret, tum Chriſti carnem non πνευματικῶς, ſed σωματικῶς comedi neceſſariò ſequeretur. Sic quicquid apprehendis, mox tibi è manibus extorquetur.

Theodo. in dial. ἄτρεπτος

Nazianz. ad ciues Nazianzi.

Chryſoſt. ad heb. hom. 17.

DVRAEVS,

DVRAEVS, Fol. 61.

Nullam (*ais*) in hoc iudicio antiquitatem refugio, nullum concilium, nullum patrem, nullum omnino syncerę vetustatis monimentum. *Quum vnico contentus sis, agam tecum liberalius. Primum verò Ignatium proferam.* Eucharistias (*inquit*) & oblationes non admittunt, cùm non confiteantur Eucharistiam esse carnem seruatoris nostri Iesu Christi, quę pro peccatis nostris passa est, quam pater sua benignitate suscitauit. *Theodoret. Dial. 3. ex Epist. Ignatij ad Smyr.*

WHITAKERVS.

21 Si vel vnum potes syncerę antiquitatis proferre monimentum, Durae, ex quo panem mutari atque in Christi carnem Transsubstantiari liqueat, concedam in causa tibi non inuitus. Sin nulla sunt vel scripturæ, vel piæ puræque vetustatis testimonia, quibus Transsubstantiatio pontificia confirmetur, non possum tuis lenocinijs induci, vt de suscepta sententia decedam. Acturum te mecum liberaliter profiteris, & verbis quidem nimiùm es profusus, re autem in summa inopia atque egestate versaris. Hæc enim quę profers, vanæ ostentationis indicia sunt, non veræ liberalitatis argumenta. Et primùm Ignatius Eucharistiam seruatoris nostri carnem appellat, non quòd sacramenti vim ac naturam amiserit, atque in carnis substantiam abierit, sed quia est carnis Christi symbolum, quo Christi vera caro demonstratur. Patres enim ex Eucharistia, quæ est corporis Christi sacramentum, veritatem illius corporis contra hereticos docebant

ac

ac defendebant, quemadmodum ſuprà etiam de Tertulliano accepimus. Itaq; hæretici Euchariſtiam eſſe carnem ſeruatoris, hoc eſt, veræ carnis ſacramentum negabant, cùm Chriſtum non reuera, ſed tantùm imagine atq; opinione carnem habuiſſe affirmarent. Citauit hanc Theodoritus ex Ignatij ad Smyrnenſes epiſtola ſententiã, quæ tamen in illa epiſtola, quæ nunc in Ignatio ſcripta vulgò legitur ad Smyrnenſes, nuſquam reperitur.

DVRAEVS, Fol. 61.

Iuſtinus Martyr Apol.2. Quemadmodum per verbum Dei incarnatus eſt Ieſus Chriſtus ſaluator noſter, & carnem & ſanguinem pro noſtra ſalute aſſumpſit, ita quoque per preces verbi illius, cibum, ex quo ſanguis & caro noſtra per imitationem aluntur, cùm benedictus fuerit, Ieſu ipſius incarnati carnem & ſanguinem didicimus eſſe.

WHITAKERVS.

22 De hoc loco Iuſtini nonnulla iam priùs diximus. Scribit Iuſtinus τὴν δι' εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν eſſe carnem & ſanguinem Chriſti incarnati, quemadmodum Chriſtus per verbum Dei incarnatus eſt. Quod quidem de Tranſſubſtantiatione intelligi nullo modo debet. Quando enim Chriſtus ſeruator carnem noſtram aſſumpſit, non eſt in carnem noſtram mutatus ac Tranſſubſtantiatus: ſic neque cibus iſte quando precibus & gratiarum actione fit caro Chriſti, in ipſam tamen Chriſti carnem conuertitur. Eſt ergo caro Chri-

ſti, id

sti, id est carnis Christi symbolum ac sacramentum, in quo caro seruatoris à fideli populo percipitur. Panis enim & vini naturam remanere ex eo constat, quòd hoc cibo carnem ac sanguinem nostrum per immutationem nutriri Iustinus scribit, idque etiam post ipsam benedictionem, seu gratiarum actionem. Nam à te locus hic omnis admodum peruersè & perturbatè positus est. Si ergo cibus iste gratiarum actione consecratus carnes nostras & sanguinem nutrit, quemadmodum disertè Iustinus affirmat, tum naturā suam retinet, & nulla transsubstantiatione mutatur.

DVRAEVS, Fol. 61.

Irenæus libro 5. contra hæres. Quando & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi, ex quibus augetur & consistit nostræ carnis substantia.

WHITAKERVS.

23 Quodnam illud corpus est, Duræe, & quis ille sanguis Christi, ex quo nostræ carnis substantia consistit & augetur? An nostra caro reuera Christi corpore ac sanguine nutritur, atque hoc cibo reficitur, alitur, sustentatur? Id si dixeris, Christi carnem cum nostra commisceri concesseris, quod valdè impium est, & plus quàm hæreticum. Quare nega, si potes, de pane & vino loquutum esse Irenęum, quę cùm sint corpus &

sanguis

ſanguis Chriſti μυστικῶς, carnis etiam noſtræ ſubſtantiam alunt.

DVRAEVS, Fol. 61.

Tertullianus de reſurrectione : Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt & anima Deo ſaginetur.

WHITAKERVS.

24 Siccine es à vero iudicio auerſus, vt quid ſibi Tertullianus velit non attendas? Dic enim, obſecro: noſtra caro Chriſti corpore ac ſanguine veſcitur, vt reliquis cibis? Si affirmas, tum Chriſti corpus cum noſtro in vna eademque hypoſtaſi coniungitur. Cibus enim in eius rei, quā alit, hypoſtaſim tranſit. Si verò noſtra & Chriſti hypoſtaſis vna atque eadem eſt, pręclarè quidem nobiſcum actum erit. Sin hæc abſurda ſunt, ergo de ſacramento corporis ac ſanguinis Chriſti ſenſiſſe Tertullianum confitere.

DVRAEVS, Fol. 61.

Origenes homil. 5. in diuerſ. locos: Quando ſanctum cibum illúdque incorruptum accipis epulum, quando vitę pane & poculo fruens manducas & bibis corpus & ſanguinem Domini, tunc Dominus ſub tectum tuum ingreditur.

WHITAKERVS.

25 Quid hîc Duræe, potiſſimùm vrges? Epulum hoc ſanctum & incorruptum eſſe fatemur: ſed nihil hoc ad Trāſſubſtantiationē valet.

Corpus

Corpus & ſanguinem Chriſti à nobis manducari ac bibi concedimus: quis id ſine tranſſubſtantiatione fieri poſſe dubitat? Credere enim in Chriſtum, eſt Chriſtum manducare, ſi credimus Auguſtino. Credunt autem in Chriſtum multi, qui nunquam ad cœnam acceſſerunt: ſic Chriſtum & in cœna, & extra cœnam fide accipimus, vt tranſſubſtantiationem omnino nullam deſideremus. Ingredi autem Dominum ſub tectum noſtrum, quando ſacramentum percipimus, non negamus: at hic ingreſſus nullam Tranſſubſtantiationem poſtulat. Nam ſi Chriſtum diligimus, eiuſque ſermonem ſeruamus, pater & filius ad nos venient, & nobiſcum manebunt. Et ipſe Origenes multis modis ingredi Dominum ſub tectum noſtrum ſcribit, ſi Euangelio credimus, ſi pium miniſtrum recipimus, ſi pauperes hoſpitio excipimus. Quare iſta nihil tranſſubſtantiationem tuam ſubleuant.

DVRAEVS, Fol. 61.

Panis ille quem Dominus diſcipulis dedit non effigie, ſed natura mutatus omnipotentis verbo Dei factus eſt caro. *Cypr. de Cœna Domini.*

WHITAKERVS.

26 Quid mihi ſuprà reſponderis, niſi valdè obliuioſus es, meminiſti: cùm tibi Theodoritum obijcerem, qui panem negauit propriam naturam amittere. Naturæ nomine non ſubſtantiam, ſed

am, ſed qualitates & proprietates ſignificari dixiſti. Patere nunc vt tibi ſimiliter reſpondeam; ſed multò veriùs, naturæ vocabulo non ipſam panis ſubſtantiam, ſed proprietatē ac conditionē declarari, quæ iam longè ſublimior ac præſtantior euaſit, quàm prius fuerit. Cùm enim antè eſſet panis cibarius ad vſum communem factus & paratus, nunc nouam naturam ac conditionem nactus eſt, vt ſit myſterium & ſacramentum Chriſti: atque hoc Dei omnipotentis verbo, qui ſolus potuit communi creaturæ vim & naturam ſacramenti impartire.

DVRAEVS, Fol. 62.

Hilarius lib. 8. de Trinit. Ipſe ait, Caro mea verè eſt eſca, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. De veritate enim carnis & ſanguinis non eſt relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipſius Domini profeſſione & fide noſtra verè caro eſt, & verus ſanguis eſt, & hæc accepta atque hauſta id efficiunt, vt nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit.

WHITAKERVS.

27 Hilarij verba agnoſco, & piam ſententiam probo: de Tranſſubſtantiatione verò tua nihil audio. Num enim panem ac vinum in corpus & ſanguinem Chriſti tranſſubſtantiari, aut Chriſti carnem ac ſanguinem ore noſtro propriè percipi vel hîc, vel vſquam ſcripſit Hilarius?

larius? Nihil certè minùs: nec illi vnquam tam impia atque absurda cogitatio in mentem venit. Sacramentum hoc esse carnem & sanguinem Domini confitemur. Neque enim sacramentum à reipsa, cuius est sacramentum, separamus: aut è cœna inane symbolum signumque facimus. Quare cùm panis & vinum sint corporis & sanguinis dominici sacramenta, non minus ipsam domini carnem & sanguinem à nobis fide accipi atque hauriri, quàm harum rerum sacramentum ore nostro sumi ac comedi dubitamus. Deniq; cùm Christi veram carnem verumq; sanguinē in cœna percipimus, & corporis Christi veritatem confirmamus, de qua Hilarius sermonem instituit, & in vnum cum Christo corpus coalescimus, vt sit in nobis Christus, & nos in Christo maneamus.

DVRAEVS, Fol. 62.

Basil. in regul. breuior. quæst. 172. Fidem faciunt verba domini, qui dixit, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.

WHITAKERVS.

28 Qui veniunt ad cœnam, ij secum timorem, & religionem, & veram pietatem adferre debent, quandoquidem illis dominus corpus suum proponit, & qui indignè ad hanc mensam accedunt, dominici corporis rei fiunt. Christus enim testatus est, hoc esse corpus suūm. Sed quid quæso, ista ad Transsubstantiationem tuam pertinent?

DVRAEVS,

DVRAEVS, Fol. 62.

Gregorius Nyssenus in Catechetico : Quærebatur quomodo illud vnum corpus Christi omnem hominum in quibus fides est, naturam viuificaret, & in omnes ita distribueretur, vt nullam diminutionem subiret. *Et paulò post,* Corpus propterea quòd Deus verbum in illo habitauit, diuinam obtinuit dignitatem: quamobrem rectè nunc etiam Dei verbo sanctificatum panem in Dei verbi corpus credimus commutari, &c.

WHITAKERVS.

29 Vt de Nysseni huius authoritate nihil detraham, quid potes in his eius verbis reperire, quod nos non magnopere probemus? Distribui corpus Christi in omnes fideles, nec tamen diminui concedimus. Nam nullæ de corpore hoc particulæ decedunt, & fides Christi corpus non arrodit, sed spiritualiter integrum atque illæsum sumit. Quorsum autem attinebat quærere, quemadmodum fieri posset, vt Christi corpus in omnes pios distributum nullam diminutionem pateretur, si de Transsubstantiatione apud Christianos opinio inualuisset? Nam transsubstantiatio non modò non minuit corpus Christi, sed mirificam etiam atque incredibilem accessionem nouorum corporum affert. Panem verò sanctificatum in Christi corpus commutari, quis negat? Sed hæc non substantialis est & naturalis, sed sacramentalis mutatio. Sic enim in eodem libro Nyssenus aquam baptismi, sic lapides altaris,

ſic ipſum ſacerdotem mutari ſcribit, vt quæ res priùs erant vulgares, ſanctificatione quadam in diuiniorem ſtatum commutentur? Sic autem panis in Dei verbi corpus mutatur, quemadmodum Dei verbi corpus in diuinam ſubſtantiam conuertitur, quod ſine Tranſſubſtantiatione fieri manifeſtum eſt. Sicut ergo Deus in Chriſti corpore habitauit, vt nulla Tranſſubſtantiatio ſequeretur, ſic iſtum panē Dei verbum ſanctificauit vt tamen interim nulla panis in Dei verbum conuerſio ac tranſſubſtantiatio fieret.

DVRAEVS, Fol. 62.

Cyrillus Hieroſolymit, Catecheſ. myſtag. 4. Cùm Chriſtus ipſe de pane pronunciauerit, & dixerit, hoc eſt corpus meum, quis audebit de myſterio ambigere? Aquam olim conuertit in vinum in Cana Galilææ, & eum parùm dignum exiſtimabimus, cui credamus, quòd vinum in ſanguinem mutet?

WHITAKARVS.

30 Qui de myſterio ambigit, profanus eſt & perfidus, cùm Chriſtus apertè dixerit, *Hoc eſt corpus meum*, id eſt myſterium ac ſacramentum corporis mei. Ad tuam quidem cauſam multò accommodatius fuiſſet, ſi iſto modo potiùs ſcripſiſſet, Cùm Chriſtus de pane pronunciauerit, hoc eſt corpus meum, quis audebit de Tranſſubſtantiatione ambigere? Sed hunc Tranſſubſtantiationis partum Eccleſia tua nondum ediderat. Mutari verò vinum in Chriſti ſanguinem credimus: ſed iſta mutatio nullam arguit Tranſſubſtantiationem.

tionem. Non enim omnis mutatio eſt tranſſub-ſtantiatio. Mutantur ſymbola quia ſunt corporis & ſanguinis Chriſti ſacramenta, nec ijs vtendum nunc eſt, ὡς ψιλοῖς, *vt nudis*, quemadmodum ipſe Cyrillus loquitur, & quia cum his ſacramentis corpus ipſum & ſanguinem Chriſti percipimus. Nam hæc mutatio ſpiritus ſanctificatione continetur, quemadmodum ſcribit in 5. Catech. myſt. Cyrillus, *Quicquid ſpiritus ſanctus attigerit*, τοῦτο ἡγίασαι καὶ μεταβέβληται, *Hoc* (inquit) *ſanctificatum & mutatum eſt*. Si enim hæc vini mutatio talis eſſet, qualis illa aquæ fuit, tum hæc non minùs quàm illa in ſenſus ipſos incurreret. Non enim hanc mutationem illi ſimilem eſſe Cyrillus affirmat, ſed quia aquam verè potuit in vinum conuertere, quin vinum poſſit in ſanguinem ſuum, id eſt, verum ſanguinis ſacramentum mutare, non eſt dubitandum.

DVRAEVS, Fol. *62*.

Ambroſi. lib. 4. de ſacrament. c. 4. & 5. & de ijs qui myſter. initiantur c. 9. Si tanta vis in ſermone Domini Ieſu, vt incipiant eſſe, quæ non erant, quantò magis operatorius eſt vt ſint, quæ erãt, & in aliud commutentur? Non erat corpus Chriſti ante conſecrationem, ſed poſt conſecrationem dico tibi, quia iam corpus eſt Chriſti. Ergo didiciſti quòd ex pane corpus Chriſti fiat, & quòd vinum & aqua in calicem immittitur, ſed fit ſanguis conſecratione verbi cæleſtis.

WHITAKERVS.

31 In his Ambroſij verbis nullum tibi ad tranſ-

ſubſtantiationem tuam præſidium poſitum eſt. Quis enim non fatetur & Chriſti ſermonem *operatorium* eſſe, & panem poſt conſecrationem Chriſti corpus fieri? Verùm hoc tranſſubſtantiationem nihil iuuat, quam tu dum ornare ac tueri conaris, miſerrimè frigêre pateris. Panis in aliud commutatur, atque ex pane fit Chriſti corpus ſermone Chriſti efficace: ſed tamen panis in corpus Chriſti minimè tranſſubſtantiatur. Fit autem vi dominici ſermonis ac conſecrationis ex communi pane ſacramentum, quod & dicitur, & eſt ſuo modo Chriſti corpus. Nam Tranſſubſtantiationem omnem hæc ipſa verba euertunt. Si enim poſt conſecrationem ſunt, quæ erant, vt ipſe teſtatur Ambroſius, nulla hîc rerum ac naturarũ propria tranſſubſtantiatio fuit. Quod enim tranſſubſtantiatur, non eſt, quod antè fuit, ſed in aliam naturam & ſubſtantiã migrauit. Nec ait Ambroſius, videntur eſſe, quę erant, ſed planè *ſunt, quæ erant*. Id ex alijs in hoc loco verbis erit adhuc magis manifeſtum: Sic enim mox ſequitur, *Tuipſe eras, ſed eras vetus creatura: poſteaquã conſecratus es, noua creatura eſſe cæpiſti: Accipe ergo quemadmodum Chriſti ſermo creaturam omnẽ mutare conſueuerit*. Num verò quando conſecramur ac regeneramur, & in nouam creaturã mutamur, priſtinã ſubſtantiam deponimus, & nihil antiquum præter formam ſpeciemq; retinemus? Aut hoc tibi dicendum erit, aut fatendũ ex conſecratione tranſſubſtantiationem non concludi.

DVRAEVS, Fol. 63.

Epiphanius in anchorato: Qui non credit eſſe ipſum verum ſicut

ſicut dixit, is excidit à gratia & ſalute. Quod autem audiuimus, id credimus, quod eſt ipſius, &c.

WHITAKERVS.

32 Epiphanium cùm non intelligas, mirandũ non eſt, ſi ipſum malè interpreteris. Quærit autẽ in hoc loco, quẽadmodum homo ad Dei imaginem conditus ſit, cùm illa non habeat, quæ diuinæ naturæ conueniunt. Reſpondet, habere hominẽ quaſdam Dei proprietates per gratiã, quibus Deum repreſentat, quod etiam Euchariſtiæ exemplo illuſtrat, quæ quamquã nihil habet corpori Chriſti ſimile, eam tamen Chriſtus per gratiam ſuum corpus appellauit. Et credendum eſt verum eſſe quod Chriſtus dixit. Quemadmodum autem homo non eſt in Deum ipſum conuerſus, etiamſi Dei imaginem refert, ſic panis & vinum, quibus caro & ſanguis Chriſti ſignificatur, nulla tranſſubſtantiatione in Chriſtum ipſum conuertuntur. Cùm enim hoc ipſum, quod Chriſtus ſuũ corpus eſſe dixit, Epiphanius στρογγυλοειδὲς atq; ἀναίσθητον appellet, Chriſtus autem nec rotundæ figuræ ſit, nec ſenſu careat: ſatis conſtat nihil minus ſenſiſſe Epiphaniũ, quàm iſta Symbola in ipſum Chriſti corpus ac ſanguinem tranſſubſtantiari.

DVRAEVS, Fol. 63.

Cùm leuiùs aliquantulum morbus vrgeret, confugit ad altare cum fide, Dominúmq; qui ſuper illud colitur, maximò clamore obteſtans, omnibus nominibus appellitans, &c. *Gregorius Nazianzenus in Epitaph. Gorgoniæ ſororis.*

WHITAKERVS.

33 Hoc vnum tibi Nazianzenus potuit pro tua transſubſtantiatione teſtimonium ſuppeditare? Equidem parùm illi debes, à quo tam leuiter adiutus es. Ad Altare Gorgonia accurrit. Quid tum poſtea? Dominum, qui ſuper illud colitur maximo clamore obſecrauit. Et quis in altari coli Dominum negat, aut eum, qui in altari colitur, Dominum à fideli populo precibus inuocandum eſſe non intelligit? Sed quis te hoc modo diſputantem ferat? Chriſtus in altari colitur, & inuocatur, ergo panis in altari poſitus & perceptus in Chriſti corpus tranſſubſtantiatur? Perge porro, Duræe, iſtis adminiculis labentem fulcire tranſſubſtantiationis machinam.

DVRAEVS, Fol. 63.

Chryſoſtomus homil. 24. in 1. Cor. Quando id propoſitum videmus, dic tecum, propter hoc corpus non amplius terra & cinis ego ſum. Hoc corpus affixum, verberatum, morte victum non eſt. Hoc idem corpus cruentatum, lancea vulneratum, fonte ſanguinis & aquę vniuerſo orbi ſalutare ſcaturiuit. *Et Dial. 3. de ſacerdo.* O miraculum! ô Dei benignitatem! qui cum patre ſurſum ſedet, in illo temporis articulo omnium manibus pertractatur.

WHITAKERVS.

34 Quo animo accedere quemq; noſtrûm ad ſacram Euchariſtiam oporteat, exponit iſtis verbis

verbis Chrysostomus. Quando enim hæc mysteria celebramus, non aliter comparati esse debemus, quàm si ipsum Christi corpus coràm contemplemur, eamq; ob causam ipsius corporis nomen sacramento tribuit, vt in sacramento percipiendo mentis oculos in corpus Christi defigamus, cuius sacramentum nobis proponitur. Quare iubet, nos in ipsum cælum subuolare, quia cibus hic aquilarum est, non graculorum, in quo satis ostendit nihil se de transsubstantiatione cogitasse. Si enim non in terris consistere, sed sursum in ipsos cælos subuehi oportet, vt Christi corpore potiamur, nec mente licet in cælis simul & in terris versari: nusquam esse quærendum in terris Christum constat. At si Christus in mensa totus iaceret, quid opus esset mentem & cogitationem nostram aliò traducere, aut altius omnino aspirare? Qui ergo Christi corpus de cælo detrahit, is Christum non aquilarum, sed graculorum cibum facit. Christus autem sic omnium manibus pertractatur, quemadmodum *populus totus tingitur & rubet illius pretioso sanguine.* Sic enim in eodem loco scribit, *Cùm videris Dominum mactatum, & sacerdotem sacrificio incumbentem, & omnes illo pretioso sanguine cruentatos, num te cum hominibus in terra versari existimas, nec potiùs, in cælos eueheris?* Quis tam insulsus est, qui non multiplicem in istis verbis troporum varietatem agnoscat? Sed quanto quodq; est absurdius atq; immanius, tanto ad transsubstantiationis causam aptius videri solet.

πάντας ἐκείνῳ τῷ τιμίῳ φοινισσομένους αἵματι.

DVRAEVS, Fol. 63.

Augustinus in Psal. 33. Ferebatur Christus in manibus suis quando commendans ipse corpus suum ait, hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis. *Idem in Psal.* 98. Quia in ipsa carne sic ambulauit, & ipsam nobis carnem manducandam ad salutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adoret.

WHITAKERVS.

35 Quærit hoc loco Augustinus, quemadmodum intelligendum sit quod legimus, *Ferebatur in manibus suis*. Nam de Dauide non conuenit, quem se nunquam in manibus suis tulisse sacræ literæ prodiderunt. Quare hoc ad Christum pertinere existimat, *qui in manibus suis ferebatur*, quando corpus suum commendauit, & dixit, Hoc est corpus meum. Id quo sensu scripserit, ex secunda ipsius in hunc Psalmum concione manifestum erit, in qua eundem locum repetit, atque explicat. Sic autem ait, *Ipse se portabat quodammodo, cùm diceret, Hoc est corpus meum*. Etenim corporis sui sacramentum manibus portauit, suisq; discipulis tradidit, quod Christi corpus est *quodammodo*. Nam si panis ac vinum in veram corporis ac sanguinis Christi substantiam abijsset, non se quodammodo Christus manibus suis, sed omnino tulisset. Christus autem non nisi *quodammodo* se suis manibus gestauit: ergo nulla fuit panis ac vini transsubstantiatio. Quod deinde ex alio loco subiungis, perinde

perinde quidem ad transſubſtantiationem valet. Dat nobis carnem Chriſtus ſuam comedendam: & nos in cœna carnem Chriſti ſpiritualiter percipimus: Illam autem carnem quiſquis manducat, priùs adorat, non factam ex pane, non ante oculos ſuſpenſam, ſed ex virgine aſſumptam, atque in cælis regnantem. Si enim adorari in cœna Chriſtus nullo modo poteſt ſine ipſa corporis præſentia, tum quando vos ante ligneam crucẽ proiecti Chriſtum adoratis, in ligno præſentem eſſe Chriſtum iudicatis.

DVRAEVS, Fol. 64.

Hieronym. quæſt. 1. ad Hedibiam: Non Moſes dedit nobis panem verum, ſed Dominus Ieſus ipſe conuiua, & conuiuium, comedens, & qui comeditur.

WHITAKERVS.

36 Chriſtum à nobis in cœna comedi, quis noſtrûm aut negauit vnquam, aut dubitauit? Cũ autem de eo quidem certiſſimè perſuaſi ſumus, tum tranſſubſtantiatione nullum vnquam ineptius commentum fuiſſe affirmamus. Magnus ſcilicet tranſſubſtantiationis author Hieronymus, qui productus in medium ab aduerſarijs vt tranſſubſtantiationem ſuo teſtimonio comprobet, nullum omnino aliud verbum facit, quàm Chriſtum à nobis in cœna comedi, quod in quæſtionem minimè vocatur. Nam comedi Chriſtum ſine omni dubitatione concedimus, ſed de modo quo comedendus ſit Chriſtus, quærimus.

DVRAEVS, Fol. 64.

Cyrillus Alexandrinus in epist. ad Cælesyrium: Nec dubites an hoc verum sit, eo manifestè dicente, Hoc est corpus meum, sed potiùs suscipe verba saluatoris in fide. Cùm enim sit veritas, non mentitur. Insaniunt ergo dicentes mysticam benedictionem à sanctificatione cessare, si quæ reliquiæ remanserunt eius in diem subsequentem. *Idem in interpret. Anathe.* 11. Sanctam & viuificatricē & sine sanguine immolationē in Ecclesia celebramus, tanquam proprium corpus factum, necnon & sanguinem omnia viuificantis verbi.

WHITAKERVS.

37 Hoc primum Cyrilli testimonium in Cyrillo non inuenio, etsi ab alijs citari satis memini. Nec quicquam ad rem facit, quia verum esse quod Christus dixit nemo dubitat. Sed de transsubstantiatione profer vnū, si potes, Christi verbum. Quod autem ad reliquias attinet, non ignoras olim in more positum fuisse, vt hæ reliquię peracta cœna statim comburerentur, quod minimè profectò factum fuisset, si latêre in illis reliquijs Christi carnem vetus ecclesia iudicasset. Christum enim comburere, non leuius flagitiū est, quàm Christum cruci suffigere. Quod iterū ex Cyrillo affers, transsubstantiationem plus lædit, quàm iuuat. Sanctum enim & incruentum sacrificium celebrari in Ecclesia cōfitemur. Sed sacrificij nomine Cyrillus illius vnici sacrificij memoriam ac monimentum significat. Cùm autem

tẽ ait, *factum esse tanquam proprium corpus*, Trãſſubſtantiationem excludit, quæ facit, vt panis nõ ſit modò *tanquam corpus*, ſed ipſum reuerà Chriſti corpus.

DVRAEVS, Fol. 64.

Leo ſerm. 6. de Ieiunio: Sic ſacræ menſę communicare debetis, vt nihil prorſus de veritate corporis Chriſti & ſanguinis ambigatis. Hoc enim ore ſumitur, quod fide creditur: Et fruſtra ab illis Amen reſpondetur, à quibus contra id quod accipitur diſputatur.

WHITAKERVS.

38 Eutychem his verbis Leo perſtringit, à quo veritas corporis Chriſti ſublata eſt. Eam, vt alij Patres ſolent, argumento ab Euchariſtia ducto Leo confirmat. Eſt enim Euchariſtia veri, non ficti corporis ſacramentum. Qui ergo ad ſacram menſam accedunt, ijs nefas eſt de veritate corporis & ſanguinis Chriſti dubitare. Cùm ergo fide Chriſtum credamus corpus verum habuiſſe, hoc ipſum corpus, id eſt, huius corporis ſacramentum ore ſumimus. Quod enim ore accipimus, illud eſt myſticè ac ſacramentaliter, quod credimus, vt ſi contra illius corporis veritatem diſputare volumus, cuius verum viuumq́ue ſacramentum ab ipſo Chriſto inſtitutum ore noſtro ſumimus, Amen fruſtra reſpondeamus.

DVRAEVS, Fol. 64.

Damaſcenus lib. 4. ca. 14. de fide orthodox. Panis & vinum tranſ-

transmutatur. Et fecit hoc suum corpus & sanguinē. Non est figura panis & vinum corporis & sanguinis Christi. Absit enim hoc. *Theophylactus in ca. 21. Luc.* Panis qui à nobis in mysterijs manducatur non est, tantùm figura quædam carnis Domini, sed ipsa caro Domini. Transformatur enim arcanis verbis panis ille, &c.

WHITAKERVS.

39 De Damasceno ac Theophylacto, quos duos postremos adducis, parùm certè solicitus sum. Nam & recentes admodum sunt, & temporum suorum erroribus ac corruptelis laborant. Quare dabis mihi veniam, si istorum authoritatē non magni æstimem. Quando enim antiquos testes euocamus, & vetustatis monimenta consulimus, horum nulla ratio habenda est, qui præstantes illos priscæ Ecclesiæ Patres magno sanè interuallo sequuti sunt. Nec tamen difficile mihi esset, horum dicta commodè interpretari, si id necessarium existimarem. Damascenus enim cū panem & vinum figuram esse negat, id intelligit, quod Theophylactus disertè posuit: non esse tantùm figuram, quod ipsum à nobis semper affirmatur.

DVRAEVS. Fol. 64. 65.

Possem equidem his patrum testimonijs infinita adiungere alia. Sed pluribus hîc non agam, quin potiùs vt tu fidem liberes vrgebo. Feci ego Campiani nomine, quod postulasti, vicissimq; à te meo iure postulo, vt quod Patres crediderunt credas, quod docuerunt doceas, & in quo illi honore Eucharistiam habuerunt habeas: sic fidem præstitam præclarè liberabis.

WHITA-

40 Commodè facis, qui modum tandem liberalitati tuæ præſcribis, nec ſimul vniuerſam ſupellectilem exponis. Sed tamen nondum meo deſiderio ſatisfeciſti, ſiue hæc tua ſit nimiæ parſimoniæ, ſiue mea importunæ cuiuſdam auiditatis culpa. Nam à te iamdudum alia expectabam, & hæc mihi longè priùs ſuppetebant, quàm vel de te quicquam, vel de Campiano ipſo audieram. Nolim ergo me tibi aliquid debere exiſtimes, à quo ſum nullo beneficio affectus: tu præſta quod poſtulo, ego quod promiſi perſoluam. Agimus de ſenſu verborum, *Hoc eſt corpus meum*, quem ego figuratum, tu proprium eſſe contendis: Affers autem magnam teſtimoniorũ multitudinem, quibus nihil minùs euincitur, quàm quod demonſtrare inſtituiſti, quemadmodum ſi antè neſcieras, nunc ſaltem planè perſpicis. Ne verò putes ingratum eſſe me hominem, qui tuam liberalitatem contemnam, alio te dono remunerabo, & illis Patrum teſtimonijs tuis, quibus Tranſſubſtantiationem probare fruſtra conatus es, argumenta vera atque ἀποδεικτικὰ referã, quæ ſententiam verborum figuratam eſſe doceant, tuamq; Tranſſubſtantiationis Chimęram explodant. Vtar autem dialecticis ſyllogiſmorũ formis, vt breuior ſit, atque illuſtrior oratio.

Quod Chriſtus diſcipulos ſuos edere ac bibere iuſſit, id illi procul dubio ederũt ac biberũt: 1.
at panem & vinum illos edere ac bibere iuſſit, cùm diceret, *Edite, bibite*: ergo illi panem & vinum

vinum ederunt ac biberunt, atque ita per consequens verba hęc figuratè intelligenda sunt, & Transsubstantiatio excluditur. Assumptio manifesta est, quia quando Christus dixit, Edite, bibite, nondum verba consecrationis, quæ isti vocant, pronunciata fuerant.

2. Si post consecrationem panis frangitur, tum necesse est panem remanere : at Paulus panem
1. Cor. 10. 16 ait post consecrationem frangi, eumq; esse communionem corporis Christi : ergo post consecrationem panis remanet.

3. Si quando Christus ait, hoc est corpus meum, panem in corpus suum transsubstantiauit, tum
1. Cor. 12. 27 Paulus cùm dicit, vos estis corpus Christi, ipsos homines in Christum transsubstantiauit, cùm multò magis homines æquum est in Christum mutari, quàm panem : at consequens absurdum, ergo & antecedens.

4. Si sumimus in cœna corpus illud Christi, quod in virginis vtero conceptum & formatum fuit, quemadmodum isti docēt, tum Christi corpus simul ex substantia virginis & ex natura panis factum est, quia corpus hoc quod in cœna accipimus, ex pane fit vi Transsubstantiationis: at consequens blasphemum, ergo etiam antecedens.

5. Corpus Christi, quod sumimus in cœna, fit ex pane, corpus Christi quod sumimus in cœna crucifixum & mortuum est: ergo corpus Christi quod crucifixum & mortuum est fit ex pane, quo nihil absurdius dici potest.

6. Quisquis corpus Christi comedit, is Christi quoq;

quoq; ſpiritum percipit, quia Chriſtus non diſ-
ſoluitur, nec à corpore ſpiritus Chriſti ſeparatur:
quiſquis ad cœnam accedit, corpus Chriſti co-
medit, ſi panis in corpus Chriſti tranſſubſtantia-
tur: quiſquis igitur ad cœnam accedit, Chriſti
ſpiritum accipit, & per conſequens perire nullus
poteſt, qui cœnæ ſemel particeps fuerit.

Qui proprietates corporis Chriſti euertunt, 7.
ij corpus ipſum Chriſti deſtruunt: qui Chriſti
corpus in cœna collocant, & realiter adeſſe ſta-
tuunt, ij proprietates veri corporis tollunt: ergo
qui corpus Chriſti realiter in ſymbolis includũt,
ij corporis Chriſti veritatem euertunt, & Chriſto
nullum, aut fantaſticum corpus relinquunt.

Qui duas contradictorias propoſitiones ſi- 8.
mul eſſe veras affirmant, ijs nullo modo creden-
dum eſt, cùm id naturæ æterna lex nunquam pa-
tiatur: qui vnum & idẽ Chriſti corpus ſimul eſſe
veris humani corporis proprietatibus ac dimen-
ſionibus & præditum & priuatum confitentur,
quod Tranſſubſtantiatores faciunt, ij contradi-
ctorias duas ſimul veras eſſe ſtatuunt: horum igi-
tur ſententia prorſus repudianda eſt.

Si Chriſti corpus propriè à nobis in cœna ſu- 9.
mitur, tum Chriſti corpus propriè etiam tradi-
tur, nam Chriſtus ait, *hoc eſt corpus meum, quod
pro vobis traditur:* at conſequens impium eſt, igi-
tur & antecedens.

Si panis propriè in corpus Chriſti tranſſub- 10.
ſtantiatur, tum etiam in ſanguinem conuertitur,
& ſimiliter vinum non modò in ſanguinem, ſed
etiam in corpus mutatur, quia nec corpus ſine

ſanguine, nec ſanguis ſine corpore eſſe poteſt: ac hoc valde abſurdum eſt, nam tum altera ſpecies ſufficeret non tantùm populo, ſed ipſis etiam ſacrificis, & qui vtramq; ſumeret, bis Chriſtum comederet: ergo nulla eſt propria & naturalis tranſſubſtantiatio.

11. Si panis in corpus Chriſti tranſſubſtantiatur, & ore noſtro corpus Chriſti ſumitur, tum meliùs cum corporibus noſtris, quàm cum animis agitur, quia ſic corpora noſtra poſſunt Chriſti corpus *realiter* percipere, animi non poſſunt, cùm ſpiritus ſint, & corpora ſpiritibus miſceri nequeant: ac hoc inſulſum eſt, ergo illud.

12. Si Chriſtus ſuum ipſius proprium corpus diſcipulis tradidit, tum idem corpus ab eodem corpore tradebatur, & idem corpus ab eodem edebatur: ac hoc nullo modo fieri poteſt, ergo nec illud.

13. Si corpus Chriſti fit ex pane, tum hoc corpus, vel in noſtra corpora conuertitur, vel in nihilum recidit, vel in cælum auolat: at neq; in noſtra corpora conuertitur, tum enim nos in vnam cum Chriſto Hypoſtaſin coaleſcimus, neq; in nihilum abit, hoc enim horrendum eſt de Chriſti corpore cogitare, neque in cælum remigrat, quandoquidem in cælo antè fuit, ergo panis in corpus Chriſti minimè tranſſubſtãtiatur.

14. Aut panis natura remanet, aut accidentia ſine ſubiecto ſubſiſtere, & noſtra corpora nutrire poſſunt: vtrumq; ἀδύνατον eſt: ergo panis remanet.

15. Cum Chriſti corpore & ſanguine nullum miſceri venenum poteſt; cum his corporibus quæ

in

in cœna ſumuntur miſceri venena poſſunt, quemadmodum experientia docuit: hæc ergo non ſunt ipſum Chriſti naturale corpus & ſanguis. Quid alia perſequar innumera contra tranſſubſtantiationem argumenta, quorum ſingula certę demonſtrationis vim habent? Nec iſta à tuis refutata iampridem fuiſſe reſponderis, quę nullus vnquam Tranſſubſtantiator vera ſolidaq; reſponſione diluit.

DVRAEVS, Fol, 66. 67.

Quantò (inquis) rectius Auguſtinus, Scripturarum authoritatibus, non quorumcunque proprijs, ſed vtriuſq; communibus teſtibus, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione concertet. Harum nos (*inquis*) iudicio, non veſtro ſtare volumus. *Quàm hic ineptè, quàm ridiculè Auguſtinum citas? Qui ſcripturam communem eſſe veritatis teſtem voluit, tu iudicem. Auguſtino certè minimè vnquam dubium fuit Romani pontificis iudicium ſupremum in terris eſſe tribunal, ad quod omnes de religione controuerſiæ finirentur. Clariſſimè enim pronunciata Melchiadis aduerſus donatiſtas, & aduerſus Pelagium ac Celeſtinum Innocentij & Zozimi ſententia nullam in terris aliam eſſe expectandam cenſuit. Sed vt ad locum reſpondeam: cùm hæreticos cerneret Apoſtolicæ ſedis tribunal, & Concilij Niceni iudicium declinare, & iam ad ſcripturas, iam ad Ariminenſem prouocare ſynodum, non recuſauit fortiſſimus miles quibus vellent aduerſarij armis certare.*

WHITAKERVS.

41 *Ineptè* (inquis) & *ridiculè Auguſtinum citaui*: quamobrem Duræe? ſcripturam Auguſtinus teſtem eſſe voluit, ego iudicem facio. Verùm ſi teſtis ſcriptura fuerit, quem tandem iudicem huic teſti parē inueniemus? Eritne enim ſcriptura teſtis, iudex eccleſia? At iudex teſtem authoritate

ſuperat: ſic Eccleſiæ grauior erit, quàm ſcripturæ fides, & maius pondus authoritatis, quod tamen ipſi nunc affirmare præ pudore deſiјſtis. Scriptura Dei verbum eſt, ac proinde qui ſcripturæ iudex eſſe vult, is ſe Dei ipſius iudicem conſtituit, quique ſummum ſcripturis de religione iudicium derogat, hic Deum de ſolio ſuo detrudit. Quemadmodum autem Deus non modò teſtis eſt, ſed etiam iudex, ſic ſcriptura, quæ eſt Dei verbum ac voluntas, teſtis ſimul & iudicis authoritatem obtinet. Et quando Auguſtinus ſcripturis teſtimonium defert, non ſibi aut homini cuiquam, ſed ſolis ijſdem ſcripturis iudicium permittit. Sic alibi ſcribit Auguſtinus, *Iſta controuerſia iudicem quærit, iudicet ergo Chriſtus, & cui rei mors eius profecerit, ipſe dicat, Hic eſt, inquit, ſanguis meus qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Iudicet cum illo & Apoſtolus, &c.* In quo vides ſcripturis non modò teſtimonium, ſed etiam iudicium ab Auguſtino deferri. Et Baſilius *ſcripturam diuinitus inſpiratam* διαιτησάτω oportere ſcribit, id eſt, *ſuo iudicio litẽ tranſigere, vt apud quos inuenta dogmata fuerint diuinis ſermonibus congrua, ijs omnino veritatis ſuffragium deferatur.*

Auguſt. de nupt. & cõc. li. 2. ca. 33.

Baſil. ep. 80.

Romani verò pontificis iudicium Auguſtino ſummum in terris tribunal viſum eſſe nuſquam conſtat. Num enim æquũ eſſe cenſes, aut id Auguſtino in mentem veniſſe putas, vt vos pro tribunali iudices ſedeatis, Deus ipſe vobis inſeruiat, & teſtimonium vobis iudicantibus ferat? Contrà Auguſtinus. *Dominus* (inquit) *priùs per prophetas, deinde*

Aug. de Ciui. Dei l. 11. c. 3

deinde per ſeipſum, poſtea per Apoſtolos locutus, etiam ſcripturam condidit, quæ Canonica nominatur eminentiſſimæ authoritatis. Quid verò ſi Donatiſtas Melchiades; Pelagianos, Innocentius, & Zozimus damnauit, hoccine pontificis tribunal in ſummo gradu collocabit? Si ſemel legitimus aliquis iudex ſententiam pronunciarit, quis illam putabit eſſe repetendam? Ita minimè neceſſe eſt, vt eius in terris ſupremum tribunal ſit, cuius iudicio ſtare oportebit. Quòd autem reſpondes hæreticos Apoſtolicæ ſedis tribunal declinaſſe, mirum non eſt: erant enim illis temporibus hæreticorum hoſtes Romani pontifices, qui nunc ipſi & hæretici ſunt, & hæreticorum Patroni. Sed Arrianos Auguſtinus noluit vel pontificum, vel conciliorum authoritate premere, quanquam ſi hoc iudicium fuiſſet ab ipſo Chriſto in Eccleſia conſtitutum, nec illud hæretici recuſare, nec vti Auguſtinus aliquo meliore, quàm eo, potuiſſet. Cùm verò palàm & ſe in Niceno, & hæreticum in Ariminenſi Concilijs præiudiciũ quęrere debere negat, nec ſe illius, nec illum huius authoritate teneri affirmat, & totam controuerſiam ad ſolam ſcripturarum authoritatem traducit, perſpicuum eſt Auguſtinum Romani pontificis tribunal aut ignoraſſe, aut per ſummam contumeliam atque iniuriam contempſiſſe.

Auguſt. con. Maximi. lib. 3. cap. 14.

LIBER TERTIVS de Ecclesia.

DVRAEVS, Fol. 70.



Atholici (*inquis*) vestri turbulentis aliarum disputationum procellis iactati in isto Ecclesiæ portu libenter acquiescunt. *Bene habet, quòd Catholicos nos esse agnoscis. Sic enim maiores tui, id est hæretici omnes, Catholicos vocare consueuerunt. Magnum verò nobis crimen obijcis, quòd in Ecclesiæ portu libenter conquiescamus: quasi aduersus hæresium tempestates portus aliquis tutior inueniri possit. Ad Ecclesiæ nos portum recipimus, vt qui diluuio regnante in arcam Noë sese receperunt.* Ecclesia est enim, *vt elegantissimè Cyprianus scripsit*, cuius fœtu nascimur, cuius lacte nutrimur &c. *De vnit. Ecclesiæ.* Sed & nos (*inquis*) Ecclesiam tanquam matrem colimus. *Cur ad illam ergo non confugitis? cur illius authoritatem vos nunquam defenditis? Imò omni qua potestis arte illius authoritatem eleuare studetis, adeo vt ne ab horrendis blasphemijs interdum vobis temperetis, dum Christi sponsam falli, errare, decipi posse sceleratissimè contenditis.*

WHITAKERVS.

1 

I te nomen ipsum Catholici tantopere delectat, Duræe, hanc tibi voluptatem non inuideo, & te laruis tuis spectrísque pasci, quantum voles, facilè quidem patior. Dici enim vos Catholicos quid magnum aut præclarum habet, cùm nominum sit inanis vsurpatio, quando res ipsa nomini

nomini non respondet? Nunquam enim mihi venit in mentem, vt vos aliter Catholicos appellarem, quàm ὁμωνύμως, quemadmodũ exanim siccóque σκελετῷ, in quo præter ossa ac neruos nihil remanet, hominis tamen nomen tribui solet. Noli ergo de titulis ψευδωνύμοις gloriari, aut ipsam Ecclesiæ Catholicæ possessionem ad inane vacuúmque nomen alligare. Catholicus est non qui pontificiam ἀποστασίαν sequitur, sed qui Christi doctrinam profitetur: hanc si retines, Catholicus es: hanc si amittis, dici Catholicus potes, esse non potes. Nec vobis vitio verti, quod in Ecclesiæ portu conquiesceretis, quem vnicum salutis portum esse non ignoro: sed quòd Ecclesiæ nomen vestris erroribus prætexeretis. Quando enim vos clarissimis argumentis & scripturæ testimonijs conuincimus, vestrásque innumeras hæreses ac superstitiones palàm redarguimus, ad extremum cùm omnia deficiunt, Ecclesiam iactatis, vos Ecclesiam esse clamatis, & quicquid absurdissimè atque improbissimè docetis, Ecclesiæ ementita authoritate defenditis. Quod quanquam infirmum est, tamen vobis maximè opportunum videtur ad omnem errorum defensionem præsidium. Nihil ergo fuit, quamobrem hoc loco Ecclesiæ laudes celebrares, quas esse summas minimè profectò dubitamus: sed aliud est in vera Christi Ecclesia versari, aliud falsum fictumq; nomẽ Ecclesiæ vestris cõmentis prętendere. Quòd autem quæris, si nos Ecclesiam colimus, cur illius authoritate nunquã

nos defendamus, respondeo, qui scripturæ authoritate nituntur, eos Ecclesiæ etiam authoritate defendi. Quicquid enim Ecclesia authoritatis habet, totum à scripturis accepit, vt qui scripturas consentientes habent, nullam certè authoritatem desiderare possint.

Eleuari autem à nobis Ecclesiæ nomen quomodo persuades? Nimirum falli atque errare posse Christi sponsam affirmamus, quod tibi blasphemum etiam & sceleratum videtur. Orator tu quidem vehemens es, sed disputator parùm acutus. Num enim Ecclesiæ authoritatem eleuat, qui Deum esse Ecclesiam negat? An ij potiùs blasphemiæ meritò accusandi sunt, qui Deo ac Christo Ecclesiam exæquant? Etenim falli & errare nunquam posse, id soli Deo tributum est. Et quanquam Ecclesia est Christi sponsa, tamen quousque in terris à sponso peregrinatur, nõdum summam fælicitatem, atque errorum & peccatorum immunitatem adepta est. Cùm autem in multis rebus errare fallique Ecclesia potest, tum in mortifero errore ad finem persistere non potest. Quid enim? nonné Ecclesia Hierosolymitana ex Apostolis & discipulis collecta Christi vera sponsa fuit? Certè aut hanc Christus sponsam, aut nullam habuit. Et tamen hæc Christi sponsa errauit, cùm sponsi sui terrestre quoddam regnum somniaret, & pòst etiam cùm gentium vocationem ignoraret, nisi fortè alijs omnibus Petrus indoctior erat, quem in isto errore versatum esse manifestum est. Sed hic & Petri & omnium error fuit, quàm magnus nihil refert,

fert,tamen error fuit, & certè non minimus. Aut ergo doce,qui errant,non errare: aut Christi sponsam erroribus quibusdam duci posse confitere.

DVRAEVS, Fol.71.

His(*inquit Campianus*) proprietatibus delineant Ecclesiam,quæ penitus ipsam occulant,& tanquam Ideam Platonicam secretis obtutibus hominum perpaucorum subijciant.*Tu respondes*,Ecclesiæ proprietates illas ascribimus,quę veram Ecclesiæ naturam continent, quæ, si adsunt, Ecclesiam constituunt, & tollunt, si auferantur. *Addis deinde*,Id nos veræ Ecclesiæ proprium esse iudicamus, vt verbum Christi audiat, & conseruet, vt sacramentis integrè puréque vtatur.*Hac responsione tenebras vestris sectatoribus offunditis.Non his tanquam notis Ecclesia quærenda est, sed hæc ipsa ab Ecclesia discenda: Sic enim Isai.2.* Erit nouissimis diebus præparatus mons Domini &c. *Nos in tenebris versamur, Ecclesia nobis facem præferat est necesse.Irenæus lib.3.c.4.*Quid(*inquit*)si de aliqua modica quæstione disceptatio orta fuisset,nonné oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias? *Et Tertullian.de præscrip.* Quid prædicauerint Apostoli, quid illis Christus reuelauerit, & hîc præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias,quas ipsi Apostoli condiderunt.

WHITAKERVS.

2 Ecclesiæ veras propriasque notas in verbi doctrina, & sacramentorum administratione constitui cùm negas, quid aliud facis,quàm Ecclesiam extra scripturas quæris, & non Christi Ecclesiam,sed nescio quā Synagogam à Christo alienam consectaris?Si enim Ecclesia est Christi ouile,Christique oues Christum pastorem suum

Ioan.10.4. 16. audiunt, Christus autem extra scripturam oues suas non alloquitur, necesse est eam esse Christi veram Ecclesiam, quæ Christi doctrinam in verbo traditam conseruat & tuetur. Deinde si Ecclesia fidelium cœtus est, fides verò nascitur
Rom.10.17. ex audito verbo: sequitur verbum Dei non modò notam, sed etiam causam esse & principium
Luc.16.29. 31. Ecclesię. Diuiti Abrahamus respondit, *Habent Mosen, & Prophetas: audiant eos.* Qui ergo cælestem doctrinam expetunt, solas scripturas audire, nihil præter eam desiderare debent. *Si enim Mosen & prophetas non audiunt, ne si quidem quispiam ex mortuis excitetur, assentientur.* Dedit Apostolis in mandatis Christus, vt gentes omnes docerent quæ ipse præcepit, ex quo Christi doctrinam Ecclesiæ notam esse constat. Hæc enim doctrina quam Christus Apostolis tradidit, Apostoli gentes docuerunt, Christianorum Ecclesias ab alijs hominum so-
Act.2.24. cietatibus distinxit. Quare in Actis Lucas scribit Christianos in doctrina Apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & precibus perdurasse: in quo vides Apostolorum doctrinam huius Ecclesiæ indicem extitisse.
1.Cor.4.15. Paulus ait, *In Christo Iesu per Euangelium ego vos genui*: ergo per Euangelium Ecclesiæ & generantur, & conseruantur. Eamque ob cau-
Ephes.2.20. sam Paulus Ecclesiam in Apostolorum & prophetarum fundamento positam esse, illud autem fundamentum Christo ipso niti affirmat. Si doctrina Apostolica ac prophetica est fundamentum Ecclesię, & fundamẽto conuulso totum ædificium

ædificium concidit, qui hanc doctrinam negat esse notam Ecclesiæ, perinde facit, ac si ædificium sine fundamento constituat. Si verò fundamentum totam ædificij molem sustinet, tum doctrina Apostolorum & Prophetarum Ecclesiam continet, ac conseruat. Cùm autem defectio à fide, falsæq; doctrinæ professio falsam Ecclesiã indicet, euincitur verã Ecclesiã veræ doctrinæ prædicatione cõprobari. Regnum cælorum Christus cõparat *homini semen bonũ in agro suo serenti:* Vbi ergo hoc semen diuini verbi spargitur, ibi cælorum regnum & Domini agrum esse constat. Præterea, si ille est perfectus minister, qui doctrinam scripturæ didicit, eamq; populo proponit, tum illam esse veram & perfectã Ecclesiam efficitur, qui hanc eandem doctrinam recipit ac tuetur. Dominus ait, *Hæc est sapientia vestra ante oculos populorum:* si ergo Iudæos diuinæ legis obseruatio cunctis populis sapientiores effecit, perspicimus Dei verbo Ecclesiam illustrissimè demonstrari. Irenæus egregiè scripsit, *Euangelium in scripturis Apostoli nobis tradiderunt, columnã & firmamentum fidei nostræ futurũ.* Et Augustinus, *Ciuitatẽ Dei dicimus, cuius scriptura testis est.* Si scriptura Ecclesię testis est, notã esse Ecclesię scripturã negari nõ potest. Et alibi Augustinus, *Vbicũq; timetur Deus & laudatur, ibi est Ecclesia Christi.* Nusquã autem aut timetur aut laudatur Deus, nisi vbi Dei verbum prædicatur. Et iterum, *Ecclesiam in scripturis sanctis Canonicis debemus agnoscere, non in varijs hominum rumoribus & opinionibus & factis, & dictis, & visis inquirere.* Et in alio loco idem

1.Tim.4.1.

Mat.13.24.

Deut.4.6.

Irenæ lib.3. cap.1.

August. de Ciuit.Dei, li. 3. cap.1.

In Psal.21. exposit.2.

De vnit.Ecclesiæ. c.16.

Augusti-

De Ciui. Dei lib. 6. c. 3. Augustinus, *Vera religio non à terrena aliqua ciuitate instituta est, sed planè cælestem ipsa instituit ciuitatem.* Si religio instituit cælestem ciuitatem, hoc est Ecclesiam, multò magis hæc eadem religio Ecclesiam indicat. Et Hieronymus, *Ecclesia non in parietibus consistit, sed in dogmatum veritate: Ecclesia ibi est, vbi fides vera est.* Quid dici illustrius potuit? Et Ambrosius, *Si qua est Ecclesia, quæ fidem respuat, nec Apostolicæ prædicationis fundamenta possideat, deserenda est.* Vnde perspicuum est fide & Apostolica prædicatione Ecclesiam Catholicam ab hæretica internosci. Quæ cùm ita sint, num tenebras sectatoribus nostris offundimus, quando ex scripturis agnosci Ecclesiam docemus? *Imò* (inquis) *non his tanquam notis quærenda Ecclesia est, sed hæc ipsa ab Ecclesia disci debent.* Acutè, vt soles. Qualis enim hæc tua argumentatio est, verbum Dei discitur in Ecclesia, ergo verbum Dei non est nota Ecclesiæ? Num enim sequitur, quia verbum Dei nusquam nisi in Ecclesia verè annunciatur, & sacramenta purè administrantur, proinde his notis Ecclesiam non esse quærendam? Multò melius contrà valet, quia non alibi quàm in Ecclesia purus sacramentorū vsus, & legitima verbi prædicatio reperitur, idcirco his indicijs veram Ecclesiam demonstrari: si enim Aristotelis philosophiam nulli nisi Peripatetici profitentur: ergo Peripateticos hęc disciplina ostendit, atq; ab alijs philosophorum sectis distinguit.

Hierony. in Psal. 133.

Ambros. in Luc. li. 6. c. 9.

Quod autem Esaias de monte Domini vaticinatur, quomodo potes ad causam tuam accom-

commodare? Quid si enim ad montem Domini gentes omnes confluent, & sese ad domum Dei Iacob conferent, vt doceat illos Dominus vias suas? Quis Dei vias in domo Domini discendas esse nescit? Sed quæ causa gentes impulit, vt ad hanc Dei domum conuenirent? Eam propheta subiungit, *Nam Sione prodit doctrina, & verbum Iehouæ Ierosolymis.* Sic ex doctrina verboq; Iehouæ agnosci & coli Ecclesiam vides. *Nos verò* (inquis) *in tenebris versamur*: At verbum Dei, quemadmodum propheta ait, *Lucerna est pedibus nostris, & lux itineri nostro.* Nec ipsa Ecclesia aliquid habet lucis aliunde, quàm ex hoc eodem Dei verbo: non enim sua, sed aliena luce lucet. Iræneum & Tertullianum fateor ad antiquissimas Ecclesias prouocare: id ipsum nos etiam facimus, & vestram Ecclesiam ab apostolica antiquissima Ecclesia damnari millies ostendimus. Tu verò non ad illas antiquas, sed ad tuam Romanam recentissimam Ecclesiam omnium controuersiarum disceptationem reuocas. Est autem considerandum quales illi hæretici fuerint, quos hi patres Ecclesiæ authoritate premebant, nempe eiusmodi, qui scripturas minùs curabant. Quare hos hæreticos doctissimi Patres Ecclesiarum illarum, quæ ab ipsis Apostolis institutæ fuerant, quæque Apostolicam doctrinam fidelissimè semper seruauerant, testimonijs refutarunt. Vestra planè alia ratio est.

Esai. 2. 3.

Psalm. 119. 105.

DVRAEVS, Fol. 72. 73.

Quid est aliud ex illis notis Ecclesiam inuestigare, quàm obscurum

rum per obscurius quærere? Nam Ecclesia notior est, quàm verus sacramentorum vsus, & legitima verbi prædicatio, vt infantulus nisi inuenta nutrice, oreq; vberibus admoto, lac quo nutriatur nunquam inueniet. Si quis quærat ex vobis, quibus notis doctrinam sanam à corrupta, & à legitimo sacramentorum vsu adulterinum discernat, ad scripturas, opinor, illum remittetis. Et quid est aliud scriptura, quàm ipsum Dei verbum? Verbum ergo ex verbo inuestigabit. Ad extremum eas esse Ecclesiæ notas oportet, de quibus inter eos, qui omnibus anteactis seculis floruerint, ac eos qui nunc viuunt, controuersia nulla sit, quæ claræ sint, & adeo propriæ ac peculiares, vt ne ab alia Ecclesia probabiliter vendicari possint. Quæ tàm absurda ac phanatica secta est, quæ non vestras has notas sibi summa arrogantia vendicet?

WHITAKERVS.

3 Ecclesiam velle ex scripturis dijudicare, id tibi perinde videtur, atque obscurum per obscurius quærere. Quasi scriptura magis obscura sit, quàm Ecclesia, & meliùs ex Ecclesia scriptura, quàm ex scriptura Ecclesia cognosci possit. Hoc verò absurdum est, atque ab omni sano veroq; iudicio alienum. Etenim si non in externa hominum corpora, sed in ipsam Ecclesiæ veram naturam inspicere volumus, scripturam Ecclesia multò notiorem atque illustriorem reperiemus. Scriptura enim Ecclesiam procreat, atque efficit, & tum demum aliquid cognoscimus, quando causam perspectam & cognitam habemus. Deinde Ecclesiæ variæ & multiplices sunt, scriptura constans, stabilis, & sibi semper similis. Postremò, si quando fuit de scripturis dubitatum, multò tamen maiores semper de Ecclesia dubitationes extiterunt. Nam scripturam Canonicam ferè omnes agnoscunt, de Ecclesia interim quæstiones multas, dubiasq; controuersias

sias agitant. Huc etiam accedit, quod scriptura regula sit, eaq; de causa Canonicæ nomen habet: regulam verò rectiorem atq; certiorē esse oportet, quàm quod ad regulā exigitur. Ex quibus efficitur Ecclesiam esse scriptura obscuriorē, non contrà, vt tu affirmas, clariorem. Nam quod de nutrice & infantulo affers, etsi non nego verbi ac sacramentorum fructum nusquam nobis præterquam in Ecclesia constare, quēadmodū infantulus ex nutricis vberibus pēdet, & lacte illo alitur, quis tamen nō videt teipsum hoc tuo exēplo palàm refutari? Si enim vis nutricē quærere, quam notam adhibes, ex qua nutricē agnoscas? Nonnè hæc ipsa lactis copia nutricem & facit, & tibi indicat ac prodit? Sic quando cælestem nutricem desideramus, eam non aliter quàm ex diuino puroq; lactis fonte exquirimus.

Verùm sic fiet, inquis, vt cùm verā verbi prędicationē ac purum sacramētorū vsum ex scriptura quærimus, & scriptura nihil aliud est quā verbū Dei, verbū ex verbo inuestigemus. Hoccinè tibi ridiculum videtur verbum ex verbo inuestigare? Cur tu igitur Ecclesiā non ex verbo, sed ex Ecclesia agnoscēdā esse doces? Si enim Ecclesia potest ex Ecclesia cognosci, quid ni verbum etiā ex verbo percipi posse cēseamus? *Sed notas Ecclesiæ eiusmodi* (inquis) *esse oportet, de quibus inter omnes conuenit, & quæ propriæ sunt, nec possunt ab alia Ecclesia probabiliter vendicari.* Fateor, & nostræ tales sunt, vestræ non sunt. Nā & quæ scriptura sit ignotū non est, & qui dissentiunt, ex ipsis scripturis facilè refelluntur, & scriptura sic est verę ecclesię propria,

omnia frequentes ire perſpiciam, multò magis alienus ſum. Petrum enim ſcriptura circumciſionis, hoc eſt, Iudæorum Apoſtolum fuiſſe teſtatur: & cum Paulo Petrus eiuſmodi pactum inijt, vt ille apud Gentes, hic apud Iudæos munere Apoſtolico fungeretur: Romanum ergo fuiſſe Epiſcopum Petrum, idque tam multis annis, cum Petri inſtituto, fideque pugnat. Venit Romam Paulus, ad eum mox Iudæi accurrunt, ſeque planè rudes & imperitos Chriſtianæ religionis oſtendunt: itaque ſe Paulo informandos tradunt. Id fieri minimè potuiſſet, ſi tam multis antè annis Romanam Eccleſiam Petrus rexiſſet. Moratur Romæ biennium Paulus, & multas inde varijs temporibus Epiſtolas ſcribit, in quibus cùm multos fratres nominat, tum de Petro nunquam meminit. An Petrum biennio abfuiſſe à ſua Eccleſia credamus? Viginti poſt Chriſti aſcenſionem annis fuiſſe in Iudæa Petrum ex ſcripturis conſtat: at illum Romæ tunc eſſe oportebat, ſi quod fidelem Epiſcopum decuit, facere vellet, niſi quem ille vicarium reliquerit, docere potes. Quid quòd hiſtorici in tanta opinionum varietate verſantur, vt quem potiſſimùm ſequaris neſcias. Alij enim Romam veniſſe Petrum ſcribunt Claudij anno primo, alij ſecundo, alij quarto, alij decimo tertio: quarum opinionum vt nulla vera ſit, fieri poteſt; vt omnes ſint veræ, non poteſt. Huc accedit, quòd antiquiſſimi patres etſi fuiſſe Petrum Romæ ſcribunt, eum tamen Epiſcopum Romanæ Ecclesiæ

Gal.2.7.9.

Act.28.22.23.

Galat.2.1.11.

clesiæ non vocant. Irenæus ad hunc modum scribit, *Fundantes igitur & instruentes beati Apostoli*(Petrus &Paulus)*Ecclesiam,Lino Episcopatum administranda Ecclesia tradiderunt.*Sic Tertullianus, *Smyrnaeorum Ecclesia Polycarpum ab Ioanne collocatum refert, sicut Romanorum Clementem à Petro collocatum.* Primus ergo Romanorum Episcopus aut Linus, aut Clemens extitit, quemadmodum Smyrnæorum Policarpus: nec magis Romanorum Petrus, quàm Smyrnæorum Ioannes Episcopus fuit. Et verò cùm Apostolus esset Petrus, Episcopus esse nec debuit nec potuit. Nam Episcopi certas sedes obtinent, Apostoli nullis præficiuntur certis Ecclesijs. Facere ergo ex Apostolo Episcopum multò magis ineptum est, quàm si pontificem Romanum esse aliquem parochum aut curionem dicas.

Irenæ.lib.3. ca.3.

Tertullian. de præscript.

DVRAEVS, Fol, 202.

Ludis in Babylonis nomine, & quasi opportunum caninæ tuæ facundię exercendę locum nactus, Romanæ Ecclesię impudentissimè tribuis, quod Apostolus Petrus, & in Apocalypsi Ioannes non nisi de vrbe ipsa Romana à fide Christi adhuc abhorrente, & Christianos persequente dixit.

WHITAKERVS.

23 Si lusi, ludentem mitiùs tulisses. Caninam verò facundiam non agnosco, nisi canina sit, quæ tuum pontificem nonnihil momordit.

Dici

Dici Romã à Petro Babylonem, id verò tantum abest vt dixerim, vt planè & penitus negarim. Petro enim causa nulla fuit μεταφορικῶς loquendi: at Ioannes antichristi mysterium in Apocalypsi narrans minimè mirum est, si ascitis mysticisque vocabulis vtatur. A Ioanne autem non Romam à fide abhorrentem & Christianos persequentem, qualis ea fuit tempore primæ ecclesiæ, sed Romam ab Antichristo instauratam describi satis manifestum est. Cùm enim scribit, *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, & facta est domicilium dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ*, quis hoc non videt de antiqua Roma non intelligi, quæ quando à fide abhorrere, & Christianos persequi desijt, sanctorum potiùs domicilium quàm dæmoniorum, spiritus sancti quàm immundi custodia extitit? Et nescis Romam à patribus dici Babylonem, non tantùm mutatis principibus, sed imperio etiam Constantinopolin translato, Roma euangelium profitente, nullum Christianum persequente? Hieronymus Romam quasi trito proprioq; nomine Babylonem vocat: sic Augustinus, sic Orosius, sic multi deinceps alij, quos si canina facundia vsos esse dixeris, teipsum verè κυνικὸν ostenderis.

Apocalyp. 18.2.

Hierony. ad Asellam, & lib. 2. contra Iouinian.

DVRAEVS, Fol. 203. 204.

Non id ait Caluinus (*inquis*) nihil omnino in vlla parte fidei mutatum fuisse. *Non id ait, Whitakere? vereor equidem ne, vt estis nouarum rerum cupidissimi, non modò nouam nobis ex lacu Lemano Theologiam aduexeritis, verùm etiam*

nouam

nouam alicubi Grammaticam cudatis. Veram Christi ecclesiam esse fateris, quæ ab Euangelica doctrina digreditur atque aberrat, quo quid dici absurdius potest?

WHITAKERVS.

24 Nostra Theologia non ex lacu Lemano emersit: sed è sacrarum literarũ purissimis fontibus emanauit: Vestra verò tandem in illum lacum ex quo hausta est redundabit. De Caluino satis antè responsum fuerat, si tu posses in vera respõsione acquiescere. Nunquam enim ostendes aliam Caluino fuisse mentem, quàm quæ à me proposita fuit, de qua quid attinet amplius litigare? Ecclesiam Christi veram agnosco, quæ nonnullas à doctrina Euangelica digressiones aberrationesque habet, quòd multarum ecclesiarum exemplo confirmatur. Iudaïca enim ecclesia & si multis erroribus sæpe laborauit, ecclesia tamen Dei esse minimè destitit. Ita quanquam Corinthij, ac Galatæ ab Euangelica doctrina 1.Cor.1.2. mognopere deflexerant, Corinthiorum tamen Gal.1.2. & Galatarũm ecclesias Paulus salutat. Sed quando tu alios absurdos esse dicis, tum plerumque ipse es absurdissimus.

DVRAEVS, Fol. 205.

Quòd Syricium legis de cælibatu anthorem facere videris, est quidem hic error vt turpissimus, ita cum multis tibi præceptoribus tuis communis. Vt antiquissima concilia, pontificumq́, illorum, qui Syricium antecesserunt decreta prætercam, apertissimus est Carthaginensis synodi canon, qui rem hanc inter Apostolicas traditiones recensent. Carthag.2. can. 2. Sic Clemens in Epistola

ad Iacobum fratrem Domini. Ac ne apud Græcos quidem ipsos, Sacerdotes vxoribus quas ante Sacerdotium duxerant vti consueuerunt, Epiphan. Heres. 59. Hinc Hieronymus antiquissimum hunc Ecclesiæ morem pro argumento affert contra Vigilantium.

WHITAKERVS.

25 Primus impiæ legis lator Syricius fuit, quemadmodum ex Gratiano manifestum est. Quanquam enim multi Sacerdotes ante Syricium sponte sua cœlibatum amplexi sunt; nullis tamen coniugium, quæ eo carere nollent, lege prohibitum fuit. Nam Carthaginense 2. Concilium Syricij huius tempore habitum est, cuius etiam interpretationem pete ex sexta Synodo. Clemens verò tuus non ignoras quàm nullius precij sit. Ab Apostolis autem institutum & præceptum esse perpetuum ministrorum cœlibatum, ne longiùs abeam, ex ipso Gratiano apertissimè refellam, apud quem sic Augustinus loquitur, *Copula Sacerdotalis, nec legali, nec Euangelica, nec Apostolica authoritate prohibetur*. Et Stephanus Papa ait: *Aliter se orientalium traditio habet Ecclesiarum: aliter huius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Nam earum sacerdotes, diaconi, aut subdiaconi in matrimonio copulantur*. In illo verò loco planè obmutescas est necesse, *Coniugia sacerdotibus ante prohibitionẽ vbiq; licita erant: & in orientali Ecclesia vsque hodie eis licere probatur*. Si vera ista sint, quæ sunt verissima, pudeat te posthac Apostolos tam turpis & inhonestæ legis authores affirmare. Græcos autem sacerdotes ab vxoribus, quas ante sacerdotium duxerant,

Constanti. 6. can. 13.

26. q. 2. c. Sors.

Dist. 31. Aliter.

Dist. 56. Cenomanensem.

duxerant, abſtinuiſſe, prorſus incredibile eſt, cùm ſatis conſtet in Niceno concilio huic legi à Paphnutio interceſſum eſſe, nec Græci vnquã ſibi iſtum cœlibatus laqueum hactenus imponi permiſerint. Quid quòd ipſe Epiphanius teſtatur multos etiã maritos factos eſſe presbyteros, quod quanquam minimè probat, ipſos tamen presbyteros nec adulterij accuſat, nec cenſet à ſuis Eccleſijs remouendos? Spiridionem Sozomenus Trimithimtis Epiſcopum ſcribit *vxorem, & liberos habuiſſe*. Nec propterea quicquam ad res diuinas obeundas factum fuiſſe ineptiorem. Athanaſius diſertè ſcribit, *Epiſcopos liberorum patres nouimus*. Sed illa ſexti concilij ſanctio, quam etiam Gratianus recitat, totum hoc quorundam de Apoſtolica traditione commentum facilè diſcutiet, remq́; omnem expediet. Nam & presbyteris & diaconis matrimonium permittunt, *antiquum ſequentes canonem Apoſtolicæ diligentiæ: & ſi quis præſumpſerit, contra Apoſtolicos canones aliquos presbyterorum & diaconorum priuare contractu & communione vxoris legitimæ*, excommunicandum iudicant. Hieronymus morem antiquum, ſed nec Apoſtolicum, nec perpetuum adducit. Sic enim ſcribit, *Eliguntur mariti in ſacerdotium, non nego*. Iterum, *Quomodo, inquies, frequenter in ordinatione ſacerdotali virgo negligitur, & maritus aſſumitur?* Itaque deſine tandem impuram Syricij tui legem, & Dei, & Chriſti, & Apoſtolorum inſtitutis contrariam defendere.

Epiphan. Hæreſ. 59.

Sozomen. li. 1. c. 11.

οὐ παρὰ τοῦτο τὰ θεῖα χείρων.

Athanaſ. ad Dracõtium.

Diſt. 31. Quoniam.

Hieronym. aduerſ. Iouinian.

DVRAEVS. Fol. 206.

Quod ad Timotheum scribit Paulus, in nouissimis diebus discessuros quosdam à fide, qui inter cæteras dæmoniorum doctrinas etiam nubere prohibebunt. Quis vnquam Catholicus malas esse nuptias affirmauit? Manichæos igitur, Gnosticos, Encratitas, Tatianos, aliosq; id genus hæreticos Paulus cauendos docet. Ecclesia ciuilia iudicia non prohibet, cùm vt illis abstineant Ecclesiasticis ministris præcipit.

WHITAKERVS.

26 Quod quæris, quis vnquam Catholicus nuptias esse malas affirmauit, facilis est responsio. Nam Syricius tuus, & Innocentius quando ministros à nuptijs deterrent, ijs argumentis vtuntur, quæ aut nuptias omnino damnant, aut nihil concludunt. Quando enim disputant Sacerdotibus non licere matrimonium contrahere, quia debent esse Templum & vasa Domini, & spiritus sancti sacrarium, ac proinde eos non oportere cubilibus & immũditijs inseruire: quia sancti esse debent: quia carnali concupiscentia contaminantur, & coinquinatis nihil est mundum: quia qui in carne sunt, Deo placere non possunt: quid quęso aliud faciunt, quàm nuptias omnino malas, impuras, sceleratas esse statuunt? Iam ergo hos Pontifices nega esse Catholicos, à quibus tam profanè atque impiè sanctum Dei institutum contumeliosissimis verbis damnatur. Contrà Paulus doctrinam illam, qua nuptiæ

Dist. 28. Decernimus. Dist. 31. Tenere. Dist. 28. Proposuisti. & Plurimos.

nuptiæ

nuptiæ prohibentur, à dæmonijs inuentam esse docet: in quo quicunq; tandē nuptiarū libertatē tollunt, diabolicæ perfidię damnat. Nam ista ad priscos tantùm hæreticos torquere insulsum est, quasi Paulus personas, non rem ipsam spectarit: aut doctrinam primis temporibus inseruientem, non perpetuam tradiderit. Deinde non illos modò Paulus perstringit, qui nuptias damnāt & malas esse pronuntiant, sed qui prohibent. Quanquam autem se penitus damnare nuptias Pontifex negat, quin tamen prohibeat, suisque mancipijs nuptias interdicat negare non potest. Rectè Hieronymus, *Nota est Antichristi prohibere nuptias.* Et Manichæi non plebe, sed in electis suis, maiorem sanctitatem & religionem profitentibus improbabant. Nec Montanus nuptias ἁπλῶς damnauit, sed quasdam nuptiarum relaxationes direptionesque introduxit. Itaque non minùs papistas Paulus quàm Manichæos, aut Cataphriges cauēdos esse docuit. Tuum verò de prohibita ministris Ecclesiasticis ciuilium iudiciorum administratione exemplum valdè fuit alienum. Nam primùm si ministris iudicia ciuilia prohibentur, cur à Pontificis ministris exercentur? Deinde iudicia nec omnibus necessaria sunt, & non nisi certis hominibus à Deo mandantur: at nuptiæ nec populo nec ministris à Domino prohibentur, & omnibus necessariæ sunt qui dono continentiæ carent.

1. Timo. 4. 3.

Hieron. in Daniel. 11. August. Epist. 74. Eusebius lib. 5. c. 17. διδάξας λύσεις γάμων.

DVRAEVS, Fol.207.

Iam quòd honorabile coniugium in omnibus idem Paulus pronunciat, etsi ad res potiùs, quàm ad personas spectare videtur, tamen vt de hominibus etiam intelligamus, nemo adeo cæcus est, qui non facilè videat Paulo iudice maiorem cœlibatus quàm coniugij honorem censeri. Quamobrem qui cœlibatum Deo liberè vouet, is nihil de matrimonij honore detrahere, sed suadente Paulo præstantiora amplecti dicendus est. Si honorabile coniugium etiam in ijs existimes, qui post votam Deo virginitatem ad nuptias conuolant, Chrysostomum audi epist.6. ad Theodor. lapsum. Eadem est Hieronymi sententia, lib.1. contra Iouinian. Sic Basilius lib. de vera virginit. Et Augustinus, de bono viduit. c.8. & 9. I iam cum tuo Caluino, & oblatum Deo continentiæ votum Apostolicæ doctrinæ repugnare clamita.

WHITAKERVS.

27 De cœlibatus voto suprà tibi respondimus, vt non sit necesse in istis κοκκυσμοῖς refutandis rursus operam tempusque insumere. Maiorem Paulo iudice cœlibatus, quàm coniugij honorem censeri, ex quo tandem Pauli iudicio intelligis? Num dixit vnquam Paulus honorabilem in omnibus esse cœlibatum, quemadmodum de coniugio Apostolus clarissimè pronunciauit? Equidem si quod eiusmodi de cœlibatu, quale hoc est de coniugio iudiciũ extaret, nemo vestram insolentiã atque importunitatem ferret. Laudat quidem in ijs cœlibatum Paulus, quibus coniugio carere posse Dominus dedit: at simpliciter coniugio cœlibatum præferri nunquã

Hebr. 13.4.

certè

certè iudicauit. Qui enim cœlibatum vouerunt, & interim tum mentem cogitationibus impurissimis contaminant, tum corpus æstu horrendo ac nefario flagrare sentiunt, seque totos fœdissimis modis polluunt, horum perpetuum cœlibatum Apostolus nunquam aut præcepit, aut probauit. Impius sit oportet, qui tale aliquid de Apostolo fingat. Iam dicti illius apostolici sententia, quàm latè pateat, facilè constabit. Cùm enim *honorabile coniugium* ἐν πᾶσι pronunciat, id de quibusuis personis intelligendũ esse minimè dubium est. Cùm enim morbus cuiuis hominũ generi communis sit, remedium etiam omnibus similiter commune esse debet. Si est enim coniugium, vt verè affirmat Lombardus, post lapsum hominis *remedium*, quod ante lapsum duntaxat *officium* fuit, ad omnes certè coniugium pertinet, qui illo remedio opus habent. Qui ergo certos hominum gradus à coniugio excludunt, ij quosdam communi remedio priuant, quod dominus præscripsit omnibus, quóque illos vti voluit. Cùm dixit Deus, *Non est bonum hominẽ esse solum:* *Gene.2.18.*
& *crescere ac multiplicari homines iussit*: cùm *Gene.1.28.*
Christus docuit, *non omnibus datum esse* vt ca- *Mat.19.11.*
stam viuant in cœlibatu vitam: cùm Paulus affirmat, *melius esse Matrimonium contrahere, quàm* *1.Cor.7.9.2*
vri, & præcipit vt *propter scortationẽ quisque suam vxorem habeat*: num ista quæ palàm ad gradus hominum vniuersos pertinent, non nisi quibusdam tribuemus? Quasi genus aliquod hominum sit, quos præstet semper esse solos, qui communi morbo careant, qui incontinentes esse ne-

queant, qui nunquam vrantur, qui coniugio non indigeant. Si tales miniſtri ſunt, viuant perpetuò cœlibes: ſi non ſunt, quod omnes intelligunt, ſibi illa etiam à domino dici fateantur. Atque hoc ex ipſis Apoſtoli verbis manifeſtum eſt. Cùm

Hebr.13.4. enim dixiſſet, *Honoratum in omnibus coniugium & cubile impollutum*, mox ſubiungit, *Scortatores autem & adulteros damnabit deus*. In quo quis non videt eò has coniugij laudes ſpectare, vt omnes à ſcortatione & adulterio deterreantur? In omni ergo hominum gradu honeſtum eſt & honoratum coniugium, in quo ſtuprum atque adulterium turpe eſt & flagitioſum. Aut ergo miniſtris impium non eſt ſtupra & adulteria committere, aut illis legitimum eſt ac laudabile in caſto matrimonio viuere. Itaq; Apoſtolus talem epiſco-

Tit.1.6. pum eligi præcipit, qui ſit inculpatus, *vnius vxoris vir*. Igitur in epiſcopo culpa non eſt coniugium. Si mihi minus credis hoc modo diſputanti, Chryſoſtomum audi de his Apoſtoli verbis ſcri-

Chryſoſt. in Titum homil.2. *οὕτω τίμιον, ὡς μετ' αὐτοῦ δύνασθαι καὶ ἐπὶ τὸν ἅγιον ἀναβαίνειν θρόνον.* bentem: *Oſtendit matrimonium non eſſe impium, ſed ita honoratum, vt cum eo aliquis poſſit in ſanctum thronum aſcendere*. Poteſt ergo qui eſt maritus, eſſe etiam epiſcopus: vt ſacerdotium & coniugium non ſint, quemadmodum in ſtercoreo illo pontificum iure perſcribitur, *incompatibilia*.

Leo epiſt. 87. ad epiſcop. African. Atque id etiam ex Leone pontifice Romano intelligimus, cuius hæc verba ſunt: *Dicente Apoſtolo vt inter alias electionis regulas is epiſcopus ordinetur, quem vnius vxoris virum fuiſſe aut eſſe conſtiterit, tam ſacra ſemper habita eſt iſta præceptio, vt etiam de muliere ſacerdotis eligendi eadem in-*

tel-

telligatur seruanda conditio. Et mox, *Euidenter est definitum, vt virginem sacerdos accipiat, & alterius thorum nesciat coniugis, quæ vxor est futura pontificis.* Vxorem igitur pontifex Romanus episcopo permittit, sed virginem. I nunc cum tuo pontifice, & ministrorum nuptias nega, si potes à sacris literis, sanctisque patribus approbari.

DVRAEVS. Fol. 208. 209.

Quæ tua impudentia est, audes dicere, vt Samnium olim in ipso Samnio inueniri non potuit, ita Romanam ecclesiã in ipsa ecclesia Romana inueniri omnino non posse. Nulla vnquam hæresis hanc ecclesiã oppugnauit, de qua triumphum illa non egerit. Quis ignorat, quod de Donatistis à Melchiade Romano pontifice damnatis Augustinus scripsit? quod de Iouiniano Hieronymus? de Pelagio quondã Britanno Prosper? Verissimè hanc esse ecclesiã Cyprianus dixit, cuius fides Apostolo prædicante laudata est, & ad quam perfidia non possit habere accessum. *Epist.* 55.

WHITAKERVS.

28 Impudentiæ crimen non agnosco: conuicium verò tuum facilè contemno. Si veram ecclesiã ex suis proprijsque notis quærimus, non magis in Romana ecclesia veram Christi ecclesiã, quàm, vt ille dixit, in Samnio inueniemus samnium. Quemadmodum enim illa quondam potentissima ac florentissima respub. sic à Romanis deleta fuit, vt nihil præter

vrbis proiectum quasi cadauer remaneret, sic illa olim florens ecclesia ab Antichristo capta atque oppressa interijt, vt præter externam ecclesiæ imaginem, & fucum, & colorem, & nescio quam inanem pompam nihil relinquatur. Nullum in ea verbum annunciatur, nisi pestifero fermento corruptum; nulla sacramenta celebrantur, nisi sacrilegio & sordibus inquinata; nulla disciplina exercetur, nisi Antichristiana. Nihil verò pontificis Cathedram, nihil Cardinalium collegium, nihil Episcoporum splendorem, nihil sacerdotes, nihil monachos, nihil templa, nihil diuitias moror: ecclesiam quæro, non parietes, hominem non picturam, corpus non vmbram. Triumphi autem illi quos narras, non magis huius sunt ecclesiæ, quàm quos antiqua Roma de Pyrrho, Annibale, Perse, Antiocho egit, istius Romæ censendi sunt. Nam de Pelagio Britanno, quia rem cum Britanno Britannus habeo, quem potes commemorare ecclesiæ tuæ triumphum? An non palàm de tuo pontifice Pelagius, totóque regno pontificio triumphauit? Nónne enim Pelagius gratiam in natura insitam esse docuit? & num id ipsum vos pontificij non defenditis? Quis ergo non videt in vestro illo triumphali curru sedere Pelagium? Et tamen ad hanc ecclesiam perfidia non habet accessum, si credimus scilicet Cypriano. Quid? Tu Cyprianum sic delirasse putas, vt nullo vnquam errore tentari posse Romanam ecclesiam senserit? At Stephanum pòst breuì Romanũ pontificem erroris

erroris & ignorantiæ arguit, ab eoque grauissimè in magna causa dissensit: quod ille non fecisset, si nunquam errare posse Pontificem & Ecclesiam Romanam putauisset. Cum Cypriano quamuis errante Apostolorum illi suppositititii Canones faciunt. *Canon. Apost. 68.*

LIBER



LIBER OCTAVVS, de Paradoxis.

DVRAEVS, Fol. 214.

De Deo.



IRVM quanto studio, quo verborum apparatu, quibus artibus παράδοξα *vestra amoliri à secta vestra niteris. Vt ab eo incipiam quod summum est, Deum Basilius negare affirmat eos, qui ipsum mali authorem esse asserunt. Hoc vnum esse ex paradoxis vestris verissimè Campianus dixit. Tu verò vt à tam horrendo crimine alienus videaris,* Si Caluinus (*inquis*) aut Martyr, aut Philippus, aut quisquam nostrûm affirmet Deum esse authorem & causã peccati, non repugno quin sumus omnes horrẽdæ blasphemiæ, scelerísq; rei. *Ego verò nisi tam horrendæ blasphemiæ assertorem esse Caluinum ostendero, nullam tantæ calumniæ pœnam deprecor, nullam recuso. In hunc modum scribit,* Absolom incesto coitu patris thorum polluens, detestabile scelus perpetrat: Deus tamen hoc opus suum esse pronunciat. *Addit & alio loco,* Summa huc redit, quamuis homines vt indomitæ bestiæ, nullisq; vinculis coërcitæ lasciuiant, arcano tamen fræno gubernari, vt ne digitum quidem mouere queant nisi ad exequendum Dei magis, quàm suum opus. *Denique diabolum Caluinus ait quando homines ad peccandum mouet, Dei potiùs instrumentum esse, quàm peccati authorem: & rursum,* Deum in nobis planè operari, quæ Satanas operatur, sed alio fine. *Deum non tantùm permittere (hoc enim ille irridet) sed velle peccatum, mouere, impellere homines vt peccent. Quid verò Caluino & Caluinianis omnibus frequentius in ore est, quàm Deum non permittere tantùm, sed velle peccatum, nos mouere, impellere, imò voluntatis suæ efficacia nobis peccandi necessitatem imponere? An non igitur luce clarius est, Deum illis peccati esse authorem?*

Lib. 1. instit. c. 18. sect. 1.

Lib. de æter. Dei prędest.

Li. 2. cap. 4. sect. 5.

Ibid sect. 2.

WHI-

WHITAKERVS.

1 
Agnam nobis iniuriā Campianus fecit, quando primùm noſtrā ſanctiſſimā religionem cōfictis quibuſdam τῶν παραδόξων criminibus, tanquam telis quibuſdam venenatis inſectari cæpit. Tua verò maior culpa eſt, qui criminationē iniuſtā & falſam defendere conaris, præſertim cùm ea ſic à me reiecta ac depulſa fuerit, vt inuidiæ materiā à vobis quæri, non veram accuſationē inſtitui conſtaret. Quod etſi erat antè ſatis manifeſtū, ex tua tamen confutatione magis elucebit. Et primùm vt tibi reſpondeā, ad illud, quod tu ſummum eſſe dicis, miror quenquā eſſe inuentū Campiano ſimilē, qui quod noſtri ſemper apertiſſimè damnarunt, id ab illis dici ac defendi cōtendat. Quæritur an noſtri Deum eſſe mali authorē ſtatuant. Id Campianus affirmat, & tu comprobas. Ipſi ergo loquantur, & te tuumq; Campianū, voſq; omnes huius calūniæ authores redarguant. Philippi hæc verba ſunt, *Eſt tenenda veriſſima ſententia, quæ extat apud Hoſeam. Ex te perditio tua, tantū in me auxilium tuum. Nec vult, nec approbat, nec efficit peccatū Deus. Hæc vera ſententia firmiſſimè retinenda eſt.* Petrus Martyr ait, *Deus neminē cogit, vt malè agat, ſed quiſque volens peccat: quare in illum cauſa peccati non eſt reijcienda. Nam cùm in nobis cupiditates non procreet, culpam non debet præſtare, ſi prauæ actiones ex corrupta radice prauorū effectuū dimanent.* Caluinus ſic ſcribit: *Sequitur ergo neq;* pec-

Melanchton. in 1. ca. ad Rom.

Petr. Martyr in Iudic. 9.

Caluin.in Iacob.1.cap. 13.vers. *peccati originẽ esse in Deo, neq; illi culpam imputari posse, quasi ex malis voluptatem capiat.* Beza hanc causam diligentissimè ac doctissimè contra Castellionem tractauit, quem si legisses vnquam, quantũ inter vestram malitiosam interpretationem, nostramq; verissimam sententiam intersit, facilè didicisses. Sic habet, *Quod inquit Dauid,* Beza de æterna Dei prædest. contra Castel. *Non Deus volens iniquitatẽ tu es, perpetuò verum esse confitemur, & eum qui secus sentiat, pro impio & blasphemo habemus.* Quid alios cõmemorem, quorum nullus est, qui non istam Libertinorum blasphemiam atq; amentiã vobis interim tacentibus refutarit? Aut nostrûm aliquẽ profer, Duræe, si pergis ineptissimũ conuiciũ vrgere, qui deũ peccati & sceleris authorẽ esse dixerit, aut te prudentem nobis ex instituto maledicere confitere.

Nam in his quæ ex Caluino obijcis, quis tam imperitus est qui tuam inscitiam non agnoscat? De Absalone enim quid aliud Caluinus affirmauit, quàm quod disertè scriptura tradidit? An verò quid Dauidi Nathanus Dei nomine responderit, nunquam legisti? *En ego* (inquit Iehoua) 2.Sam.12. 11.12. *suscitaturus sum aduersum te malũ de domo tua, tollámque vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, dormietq; cum vxoribus tuis in oculis solis huius. Tu clàm fecisti: attamen ego facturus sum rem hanc coram toto Israële, & coram sole.* Quod ergo Absalon admisit, id se facturum Dominus denũciauit: ex quo illud Domini factum fuisse sequitur, nisi tu Dei esse negabis, quod suum esse Deus testatur. Itaque Caluinum vides nihil omnino aliud scripsisse, quàm quod Deus ipse clarissimè

sibi

ſibi aſſumit. Neq; eſt quod hîc tum illud ſophiſma valere exiſtimes, Ergo Deus eſt author peccati. Non enim peccatũ illud,ſed opus Deo Caluinus aſcribit. Si enim in illo inceſto nihil potes præter peccatũ cõſiderare,id tuę inſcitiæ atq; incogitãtiæ tribui debet.Nam inceſtũ illud etſi teterrimum flagitium fuit, prout ab ipſo Abſalone profectũ eſt,tamen quatenus pœna,& iudiciũ,& exemplum,& documẽtum fuit, ſibi totum Deus ſumit.Omnis enim pœna quã Deus infligit, iuſta eſt,ac proinde bona. Si ergo Deo quod ſuum eſt relinques,Abſaloni quoq; quod ſuũ eſt tribues, in eadem actione & Dei iuſtitiã,& hominis peccatũ inuenies.Omnis quidem actio,vt actio eſt,à Deo inſtituta eſt:nam in ipſo viuimus,mouemur, & ſumus:& is omnia efficit ex conſilio voluntatis ſuę:malitia verò actionis ex hominis voluntate naſcitur,nec Deũ attingit,qui malis & vitioſis inſtrumẽtis ſic vti poteſt, vt nulla interim ipſe mali contagione inficiatur. Quicquid ergo eſt in actione peccati,in inſtrumẽtis hęret, à quibus etſi fiunt,quę Deus voluit,non tamen ſemper eodem modo fiunt, quo voluit. Abſalõ fecit,quod Deus factũ voluit:id enim facturum ſe minatus eſt:non tamen ita fecit, vt facere debuit, quia finẽ alium ſibi propoſuit,quàm eum quem Deus ſpectauit. Quare vt tibi de Abſalonis inceſto, cæteriſque omnibus flagitijs breuiter reſpondeam, Deus quidem omnia quæcunque in mundo ſiue bona, ſiue mala fiunt, ſua prouidentia gubernat, vt ipſe tamen puriſſimus ſemper maneat,quod in hoc eodem loco Caluinus pulcherrimè & ſanctiſſimè

Act.17.28.
Ephes.1.11.

mè docet: primùm quia malitiam nulli homini infundit, cùm ea tota ſit ex diabolo: deinde quia actiones ex finibus æſtimandæ ſunt. Deus enim in omni actione finem intuetur, æternæ perpetuæq́ue iuſtitiæ ſuæ conſentaneum. Homines contrà peccant, quia à Dei iuſtitia in verbo patefacta diſcedunt, ſeq́; hoc modo morte dignos faciunt. Quid tu hîc minutulus ſophiſta reprehẽdis? Alia Caluini verba ſubiungis, in quibus Dei prouidentia defenditur, quam veſtra hac opinione labefactari manifeſtum eſt. Si quid enim à quoquam fit, quod fieri Dominus ἁπλῶς καὶ πάντως noluit, ſummã Dei prouidentiam ac potentiam euerti neceſſe eſt. Quod iterum ex Caluino citas calumniæ plenum eſt. Non enim diabolum Caluinus ait Dei potiùs inſtrumentum quàm peccati authorem eſſe. Hæc ipſius verba

Li.2. inſtit. c.4. ſect.5.

ſunt: Diabolus eſt *inſtrumentum magis ipſius in agendo, quàm à ſeipſo author*: quia non potuit aliquid efficere, niſi illo Dominus vti tanquam inſtrumento voluit. Quanquam autem eſt actionis potiùs inſtrumentum quàm author, peccati tamen ſũmus eſt & primus author. Permiſſionem autem qualem nonnulli ſomniant, meritò Caluinus irriſit. Qui enim ſic à Deo permitti peccata fingunt, vt ea Deus penitus nolit, quam tandem Deo vim & prouidentiam relinquunt? Si enim omnino nolens ac inuitus permittit, Dei igitur voluntati omnino reſiſti poteſt, vt fiat, quod omnino factum nolit: qua voce nullam ipſe Epicurus in Deum magis impiam exhalare potuit. Quę ſequuntur, verbo dilui poſſunt. Vult Deus peccatum

catum, sed non simpliciter, & quatenus peccatū est: quod si nondum intelligis, ex vno loco disce. Qui Ecclesiam affligunt & vexant, eos peccare quidem grauissimè non negabis: at hanc afflictionem ex Dei voluntate manare Petrus disertè scribit, *Qui affliguntur ex voluntate Dei, vt fideli conditori cōmendent animas suas.* Ergo sanctos affligi vult Dominus: & tamen qui sanctos affligūt, magni peccati pœnas persoluent. Et peccatum Deus quod in nobis latet, excitat atque impellit, non tamen efficit aut inserit: quemadmodū medicus morborū author non est, quando vitiosissimos humores elicit. Qui verò spiritu sancto donati non sunt, ijs peccandi miserrima necessitas imponitur, quia necessariū est vt mala arbor fructus malos proferat. Sed in hanc necessitatem homo sponte sua decidit, vt suo, non Dei vitiò peccet. Sic tu Deum nobis peccati authorem esse præclarè docuisti. 1.Pet.4.19

DVRAEVS, Fol. 215.

His se laqueis cùm Beza tuus implicatum cerneret, blasphemiam vnam altera blasphemia defendere & amplificare voluit. Omnia (*inquit*) bona sunt, quatenus à Deo efficiuntur: discrimen illud boni & mali tantùm in instrumentis locum habet: *vt peccatum Beza iudice à Deo volente, mouente, impellente sit, sed quia illius comparatione, quod peccatum est, desinit esse peccatum, Deus peccati author censendus non sit.* Aphoris. 20

WHITAKERVS.

2 Perge verò Duræe, non Bezam modò blasphemiæ condemnare, sed ipsam Scripturam per Bezæ latus impugnare. Cùm enim quicquid

fit in rerum natura, à Deo constet proficisci, ab eoq; administrari in eum finem, quem ipse sibi proposuit: quicquid autem Deus instituit, bonũ sit, peccatum in causis secundis atq; instrumentis versari necesse est. Si verò nescis rem eandem quemadmodum à Deo manat, esse bonam, quẽadmodum à malo instrumẽto geritur, esse vitiosam, indignus es qui locum in Theologorum cõcessu teneas. Venditur Iosephus à fratribus, in quo tamen Iosephus summũ Dei consilium agnoscit, *Nunc itaq; non vos misistis me huc, sed Deus*. Et postea, *Vos cogitastis in me malum: Deus autem cogitauit illud in bonum*. Pharaonis induratio mala fuit, si ipsum spectes Pharaonem: si Deum, bona; *Ego indurabo cor eius, vt non dimittat populũ*. Sic Moses de Sihone rege Hesbonis, *Indurauerat Iehoua Deus tuus spiritum eius, & obfirmauerat cor eius, vt daret eum in manum tuam*: Et Iosua de Cananæis, *Quia à Iehoua fuit hoc, vt induraret cor eorum ad occursum belli cum Israël*. Iobum Satanas, Chaldęi, Sabęi inuadũt, diripiunt, cruciant: Iobus tamen ista omnia à Deo profecta esse cõfitetur, *Iehoua dedit, Iehoua abstulit. Bonum accepimus à Deo, & malum hoc non acciperemus?* Semei peccauit, quando Dauidi pessimè maledixit, eam tamen maledictionem Dauid à Deo obiectam interpretatur, *Sinite eum, Deus præcepit ei, vt mihi malediceret*. Iudas, Herodes, Pilatus, Iudæi in Christi mortem coniurarũt, nihil tamen aliud fecerunt, quàm *quod manus & concilium Dei priùs definierat faciendum*. Cùm hæc nobis tam perspicuè sint in sacris literis tradita, aut palàm Dei spi-

Gen.45.8. Gen.50.20. Exod.4.21. Deut.2.30. Iosuah.11.19.20. Iob.1.21.& 2.10. 2.Sam.16.10. Act.4.27.28.

ſpiritum iſto modo loquentem, & loqui nos docentem inſectare, aut in vno eodemque facto & Dei ſanctum decretum, & impiorum hominum nefarium ſcelus agnoſce. Si quis filius parentis ſui mortem exoptet, in Dei legem grauiſſimè peccet: & tamen Deus non peccat, quando huius tam impij filij parentem de medio tollit. Ita vides impiè ab homine fieri, quod Deus ſanctè facit: & te blaſphemum fuiſſe, qui certiſſimam ſpiritus ſancti doctrinam auſus fueris blaſphemiæ condemnare.

DVRAEVS, Fol. 215.

Et quid quæſo aliud quàm Deum facit hypocritam, qui eum præcipere fatetur, ne peccemus, hoc ipſum tamen nolle. Eſt verò ridicula Bezæ reſponſio. Malam (*inquit*) actionem hîc appello, quæ reuelatam Dei voluntatem non habet pro ſcopo. *Ineptiſſimè profectò. Quamuis enim non ſemper id nos velle neceſſe ſit, quod Deus vult, ſemper tamen hoc velle debemus, quod velle nos Deus vult. Ac cùm Chriſto nos docente quotidie à Deo petamus, fiat voluntas tua in nobis nimirum, ſemper vt id velimus, quod vult Deus nos velle, ſi nos peccatum Deus velle vult, an non quotidie à Deo petimus vt peccemus?* *Beza contra Sycophantam.*

WHITAKERVS.

3 Præcipit quidem Deus ne peccemus, & ſe peccatis noſtris grauiter offendi teſtatur: & tamen vult peccatis noſtris Deus ſuum decretũ exequi. Neq; eſt quòd hîc proinde clames, hypocriſim, neſcio quam affingi Deo, cũ nullis Deus

vitium & prauitatem instillet. Tum enim demum ὑποκριτικῶς agere videretur, si peccatum nobis infunderet, & nos tamen peccare prohiberet: Iam verò dum quæ in lege vetuit peccata, eadem regit, atque ad suum institutum accõmodat, nullum tuæ cogitationi locum relinquit. Deinde, quanquam vult peccatum, non vt peccatum, sed vt decretum: nunquam tamen approbat peccatum, nec reuelata voluntate complectitur. Semper autem quicquid agimus, hanc Dei voluntatem, in verbo declaratam spectare, & nobis proponere debemus. Quod quando in Beza reprehendis, tuam ignorantiam iterum ostendis. Non enim illa Dei arcana atque ignorata nobis voluntas nostrarum actionum regula esse debet, sed hæc manifesta, atq; in verbo prodita, cui non parêre est peccatũ admittere. Et illi ipsi qui ab ipsa aberrant, quanquam se maximo scelere astringunt, tamen Dei quoddam opus nihil eiusmodi cogitantes peragunt ac perficiunt. Quid enim? Num illam scholasticam voluntatis occultæ & reuelatæ distinctionem vestrum illud Iesuitarum collegium nuper explosit? *Quæ occulta sunt*, (inquit Moses) *penes Iehouam Deum nostrum sunto: at quæ reuelata nobis & filijs nostris vsque in seculum, vt faciamus omnia verba huius legis*. Atq; hæc illa est voluntas, quã nos fieri quotidie precamur in terra, sicut in cælo: quamque Propheta Dauid cognoscere & facere cupiebat, *Doce me facere voluntatem tuam.* Cùm ergo precamur, vt id semper, quod Deus sibi gratum esse in verbo suo significauit, faciamus,

Deut.29.29

Psal.:43.10

mus, minimè metuendum est, ne petamus, vt peccemus, quemadmodum tu ineptè disputas, cùm peccatum Deo semper ingratum sit atque odiosum. Quanquam enim vt iam dixi, vult peccatum Deus aliquo modo propter aliud, nunquam tamen ea voluntate approbat, quam in verbo proposuit, quæ Hebræo vocabulo חֵפֶץ vocatur.

DVRAEVS, Fol. 216.

Dicis fortasse cum tuo Caluino, etsi qui peccant nihil aliud faciunt, quàm quod Deus vult, id eo tamen peccare, quia alio id fine faciunt, quàm quo Deus vult. quasi verò non plurima ita sint sua natura mala, vt bene fieri nunquam possint. Deinde Deus non vt in hunc, vel illum finem agamus permittit tantùm, sed etiam vult, nisi otiosum hîc Beza Deum fingat. Quamobrem cùm & id velimus, quod velle nos Deus vult, & eo etiam fine, peccare certè omnino non possumus, neque vllus hîc amplius tergiuersandi locus relinquitur.

WHITAKERVS.

4 Id quidem libenter dico cum Caluino, quia idipsum scriptura planissimè dicit, quemadmodum iam satis luculentissimis testimonijs demonstraui. Atque hoc etiam Augustinus multis ante Caluinum seculis dixit. Sic in Epistola ad Vincentium scribit, *Cum pater tradiderit filium, & Dominus corpus suum, & Iudas Dominum, cur in hac traditione Deus est iustus, & homo reus, nisi quia in re vna quam fecerunt, causa non vna est ob quam fecerunt.* Nihil autē ita est sua natura malum, quin Deo iubente bene fiat. Est Aug. epi. 48.

enim Deus omni lege maior, illiusque manifestæ voluntati semper obsequendum est, quicquid tandem ab eo pręceptum esse constiterit. Quid enim magis horrendum atque inhumanum fingi potuit, quàm vt filium pater suum proprijs manibus iugularet? Atqui hoc piè Abrahamus fecisset, nisi aliud mandatum diuinitus interpositum fuisset. Si quod sua natura parricidium immanissimum fuisset, Dei mandato sanctissimum fidei officium Deoque gratissimum extitisset, vides, ni fallor, rerum naturas diuino pręcepto mutari. Deinde permissionem non improbamus, sed illud sophisticũ nudæ permissionis commentũ reijcimus. Nam permittẽte Deo fieri quod fit, nemo dubitat, quia non fieret, nisi Deus permitteret: sic autem permittit, vt ipse interim prauas hominũ voluntates regat, eoque perducat, quò ipse decreuerit, nec rei euentum dubium expectet tanquam in specula otiosus contemplator, quemadmodum necessarium est, si vestra talis permissio somniatur. Fore autem Deum otiosum nisi impij etiam homines eo fine velint, quo Deus voluit, ita ineptum atque absurdum est, vt tibi mirer venire in mentem potuisse. Quanquam enim instrumenta mala suam quandam habent, propriamque actionem, eam tamen sic Dominus sui decreti vinculis constringit, vt in eum exitum prorũpat, quem ipse destinauit, quod Deum non esse otiosum, vt vos fingitis, euincit.

DVRAEVS.

DVRAEVS, Fol. 217.

Hic tu cùm Deum defendere vis, non esse peccati authorem, nihil tamẽ aliud, quàm peccati authorẽ facis. Si enim non permittit modò, verùm etiam vult hominem peccare, explica quo tandem modo, si Dei voluntas prima est, & efficax peccati causa, author peccati Deus non sit. Absurdum verò tibi videtur permittere Deum, non velle peccatum: neque animaduertis ita spiritum sanctum per os Lucæ loquutum esse, qui dimisit omnes gentes ingredi vias suas. *Dei voluntas qua vult peccata permittere non otiosa, vt vides, sed* ἐνεργητικὴ *censenda est: quippe qua res omnes suæ quamque naturæ conuenienter agere vult, & cum ijs ipse concurrere.*

WHITAKERVS.

5 Quemadmodum Deus velit vt homines peccent, abundè explicatum est: non per se, non propriè, quasi peccato delectetur, aut illud approbet, aut efficiat, aut adiuuet, sed quia id vult, quod quanquam hominum respectu est vitiosissimum, Dei tamen consilio iustissimum existimari debet. Cùm enim Deus peccata peccatis punire soleat, quis dubitet, quod Deus tãquam supplicium infligit, Dei voluntate pium & sanctum fuisse? Nec verò opus est vt tibi explicem, quod quæris. Non enim Dei voluntatẽ primam & efficacem peccati causam facimus, sed eius actionis, quæ vt fluit ab homine impio vitiosa est. Ita non Dei voluntas, sed instrumentorum prauitas in causa est, vt impiè fiant, quæ Dominus rectè facit. Mihi verò, vt dicis, perabsurdum videtur, permitti aliquid à Deo, quod planè nolit: nisi tu minimè absurdum statuis, & Deo suam prouidentiam detrahi, & fortunæ temeritate mundum admini-

ſtrari, & Dei iudicia ab illius voluntate diſtrahi, & Deum ſummæ infirmitatis argui, qui quæ prorſus nolit, non impediat. Nam ſi peccata ſunt peccatorum ſupplicia, quod nullus Theologus negabit, tu mihi explica ſi potes, quemadmodum Deus peccata tantùm permittat, nec velit, quæ tamen ipſe vt iuſtiſſima iudicia ac ſupplicia impijs imponit. Non enim dices Deum pœnas ſcelerum nolle: peccata autem peccatorum pœnæ ſunt: vult ergo peccata Deus, vt ſunt pœnæ peccatorum, & tua permiſſio expers voluntatis eliditur.

Affers autem ſcripturæ teſtimonium, quo
Act. 14.16. Deum permittere aliquid euincas, quod nolit. Apoſtolus ait, *Dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas*: Si dimiſit, volens certè dimiſit. Quis enim nolens quenquam dimittit, quem tenere potuit? Atque hanc dimiſſionem cum Dei voluntate coniunctam fuiſſe potes ex eodem Apoſtolo intelligere. Sic enim de ijſdem
Rom. 1.24. 28. gentibus ſcribit, *Tradidit eos Deus cupiditatibus cordium ipſorum*. Et rurſum, *Tradidit eos Deus in mentem omnis iudicij expertem*. An verò iudex quando ſontem & facinoroſum carnifici tradit, inuitus, an potiùs volens tradere cenſendus eſt? Sed quid alijs Argumentis opus eſt, cùm quod volumus ipſe coactus fatearis? Si enim Deus peccata permittit voluntate non otioſa, ſed ἐνεργητικῇ atque efficace, Dei igitur voluntas in peccatis efficax eſt: ſique Dei eadem voluntas cauſa eſt, vt res quæque agatur naturæ ſuæ conuenienter, atque *ipſe Deus cum ijs concurrit*, vt tu

ſcri-

scribis, tum Dei voluntas causa est, vt impij impiè agant, & dæmones non modò impiè, sed semper & necessariò impiè agunt, quia hoc illorum naturæ consentaneum est. Tum si Deus cum ipsis malè agentibus concurrit, quid amplius postulamus? Sic te hoc loco veritas vicit, vt quasi illius admiratione captus in tuæ defensionis obliuionem veneris.

DVRAEVS, Fol. 218.

Sed vt te subtilem disputatorem Academicis ostendas, Campianum in hunc modum vrges, Censésne quod quisquam facit, quantumuis sceleratus, id inuito ac nolente Deo fieri? Quod cùm absurdissimum nobis etiam videri intelligas, mox ita concludis, Quare quæ fiunt omnia, ea fieri volente Deo necesse est fateare. Verùm trita est in scholis responsio, Deum neque velle mala fieri, neque velle mala non fieri, sed velle permittere mala fieri. Tu malum ais velle quidem Deum, sed non probare: quasi velle Deus possit, quod minimè probet, aut suum ipse iudicium ac decretum non probare possit. *D.Thom. 1. part. q.19 art.9.*

WHITAKERVS.

6 Tuam disputationem parùm esse subtilem nostri Academici facilè perspiciunt. Vide verò ne te Thomas tuus suis argutijs imprudentem fallat. Primùm enim quod negat Deum nolle mala fieri, id cum Dei reuelata voluntate pugnat. Si enim non vult Deus mala non fieri, quamobrem legem perpetuam tulit, qua malorum genus omne prohibetur, nisi quod nefas est, Deum dicas egregiè simulasse? Deinde, si vult permittere mala, volens igitur permittit

mala, quod nos contendimus. Hanc enim permiſsionem Dei volentis, non nolentis eſſe dicimus, idq́ue ipſum tuus Aquinas diſertè confirmat. Atque hoc idem Auguſtinus ſcripſit, *Non fieret, ſi non ſineret, nec vtique nolens ſinit, ſed volens.* Quorſum ergo nunc tua nudæ ac commentitiæ permiſsionis defenſio recidit, quam vides à Thoma atque Auguſtino clariſsimis verbis refutari? Ita quicquid Deus permittit, non otioſus, aut aliud agens, ſed volens permittit. Quòd autem velit multa Deus, quæ minimè probet, id non eſt difficile explicare. Si enim principes bellum ſibi & ſuis ciuibus periculoſum, quod non omnino probent, & fugere libenter cupiant, ſi poſſent, velle tamen nonnunquam propter publicam pacem coguntur: & magiſtratus, quanquam ſuorum vitæ parcat, cædem nunquam comprobet, maleficum tamen & facinoroſum carnifici volens tradit: hoc in Deum cadere nullo modo poſſe exiſtemus, vt aliquid velit κατά τι, & propter aliud, quod per ſe & ſimpliciter neutiquam probet? Tum ipſam actionem, quam ad certum finem deſtinauit, non poteſt non probare: ſed actionis vitium, & peccatum, id eſt, prauam illius actionis qualitatem, cuius non ipſe, ſed homo author extitit, minimè probat.

Enchrid. ad Laurent. cap. 100.

DVRAEVS, Fol. 219. &c.

Iam quæ ex Auguſtino profers, ad tuam cauſam ne pertinent omnino. Quid eſt quæſo in his verbis, quo Deum voluntates, hominum ad peccandum Auguſtinus vel leuiſſimè indicet? Aut quis non facilè intelligat, longè aliud eſſe filij mortem patrem voluiſſe,

&

& Iudæorum animos in filij necem impulisse?

WHITAKERVS.

7 Siquænam esset causa mea, velles omnino ntelligere, ad eam pertinere, quæ ex Augustino adduxi, facilè sentires. Tu verò sic nostram sententiam interpretaris, & sic alijs de nobis persuadere conaris, quasi nos Deum dicamus homines ad peccandum vrgere, atque impellere, & voluntates illis impias inijcere, quod nostrûm nullus vnquam cogitauit, & tanquam blasphemum semper refugimus. Neque enim quenquam Deus ad peccandum incitat, aut nouam cuiquam malitiam, & peccandi cupiditatem affert, sed quam impij insitam habent propriamque nequitiam, elicit, extrahit, regit, & suo decreto inseruire cogit. Quanquã autem Dei voluntate multa faciunt, in quibus ipsi nefariè peccant, tamen quòd peccant, id nullo Dei impulsu, sed suo duntaxat instinctu motuque faciunt. Vult dominus ab impijs eiusmodi aliquid fieri, quod & si illi dum efficiunt, multorum scelerum laqueis implicantur, illud tamen fieri legitimè sanctèque potuit. Quòd ergo peccant, id nec Deo, nec rei naturæ, sed hominum vitio tribuendum est, quia Deus per homines efficit sine peccato, quòd ipsi homines cùm faciunt, turpissimè ac sceleratissimè peccant. Id ex illo exemplo intelligi potest, quo vsus est Augustinus. Christi enim mors, si ipsũ λύτρον spectamus, Deo gratissima fuit: quã dum homines moliuntur & perficiunt, teterrimum & infinitũ flagitium admittunt. Aliud

liud ergo eſt ad opus præſtandum, aliud ad peccandum impellere: vt quanquam Iudæorum animos Deus in filij ſui necem impulit, eos tamen peccare minimè coëgerit. Si enim illi mentes attuliſſent odio, crudelitate, ambitione, perfidia vacuas, atque id egiſſent vero ſtudio, quod Dominus propoſuerat, non peccaſſent: atque illa vitia non aliunde iniecta, ſed in illorum animis ac ſenſibus inſita erant. Denique cùm palàm teſtemur eſſe nos ab ea opinione alienos, quæ Deo cauſam vllam peccati affingat, quam totam in malis inſtrumentis poſitam eſſe conſtat, Deum autem dicamus hominum voluntates non efficere aut ex bonis malas, aut ex malis deteriores, ſed tantùm his hominum prauis voluntatibus vti ad eos fines, quos ipſe decreuit, atq; hoc ipſum & ſcriptura clariſſimè doceat, & Auguſtinus in ijs quas adduxi ſententijs exponat, quid fruſtra tempus ſuperuacaneis diſceptationibus teritur, aut verbis crimen inuidioſum exornatur? Aufer iſtam malitioſæ interpretationis peruerſitatem, atque in noſtra ſententia nihil inuenies aut incommodum, aut impium, aut non inuicta ratione atque authoritate neceſſarium. Quò verò magis hanc tuam illius reprehenſionem expendo, eò minùs veſtris illis clamoribus moueor, & nobis ipſis meritò gratulor, quorum ita firmis defenſio fundamentis nititur, vt ſcripturis ſaluis labefactari nequeat.

DVRAEVS. Fol. 224.&c.

De Chriſto. *Quòd Caluino παράδοξον Campianus tribuit,* filium Dei eſſe

Deum

Deum ex seipso, *tu Caluini esse vltro fateris. Palàm igitur hunc Caluini errorē defendis, quod dum facis, velis nolis sacrosanctum Trinitatis mysterium negare te fatearis necesse est. Etenim si Dei filius non à patre, sed à seipso essentiam habet, ne filius quidem patris esse potest. Si diuinitatem à patre filius non accepit, dic quid acceperit. Vel diuinitatem à patre accepit, vel certè à patre genitus non est. De patribus quid dicam, qui vno omnes ore hanc eandem nobiscum fidem contra Caluini blasphemiam profitentur? Multò rectiùs Buchananus noster, etsi alioqui Caluinianus, de sacrosancto Trinitatis mysterio sensit, cùm eleganti carmine cecinit,* Proles parentis optimi, & par parenti maximo, de luce vera vera lux, verusque de Deo Deus.

WHITAKERVS.

8 Si nostrûm quisquā de sacrosanctę Trinitatis augustissimo mysterio aliquid scripsisset parū piè ac catholicè, vestros proculdubio acutissimos ad inuestigādū oculos minimè latuisset, qui quę à nostris contra hęreticos scripta sūt verissimè & sāctissimè, in suspicionē improbæ hęreseos vocatis? Quis enim nescit à Caluino Trinitatis mysterium contra Blandratam, Gentilem, atq; alios impij Serueti discipulos solidè vereq; defensum esse? Cùm enim illi secundariam quandā filij deitatē introducerent: eoq; illa Nicenæ synodi verba torquerent, *Deum de Deo*, huic blasphemiæ Caluinus grauissimè restitit, docuitq; ex verbo Dei essentiam filij à patris essentia minimè profluxisse, aut ab ea propagatam fuisse, sed vnicam & eandem esse patris filijq; essentiam, cuius non profluxione aut propagatione, sed æterna totius communicatione pater filiū genuit. Cùm ergo vnica sit vtriusque essentia, eam deitatem, qua filius Deus est, hanc ipsam esse, qua pater

Deus eſt affirmat, vt quoad eſſentiam filius ſit expers principij, cùm eam eſſentiam patris totam habeat, quæ principio prorſus omni caret. Qui hanc ſententiam improbant, aut indocti ſunt, aut veteres hæreſes renouant, aut nouas cogitant. Filium autem qua Deus eſt, eſſe à ſeipſo, non vnus Caluinus aſſerit, ſed præterea multi alij dixerunt viri longè doctiſſimi, quorum tu non potes errorem redarguere. Senſus autem hic eſt, Illam eſſentiam quæ eſt in filio, non eſſe ab alia eſſentia, ſed à ſeipſa, cùm vna ſit eademque patris filijque eſſentia. Eſſentia autem, vt contra Eunomium rectè ſcribit Baſilius, eſt ἀγέννητος. Tu iam pulchrè diſputas, Si Dei filius non habet à patre eſſentiam, ne filium quidem patris eſſe. Quorſum verò? Num enim Caluinus vnquam negauit filium à patre eſſentiam habuiſſe, an tu parùm quid aut Caluinus ſtatuerit, aut ipſe ſcribas attendis? Eſt enim genitus ex patris eſſentia, & habet patris eſſentiam filius, ac quidem totã, non deciſione, aut propagatione, vt impij Tritheïtæ ſomniant, ſed communicatione. Et tamẽ hîc quaſi in re dubia ſcripturas adhibes, patres appellas, oleum multum profundis. Diſce poſthac cauſam ipſam penitus cognoſcere, quam vis reprehendere, nec tuorum libris & ſermonibus nimium confidere, quorum illud iamdudũ ſummum ſtudium fuit, vt aliquid de eximio Chriſti ſeruo confingerent. Buchanani noſtri te verſibus delectari lætor: cupioq; & tibi ex animo precor, vt cuius doctrinam & elegantiã amas, eius quoq; excellentem in vera religione pietatem imiteris.

Baſil li. 1. contra Eunom.

D v-

DVRAEVS. Fol. 226.

Nisi (*inquis*) ex sese Deus est, omnino Deus esse non potest. *Agnosco videlicet Mahometi & Auicennæ discipulum. Verùm tantæ ignorantiæ te meritò debet pudere, qui nondum didiceris habere quidem in se filium diuinitatem insitam, id est, naturaliter Deum esse; sed quia verè filius est à patre diuinitatem omnem hausisse.* Recordare (*inquis*) illam Augustini vocem, Christus ad se Deus est, ad patrem filius: *agnosco Dei nomen substantiæ esse, non relationis: filij verò nomen in relatione consistere.*

WHITAKERVS.

9 Quin genitus ex patre Christus fuerit, totius substantiæ communicatione, quis nostrûm Duræe dubitat? Non tu is es, qui hæc nos mysteria melius doceas, quàm ea simus iamdudum in spiritus sancti schola edocti. Mahometẽ & Auicennam tibi, tuisque collegis relinquo, teq; moneo, vt nisi malis esse hæreticorum, quàm ecclesiæ discipulus, rectiùs posthac de Christi diuinitate sentias. Quanquam enim ea est filij proprietas, esse ex patre per generationem, non autem à seipso, quemadmodum est pater: tamen essentiam filij esse à seipsa est necesse, sicut etiam patris essentiam, cùm sit vna & prorsus eadem vtriusque essentia, licèt in filio cõmunicata, in patre incommunicata. Quare Christus, quâ Deus est, à seipso est, quâ filius ex patre est. Deus enim esse non potest, cuius οὐσία non sit à seipsa. Itaq; Basilius illud affirmat omniũ ætatũ memoria fuisse firmissimũ Theologiæ ἀξίωμα, *Deum neq; à se, neq; ab alio* *Basil. li. 1. contra Eunom. τὸ θεὸν μήτε παρ' ἑαυτοῦ, μήτε παρ' ἑτέρου γεγενῆσθαι.*

ab alio extitiſſe. Atque hanc Auguſtini fuiſſe ſententiam, ex hoc eodem loco facilè conſtabit. Sic enim ſcripſit Auguſtinus, *Quicquid eſt pater, quo Deus eſt, quo ſubſtantia eſt, quo æternitas eſt, hoc filius, hoc ſpiritus ſanctus.* Eſt autem pater quo Deus, ἀγέννητος: igitur & filium etiam, quo deus, ἀγέννητον eſſe ſequitur. Eſſentia ergo tam in filio, quàm in patre, à ſeipſa eſt, non ab alia: ex quo efficitur, vt tam filius, quàm pater, verus ſit, æternuſque Deus. Qui hanc ſententiam improbat, monſtrum aliquod hæreticæ opinionis proculdubio alit.

August. de Tempor. homil. 38.

DVRAEVS, Fol. 227.

Bezæ (*inquit Campianus*) filius non eſt genitus de eſſentia patris. Quid tu ob ea (*inquis*) Bezæ ſuccenſes, quæ dici à vobis ipſis ſolent? *Quod nunquam profectò ſine ſumma impudentia dixiſſes, ſi Catholicorum de Trinitatis myſterio doctrinam noſſes. Quis enim non facilè intelligit, longè aliud eſſe ex eſſentia gigni, aliud verò gigni eſſentiam. Eſſentia neque gigni poteſt, neque gignere, cùm id, quod gignit, ab eo diſtingui, quod gignitur neceſſe ſit: eſſentia verò à ſeipſa minimè diſtinguatur.*

WHITAKERVS.

10 Quemadmodũ ſit genitus de patris eſſentia filius, expoſui: in quo nihil eſt, quod quiſquam Catholicus reprehendat. Veſtra verò myſteria non equidem valde noſſe cupio. Eſſe aliud, vt dicis, gigni eſſentiam, aliud ex eſſentia, non ignoro: & quemadmodum non gigni ex eſſentia eſſentiam affirmo, ſic ex patris eſſentia gigni

gigni filium concedo, totoque animo amplector, vt tibi in hoc minimè opus fuerit tantopere laborare. Sed tua illa eſt ἀδολεσχία quæ ſunt extra controuerſiam, ſedulò & prolixè confirmare, vt in ijs quæ arguuntur, parcior eſſe poſſis, & cùm nihil ad rem dixeris, aliquid tamen dixiſſe videaris. Quemadmodum autem in ſuperiore diſputatione feciſti, cùm de Dei voluntate ageremus, ita hîc etiam tandem ad nos accedis, & tuis verbis comprobas, quod impugnandum ſuſceperas. Si enim eſſentia nec gignit, nec gignitur, quia non poteſt à ſeipſa diſtingui, tum filij eſſentiam conſtat non minùs quàm patris à ſeipſa eſſe, & filium, quâ Deus eſt, id eſt, diuina eſſentia, à ſeipſo eſſe, quod ſuprà in Caluino, & Beza, & nobis omnibus tanquam hæreticum multis verborum aculeis pupugiſti.

DVRAEVS, Fol. 229.

Ego & pater vnum ſumus: *Inde Caluinus filium eſſe patri* ὁμοούσιον *demonſtrari poſſe negat. Ad te ipſum Whitakere veniam, qui Caluinum defendendo expugnas. Quid enim illud eſt, quod ais? Ioannes potentiæ & voluntatis vnionem ſignificauit, non eſſentiæ. An tu adeo rudis es, vt in Deo potentiam eſſentiamq; idem eſſe ignores?*

WHITAKERVS.

11 Arrio Caluinum ſuffragari neceſſe erit, ſi his verbis patris ac filij ὁμοουσίαν indicari

neget? Quasi in hoc loco omnia posita sint, quæcunque ad refellendum Arrium faciant. Nec tamen impedio, quo minùs quisque
Ioan.10.30. sentiat, quod ipse Christi sententiæ conuenientissimum iudicet: & video à multis hoc dicto Christi ὁμοούσιον diuinitatem confirmari. Caluinus potius loqui Christum de consensionis vnitate existimat, quæ si vera interpretatio fuerit, Arrius hoc quidem testimonio minimè reuincetur. Non enim sequitur, si quicquid Christus facit, id pater sua virtute & potentia confirmat, ὁμοούσιον esse patri filium. Nec ita rudis sum, quin satis intelligam Dei potentiam esse Dei essentiam: sed num sequitur, si Christus Dei potentia fretus & communitus vinci non potuit, quin vnà Deus vinceretur, eandem esse Dei Christiq; essentialem potentiam?

DVRAEVS, Fol. 229.

Nomen hoc (inquit Lutherus) ὁμοούσιον odit anima mea. Quid tu? Atque vt nomen (*inquis*) oderit, rem ipsam tamen amauit, vt animam suam. *Quid stultius, quàm nomen aliquod odisse, quod neque odij, neque amoris certè capax est?*

WHITAKERVS.

12 Hîc verò ingenium nobis egregiè tuum prodis, cùm te non pudeat apertæ atque

que agnitæ calumniæ. Num enim Duræe, iſta apud Lutherum verba legiſti? An Campiano referenti credidiſti? Quæ hæc importunitas maledicendi, quæ nec modum ſibi vllum præſcribit, nec ſe patitur reuocari? Luthero Campianus obiecit, quòd diceret, *Anima mea odit hoc verbum* ὁμοούσιον. Locum inſpexi, mendacium manifeſtum deprehendi, Lutheri verba deſcripſi: quæ hîc etiam iterum proponam, vt horum hominum fidem & pudorem omnes agnoſcant. Sic Lutherus ſcripſit, *Quòd ſi odit anima mea vocem homouſion, & nolim ea vti, non ero hæreticus. Quis enim me coget vti, modò rem teneam, quæ in concilio per ſcripturas definita eſt?* Si nomen, vt dicis, neque amoris, neque odij capax eſt, non fuiſſet hæreticus Lutherus, quantumuis hoc nomen odiſſet, modò rem tenuiſſet. Quod enim hæreticum facit, id certè ſummum odium meretur. Iam ex his Luthero eiuſmodi pronunciatum affingere, *Odit anima mea hoc verbum homouſion*, commentum eſt perpetuo odio digniſſimum.

Luther. contra ration. Latomi.

DVRAEVS, Fol.230.

Aliud deinde Campianus noui Euangelij paradoxon enumerat: Chriſtum ab infantia non fuiſſe gratia conſummatum, ſed animi dotibus velut cæteros homines adoleuiſſe. *Tu quid?* Ieſus proficiebat ſapientia, & gratiâ apud Deum & homines. *Potuiſſes ex tot antiquorum patrum monimentis huius loci veram interpretationem didiciſſe: Chriſtum ſapientia creuiſſe, quòd vnà*

cum ætate magis indies, magísque illius sapientia eluceret, ac hominibus innotesceret. Quomodo enim qui Dei filius, qui sapientia plenus, in quo omnes thesauri sapientiæ absconditi, crescere potuit in sapientia? Negare non potestis primo illo Adamo excellentem quandam scientiã, sapientiamq; fuisse infusam: quid ergo amentiæ plenius, quàm Christo Dei filio ignorantiæ infirmitatem tribuere? Longè aliter Hieremias, Fæmina circundabit virum. *Hinc Augustinus,* Ignorantiam *(inquit)* nullo modo crediderim fuisse in infante illo. *lib.1.de peccat. merit.& remiß.c.29. Et Iustinus,* Christo ignorantiam tribuere impium est.*quæst.58.ad orthod.Et Clemens,* An quod est absurdissimum, aliquid ei deest? *lib.1.pædag. Et Hilarius*, An credibile est, vt aliquid ex omnibus nesciat, qui omnibus ad id quod sunt, atque erunt author est.*li.9.de trinit. Mirari satis non poßum, tam audacter absq; omni pudore Arrianorum, Eunomianorum, Gnosticorum, & aliorum hæreticorum impium vos, & peruersum dogma defendere.*

WHITAKERVS.

13 Impiè tu quidem in noui Euangelij paradoxis numeras, quod in vetere Christi Euangelio perscriptum & traditum esse constat. Nisi enim Lucas nouum Euangelium docuit, hoc Euangelium nihil profectò noui habet. De Christo enim infante pueroq; Lucas sic omnino scribit, vt nos pronunciamus. Etenim si crescebat, & spiritu corroborabatur, *& sapientia implebatur:* sicque & *sapientia*, & statura, & gratiâ apud Deum hominesque *proficiebat*, quemadmodum de illo Lucas disertè commemorat, quis non intelligit, hæc in Christo homine non statim, vt natus est, fuisse summa? Qui enim proficiunt, aliquid noui subinde acquirunt, nec mox ad

Luc.2.40.& 52.

summum

ſummum gradum perueniunt. Tua verò ſcholaſticorum interpretatio valdè ridicula eſt, Chriſtum non quidem reuera profeciſſe ſapientia; ſed viſum eſſe hominibus proficere, cùm illius ſapientia ſe indies magis magiſque proderet, ſuique ſpecimen illuſtrius oſtenderet. Quid ergo eſt quo minùs idipſum etiam de ſtaturæ, atque ætatis incrementis affirmemus, & Chriſtum mox editum in lucem virum fuiſſe matura ætate & integro corpore dicamus: quod autem creuiſſe ſcribitur, id de hominum opinione interpretemur? Si enim ſtatura verè profecit, quin verè etiam ſapientia profecerit negari non poteſt. Tum quando Lucas illum ait non modò apud homines, ſed etiam apud Deum profeciſſe, huic fictæ progreſſionis imagini nullum locum relinquit.

Sed nunc ad tuas rationes veniamus, ſi rationes dici poſſũt, quę nihil habẽt rationis. *Quomodo* (inquis) *Dei filius creſcere potuit in ſapientia, qui ſapientia plenus, in quo omnes ſapientiæ theſauri abſconditi?* Si Dei filius fieri potuit hominis filius, ſi de matre naſci more infantium aliorum, ſi viribus augeri, dubium non eſt proficere etiam ſapientia potuiſſe. Etſi enim quâ Deus, nihil ad illius ſapientiam addi potuit, tamen quâ homo, nihil ab illo humanum, ſi modò peccatum excipias, alienum fuit, quemadmodum Apoſtolus clariſſimè docet. *Heb.4.15.* Quanquam autem pleniſſimus eſt ſapientiæ, in eoque theſauri omnis ſapientiæ abſconditi ſunt, hoc tamen quid impedit, quin vt homo illos, quos Lucas nar-

rat, in ſapientia progreſſus fecerit? Qui enim plenus eſt ſapientia, hunc ſtatim, ac prodijt in lucem, eſſe plenum nulla ratio ſuadet. De Chriſto nunc vt homine loquimur, cuius humanitas, ſi tam ſapiens fuit, quàm diuinitas, tota quidem in diuinitatem tranſijt. De Adamo quod ſubiungis mirificum eſt. Adamum Dominus mox creatum excellente ſcientia & ſapientia donauit: Chriſtus ergo nihil ignorauit. Primùm enim Adamus non omnia cognouit, at vos Chriſtum nihil vnquam neſcijſſe contenditis: deinde hoc modo concludes, ne mortuum quidem eſſe Chriſtum. Si enim Adamus ſic initiò conditus eſt, vt non mori potuiſſet, quid amentiæ (vt tuis verbis vtar) plenius, quàm Chriſto Dei filio mortis infirmitatem tribuere? Dic enim, quæſo, vtrum tandem Dei filio indignius eſſe ſtatuas, mori, an aliquid ignorare?
Rom.8.3. Verùm cùm ſcriptura teſtetur
Phil.2.7. Chriſtum in ſeſe noſtram non integram, qualis in Adamo tum fuerat, ſed infirmam & afflictam naturam, peccati tamen expertem ſuſcipere voluiſſe, & exinanitum atque exhauſtum ad nos deueniſſe, mirum non eſt, ſi talis naſci voluit, quales nos ſumus, non qualem Adamum condiderat. Sed hîc neceſſe eſt, ſuccumbamus:
Hierem.31. Ieremias enim longè aliter ſcripſit, *Fœmina circundabit virum*: vir igitur Chriſtus fuit in vtero materno, ſcientia, & ſapientia plenus. Mactè virtute: his procul dubio argumentis vinces. Quanquam ſi virum fæmina circundedit, vt tu affirmas, vir ergo Chriſtus fuit, antequam

tequam esset natus, & virum Maria, non infantem peperit, & Simeon senex virum in vlnas non puerulum accepit. Hæc præclara sunt tuæ interpretationis commenta tuo certè patrocinio dignissima. Hîc cùm scripturæ deficiant, patrum nos testimonijs aggrederis: & nobis Augustinum, Iustinum, Clementem, Hilarium obijcis, quibus ego reliquisque omnibus si vnum Lucam oppono, vincam est necesse. Sed isti patres de Christi diuina naturâ loquuntur. Christus enim puer, etsi in infantia quoad humanam naturam multa ignorauit, tamen ne in vtero quidem materno diuinitate sua aliquid nesciuit, nec id quisquam dubitat. Atque hoc patres sensisse ex Iustino constat, qui Christum arguit Iudæ proditionem præsciuisse, *quia Christo ignorantiam affingere impium est.* Sed nos de Christi humanitate quærimus, in quam diuinitas sapientiam & reliquas dotes contulit non statim vniuersas, sed prout mediatoris officium postulabat. Insulsum igitur est, quòd te mirari dicis veterum hæreticorum à nobis dogmata defendi.

Iustin. quæst. orthod. 58.

DVRAEVS, Fol. 231.

Sed Christus (*inquis*) à Luca non πλήρης, sed πληρούμενος sapientia dicitur. *πληρούμενος verò non profectum atque accessionem significat, sed potiùs efficientiam. Vrget fortè nos magis, quod sequitur,* Ioannes (*inquis*) ab vtero matris plenus spiritu dicitur, & tamen in dotibus spiritus sancti creuisse negandum non est. *Ioannes lucerna fuit, Christus lux, quæ omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat. Ioan. 1.*

Neq; animaduertisti plenitudinem gratiæ (vt scholastico more loquamur) vel esse ratione subiecti, vel ratione ipsius gratiæ. Christo non est data gratia ad mensuram.

VVHITAKERVS.

14 Illa verbi obseruatio non mea est, sed Erasmi, tuiq; Iansenij. Et verò cùm Christum Lucas scribat creuisse & corroboratum esse spiritu, πληρούμενον σοφίας progressum & accessionem indicari satis manifestum est, præsertim cùm mox addit, καὶ προέκοπτε σοφίᾳ. i. *& sapientia proficiebat.* Atq; vt plenũ sapientiæ fuisse fateamur, non tamen esse necessarium vt infans plena sapientia præstiterit, Ioannis exemplum demonstrat, quem etiam
Luc. 1.15. angelus spiritu sancto plenum ab vtero matris fore prædicit. Nec tua distinctio scholastica quicquam valet. Si enim pleni gratiâ sunt ratione subiecti, qui imbuti ea gratiâ sunt, quæ ad munus obeundum sufficiet, Ioannes mox natus non fuit hac gratiâ plenus, nisi putemus Ioanni cùm primùm hanc lucem aspexit nihil ad muneris functionem defuisse, quod nimis puerile est. Sed *Christus* (inquis) *lux fuit, quæ omnem hominem illuminat.* Ineptè ad Christi humanam naturam accommodas, quod de illius diuinitate Euangelista intellexit. Et quòd spi-
Ioan. 1.9. ritus dicitur illi non esse datus ad mensuram, de mediatoris persona accipiendum est, in qua sunt duæ naturæ: nec sequitur, Christus immensa spiritus sancti vbertate præditus est, ergo

go nunquam aliquid in ſapientia profecit.

DVRAEVS, Fol. 232.

Sed Ambroſium nobis obÿcis. Chriſtus (*inquit*) ſecundùm carnem vtique ſapientia implebatur & gratia. *Idem Ambroſius ſeipſum interpretatur:* Ego verò nihil ignoraſſe filium dico, ſed noſtrum aſſumpſit affectum, vt noſtra ignoratione ignorare ſe diceret. *lib. 5. de fide cap. 8.* Ianſenius (*inquis*) lubenter ſe in hanc ſententiam ire profitetur. *Sed facilè tui Academici te nunquam Ianſenium vel legiſſe, vel certè intellexiſſe deprehendent. Sed adhuc nouas copias adiungis.* Eraſmus (*inquis*) eam veriorem eſſe ſententiam dixit, quanquam illum in tuis non numero. *Si in noſtris ille non numeratur, quicquid demum ſenſerit, non valde ſolicitos nos reddit.*

VVHITAKERVS.

15 Ambroſium tuus etiam Ianſenius citauit, quod facilè animaduertiſſes, ſi Ianſenium ipſe legiſſes, quem me non legiſſe exiſtimas. Neq; aliud nos dicimus, quàm quod Ambroſius ſcribit, *Chriſtus ſecundùm carnem ſapientia & gratia implebatur.* Hunc enim puerrum certum eſt propter ὑποστατικὴν deitatis vnionem nihil ignoraſſe. Sed ineptum eſt à perſona ad humanam naturam argumentum, vt quia homo Chriſtus nihil ignorauit, id etiam de Chriſti humanitate liceat affirmare. Et quanquam Ambroſius contra hæreticos diſputans nullam vel humanitati ignorantiam tribuere videtur, tamen aliter pleriſque viſum eſſe perſpicuè teſtatur. Sic enim ſcribit: *Sunt tamen plerique non ita timidiores, vt ego. Malo enim alta timere, quàm* *Ambroſ. de fide lib. 5. cap. 8.*

ſapere: ſunt tamen plerique eo freti quod ſcriptum eſt. Ianſenius num lubens in hanc ſententiam abeat, loquatur ipſe: *Cum ſcripturis* (inquit) *ſacris & fidei ſynceritate obſtare non videatur, ſi dicatur deitas per gradus quoſdam dotes ſuas impartiſſe humanæ naturæ aſſumptæ, & Lucas id apertè hoc loco bis dicat, eiſdem verbis nunc loquens de Christo, quibus priùs de Ioanne. &c.* De Eraſmo dubium non eſt, quin à vobis in hac cauſa diſſentiat, vt ferè ſolet in reliquis. Itaque illius libros Tridentina ſynodus tanquam hæreticos prudentiſſimè damnauit.

Ianſen. in concord. cap. 12.

DVRAEVS, Fol. 233.

Mirum verò quàm hîc inſultas, quod Campianus ex ignorantia, ſi quæ in Chriſto fuiſſet, peccatum etiam originale in eo eſſe debuiſſe contendat. Vbi tu ſanè perignoranter de ignorantia diſputas. Nam tametſi quædam angeli, primiq́; parentes noſtri neſcierint, ignorantia tamen, de qua hîc Theologi loquuntur, minimè laborarunt. Illam verò ignorantiam, quæ ex originis labe in naturam humanam irrepſit, ſi tu in Chriſto eſſe fateris, euadere nunquam poteris, quin & originis labem contraxiſſe Chriſtum affirmes. Quod vt confirmes, Cyrillo teſte Chriſtum prout erat homo, iudicij diem ignoraſſe pronuncias. Ignoras præcipuum illud Arrianorum argumentum fuiſſe, cui Catholici patres multis ante natum Caluinum ſeculis abundè reſponderunt.

WHITAKERVS.

16 Cuiuſmodi hoc Campiani argumentũ extiterit, non eſt difficile iudicare. Primùm enim nõ omnis ignorantia ab originali peccato fluxit, quan-

quandoquidem & Angeli nunc multarum rerum ignari ſunt, & Adamus, antequam erat vllo peccato imbutus, nonnulla ignorantia laborauit. Itaq; vt Chriſtum multa ignoraſſe dicamus, nunquam tamen vllum in Chriſto fuiſſe vitium ſequetur. Deinde etiamſi affirmemus omnem ignorantiam eſſe pœnam peccati, tamen tantum aberit vt hinc efficias nullam in Chriſtum cadere ignorantiam potuiſſe, vt contrarium potius euincatur. Pœnas enim omnium peccatorum noſtrorum ipſe perferre & luere debuit. Itaque non hanc modò pœnam Chriſtus, ſed mortem etiam, quam peccato pœnam Dominus conſtituit, *Rom. 1. 23.* in ſe ſuſcepit, nec tamen proinde labem originalem contraxit. Cùm hæc priùs Campiano reſpõdiſſem, cur non diluebas? Nimirum ipſa veritas omnes tuæ refutationis fauces compreſſit. Chriſtus verò num quoad humanam naturam iudicij diem neſcierit, ipſum interroga Chriſtum. Sic ipſe reſpondet, *Nemo ſcit nec ipſe filius.* Hunc *Mar. 13. 32* filium eſſe Chriſtum non ignoras: Chriſtus ergo diem illũ humanâ naturâ ignorauit, quod etiam Cyrillus apertè comprobat. Nazianzenus etiam ſcribit, γινώσκει μὲν ὡς θεὸς, ἀγνοεῖν δέ φησιν ὡς ἄνθρωπος. i. *Nouit vt Deus, vt homo ſe dicit ignorare.* Nec eſt quòd hîc *Nazianz. li. 2. de filio.* mihi veteres Arrianos cõmemores. Nã illi Chriſtum penitus ignoraſſe diem illum arguebant. At Chriſtus Dei filius, qua eſt Dei natiuus filius, nihil vnquam ignorauit aut ignorat, aut omnino ignorare poteſt, quæ pater ipſe nouit: tum enim ne Deus quidem eſſe potuiſſet. At hoc cùm

Arria-

Arrianos refellit, tum nihil obſtat, quo minùs Chriſto vt homini illius diei horæque tempus incognitum fuerit. Patres pleriq; ſic illa Chriſti verba interpretantur, filium ignoraſſe quia non reuelauit, & alios ignorare voluit. Sed hæc interpretatio facilè reprehendi poteſt. Perinde enim ſequitur, & ipſum patrem ignoraſſe, cùm diem illum pater nihilò magis, quàm filius, indicarit.

DVRAEVS, Fol.234.&c.

Sequitur deinde aliud paradoxon ſanè abſurdiſsimum. Chriſtus cùm orans in horto ſudoribus aquæ manaret ac ſanguinis, ſenſu damnationis æternæ cohorruit. *Quid ergo Whitakere, exhorruit gehennam, vel iram Dei? Certè Chriſtus qui Dei filius erat, qui nihil in ſe ira dignum eſſe ſciebat, gehennæ pœnas perhorreſcere non potuit. Neque enim minùs illum de ſua electione certum, quàm Theodorum Bezam fuiſſe conſentaneum eſt. Quid ergo eſt, quod ais?* Hinc illa vox in cruce emiſſa, quam ille non fictè, ſed ex animo, edidit, Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me? *Quomodo ſe à patre deſertum, cui ſeipſum totum offerebat, cogitare potuit? Rabanus veram illius loci ſententiam te docere potuiſſet. Hoc ſenſu dixit Chriſtus (Deus meus vt quid me dereliquiſti?)* vt naturæ noſtræ miſeriam deploraret.

Marlor. in 26. Marc. Caluin. in harm.

Raban.

WHITAKERVS.

17 Qui meam ſuperiorem reſponſionem cum tua hac refutatione contulerit, quàm te hîc miſerè atque improbè geras, facilè perſpexerit. Dum enim nobis abſurdum aliquod παράδοξον aſfingere cum tuo Campiano conaris, ipſe Chriſti perpeſſiones ſanè ſummas, & vim mortis minuis. Sic enim ſtatuis Chriſtum tanquam ſtipitem,

cùm maximis malis vrgeretur, omni doloris ſenſu caruiſſe, & mortem tanquam rem lætam adijſſe. Sed nos aliter ſcripturæ docent. Eſaias ait, *Morbos noſtros ipſe pertulit, & dolores ipſos noſtros ipſe portauit. Ipſe dolore afficitur ex defectionibus noſtris, atteritur ex iniquitatibus noſtris, caſtigatio pacis noſtræ imponitur ei. Iehoua fecit, vt incurrat in eum pœna omnium noſtrûm*: Et quæ in illo capite deinceps in hanc ſententiam ſequuntur. Si noſtri nulli ſunt dolores acriores, quàm qui in iræ diuinæ recordatione, mortiſque metu verſantur, noſtros autem dolores omnes Chriſtus homo pertulit, quis ſine incredibili in Chriſtum iniuria negare poteſt, illũ ex iræ diuinæ, & mortis acerbiſſimo ſenſu ſũmos animo dolores cepiſſe? Itaq; ait, *Nunc anima mea perturbata eſt. Triſtis eſt vndiquaque anima mea ad mortem. Capit contriſtari & grauiſſimè angi.* Semel, iterum, tertiò precatus eſt illud poculum auferri, ſi fieri poſſet, nec leuiter ſed tanto impulſu doloris, vt inter precandum ſanguineo ſudore totus manaret. Hæc iſti minimè curant, & ludicra fuiſſe fingunt: Chriſtum enim, quantumuis eum Apoſtoli λυπεῖσθαι, ἐκλαμβεῖσθαι, ἀδημονεῖν, ἐν ἀγωνίᾳ γενέσθαι ſcribunt, ipſeque ſuam animam περίλυπον fuiſſe teſtatur, nullã tamen ſenſiſſe triſtitiam, dolorem, cruciatum, quo quid in Chriſtum contumelioſius excogitari potuit? Ego ſanè ingenuè fateor, quantò hanc iſtorum opinionem diligentiùs expendo, tantò magis illam ab omnibus pijs exuendam atque execrandam ſentio. Num enim aut ſcripturas palàm ab iſtis rideri, aut illa beneficia Chriſti, quæ & nobis

Eſai. 53. 4. 5. 6.

Ioan. 12. 27. Matt. 26. 38. 37. 39. & 4. Luc. 22. 44.

nobis saluberrima sunt, & ipsi charissimè constiterunt, proteri patiemur? Cùm apostolus scribat, *Christū in diebus carnis suæ deprecationes & supplicationes apud eum, qui poterat ipsū seruare à morte, cū clamore valido & lachrymis obtulisse*: & Christus in cruce pendens vocem ex intimo cordis dolore exprompserit, *Deus Deus meus, cur deseruisti me?* Christianum censebimus qui vel fictè Christum doluisse, vel dolendi causam nullam habuisse defenderit? Quare aut mentiti sunt Euangelistæ atque Apostoli, & Christus sine causa dolorem simulauit, quod nefas est affirmare, aut mortem subiturus Christus grauissimos animo mærores suscepit, & grauiùs quàm cum morte communi certamen obijt. Si enim homines hanc mortem quantumuis acerbissimam oppetunt infracto, alacrique animo, satis intelligi potest esse Christum inusitatis quibusdam horroribus conflictatum.

Heb.5.7.

Matt.27.46

Sed fuit (inquis) *Dei filius, nec in se aliquid ira dignum habuit.* Pulchrè: quasi non hominis etiam filius fuerit, & hominum peccatorum personam gesserit. Nec tamen sic ille gehennam timuit, vt vos fingitis: Sed cùm omnium nostrûm in illum vnum pœna incumberet, ea ipsum vt hominem vehementissimè affici, ac permoueri necesse fuit. Erat enim Deus nobis propter peccatum iratissimus: Christus se interposuit, eiusque iræ vim omnem in se vnum effusam sustinuit. Qui ergo Christum nihil sensisse putat, & peccati magnitudinem, & Dei iustitiam, & Christi meritum tollit. Quòd non fuerit absorptus,

deitati

deitati tribuendum eſt. Tuas ineptiſſimas cogitationes te quidem dignas prætermitto, *Verùm* (inquis) *quomodo ſe deſertum putare potuit, qui ſe totum Deo obtulit?* At niſi ad tempus ſe tanquam hominem deſertum ſenſiſſet, cur ſe deſertum fruſtrà & temere dixiſſet? Seipſum quidem obtulit, ſed per ſpiritum æternum, hoc eſt diuinitatem, quemadmodum Apoſtolus docet. Hæc ergo voluntaria oblatio nihil impedijt, quò minùs animo humanos dolores perpeti potuiſſet.

Rabani interpretationem ipſe adduxi, quam tu non intelligis. Ait enim his verbis vſum eſſe Chriſtum, non modò quia noſtram miſeriam deplorare voluit, ſed etiam quia *noſtros motus circumtulit.* Quare illum verè doluiſſe Rabanus iſte iudicauit. Atque eadem eſt Hieronymi, & Ambroſij ſententia, quibus à me citatis nihil reſpondes. Et quomodo noſtram miſeriam tum deplorauit, quando nos ſuo ſacrificio & morte ex miſeris beatos fecit? Túmne enim nos deſeruit Deus, quando morte filij nos redemit? Itaque tuæ expoſitionis incredibilē vides futilitatem. Potui patrum teſtimonijs abundare: ſed nunc vno vtar Damaſceno, qui Chriſtum ſcribit verè metuiſſe, eaq́; omnia ſic reuera fuiſſe geſta vt legimus: atq; huius opinionis Athanaſium authorem citat. Similiter etiam Ianſenius habet, niſi illum fortè, vtpote qui nimis multa è noſtrorum hominum commentarijs ſumpſerit, reſpues. *Derelictum ſe conqueritur Dominus, tum quòd à Deo non erueretur malis, quibus affligebatur, tum quòd diuinitas ſubtrahebat ab humanitate Chriſti con-*

Damaſ. lib. 3. cap. 23. ὅτι ἀληθῶς ἐδειλίασε. φύσει καὶ ἀληθείᾳ τὰ πάντα ἐγένετο.

Ianſen. cōment. in concor. ca. 143.

consolationis riuulos, relinquens eum pati, quæ naturaliter erant afflictiua. Christi ergo perpessiones ac supplicium pergite quantum lubet, extenuare: vestram ingratitudinem atq; impietatem ipse olim Christus vlciscetur.

DVRAEVS, Fol. 236.

Sed iam ipsam impietatis vestræ originem diligentiùs expendamus. Nihil (*inquit Caluinus*) hac corporea morte actũ fuisset, nisi in anima etiam Christus damnati ac perditi hominis supplicium pertulisset. *Quid hoc aliud est, quàm scripturam sacram vniuersam reijcere, quæ sanguinem Christi & mortem, quam patri in crucem obtulit vnicum redemptionis nostræ precium fuisse testatur? Sic à Propheta fuerat prædictum,* si posuerit

Heb. 9. pro peccato animam, dabo illi semen longæuum.

WHITAKERVS.

18 Vellem aliquando posses tuæ impietatis fontem exhaurire. Caluinus verissimè scripsit nihil actum fuisse, si mortem tantùm corpoream Christus obijsset. Non enim corpore tantùm, sed anima etiam pœnæ luendæ erant. Quid ergo insulsius quàm putare satis fuisse Christo ad illud difficilimũ redemptionis expediendum negotiũ, vt vel vnam ex minimo digito sanguinis guttam effunderet, quemadmodum isti tradunt? Hos quisquam existimet precium, quod pro ipsis Christus persoluit, non egregiè contemnere? Quasi eam tantùm pœnam Dominus impijs denunciauit, vt corpus duntaxat moreretur, anima interim nullum doloris sensum pateretur. Sin autem

tem animi quàm corporis multò vehementius erat peccatoribus constitutum supplicium,& hoc Christum defungi, vt vadem nostrum, oportebat, diuinæ iustitiæ minimè satisfactum fuisset, nisi longè maiores animo Christus, quàm corpore dolores pertulisset. Quæ contrà adducis argumenta, summam ostendunt vestræ nationis παραφροσύνην. Num enim quia Christi sanguis precium fuit nostræ redemptionis, hunc sanguinem sine interno animi dolore effusum fuisse, aut Christum non scelerum nostrorum reatum pœnamque subijsse sequitur? Et *animam posuit pro peccato* vt Propheta loquitur,sed contusam,doloribus affectam,ægritudini familiarem, quemadmodum eodem in loco scribitur. Cuiusmodi enim argumentum est, Christus posuit animam pro peccato, ergo nihil illi necesse fuit mente cum patris ira,& inferorum doloribus luctari? Esai.53.

DVRAEVS, Fol. 236.

Videamus quid vos in tantam amentiam præcipitare potuit. Quia hominis(*inquis*) non corpus duntaxat,sed anima etiam Deum offendit,Christum non tantùm mori,sed etiã cũ morte sempiterna luctari oportuit. *Quis vnquam Whitakere, corpus hominis peccasse dixit?homo est,qui peccat,non corpus:sed id tuæ imperitiæ facilè ignosco. Quid velis intelligo,sed cum tuo Caluino, toto, vt video, cælo aberras. Christus enim, qui & Deus & certè homo erat, hominis in se delictum suscepit. Atque in hunc modum diuinæ Christus iustitiæ satisfecit non grauitate ac multitudine suppliciorum,sed pondere actionum,quarum vnaquæque non potuit non esse iustißimum redemptionis precium.Neque nec esse erat.,vt eandem Christus pœnam subiret , quę homini ob peccatum meritò debebatur, quemadmodum si quis ęre alieno op-*

pressum ex carcere liberare velit, vt in carcerem ipse eat necesse non est.

WHITAKERVS.

19 Ὡ'ς ἀργάλεον πρᾶγμ' ἐστι cum indocto, & eodem inflato sophista contendere? Corpus hominis non peccat, ais, in quo te valdè corpori propitium præbes. Verùm si corpus non peccat, cur peccati pœnas luit? Estné enim æquum, vt corpus, quod nunquam tuo iudicio peccauit, propter peccatum grauissimè æternéque puniatur? Sique vt tu dicis, homo peccat, tum certè corpus aliquid ad peccatum confert: anima enim per se non est homo. Sed meæ imperitiæ ignoscis: credo, vt tuæ ego faciliùs ignoscam: & intelligis verò tandem quid velim, quod quidem nisi admodum hebes fuisses, mox potuisses. Cùm enim homo & corpore & anima Deum grauissimè offendisset, hominis autem personam Christus in se recepisset, necesse fuit, vt Christus non modò corpore, sed mente etiam pœnas peccato debitas perferret. Nunc quod Caluini, meumq; erratum fuerit, attendo. *Christus (*inquis*) hominis in se delictum suscepit.* Rectè: sed totúmne an partem? & num sic suscepit, vt dilectorum sensu careret, an non? Quin totum Christus delictum susceperit, dubium non est, quia nos toto liberauit, nisi fortè adhuc toto iudicio in maxima peccatorum nostrorum parte hæremus. Quis autem nescit illam pœnam, de qua iam agimus, Domino inprimis fuisse persoluendam, cùm ea delictis

delictis nostris vel maximè deberetur? Iam quòd Christum sensus etiam peccatorum nostrorum attigerit, illa omnia clarissimè demonstrant, quæ suprà commemorauimus. Et nisi Christus angores sensisset vehementissimos, quid angelo opus fuisset, qui illum confirmaret? Si enim nullos animo dolores percepit, nulla consolatione opus habuit. Verùm addis, *Christus non grauitate aut multitudine suppliciorum, sed actionum pondere iustitiæ diuinæ satisfecit:* cuius tuæ defensionis hic exitus est, vnamquamque actionem Christi, quia non hominis tantùm, sed Dei erat, iustissimum redemptionis fuisse precium. Quod si ita sit, quid mori Christum attinebat? Si enim quauis actione satisfacere diuinæ iustitiæ, & nostram redemptionem conficere potuisset, illud sanguinis precium, & mortem crudelissimam amisisset. Sin hoc cum Dei decreto & iustitia pugnat, & pœna, non quæuis, sed extrema animæ & corporis subeunda erat, quemadmodum corpore Christus mortem acerbissimam, sic exquisitos animo dolores pertulit. Neque huius pœnæ similis fuit, atque æris alieni persolutio, vt tu nimis ineptè fingis. Tum enim quid de cælo descendere Christum necesse fuit, aut nasci hominem, aut vllis malorum generibus affici? Qui enim alterum ære alieno liberant, non ipsi, vt tu dicis, in carcerem mittuntur. Quanquam nemo nescit non ipsos modò debitores, qui soluendo non sunt, sed sponsores etiam in carcerem conijci, quousque creditori satisfiat. At verò si in hoc sponsore non nuda quædam quasi

Luc.22.43.

pecuniæ perſolutio, ſed vera maximarum pœnarum perpeſſio fuit neceſſaria, quid Chriſtum iſto ſponſionis munere veriſſimè perfunctum eſſe dubitamus?

DVRAEVS, Fol. 237.

Quàm verò tu ineptè Melchiorem Canum erroris tui ſocium aſciſcis, quia Chriſtum non in appetitu modò, ſed etiam in voluntate ipſa triſtitiam ſenſiſſe dicat? Sed non ideo, vel deſperauit, vel inferni pœnas expertus eſt. Hieronymus verò, & Ambroſius nihil certè aliud, quàm fuiſſe in Chriſto triſtitiam dicunt.

WHITAKERVS.

20 Ne Chriſtus fortè deſperaret, nullum periculum fuit. Neq; eſt neceſſe, vt quiſquis inferni dolores ad tempus ſuſtinet, is deſperatione perpetua obruatur. Pijs multis grauiſſimus iræ diuinæ ſenſus nonnunquam infligitur, quem tamen illi tandem diuino ſpiritu vincunt. Multò magis Chriſtus omnium inferorum dolores ſuperare potuit. De Cano nonnulla reſpondes, ſed ea valde aliena. Si enim Chriſti voluntas triſtitiã ſenſit, quæ huius triſtitiæ cauſa fuit? aut quã potes aliã cogitare niſi hanc? Vbi maximè tuo auxilio indigemus, nos ſẽper deficis, nec quod ſcire cupimus, explicas. Sed Canus te facilè refellit. Non enim tantùm ait, Chriſtum voluntatis triſtitiam, *ſed angores quoque ſpiritus ſuſcepiſſe.* Tum cauſam adiungit, *Quo pro culpis noſtris omnibus hoſtia illa Deo gratiſſima omnibus omnino modis contereretur.* Tu verò ſcilicet redemptionis noſtræ precium, non grauitate aut multitudine ſuppliciorum,

Canus li. 12. cap. 13.

rum, ſed actionum pondere metiris. Tum pòſt Canus Chriſtum ſcribit, *derelictum à Deo, omniique penitus ſolatio deſtitutum*. Quid dici grauius ab ipſo Caluino potuit? Vt vereor, ne hîc tuum Canum maledictis vexare incipias. Si enim iſto modo Caluinus ſcripſiſſet, impunè profectò nunquam hodie tuliſſet. Potui te ad Catechiſmũ Tridentinũ remittere, quẽ nondũ vidêris ſatis didiciſſe. Multis enim verbis docet Chriſtũ *tormenta & cruciatus animo percepiſſe*, idque vt populũ diligenter doceat Parochus, monet. Hęc catechiſmi verba ſunt, *Quod ad intimum animi dolorem pertinet, nemo dubitare poteſt, quin ſummus in Chriſto fuerit. Sanctis enim hominibus, quicunq; ſupplicia & cruciatus pertulerũt, nõ defuit animæ ſolatiũ diuinitus datum, &c. Verũ Chriſtus amariſſimæ paſſionis calicem, quem bibit, nulla ſuauitate permiſta temperauit. Humanæ enim naturæ, quã aſſumpſerat, ſentire omnia permiſit, non ſecus ac ſi homo, non etiam Deus fuiſſet.* Quid tu nunc Caluinũ exagitas, qui nihil aliud docuit, quàm quod veſtri etiam Catechiſmi tradunt? *Catech. Trident. in articul. Mortuus & ſepultus.*

DVRAEVS, Fol. 237. 238.

Bucerum præ hac inſania modeſtum eſſe *dixit Campianus*, qui inferni nomine ſepulchrum intellexit *Tibi placuit Catholicorum omnium de limbo ſententiam indignum ſomnium appellare: quæ tamen nihil ſcripturis ſacris, neque veterum eccleſiæ patrum teſtimonijs apertius confirmari poteſt. Sic enim Dauid,* Non derelinques animam meam in inferno. *Et Zacharias,* Emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua. *Pſal. 15. Zach. 9.*

Eccles.14. *Et in Ecclesiastico*, Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino. *Vt alia penè innumera prętercam, quæ omnia de limbo patres intellexere, inprimis verò Irenæus, lib. 5. Et Epiphanius hæres. 49. Et Basilius, Psalm. 48. Et Hieronymus in cap. 4. ad Ephes. Et August. Epist. 99. & Epistol. 57.*

WHITAKERVS.

21 Vtcunque hunc symboli de Christi ad inferos descensu articulum aliter Bucerus, aliter Caluinus interpretatur, vterque tamen illum commentitium patrum limbum meritò explodit. Cùm enim vis mortis Christi non minùs ad priscos patres, qui ante Christum vixerunt, quàm ad eos qui consecuti sunt, spectarit, dubium non est sanctorum patriarcharum, & reliquorum animas, qui certa fide Messiam amplexi sunt, fuisse in loca non inferna, sed supera & cælestia delatas. Idque ex Lazari apud Lucam historia cognosci potest. Mortuus enim Lazarus ab Angelis in sinum Abrahæ asportatur, quod qui de limbo intelligendum contendet, quid aliud, quàm mentis ἀφρασίαν prodet? Nec nisi duorum post hanc vitam locorum scriptura vsquam meminit. Nam hæc tua scripturæ testimonia nec ad limbum, nec ad rhombum pertinent. Quod enim propheta ait, *Non derelinques animam meam in inferno*, perinde est, ac si dicat, tu me in sepulchro iacentem non deseres: sed me vitæ, quæ nunc quasi obrui-

Luc.16.22.

tur

tur ſepulchro, incolumem reſtitues. Sic enim apud Danielem ſępiſſimè legimus animam à morte, à ſepulchro, è manu inferorum erui, quod de limbo cogitari non poteſt. Zachariæ verò locum multò imprudentiùs adhibes, quem à tuis de purgatorio intelligi ſatis noſti. Purgatorium verò, ſi vobis ſomniantibus credimus, locus eſt à limbo remotus, & plenus feruentiſſimis flammis, quibus animæ torquentur, cùm limbus quietus & liber à ſupplicio fuerit. Sed vt has nugas mittamus, affatur apud Zachariam Dominus Eccleſiam Iudaïcam, quam ille ſanguine fœderis reſperſam, id eſt, memorem illius fœderis, quod cum ipſa Deus ſanxerat, è ciſterna puteoque Babylonici carceris ac ſeruitutis emiſit. Nónne hi belli interpretes ſunt, qui hinc limbum & purgatorium excogitarunt? Tum hæc verba quæ ex Eccleſiaſtico commemoras, in Gręco exemplari deſiderantur. Græcè autem liber ille conſcriptus eſt. Nec libri huius, quem Apocryphum eſſe docui, authoritatem Canonicam agnoſco. His fundamentis limbum innixum ruere eſt neceſſe. Sed alia prætermittis innumera, quæ cuiuſmodi ſint, cùm hæc præcipua fuerint, non poſſum exiſtimare. Verùm quod ſcripturis euincere minùs potuiſti, id patrum teſtimonijs proculdubio conficies: de quibus, vt tibi quod ſentio, liberè breuiterq; reſpondeam, apud me vna ſcripturæ vocula plus habet põderis, quàm mille patrum ſine

Zachar.9.11

Eccleſ.24.

ſcripturis pronunciata. Itaque non expectabis, dum ſingulatim hos patrum errores diluo.

DVRAEVS, Fol. 239.

Vetera (*inquis*) ſymbola eo articulo caruerunt, quemadmodum author eſt ille, quiſquis eſt, qui ſymbolum commentarijs illuſtrauit apud Cyprianum. *Author ille, quem te ignorare video, fuit Ruffinus. Quid audio? leuisné culpa eſſe poteſt, è ſacroſancto Apoſtolorum ſymbolo Chriſti ad inferos deſcenſum expungere? Et Ruffinus ipſe in ſuo Aquileienſi, alijſq; multis fuiſſe ſatis indicat. Immo & apud Athanaſium inuenitur, apud quem nulla ſepulturæ mentio, vt in Niceno quoque ſymbolo, quod ſepulturæ meminit, deſcenſus ad inferos non eſt expreſſus. Quis non videt eſſe conſentaneum, vt anima ad communem reliquarum animarum locum deſcenderit?*

WHITAKERVS.

22 Non id neſciui Ruffinum putari illius expoſitionis authorem, quæ Cypriani nomine circumfertur, nec te hîc opus habui monitore. Sed tu vt ſapientiam tuam oſtendas, quod nemo neſcit doces: quæ verò docenda erant, non attingis. Si tanta culpa fuit hunc de ſymbolo articulum tollere, magnum profectò Romana Eccleſia ſcelus admiſit, de qua ſic iſte Ruffinus ſcribit, *Sciendum ſanè eſt, quòd in Romanæ Eccleſiæ ſymbolo non habetur additum: Deſcendit ad inferna.* Romanæ igitur Eccleſiæ, quam tu nunquam errare poſſe defendis, ſymbolum hoc articulo caruit. Nec ſanè mirum, cùm ex tam innumeris ſymbolis, quæ paſſim apud antiquos extent, in pauciſſimis reperiatur.

In expoſit. ſymb.

Poſſum

Possum enim plusquàm quinquaginta proferre varia Ecclesiarum symbola, in quibus hæc ad inferos descensio tacetur. In quibusdam inueniri non ignoro: sed tum, vt monuit Ruffinus, ex superiore articulo intelligendus est. Sic enim ait, *Vis verbi eadem videtur esse in eo, quod sepultus dicitur*. Atque hoc Buceri sententiam confirmat, quod illa etiam faciunt, quæ ex Athanasij, & Concilij Niceni symbolis adducis. Si enim ista sic commutantur, vt in quibusdam sepulturæ, in quibusdam descensus ad inferos mentio fiat, manifestum est, eundem esse in vtrisque verbis sensum, vt sepeliri sit ad inferos descendere, & ad inferos descendere sit sepeliri. Et verò valde consentaneum fuit, vt dum corpus Christi in sepulchro conditum iacêret, ipsius anima in commune animarum receptaculum migraret. Sed quibus scripturis fretus affirmas in inferis communem fuisse locum animarum? Nam Christus suam animam mox in paradiso futuram non in inferis pronunciat: nisi fortè esse putas apud inferos paradisum. At Paulus in paradisum raptus non ad inferos detruditur, sed in tertium cælum subuehitur.

Luc.23.43. *2.Cor.12.2.4*

DVRAEVS, Fol. 239.

Quòd à Romanis non fuerit olim disertis verbis in symbolo expressum, nihil mirum. Causam enim reddit Ruffinus, quòd nulla illic hæresis exordium sumpserit. Vt rem tandem concludam, horrenda illa Caluini tui blasphemia, Bezæ etiam tuo non nisi monstrum videri potuit. Tandem (*inquit*) inuentus est nostra

ætate, qui diceret Christi animam verè ad loca damnandis nocentibus destinata peruenisse, & ibi peccatorum nostrorum pœnas luisse. *Quibus verbis sanè Ioannem Caluinum, si quem alium, vehementer perstringit.*

WHITAKERVS.

23 Te tam turpiter hallucinari nihil profectò mirum. Quid si enim nulla tunc hæresis in Romana Ecclesia exordium sumpserit? Ideóne fuit vnus de symbolo articulus tollendus? At hoc quid aliud erat, quàm hæresibus aditum aperire? Sed tuam infelicem coniecturam Ruffinus apertissimè reprobat, cùm ait, *Sed neque in Orientis Ecclesijs habetur hic sermo.* An nullæ enim in Orientis Ecclesijs hæreses extiterunt? Tum tua ratio eò spectat, vt ab hæreticis hunc articulum credamus esse suppositum, ita nunquam aliquid potes vel probabile comminisci. Nam quòd Caluini blasphemiam non nisi monstrum Bezæ visum esse subiungis, quid magis ἀνικὸν dici potuit? Ita eras ab omini iudicio desertus, vt cùm illa Bezæ verba legeres, Caluinum perstringi existimares? Vbi verò Caluinus docuit Christi animam ad inferos descendere oportuisse, vt illic pœnas nostrorum scelerum lueret, quam ille defendit nunquam ad inferorum sedes abijsse? Si nescis quis ille fuerit, quem Beza reprehendit, collegam aliquem tuum consule: mihi non lubet, quem Beza tacuit, nominare: Caluinum esse nemo vnquam nisi aut tu, aut tui similis potuit suspicari.

DVRAEVS.

DVRAEVS, Fol. 240.

Cætera iam paradoxa audiamus. Illyricus imaginem Dei penitus in homine deletam esse dixit. Progressus ille (*inquis*) longiùs est, quàm oportuit. *Sed* Caluino (*inquis*) Campianus manifestam iniuriam facit: Is enim disertè scribit, non penitus in homine deletam fuisse Dei imaginem. *Atque vt tuam nobis eruditionem ostentes, multa de voluntate, de intelligentia, de supernaturalibus illis dotibus in medium affers: sed id de quo agitur, vix ac ne vix quidem attingis. Tuum erat apertè Caluini tui sententiam explicare, quæ certè alia non est, quàm in sanctis nihil aliud esse intrinsecus, quàm meram corruptionem ac contagionem. Si enim nulla vera in sanctis iustitia est, sed eorum opera omnia peccata sunt, quid præter corruptionem in illis & contagionem esse potest?* **De homine.**

WHITAKERVS.

24 Si quid Illyricus errauit, id nihilo nostrâ magis interest, quàm vos vestrorum hominum priuatæ quædam falsæque opiniones attingunt. Caluinus verò non est in huius sententiæ societatem pertrahendus, qui de reliquijs imaginis Dei nihil nisi sanctè vereque docuit. Quod vt explicarem, paulò fusiùs hanc omnem causam pertractaui, eaque dixi, in quibus ipse nihil inuenire dignum reprehensione potuisti. Nam quòd ais, me id, de quo agitur, vix attigisse, quid quæso aliud agebatur, quàm vt vestris calumnijs responderem, eamque non esse nostram sententiam demonstrarem, quam nobis Campianus affinxit? Id si præstiterim, quod tu agnoscis, meo numere defunctus sum. Quod verò tu meum esse dicis, id quidem meum minimè fuit. Atque hîc Caluinum con-

uicio

uicio aggrederis immani. Vbi enim Caluinus dixit in ſanctis nihil eſſe aliud intrinſecus, quàm corruptionem & contagionem? Ita nec Deum metuis, nec homines erubeſcis? Profer enim, ſi potes, eiuſmodi vlla Caluini verba: ſi non potes, cur quod Campianus initio falſiſſimè obiecit, tu nunc iterum maiore fallendi voluntate repetis? Sunt enim in ſanctis ac renatis multa, quæ Deo placeant, præſtantiſſima ſpiritus ſancti dona, fides, ſpes, charitas, patientia, humilitas, manſuetudo, pax, gaudium, temperantia, odium peccati, iuſtitiæ deſiderium. Has vt quiſquam virtutes nihil aliud eſſe dixerit, quàm meram corruptionem & contagionem? Apage, cum tuo hoc incredibili διαβολῆς monſtro. Argumentum verò tuum quod ſequitur, quàm quæſo putidum eſt? Nulla eſt in ſanctis vera iuſtitia, ergo nihil eſt in ſanctis niſi corruptio & contagio. Etſi enim ſancti nullam habent in ſe propriam iuſtitiam, quæ diuinæ legi ex omni parte ſatisfaciat, tamen multis præditi ſunt egregijs virtutibus, & ſpiritus ſancti ornamentis. Si quia in te nulla eſt ſolida doctrina, nihil aliud quàm meram inſcitiam eſſe diſputem, tam ego rectè hoc, quàm tu illud concludam. Iterum nouam calumniam arripis, quando ais, ſanctorum opera omnia eſſe peccata. Non ſunt peccata, ſed propter inhærens vitiũ aliqua peccati labe polluuntur. Quanquam enim ſanctorum opera non attingunt illam perfectionem, quam lex & iuſtitia diuina poſtulabat, tamen non ſunt, vt tu fingis, tota peccata. Num enim qui morbo leuiter laborat, cum mox

totum

totum nihil aliud eſſe ſtatues, quàm morbum, aut morboſum? Dignus certè ſis medicis multiſq; medicamentis, ſi id dicas.

Dvraevs, Fol. 241.

Quod ſubiungis, quàm fæliciter fidei Chriſtianæ dogmatibus imbutus ſis, ſatis oſtendit. Nunquam profectò Eccleſia Catholica peccatum eſſe accidens vel qualitatem *credidit, ſed illius vim omnem atque naturam in* priuatione *conſiſtere. Quomodo enim accidens omne cùm entis in ſe rationem complectatur, non habet effectricem cauſam & authorem Deum?* De peccato.

Whitakervs.

25 Noſtram de peccato Originali ſententiam non aliam eſſe dixi, quàm quæ ſemper Eccleſiæ Catholicæ fuerit, id quod me facilè demonſtraturum confido. Etenim illud peccatum nos non ipſam animæ ſubſtantiam, ſed rem *accidentariam* eſſe ex verbo Dei, & perpetuo Eccleſiæ iudicio defendimus, quod qui negat, Illyrico grauiùs fædiuſq; errat. Quid enim? Tu peccatum eſſe *accidens* negas? Et tamen te Catholicum vocas? Quodnam hoc ſophiſtici cerebri delirium eſt? Si neque ſubſtantia eſt, neq; accidens, vt tu doces, cuiuſmodi tandem hanc rem eſſe quæ iſto nomine peccati cenſetur, exiſtimemus? *Eius* (inquis) *vis ac natura in priuatione conſiſtit.* Rectè: ſed priuatio nónne eſt res accidentaria? Quid ergo in ſcirpo nodos quæris, cùm veram ſententiam agnoſcis? Accidens vulgò dici ſolet, quod in ſubiecto ineſt, nec eſt de ipſius ſubſtantia,

tia, quodq; vel adesse, vel abesse potest sine subiecti interitu : cuiusmodi peccatum esse nemo dubitat. Et quanquam vim naturamq; peccati in priuatione consistere fateor, hanc tamen priuationem minimè nudam & puram esse ex tuo etiam Thoma poteras didicisse. Peccatũ enim non esse

Thom. 1. 2. quæst. 82 art. 1.

puram priuationẽ, sed habitum corruptũ, morbo similẽ statuit, quo non modò sanitas sublata est, sed humorum etiam vitiosa dispositio inducitur. Et scholastici cùm priuationẽ originalis iustitiæ formam faciunt originalis peccati, materiam verò concupiscentiam, vel inclinationem facultatũ vitiosam, quid aliud docent, quàm esse aliquid in peccato, vt Thomas loquitur *positiuum*? Sed quid te coner multis refutare, cùm medicina potiùs, quàm refutatione egeas. Tamen Catholicæ Ecclesiæ sententiam ex Maximo Hierosolymorum Episcopo agnosce, de quo Eusebius meminit. Illius hæc verba sunt : τὰ κακὰ πότερον οὐσίαι σοι δοκοῦσιν εἶναι,

Euseb. de præparat. li. 7. in fine.

ἢ ποιότητες οὐσιῶν, *Vtrùm* (inquit) *tibi peccata videntur esse substantia, an substantiarum qualitates*? tum respondet suis verbis : ποιότητας οὐσιῶν εὖ ἔχειν λέγειν μοι δοκεῖ: *Rectum mihi videtur, vt dicamus esse qualitates substantiarum*. Est igitur peccatũ qualitas. Tum mox

August. lib. 4. Hypogno.

hominem malum esse dicit ἀπὸ τῶν συμβεβηκότων τῇ οὐσίᾳ, id est, *ab accidentibus substantiæ*. Peccatum ergo accidens est. Et Augustinus, *Libido* (inquit) *est per peccatum primorum parentum. Accidens malum atq; pudendum, cuius non Deus author est, sed diabolus.* Quod cùm ita sit, quò nunc tua recidit nostræ sententiæ præclara reprehensio? At tum (inquis) *si accidens sit, causam habet & authorẽ Deum.*

Quàm

Quàm acutè? Primùm enim non est omnium accidentium αἴτιον ὡρισμένον, vt docet philosophus: deinde omnium accidentium causa non est Deo, nisi *indirectè*, & per accidens tribuenda. Basilius ait, *Principium & radix peccati in nobis est, & nostrum liberum arbitrium.* Sic te ex eorum esse numero perspicimus, qui philosophantur, sed paucis.

Metaphys. lib. 5. cap. 30

Basil. in hom

Quod Deus non est author peccati.

DVRAEVS, Fol. 242.

Neque omnino Basilium, Augustinum, Ambrosium, quos citas, intelligis. Basilius peccatum non accidens, neque qualitatem vocat, sed affectionem virtuti contrariam. Sic tenebræ, & cæcitas affectiones sunt lumini & aspectui contrariæ, nec tamen inter qualitates vel omnino accidentia numerantur. Augustinus te calumniæ accusabit. Nam quæ de concupiscentia scripsit (quam paulò antè peccatum esse negauit) tu ad peccatum summa fraude retulisti. Apud Augustinum nihil frequentius occurrit, quàm peccatum priuationem, inordinationem, immo nihil esse. Ambrosii verba errorem tuum apertissimè refellunt.

WHITAKERVS.

26 Isti omnes id dicunt, quod ego sensi, & dicendum existimaui. Basilius peccatum vocat διάθεσιν virtuti contrariam. Virtuti autem non nihil, vt tu fingis, sed aliquid certè contrarium est. Augustinus concupiscentiam vocat *affectionem malæ qualitatis*: de ea verò concupiscentia loquitur, quam Originale peccatum appellat. Si ergo concupiscentia, quam Augustinus originale peccatum esse statuit, sit malæ qualita-

Basil. in ἑξαήμ. hom. 2

August. de nuptijs & concupiscēt. lib. 1. ca. 25.

qualitatis affectio, tum peccatum esse malam qualitatem constat. Sed *hîc me* (inquis) *Augustinus calumniæ accusabit*. Quamobrem tandem? Quia de concupiscentia, non de peccato loquitur, & concupiscentiam negat esse peccatum. De calumnia ergo videamus. Negat (ais) Augustinus concupiscentiam esse peccatum. Hoc verò falsissimum esse ex Augustino dilucidè constat. Si enim non sit peccatum, cur vocat affectionem malæ qualitatis? Cur languori comparat? Denique cur omnino quærit, quemadmodum concupiscentia maneat in renatis, cui omnia peccata remittuntur, si non sit concupiscentia peccatum? Quàm hæc insulsa quæstio disputatioq; extitisset, si concupiscentiam non esse peccatum statuisset? Respondet autem Augustinus, dimitti in baptismo concupiscentiam, non, vt tu vis, vt omnino minimè sit peccatum, *sed vt in peccatum non imputetur*. Si enim non esset peccatum, quomodo posset in peccatum imputari? Quanquam ergo peccatum est, tamen renatis in peccatum nequaquam imputatur: atque hoc modo quæstionem Augustinus verissimè ac scitissimè dissoluit. Quod enim Augustinus concupiscentiam etiam in renatis peccatum esse senserit, ex multis ipsius sententijs intelligi potest. Nam & peccatum, & pœnam peccati, & causam peccati esse affirmat in vna verborum complexione, idque etiam in sanctis. De ea enim concupiscentia loquitur, *contra quam bonus spiritus concupiscit.* Et iterum, *Non est nulla iniquitas, quando superiores partes inferioribus turpiter cedunt, & inferiores superio-*

August. contra Iulian. lib. 5. cap. 3.
Contra Iulian. li. 6. ca. 8.

superioribus turpiter reluctantur, etiamsi vincere non sinantur. Est igitur concupiscentia peccatum, etiamsi consensus non accesserit. Quod etiam clarissimè in illo libro, cuius antè meminimus, confirmat. Sic autem ait: *Agit aliquid concupiscentia carnis, & quando non exhibetur ei cordis assensus. agit autem quid, nisi ipsa desideria mala & turpia?* Si fortè scribere aliter nonnunquam videtur, tamen aliter nunquam omnino sentit. Quanquam enim interdum negat hanc concupiscentiam esse peccatum, id tamen non simpliciter, sed respectu & ratione actualium peccatorum dicit. Quòd autem peccatum Augustinus & *priuationem*, & *inordinationem*, & *nihil* appellarit, haud ignoro. Non tamen vt planè nihil esse peccatum persuaderet. Num enim putas in baptismo nihil remitti, aut Christum suo sanguine nihil expiasse, aut Deum nobis propter nihilum tam grauiter irasci? Peccatum ergo esse aliquid concedas velim nobis aliquando. Ambrosius quando peccatum non substantiam, sed boni præuaricationem vocat, tuum errorem refellit. Præuaricatio enim est actio, non nuda priuatio. Et vos ipsi peccatum esse actionem summa contentione defenditis. Si est autem actio, tum *Accidens* est, non nuda priuatio est, non nihil est.

De nuptijs & concupisc. lib. 1. cap. 27.

Ambros. in Rom. 7.

DVRAEVS, Fol. 242.

Sequitur paradoxum aliud: tritum enim in hac fece dixit esse

Campianus peccata omnia paria eſſe. *In eo Caluinus peccata paria fecit, quòd omnia mortalia, & æternis digna ſupplicijs cenſuerit, tamq; æternam mereatur pœnam, vt illius vtar exemplo, qui gallum gallinaceum vbi opus non eſt occiderit, quàm qui Guiſium heroa occidit. Quod tu certè Caluinum docuiſſe, etſi gnauiter impudens ſis, negare non audes.*

WHITAKERVS.

27 Te quidē pulcherrimos in ea ſchola progreſſus feciſſe cōſtat, in qua impudētia gnauiter & docetur, & diſcitur. Num enim ideo peccata Caluinus paria facit, quia omnia ex ſua natura mortifera eſſe contendit? At id ſcriptura apertiſſimè docuit. Si enim peccatum quoduis eſt legis diuinæ tranſgreſſio, atque à Deo, qui ſummum bonum eſt, auerſio ac defectio, mortem profectò per ſe quoduis neceſſe eſt æternam
Rom.6.23. mereatur. Atque ita Paulus, peccati ὀψώνια
21. mortem eſſe ſcribit: & earum rerum, quarum eos nunc pudebat, finem eſſe mortem affirmat: & antè teſtatus eſt qui peccatum vllum admitterent, morte dignos iudicari. Iaco-
Rom.1.32. bus autem diſertiùs rem explicat, *Quiſquis*
Iacob.2.10. *in vno offenderit, omnium factus eſt reus. Nec* de ſceleſtis & improbis loquitur, ſed de ijs etiam, qui ſunt diuinæ legis ſtudioſi. Quanquam autem Dei iuſtitia poſtulat, vt peccatum ſiue magnum, ſiue paruum æterno ſupplicio adiudicetur, non tamen æqualiter æternam pœnam meretur qui gallum temerè ceciderit, quique hominem trucidauit. De Guiſio

Guisio duce nihil est quòd amplius responde-
am: Dei iudicia semper iusta sunt. οἷα τ' ἀνὴρ ῥέζει, τοῖ-
η τέλος αὐτὸν ἱκάνει.

DVRAEVS, Fol.243.

Gratiam vos Campiani in solo Dei fauore collocare dixit. De gratia.
Gratiam (*inquis*) duplicem facimus. *Vel enim gratuitam Dei erga nos beneuolentiam clementiamq́, significat, vel ea dona quæ ex illa Dei misericordia ad nos perueniunt. Non fauor ille Dei, quo nos complectitur, gratia vel gratis data, vel gratum faciens vnquam dici solet, sed gratia gratum faciens, est quæ diuinitus infusa nos iustificat, de qua Paulus iustificati gratis per gratiam ipsius.* Rom.3. *Gratia gratis data, vt donum linguarum, miraculorum, aliaq́, huiusmodi.*

WHITAKERVS.

28 Non est, quòd existimes illas scholasticas gratiæ distinctiones mihi fuisse incognitas. Etsi enim tecum nolo de Thomæ Theologia contendere, minimè tamē metuo, ne tu me Thomę tui argutijs fallas. Gratiā dixi sequutus scholasticos, esse duplicem, alteram quam vocant *gratum facientem*, alteram, quam *gratis datam*. Istam mihi distinctionem satis placere affirmaui. Non enim est necesse, vt qui vulgari tritaque distinctione vtitur, eodem modo distinctionem intelligat, quo vulgò solet. Gratiam gratū facientē scholastici ferè interpretantur dona & qualitates in animā infusas: ego verò hanc contēdo

multò rectiùs pro Dei fauore & misericordia summi, quæ non in nobis, sed in ipso Deo residet. Quis enim nescit gratiæ nomine in scripturis sæpissimè Dei beneuolentiam, misericordiamque declarari, nec posse illa dona intelligi, quę in nos ex gratia conferuntur? Noachus dicitur gratiam in oculis Domini inuenisse: sic alij multi. Hęc autem Gratia palàm Dei fauorem significat. Paulus ait, *Si per gratiam, non ex operibus*: vbi omnes inhærentes virtutes à gratia distinguit: nihil autem distinguitur à seipso. Ad Timotheum ait, *Gratiam nobis in Christo datam esse ante tempora æterna*: an tum etiam nos donis illis præditos fuisse dices, tam multis antequam nati sumus seculis? Ad Titum ait, *Illuxit gratia illa Dei salutifera omnibus*. In his, cæterisque huiusmodi infinitis scripturæ sententijs nihil aliud gratiæ vocabulo indicari manifestum est, quàm Dei gratuitum, quo nos complexus est, amorem. Quid quòd ipse Apostolus Dei gratiam à donis infusis apertissimè distinguit, cùm ait, *Gratia Dei, & donum per gratiam*. Num ergo æquum fuit, cùm gratia distinguitur, hanc tam nobilem partem prætermitti? Et ipse Aquinas, magnus magister scholasticorum, vi victus clarissimæ veritatis, gratiæ nomen isto modo interdum exponit. *Quandoque* (inquit) *gratia Dei dicitur ipsa æterna Dei dilectio: secundùm quod dicitur etiam gratia prædestinationis, in quantum Deus gratuitò, & non ex meritis aliquos prædestinauit, siue elegit*. Sic illam Dei gratiam de qua meminit Apostolus ad Titum, Dei misericordiam

Gen. 6. 8. Rom. 11. 6. 2. Tim. 1. 9. Tit. 2. 11. Rom. 5. 15. 1. 2 quæst. 110. art. 1. In epist. ad Tit. cap. 2. lect. 3.

cordiam interpretatur. Atque hæc illa gratia est, qua nos Apostolus gratis iustificari scribit. Si enim gratia, non operibus; quia tum gratia non esset, vt ipse disputat. Omnia ergo opera nostra qualiacunque tandem fuerint, à iustificatione gratuita remouentur. Tum hanc gratiam non nostram, sed Dei vocat, vt certum sit, Dei beneuolentiam gratuitam designari. Huc accedit, quòd non ipsius tantùm gratiâ, sed gratis etiam nos iustificari dicat. Si verò nostris operibus iustificamur, non omnino certè gratis iustificamur. Denique cùm Christi redemptionem adiungit, de qua gratia loquatur apertissimè indicat, de ea nempe, quæ huius redemptionis causa fuit. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium vnigenitum dederit*. Illa ergo gratia non magis in nobis inhæret, quàm Christi redemptio. Ita clarissimis testimonijs alteram huius distinctionis partem comprobauimus.

Rom.3.24.

Ioan.3.16.

Gratia autem gratis data, non tantùm miracula comprehendit, vt tu vis, sed alia etiam vniuersa donorum genera, quæ ex Dei amore, & liberalitate proficiscuntur. Cur enim obsecro loqui linguis, dicatur potiùs gratis dari, quàm fides, quàm charitas, quàm cætera dona, quæ ad vitam æternam pertinent? Dabis ergo veniam mihi, vt distinctionem piàm & necessariam, à scholasticis corruptam, aut parùm intellectam emendare atque explicare possim.

DVRAEVS, Fol. 244.

Rom. 13. *Ad te iam redeamus. Agnosco vestrum de imputatiua iustitia dogma, quo nescio quid à scripturis magis alienum fingere quisquã possit. Si enim finis legis, vt Paulus docet, charitas est: qui enim diligit proximum, legem impleuit, cùm iustitia non nisi in legis impletione consistat, certè si in nobis verè est charitas, vera etiam sit iustitia necesse est. Pulchrè Augustinus,* Charitas inchoata, inchoata iustitia est; charitas prouecta, prouecta iustitia est; charitas magna, magna iustitia est; charitas perfecta, perfecta iustitia est.

August. de natur. & grat. c. 70.

WHITAKERVS.

29 Sic quidem loqueris, vt hominem decet Iesuitam. Quid enim scriptura magis, quàm iustitiam imputatiuam celebrat? Abraham credidit Deo, *& imputatum est ei pro iustitia.* Itaque Apostolus concludit, nihil Abrahamum habuisse, de quo gloriari posset. Qui enim inhęrente operum iustitia nituntur, ijs merces ex debito persoluitur, non ex gratia imputatur: fides autem imputatur pro iustitia, ei qui non operatur, sed credit in eum, qui iustificat impium. Atque Dauid pronunciat illum hominem beatum, cui Deus iustitiam sine operibus imputat. Hæc Apostolus clarissimè *de iustitia imputatiua* scripsit, quem tu forsan totus in cœnum scholasticorum immersus, nondum satis attentè perlegisti. Quid? An nostra peccata Christo nescis fuisse imputata? Quid ni ergo similiter nobis Christi iustitia imputetur? Num verò

Rom. 4. 3. 4. 5. 6.

nostris

nostris Christum peccatis reipsa laborasse putas? Id nunquam, opinor, dixeris. Cùm ergo in altero imputationem inuitus agnoscere cogaris, cur non etiam in altero concedis, præsertim cùm ipse Apostolus hanc nobis ἀντίθεσιν proponat? *Christus factus est pro nobis peccatum, vt nos efficeremur iustitia Dei in eo.* 2.Cor.5.21. Ita nos igitur in Christo iustitia sumus, vt ille fuit in nobis peccatum, quod de imputatione necessariò intelligendum est. Et verò cùm iniustitia ac impietas nostra in debito constiterit, debitum autem nostrum Christus persoluerit, hanc persolutionem necesse est non aliter esse nostram, quàm sola imputatione. Tum quid peruersius fingi potuit, quàm nobis sanctorum merita imputari, Christi iustitiam non imputari? Qui enim indulgentias redimunt nummis, non dubitant, quin ex aliorum meritis maximos sint ipsi fructus, & lucrum eximium percepturi. Si ergo possunt merita sanctorum, vt ipsi existimatis, eos facere iustiores in quibus non inhærent, quàm impium atq; absurdum fuerit Christi meritis ac iustitiæ vim imputationis minorem tribuere?

Quod de fine legis, & charitate adiungis: agnosco. Dilige proximum tuum, quemadmodum lex præscribit, & secundę tabulæ legis satisfacies. Sed hoc pręstare minimè potes. Nihil ergo est, quòd te tuę charitatis opinione vendites, quæ quidem etsi tanta esset, quanta in vllum vnquam hominem cecidisset, longè tamen à legis pręscripto abesset, nec te iu-

ſtum efficere poſſet. Auguſtino non eſt neceſſe multa reſpondere. Inchoatam enim & prouectã, & magnam iuſtitiam agnoſcimus charitatem. Sed hæc illa non eſt iuſtitia, quę nos ab ira Dei liberat: ea enim eiuſmodi eſt, quę nullos progreſſus graduſq; ſuſcipit, ſed ſemper ſumma eſt & perfectiſſima, nimirum Chriſti obediẽtia nobis, quantumuis neges per fidem imputata. De charitate alio in loco Auguſtinus, *Pleniſſima charitas, quæ iam non poteſt augeri, quamdiu hîc homo viuit, eſt in nemine. Quamdiu autem augeri poteſt, profectò illud quod minus eſt, ex vitio eſt. Ex quo vitio non eſt iuſtus in terra.* Iuſtitia ergo charitatis eſt inchoata, & vitioſa.

Aug. epi. 29.

DVRAEVS, Fol. 244.

Nullam aliam (*inquis*) agnoſcimus gratiam iuſtificantem, quàm immenſam Dei gratuitámque miſericordiam. *Quid ni ergo liberè fateris vos gratiam omnem in diuino tantùm fauore extra nos collocare, qui fauor nec emendet impios, nec purget, nec illuminet, nec ditet, ſed veterem adhuc manentem ſentinam ac fœtentem Deo conniuente diſſimulet?*

WHITAKERVS.

30 Non deſinis tua nobis inſcitia moleſtus eſſe? Num enim ſequitur nos omnem gratiam à nobis remouere, quia gratiam iuſtificantem, quæ eſt Dei in Chriſto miſericordia, non in nobis, ſed in Deo ſolo collocamus? Nam præter hanc gratiam eſt etiam alia quædam gratia omnibus ſanctis communicata, qua illorum mentes

tes purgantur ac renouantur. Hæc in fide, fideiq; fructibus consistit, quam vulgò *infusam* vocant. Non ergo vetus illa peccati sentina manet, & computrescit in ijs, qui veram iustitiam adepti sunt, vt tu calumniaris, sed vi spiritus sancti magis indies magisq; expurgatur, atque exhauritur, ita tamen vt semper in nobis, dum viuimus, peccati veterisq; Adami nonnullæ reliquiæ maneant. Si enim ista sentina sic omnino elui posset, vt nullę in nobis restarent sordes vitiorum, nec Paulus de lege membrorum mortisque e corpore conquestus fuisset, nec nos assidua spiritus renouatione opus haberemus. Interim autem hominem oportet de die in diem renouari. Sic vides, quid inter ignorantiam tuam, nostriq; dogmatis sententiam intersit. *Rom.7.23.* 24. *2.Cor.4.16.*

DVRAEVS, Fol. 245.

Infusa (*inquis*) gratia, in qua regeneratio ac sanctificatio consistit, non est satis ad nos iustificandos valida. *Noua hæc Whitakere Theologia est, nos per gratiam infusam vitæ nouitatem ac sanctificationem adipisci, minimè tamen iustificari. At quæ scriptura docuit iustificationem à sanctificatione distinguere? Hęc Paulus non distinguit*, Sed abluti (*inquit*) estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis. Et exhibite membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem: *Et Christus* mundauit Ecclesiam lauacro aquæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam. *Illud quoque mirum est, si fides nos iustificare potest, quo modo non etiam sanctificare? maxima verò admiratione dignum Christum nobis iustitiam suam imputare, qua iusti quidem, non tamen sancti efficiamur.* *1.Cor.6.* *Rom.7.* *Ephe.5.*

WHITAKERVS.

31 Nouum tibi hoc videri Theologiæ genus quid mirum, qui Theologiam nullam, nisi sophisticam didiceris? Sed si tu malus es Theologus, & quę nos verissimè ex verbo Dei tradimus, non intelligis, id non nostræ Theologiæ, sed imperitiæ tuæ tribuendum est. Quæris quę scriptura iustificationem à sanctificatione distinxerit, in quo te nondum ipsis principijs Theologię imbutum esse ostendis. Quis enim nescit sanctificationem vbique in scriptura à iustificatione distingui, maximè in Epistola ad Romanos, in cuius priore parte de iustificatione, in posteriore de sanctificatione disputat? Quid apertius, quàm quod Apostolus scribit, *Quos vocauit, eos etiam iustificauit: quos iustificauit, eos etiam glorificauit.* (Rom. 8. 30.) Glorificatio enim illa significat gloriosam renouationem, quæ hîc inchoatur, in altera vita perficitur, quemadmodum tuus etiam Thomas animaduertit, cuius hæc verba sunt, *Et hoc dupliciter, scilicet, vno quidem modo per profectum virtutis & gratiæ: alio autem modo per exaltationem gloriæ.* (Thom. in Rom. 8. lect. 6.) Et cùm Christum ait nobis à Deo factum esse *sapientiam, iustitiam, sanctificationem & redemptionem*, (1. Cor. 1. 30.) nônne palàm à iustitia sanctificationem distinguit? Sed quorsum tam crassam inscitiam redarguam? Coniungitur quidem cum iustitia sanctifica-

tio, nec ab ea vnquam diuelli poteſt, a qua tamen diſtingui debet, quod cùm vos minimè facitis, iuſtitiam in ſanctificatione per ſummum errorem collocatis. Veſtra ergo iuſtificatio hæc eadẽ eſt, quam nos ex Dei verbo ſanctificationem edocti ſumus appellare. Locus ille, quem ex epiſtola ad Corinthios affers, tuum errorem refellit, atque eſſe diſtincta ſanctificationis iuſtificationiſq; beneficia oſtendit: id quod Chryſoſtomus ſatis intellexit: ita enim ſcribit, *non tantùm ſanctificauit, ſed etiam iuſtificauit.* Tum iuſtificationem quandam in ſanctificatione conſiſtere, quod ſecundus locus euincit, nemo dubitat: verùm hæc iuſtitia non illa perfecta eſt, qua coram Deo abſoluimur, ſed inchoata. Eccleſiam verò eſſe ſanctam & immaculatam quis negat? Sed quid hoc ad rem? Num enim quia Eccleſia eſt ſancta, & futura eſt ſanctior, ergo ſanctificatio à iuſtificatione minimè diſtinguitur?

Chryſoſt. in 1. Corinth. homil. 16. οὐδὲ τοῦτο μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐδικαίωσε.

Quod tibi hîc dignum admiratione maxima viſum eſt, quàm ſis hoſpes in rebus maximis indicat. Sed patior te mirari, quæ non intelligis: reprehendere autem non debebas, antequam intelligeres. Nam fide non tantùm iuſtificamur, ſed etiam ſanctificamur, Chriſtique iuſtitia nobis imputata nos & iuſtos & ſanctos efficit. Noli verò exiſtimare id cuiquam noſtrûm veniſſe in mentem aliquando, vt iuſtitiam à ſanctificatione in hominibus Chriſtianis ſeiungeremus. Qui per fidem

parti-

participes iuſtitiæ in Chriſto extiterunt, in his neceſſe eſt veterem hominem crucifigi, & peccati corpus eneruari, ne poſthac peccato ſeruiant.

DVRAEVS, Fol. 246.

Audiamus quod te argumentum in tam abſurdum errorem præcipitem dedit. Quia (*inquis*) gratia infuſa nunquam legi diuinæ in hac vita ſatisfacit. *Quæ ſit hominis in hac vita iuſtitia ignoras: aliud ſiquidem eſt veram eſſe in nobis iuſtitiam, aliud perfectam. Non ergo infuſa tu gratia nos iuſtificari negare debuiſti, quòd plenam ea nobis iuſtitiam non conferat, cùm nemo vnquam Catholicorum talem in nobis iuſtitiam collocauit.*

WHITAKERVS.

32 Si gratia hæc infuſa veram nobis iuſtitiam afferre poſſet, eam & perfectam, & legi diuinæ per omnia conſentaneam eſſe oporteret. Quod cùm negas, vide obſecro, quàm turpiter miſereque erres. Quærimus enim de illa iuſtitia, quæ nos à legis maledicto, Deique immenſa in peccatum ira liberet. Hanc dico eſſe perfectam illam Chriſti obedientiam, quæ legi penitus ſatisfecit, non inchoatam in nobis iuſtitiam, in qua multa deſiderantur. Tu iuſtitiam in hac vita noſtram fateris eſſe veram, ſed non perfectam: quod veſtram de iuſtificatione ſententiam funditus euertit. Quæ enim iuſtitia nos Deo reconciliet, ea debet eſſe perfectiſſima, vt nullam aut lex requirat, aut Deus poſtulet pleniorem. Eſt enim Deus ignis conſu-

Heb.12.29.

consumens, nec coram illo consistere possunt quibus aliquid ad perfectam iustitiam deest. Quod enim non est perfectum, id in suo genere vitiosum est. Si ergo Deus iustitia non perfecta placari posset, Deo aliquid placeret vitiosum. Cur enim iustitia imperfecta dicitur, nisi quòd vitio minimè careat? Quare qui imperfecta sua iustitia freti ad Deum accedunt, vitamque æternam vendicant, & hanc Dei iustissimo iudicio opponunt, ij Deum sua summa iustitia spoliant, & maxima contumelia afficiunt. Quomodo enim aliquid Deus pro iusto agnosceret, quod non ipsius perfectissimæ voluntati congrueret? Itaque tantam iustitiæ perfectionem Deus exigit, quantam lex describit, vt Deum toto corde, tota anima, tota cogitatione, totis viribus, & proximos tanquam nos ipsos diligamus. Hæc qui præstiterit, viuet: qui verò istam perfectionem non attigerit, eum scriptura maledictum pronunciat. Et nisi hoc nos maledicto Christus liberasset, in eo relinqui ac versari nos perpetuò necessarium fuisset. Quicunque verò ex operibus, id est inhærente iustitia salutem quærunt, ij in eodem maledicto permanent, vt disertè Apostolus confirmat. Tantum autem abest vt imperfectam iustitiam Deus approbet, vt pij omnes valde cohorreant, quando suam iustitiam, cum Dei iudicio comparant. Itaque Deum precantur, ne in iudicio cum illis congredi velit, quandoquidem non esset iusta coram eo vlla ca-

Luc. 10.27. 28. *Leuit.* 18. 5. *Galat.* 3. 10. *Psal.* 143. 2.

ro. Qui verò suæ iustitiæ consideratiône deterriti expauescunt, ijdem ex hac perfecta iustitia, quæ est Christi obedientia per fidem
Ephe.3.12. apprehensa παῤῥησίαν, & προσαγωγὴν, & πεποίθησιν concipiunt, vt iam alacres in Dei cóspectum veniant. Non ergo suæ iustitiæ qua ipsi præditi sunt, sed Christi meritis confidunt. Deinde cùm iustitiam
2.Cor.5.19 nostram Apostolus in eo consistere doceat, quòd Deus nobiscum in Christo reconcilietur, non imputans nobis peccata nostra, quis hanc iustitiam perfectam esse neget? Neque enim nobiscum reconciliatur, nisi quia perfectam nobis in Christo iustitiam imputat, quemadmo-
Ephe.1.6. dum Apostolus ait, *Gratis nos dilexit in illo dilecto*. Si verò Deus non imputat nobis peccata, nihil nobis ad perfectam iustitiam deest. Non enim vnum aut alterum peccatum non imputat, sed prorsus nullum ne leuissimum. Cui autem nullum peccatum imputatur, is perfectam iustitiam assequutus est. Quare Aposto-
Act.13.39. lus ait, *nos ab omnibus, à quibus per legem Mosis iustificari non potuimus, per Christum iustificari*. Si sanè ab omnibus absoluimur peccatis, nihil ad hanc iustitiam atque integritatem accedere potest. Nam ij beati sunt, quorum peccata re-
Rom.4.6. mittuntur, vt ex Propheta Apostolus docet. Ex his perspicuum est iustitiam nostram in hac vita, non modò veram esse, sed etiam perfectam. Et verò quid dici in Christi iustitiam contumeliosius potuit? Si enim nostra iustitia, qua Dei
2.Cor.5.21. seuerum iudicium subterfugimus, perfecta non sit, hæc autem iustitia sit Christi iustitia, tum

Christi

Christi iustitiam non esse perfectam sequitur. Hûc tua tandem præclara ratiocinatio spectat, vt Christi ipsius iustitiam probet esse imperfectam. Christi enim obediẽtia est nostra iustitia: quare si illa perfecta fuit, hæc imperfecta esse non potest. Denique cùm Christus totus sit per fidem noster, quid demum nobis ad summam iustitiæ perfectionem deerit? Qui enim proprium filium pro nobis tradidit, quomodo non etiam cum illo nobis omnia donabit? Christus perfectam iustitiam habet: eam ergo fide perceptus nobiscum communicat. Vestra igitur iustitia, quam ipsi imperfectam esse conceditis, nunquam vobis poterit æternam vitam comparare. Rom.5.19. Rom.8.32.

DVRAEVS, Fol. 247.

Campianus vobis inter alia vitio vertit, quòd gratiam non satis validam ad resistendum sceleribus oblatretis. Tu Paulum, etsi gratia infusa præditus erat, quanta quisquam alius, negare tamen, inquis, assequi se posse, vt quod bonum est perficiat, facere etiam non bonum quod velit, sed quod nolit malum. Neque Campianus, neque alius quisquam Catholicus gratiam infusam absque speciali quodam auxilio vel ad perseuerandum, vel ad omnes superandas tentationes satis esse vnquam putauit. Et certè Paulo summam facis iniuriam, qui tam eximijs semper laudibus Dei gratiam extulit, tàmque potentem esse atque efficacem dixit, vt illius se ope omnia posse minimè dubitaret. Omnia (*inquit*) possum in eo, qui me confortat. *Quàm vos meritò Campianus hostes gratiæ Dei, & inimicos esse dixit?* Phil.4.

WHITAKE-

WHITAKERVS.

33 Quantas infusa gratia vires habeat ad tentationum omnium & peccatorum impetus superandos, eorum illustrissima exempla docent, quorum in scripturis eximia virtus laudatur. Etsi enim singulari gratia præditi erant, tamen nonnunquam huius gratiæ imbecillitatem palàm ostendebant. Si enim Noachus, Abrahamus, Moses, Dauid, Elias, & reliqui, in quos Dominus præstantissimam gratiam contulerat, peccatis interdum non satis fortiter restiterunt, sed victi suam infirmitatem agnouerunt, quis ausit suæ gratiæ tantum tribuere, vt ea fretus possit inuictus & illæsus contra peccatum perpetuò dimicare? Suos omnes Christus orare docuit, *Remitte nobis peccata nostra:* &
1.Ioann.1.8 Ioannes affirmat falsos esse, qui se peccatũ non
1.Reg.8:46. habere dixerint. *Nemo enim est* (vt Salomon ait)
Prouer.20.9. *qui non peccet:* nec quisquam dicere potest, *Purgaui animum meum, mundus sum à peccato*. Quare nulli vnquam homini tam validam gratiam suppetere in hac vita constat, vt huius ope subnixus omnes peccatorum illecebras vitare ac reprimere possit. Nam de *speciali* illo Dei auxilio non iam loquimur: nec verò dubitamus, quin possit Deus sic homines sua gratia fulcire ac sustentare, vt nihil vnquam peccent. Sed quid velit Deus, non quid possit, disputamus. Ineptè ergo de auxilio speciali mentionem interponis, nisi potes hominem aliquem proferre, qui gratia

tia semel prædítus nunquam deinceps peccarit. Quid enim attinet disputare, quantum Deus possit efficere, cùm satis scriptura doceat, hoc illum in nullo vnquam vel fecisse, vel pòst facturum esse?

De Paulo, cui à me factam iniuriam conquereris, mox respondebo. Vbi verò sic gratiam Paulus laudauit, vt se gratiæ infusæ potentia suffultum non posse in peccatum incidere dixerit? Potuit ille quidem Christi gratia adiutus ac confirmatus & secundis & aduersis rebus vti, vt *Phil.4.12.* nullis occasionibus impeditus suo ministerio piè fungeretur. Satis enim id dicere Apostolum ex ipso loco patet. Num proinde tam potente Paulum & efficace gratia cumulatum fuisse concludes, vt omnibus peccatis restiterit? At istam argumentationem Apostolus ipse clarissimè refutauit. Neque ij pro gratiæ inimicis *Rom.7.* habendi sunt, qui gratiam infusam negant tam esse validam, vt qui hac donati sunt, vitam in posterum degant ἀναμάρτητον, sed qui iustitiam suis meritis tribuunt, quæ sola in Dei misericordia & gratia consistit. Nam illud omnes scripturæ docent, & omnium exempla confirmant: hoc nihil fingi potuit diuinę gratię magis inimicum.

DVRAEVS, Fol. 248.

Nunc ad Pauli quem profers locum venio, qui spiritus cum carne pugnam describit. Quasi diceret, etsi hoc ratio maximè expetat, ne turbulenti illi carnis motus insurgant, eos tamen etsi inuitus experior. At quia peccatum non est, nisi vbi voluntas consensum præbet, Paulus non se id operari dixit, sed carnem. Non enim diuinam gratiam sibi minimè satis esse putauit ad reportan-

dam de his motibus victoriam, qui ex ipsius Christi ore accepit, sufficit tibi Paule gratia mea, *& tanta fiducia exclamauit,*
2.Cor.12. Quis nos separabit à charitate Christi? *Sed potiùs non aliunde, quàm à Christi gratia victoriam nobis sperandã significare voluit.* Infelix (*inquit*) ego homo, quis me liberabit de cor-
Rom.8. pore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. *Audi Paulum concludentem gratiam Dei satis validam esse, vt tentationibus resistamus.*

WHITAKERVS.

34 Summa huius responsionis hæc est, Paulũ expertũ quidem esse carnis turbulentos motus, sed tamen non peccasse, quia victoriam de illis reportauit. Verùm Paulus se non modò tentatum istis motibus fuisse testatur, sed etiam victũ, id quod facilè animaduertere potuisses, si Pauli sententiam potiùs quàm scholasticas commen-
Rom.7.15. tationes attendisses. Cùm enim ait, *se facere quod odit*, peccatum palàm agnoscit. Cur enim odisset quod fecerat, nisi odio dignum fuisset? Odio verò nihil dignum est, nisi peccatum. Ita-
19. que adiungit *se malum agere, quod nolit*. Si verò egit, quod noluit, procul dubio peccauit. Tentari autem malis, non est agere, quod nolis. Qui enim tentantur, & tentationibus resistunt, ij faciunt, quod facere debeant, & velint. Sed quid dicere apertius potuit, quàm quando se
23. *captiuum peccato* redditum esse scribit? Súntne enim illi captiui legi peccati, qui à peccato nunquam vincuntur? At vinci priùs est necesse, quàm capi ac vinciri atque in seruitutem redigi possis.

possis. Apostolus ergo, si ipsi credimus Apo-
stolo, quanquam erat regenitus, & gratia infusa
præditus, tamen peccato inhęrente laborauit,
nec peccato semper resistere potuit. Tu non
peccasse asseris, quia voluntas non præbuit as-
sensum. At quanquam voluntas Pauli regene-
rata motus istos improbauit, in illis tamen mo-
tibus peccatum aliquod fuit, de quo Paulus *Rom.7.14.*
conqueritur. Sunt enim legi diuinæ contrarij,
quæ spiritualis est, & internam ac spiritualem
totius hominis obedientiam flagitat. Et illa re-
pentina πάθη, quæ voluntatis consensu carent, in
postremo decalogi præcepto disertè damnâtur.
Cùm enim duo sint cupiditatum genera, qua-
rum aliæ sunt voluntariæ ac deliberatæ, aliæ su-
bitæ & improuisæ, illas Christus ad superiora *Math.5.22.*
præcepta reuocat, has Paulus in vltimo collo- *28.*
cat. Cùm enim ait, *se nescijsse cupiditatem esse* *Rom.7.7.*
peccatum, nisi lex dixisset, non concupisces, de nu-
da cupiditate loqui Apostolum constat. Nam
illas cupiditates, quæ voluntatem ipsam oppri-
munt, & abducunt, Philosophi fatentur esse
vitiosas. Verùm nunc quid tu ex scripturis af-
feras, audiamus. Christus Paulo ait, *sufficit ti-* *2.Cor.12.9.*
bi gratia mea: ergo Paulus nunquam peccauit.
Non sequitur. Sufficere enim, non est tantam
gratiæ vim infundere, quanta illū ab omni pec-
catorum genere conseruet, sed ita illi sua gra-
tia succurrere, vt nullo tentationum impulsu
obruatur. Et quanquam pij nonnunquam ca-
dunt, eos tamen Dominus sua manu erigit.
Nec verò ad hanc causam pertinet illa fiducia

qua Paulus inductus exclamauit, *Quis nos separabit à charitate Christi?* Pij enim etsi peccant, tamen semper de Christi voluntate & amore certissimè persuasi sunt. Sed me iubes audire Paulum: quem ego quidem libenter audio. Id verò, quòd tu vis, loquentem Paulum nemo vnquam audiuit. Non enim Paulus ait, *gratiam Dei satis esse validam, vt tentationibus resistamus:* nec istum sensum verba Apostoli patiuntur. Debebas autem ipsum potiùs Apostolum loquentem audire, quàm vulgatæ Translationis errorem sequi. Sic enim Paulus

Rom. 7. 25. scribit, εὐχαριστῶ τῷ θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, id est, *Gratias ago Deo per Iesum Christum.* Tu locum istum ita legis, ac si Paulus scripsisset, Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum. Cùm legendum potius sit, *Gratia Deo.* Id dicere Apostolus voluit, Etsi hoc corpus mortis mihi molestum est, quia me peccato seruire cogit, tamen acquiesco in illa spe, quam in Christo collocatam habeo. Eiusdem fraudis fuit, quod Paulum dicere affirmasti, non se malum operari, sed carnem, cùm Paulus bis non carnem, sed peccatum id dicat operari. Quod autem fit à peccato, id peccatum esse est necesse.

DVRAEVS, Fol. 248.

Sed quid mirum si nos omni gratia infusa spolietis, qui Christum non alia ratione gratia plenum fuisse dicitis, quàm quòd ei pater mirum in modum faueret? An non tuus Bucerus apertè do-

tè docet? Proinde quod Christum prædicat Euangelista plenum gratia, eo significat ipsum per omnia diuinum adeo apparuisse, vt & Dei erga eum fauor egregiè declararetur, & omnium bonorum fauore simul iudicaretur dignissimus. *Vos ipsi quotquot Caluiniani estis, idem sentiatis oportet. Nam cùm Deus nos prædestinauit vt essemus conformes imagini filij eius, si nulla in nobis gratia infusa est, Christi etiam gratiam ad cuius nos imaginem reformamur, in externo illo fauore collocetis necesse est. Quid vos aliud, quàm Christo tanquam viuo capiti mysticum corpus tanquam mortuum, inquinatum, ac pure cadauer alligatis?* In cap.2. in Luc.

WHITAKERVS.

35 Multa paucis errata cõplexus es. Primùm enim pios ac fideles non omni infusa gratia spoliamus, sed eos hac infusa gratia iustificationem atque adoptionem consequi negamus. Aliud verò est omnem nobis infusam gratiam detrahere, quod nos minimè facimus: aliud iustificationis meritum ab hac gratia remouere, quod apertissimè scriptura facit. Deinde, quis te docuit isto modo contra Bucerum argumentari, Cùm Christũ Lucas gratia plenum esse scribit, gratiæ nomine fauorẽ significat, ergo Christus nulla fuit infusa gratia præditus? Quod verò adiungis, quotquot sumus Caluiniani, idem necessariò sentire, agnosco inscitiam & stuporem tuum. Nomen commentitium prætermitto, ratiocinationem excutio. Prædestinauit nos vt conformes essemus imagini filij sui: ergo si nostra gratia sit fauor externus, Christi etiam gratiam in externo fauore col- Rom. 8.29.

locemus necesse est. Loquitur Apostolus de cruce, & de gloria quę crucem sequitur: Et quemadmodum Christus per multas calamitates ad summam gloriam peruenit, sic nobis per ærumnas iter ad gloriam patet. Qui enim prędestinati sunt, hos Christo similes esse oportet, nec aliquid impediet, quo minùs diuina tandem gloria potiantur. Intelligis nunc quàm tuum fuerit plumbeum sophisma. Postremò quòd nos ais Christo tanquam viuo capiti corpus mortuum alligare, quid aliud facis, quàm nobis insulsè & temere maledicis? Christi enim mysticum corpus sanctum est, tum quia Christi iustitia & sanctitate præditum est, tum etiam quia spiritum sanctum accepit, & regeneratur, & nouis qualitatibus donatur. Si verò mortui sunt, similesque putri cadaueri, in quibus peccatum habitat, fuit Paulus mortuus, & tanquam cadauer
Rom.7.17. 23. computruit: etenim peccatum in se fatetur habitare. Túne verò Paulum à Christo disiunges, atque hoc membrum ab illo capite diuelles? Quanquam ergo sancti in hac vita multis vitijs laborant, tamen quia Christi iustitiam tanquam vestem nuptialem induuntur, & intus etiam spiritu regenerationis ac fide purgantur, eximia puritate præcellunt, & Deo mirificè placent. Vestra quidem iustitia, quæ in stercoreis hominum meritis consistit, cùm nihil solidæ saneque iustitiæ habeat, totaque planè impura, putida, mortua sit, vos nunquam poterit ad illud viuum caput alligare.

DVRAEVS. Fol. 249.

Iustitiam vobis relationem *esse Campianus dixit. Tu verò,* neque enim si iustitia sit relatio (*inquis*) actum erit de philosophia. *Cui vnquam Philosophorum venit in mentem iustitiam in relationibus esse numerandam ? Cùm iustitiam in Christo* κυριακὴν *agnoscatis, quæ diuinæ legi perfectissimè obtemperauit, qua quæso fronte hanc in illo iustitiam qualitatem fuisse, ac virtutem negabitis? In nobis verò si nullam iustitiam ponitis, quæ te quæso philosophia docuit, quod omnino non est, veram esse ac realem relationem posse?* De Iustitia.

WHITAKERVS.

36 Pręclarum vobis Aristotelicę Categoriæ contra fidei iustitiam argumentum suppeditant. Quemadmodum enim ab insitis qualitatibus res quales nuncupantur, veluti à temperantia temperantes, fortitudine fortes, sic à iustitia dici iustos Categoriarum ratio postulat. Quod ego quidem de inhęrente iustitia concedo, vt qui ab hac iusti dicuntur, ea intus imbuantur. Ioannes enim ait, *Qui facit iustitiam iustus est.* Sed perfecta Christianorum iustitia huic dissimilis est, 1. Ioann. 3. 7. quæ non in nostris qualitatibus, sed tantùm in Christi obedientia nobis per fidem imputata versatur. Si hanc Philosophi nescierint, minimè mirum est, cùm eam vos admodum ignoretis, quam tamen ex scripturis discere potuistis, si Theologi potiùs, quàm Philosophi esse velletis. Sed dum categorias defenditis, iustitiam Christianam amittitis. In Christo quidem iustitiam plenissimam atq; integerrimã

agnoſcimus, eamque etiam in illo qualitatem eſſe concedimus. Qua ergo tu fronte id nos negare dicis? Quæ verò cauſa nobis perſuadet, vt νομικὴν hanc iuſtitiam in Chriſto qualitatem eſſe fateamur, eadem vt iuſtitiam non eſſe in nobis qualitatem exiſtimemus cogit. Chriſtus enim perfecit omnia, quæ lex præſcripſit: itaque fuit perfectiſſima iuſtitia cumulatus. Nos hac νομικῇ iuſtitia caremus, quia legi minimè obtemperamus: hæc ergo qualitas nobis non inhęret.

Sed iterum nobis tuam ἀφιλόσοφον philoſophiam obtrudis. *Quod omnino non eſt* (inquis) *non poteſt eſſe realis relatio*. Eſto. At Chriſti iuſtitia non omnino non eſt. Quid ergo impedit, quo minùs ea poſſit ratione, ac relatione, ſeu imputatione eſſe noſtra? Si enim parùm fælices in philoſophia progreſſus feciſti, ſenſus tamen ipſe communis te docere potuit, ſi quis tuo nomine pecuniam perſoluerit, hanc perſolutionem eſſe imputatione tuam. Si quæris quomodo tuum ſit, quod in te minimè inhæret, iterum dico, quod toties Apoſtolus tradit, imputatione fieri tuum. Acue nunc philoſophiam tuam, vt imputatione nihil fieri noſtrum euincas, ſi poſſis.

DVRAEVS, Fol. 250.

Quæ de perfecta tu iuſtitia diſputas, ſatis à me antea ſunt refutata: nunc quæ ad imputatiuam tuam iuſtitiam confutandam ſatis eſſe videbuntur, breuiter perſtringam. Dic mihi quid hoc aliud eſt, quàm Deo velle imponere, vt impios ac ſceleratos pro iuſtis ac ſanctis ipſe habeat? Rectiſſimè enim Auguſtinus, Im-

putat

putat Deus homini omne peccatum. *Deinde scriptura palàm testatur, nos vt per Adamum peccatores, ita per Christum iustos fieri,* *De perfect. iustitiæ. Rom.5.*

WHITAKERVS.

37 Missis categorijs, in quibus tibi exiguum præsidium fuit, ad Theologiam accedis, & *imputatiuam* iustitiam oppugnare incipis, quod quidem tam indoctè & pueriliter facis, vt te meritò nostris Academicis ridendum prębeas. De perfecta iustitia satis antè respondimus, ex quo facilè constare potest, vos in errore perdito ac misero versari, qui Deum placare & mortem sempiternam effugere vos alia posse iustitia, quàm perfecta speretis. Si enim regnum cęlorum iustitia imperfecta acquiri, Dei iudicium à nobis auerti, legi iustitiæque diuinæ satisfieri potest, perfecta Deo iustitia, veritas, natura detrahitur. Sed tua nunc argumenta diluamus. *Deus* (inquis) *impios ac sceleratos pro sanctis non habet: sed omnia homini peccata imputat.* Quis te theologiam putet primis attigisse labris? Impijs enim ac sceleratis Deus nullam iustitiam imputat, dum impij sunt & scelerati. Quos enim Deus sua gratia complectitur, & in Christi obedientia ac iustitia recipit, hos suo spiritu donat, atque ex impijs pios, sceleratis sanctos efficit. Quæcunque verò hærent peccatorum reliquię, Christi iustitia obteguntur, & remittuntur, nec veniunt in rationem. Si enim Deus omnia homini peccata imputaret, quemadmodum tu

ex Auguſtino inſcitè obijcis, ſalutis nulla nobis ſpes remaneret. Eſt enim veriſſimum quod Propheta Dauid cecinit, *Si inquitates obſeruaueris*
Pſal.130.3. *Domine, Domine quis poſſit cõſiſtere?* Itaq; beatum
Pſal.32.1. hominẽ pronunciat, *cui remiſſæ ſunt iniquitates, & quorũ obtecta ſunt peccata:* id eſt, quemadmodũ
Rom.4.6. Apoſtolus docet apertiſſimè, *cui Deus imputat iuſtitiam abſq; operibus*, contra quam tu nunc tam imperitè impieq; diſputas. Quanquã autẽ in ijs, quibus peccata remittuntur, & Chriſti perfecta iuſtitia imputatur, habitat adhuc peccatũ, dum ipſi in hoc mundo habitant, tamen nec impij dicendi ſunt, nec ſcelerati, quia neq; peccatum in ijs regnat, neque illos iræ mortiſque reos facit.

Pungit forſan acriùs quod ſequitur argumen-
Rom.5. tum. *Sumus in Adamo peccatores: ergo in Christo iuſti.* Ita enim Apoſtolus ratiocinatur. Sed tu Apoſtolum non intelligis. Quanquam enim in Chriſto iuſti ſumus, quemadmodum in Adamo peccatores fuimus, non tamen eodem modo. In Adamo enim ipſi peccauimus, eiuſque peccatũ in nos propagatione tranſfuſum eſt: Sed Chriſti iuſtitia quanquam nobis imputatione communicatur, non tamen in nos iſto modo tranſmittitur. Id ergo dicere & docere Apoſtolus voluit, quẽadmodũ Adamus peccati author extitit, ſic authorẽ iuſtitiæ fuiſſe Chriſtũ. Et ſicut Adamus in omnes homines qui ex illo φυσικῶς naſcuntur, ſuum vitium tranſtulit, ſic Chriſtũ ſuam in illos omnes iuſtitiam deriuaſſe, quos illi pater dedit, quiq; πνευματικῶς filij Dei generantur. Hic enim Paulus authores tantùm vitę ac mortis, eorumq;
vim

vim in ſuis vel ſeruandis vel perdendis confert: non totam formam ac modum ſalutis & interitus, iuſtificationis & condemnationis exponit. Nam iuſtitiam non in noſtris virtutibus, ſed in alienæ iuſtitiæ imputatione conſiſtere, in hoc eodem capite Apoſtolus clariſſimè confirmat. Iuſtitiam enim noſtram in reconciliatione conſtituit, *quòd cùm inimici eſſemus, reconciliati Deo ſumus per mortem filij eius*: reconciliatio autem non eſt qualitatum aut virtutum infuſio, ſed culpæ ſceleriſque noſtri per alienæ iuſtitiæ atq; ſatisfactionis imputationem remiſſio. Rom.5.9.10.

DVRAEVS, Fol. 250.

Ne in paradoxo tam nouo atque abſurdo refellendo longior ſim, reſponde quæſo cur Apoſtoli & Chriſtus nos tam ſæpe ad legis obedientiam adhortantur? Et nunquam vt fide iuſtitiam Chriſti apprehendamus iubent? Cur Chriſtus interroganti, quid faciendo regnum cælorum poſſideret, reſpondit, Serua mandata. *Cur in die iudicij non ex Chriſti obedientia, ſed ex propria quiſque iudicabitur? Mirum ſanè huius rei, & in ſcripturis ſacris, & in patribus omnibus tam veteris quàm noui Teſtamenti ſilentium eſt.* Luc.10.

WHITAKERVS.

38 Queſtiũculis tuis breuiter reſpondebo. Nos Chriſtus & Apoſtoli ad legis obedientiã cohortantur, non quò noſtris operibus vitam æternam mercamur, ſed quia noſtrũ eſt in illo pietatis curriculo ſtadioq; verſari, in quo ſumus collocati, vt ambulantes in bonis operibus, & in illa via inſiſtentes, quam nobis Dominus propoſuit, ad metam fœliciſſimam tandem perueniamus. Etſi Ephef.2.10.

enim

enim ad metam nunquam peruenitur, nisi viam rectã ingredimur, via tamen non est causa metæ. Sic quanquam officiũ nostrum postulat, vt post-
Tit.2.11.12 quam gratia salutaris illuxit, quæ nos impietatem & mundanas cupiditates abijcere docuit, temperanter, iustè, piè in hoc seculo viuamus, nostra tamen hæc inchoata obedientia non meretur regni cælestis hæreditatem. Quod autem ais nunquam nos iuberi, vt Christi iustitiam fide apprehendamus, miserandam prodis ignorantiam. Quid enim illustrius dici potuit, quàm quod Apostolus scribit, *Ei, qui non operatur, sed*
Rom.4.5. *credit in eum, qui iustificat impium, imputatur fides*
Rom.5.19 *sua pro iustitia.* Itaque ait, *nos per Christi obedientiam iustos constitui.* hanc autem obedientiam sola
Rom.1.17. fides apprehendit. Nam *iustus fide sua viuet.* Sic
Gal.2.16. ad Galatas Apostolus ait, *Scientes non iustificari hominem ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi: etiam nos in Christum Iesum credidimus, vt iustificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis.* Fides Christi quid aliud est, quàm fides in Christum? Fides ergo Christum apprehendens iustificat. Sed clarissimè Apostolus Christi iustitiam fide apprehendi demonstrat, cùm inquit, *Promis-*
Gal.3.14. *sum spiritũ accipimus per fidem.* Fide ergo spiritus promissus, id est, gratia Euãgelica, remissio peccatorũ, iustificatio, adoptio, vita ęterna accipitur.

Si verò legisperito seipsum iustificare cupien-
Luc.10.28. ti Christus responderit, *Serua mandata*, mirum non est. Neq; enim meliùs inanem iustitiam refutare potuit, quàm si illam ad legem exigeret. Ita nos vobis vestram iustitiam iactantibus respon-

pondemus, *Hæc facite & viuetis*. Sed illa vos nec facitis, nec facere poteſtis. Quare tandẽ aut Dei iuſtitiã agnoſcite, & propriam abijcite, aut vos à vera iuſtitia alieniſſimqs eſſe intelligite. De iudicii forma quod quæris, facilè diluitur. Impios opera palàm damnabũt: pios fides liberabit. Sic enim Chriſtus docet: *Qui credit in eum non condemnatur*. Et pòſt, *Qui ſermonem meum audit & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet*. Quia tamen hæc fides factis declaratur, quæ omnibus nota ſunt & manifeſta, conſentaneum eſt ex factis potiùs quàm fide ſententiam pronunciari. Iam quod ſubiungis, mirum eſſe huius rei in ſcripturis & patribus ſilentium, nulla refutatione indiget. Clamant enim vbique ſcripturæ nos ſola fide Chriſtum & eius iuſtitiam apprehendente iuſtos ſaluoſq́ue fieri. *Huic* (inquit Petrus) *omnes Prophetæ teſtimonium dant, remiſſionem peccatorum accepturum per nomen eius quemuis, qui crediderit in eum*. Si fide remiſſio peccatorum impetratur, fide ergo etiam Chriſti iuſtitia apprehenditur. Remiſſio enim peccatorum nihil aliud eſt, quàm Chriſti iuſtitiæ imputatio. Hoc omnes Prophetæ, Apoſtoli, patres docent, vt te miſerè ſurdum eſſe conſtet, cui inaudita ea ſunt, quibus omnium aures perſonant. Patrum multiplices de fidei iuſtificatione ſententias prætermittam, vnam duntaxat Chryſoſtomi clariſſimam proponam. Sic autem habet, *Illi dicebant, qui ſola fide nititur, maledictus eſt: Paulus verò oſtendit, qui ſola fide nititur, eum eſſe benedictum.*

Rom.10.3. *Ioan.3.18.* *Ioan.5.24.* *Act.10.43.* *Chryſoſt. in Gal.3.* ὁ τῇ πίστει προσέχων μόνῃ, εὐλογημένος.

ctum. Quocunque te verteris, huius testimonij authoritatem nunquam eluseris.

DVRAEVS, Fol. 251.

Christus in die iudicij iustos pronunciabit, qui legi obtemperauerunt: Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c. *Et Paulus inquit,* Qui diligit proximum, legem impleuit, *&,* plenitudo legis ergo est dilectio. *Sic de Zacharia & Elizabeth Lucas,* erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus iustificationibus Domini sine quærela. *Et Ioannes,* Qui facit iustitiam iustus est. *Moyses denique, Iosue, Dauid, cæterique omnes non ob aliam causam iusti esse describuntur, quàm quia pro modulo suo & humanæ imbecillitate naturæ legi Dei obedierunt.*

Matth.25. Gal.5. Rom.13. Luc.1.

WHITAKERVS.

39 Qua de causa Christus operum sit facturus in die iudicij mentionem, exposui. Fidem enim (vt Iacobus ait) opera ostendunt atque comprobant. Antequam autem Christus hæc sanctorum opera cõmemorat, veras & proprias salutis causas attingit, ne quis cum nostris sophistis illos operum suorum dignitate meritos existimet ęternam fælicitatem. Quando enim hæreditatẽ eos adire iubet, Dei in Christo adoptioni omnem iustitiæ ac salutis causam tribuit. Quod enim aliquis iure hæreditario possidet, id suis operibus minimè meretur. Tum quod subiungit, paratum hoc illis fuisse regnum à iactis fundamẽtis mundi, æternam Dei electionẽ omnibus operum meritis opponit. Num enim Deus hoc illis regnum tua opinione præparauit, quia egregia illorum opera pręuidit? Si tuã huius loci interpretationem defe-

Iacob.2.18. κληρονομήσατε. Mat.25.34.

defendis, ita quidem censeas est necesse. Nam si & regnum Deus pręparauit, & illi suis factis regnum merentur, quid aliud restat, quàm vt regnũ hoc illis à Deo propter præuisa merita pręparatum fuerit? Hîc verò in ista causa nullum habes acriorem aduersarium quàm tuum Thomam: qui multis & firmissimis argumentis operum pręscientiam docet non esse prædestinationis atq; electionis causam. Nam prædestinatio prior est meritis, & Apostolus ad Tit. cap. I. ait, *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos*: Et tum nullus esset prędestinatus, nisi merita habiturus, quod patet in paruulis esse falsum. Cùm ergo prædestinatio gratuita omnino sit, sanctorum salutem esse prorsus gratuitam manifestum est: cùm prædestinatio nihil aliud sit, quàm decretum transmittendi sanctos in vitam æternam.

Thom. de verit. quęst. 6. art. 2.

Thom. I. part, quæ. 23. art. I.

De Pauli loco responsum est suprà. Qui perfecta charitate præditi sunt, ij iustitiam sibi ex lege vendicent. Id cùm nullus facere possit, nullam ex lege sperandam esse iustitiam sequitur. Ad Zachariam & Elizabetham venio, qui iusti coram Deo dicuntur, quia erat illorum pietas minimè ficta aut simulata: tum quia fide iustitiam consequuti, fructus fidei diuinę legi consẽtaneos proferebant. ἄμεμπτοι autem vocantur, non quia nihil in illis Deus reprehendere potuit, sed *propter conuersationem inter homines laudabilem, quæ non posset in criminationis querelam vocari*, quemadmodũ Augustinus verissimè scribit. Si enim ita purum fuisse Zachariam existimas, vt nihil peccarit, cur illi mox pœ-

August. contra Pelag. & Cælest. li. I. c. 48

Luc.1.20. pœnam peccati Deus impoſuit? Mutus enim extitit, quia non credidit Dei verbis. Quanquam ergo ex animo legi ſtudebant, eamque ob cauſam iuſti cenſentur, tamen hæc iuſtitia potiùs remiſſione peccatorum conſtabat, quàm perfectione virtutum, quod Auguſtinus de inhærente omnium iuſtitia ſtatuit. Ioannes autem de infuſa quidem iuſtitia loquitur, cùm ait, *Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt*, nempe non ij iuſti ſunt, qui abſtinent à vitijs, ſed qui res iuſtas faciunt. Sic alibi, *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc*. Nec verò eſſe talem iuſtitiam neſcimus, ſed hac iuſtitia nos aſſequi vitam æternam pernegamus: quam nec Moſes, nec Ioſue, nec Dauid, nec quiſquam adeptus eſt, niſi fide Chriſtum amplectente, queadmodum in Epiſtola ad Hebręos Apoſtolus luculentiſſimè demonſtrat. *Non enim ex operibus legis iuſtificatur vlla caro*. Legis autem nomine intelligitur, quicquid lex præcipit vllo tempore. Ita in alio loco ait, *beatum eſſe cui iuſtitia imputatur abſque operibus*: in quo omnia opera cuiuſcunque tandem generis ſint, ſimpliciter excludit. Illud ergo perpetuò ſtabit, *Gratia eſtis ſeruati per fidem: & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur*. Quare ſalus noſtra eſt gratiæ ſolius effectum & Dei donum: huius autem percipiendę ſalutis inſtrumentum fides eſt. Si verò noſtra opera aliquid ad iuſtitiam & ſalutem conferrent, in nobis aliquid exiſteret, in quo gloriari poſſemus. Quod enim iuſtitiam & ſalutem ęternam tribuit, id optimam ac iuſtiſſimam gloriandi cauſam

Auguſt. de Ciuit. Dei. li.19.c.26.

1. Ioan.3.7.

Apo.22.11.

Galat.2.16.

Rom.4.6.

Epheſ.2.8.

continet,

continet. Omnem autem gloriandi materiam nobis ſola fides detrahit.

DVRAEVS, Fol. 251.

Sed Chriſtus (*inquis*) à Paulo dicitur iuſtitia noſtra. *Eodem etiam loco Chriſtum dicit eſſe ſapientiam noſtram: & ne tibi euadendi locus relinquatur, ita Chriſtum & ſanctificationem appellat, quam tu infuſam fateris.*

WHITAKERVS.

40 Multùm tu quidem erras ſi *hanc ſapientiam, aut ſanctificationem*, quam Chriſto Paulus hoc in loco tribuit, in nobis tanquam qualitates noſtras inhærere ſomnias. Sic enim Chriſtus à
Deo factus eſt ſapientia, & iuſtitia, & ſanctifica- 1.Cor.1.30.
tio, & redemptio, vt hæc in vno Chriſto maneant, noſtra non niſi duntaxat imputatione fiant. Si enim neſcis, non modò iuſtitiam Chriſti, ſed ſapientiam etiam, & ſanctificationem eſſe *imputatiuam*, æquum eſt vt hanc tibi inſcitiam ignoſcam. Neque enim Chriſti iuſtitia nobis imputari poſſet, niſi etiam ſanctitas imputaretur. Tamen quin ſit in nobis aliqua & ſapientia & ſanctimonia, & iuſtitia non negamus: ſed illa ſapientia, & iuſtitia, & ſanctitas, quam fieri nobis Chriſtum Paulus affirmat, non aliter noſtra eſt, aut in nobis reſidet, quàm vt ipſum Chriſtum per fidem totum amplectimur, & poſſidemus.

Luc.1.20. pœnam peccati Deus imposuit? Mutus enim extitit, quia non credidit Dei verbis. Quanquam ergo ex animo legi studebant, eamque ob causam iusti censentur, tamen hæc iustitia potiùs remissione peccatorum constabat, quàm perfectione virtutum, quod Augustinus de inhærente omnium iustitia statuit. Ioannes autem de infusa quidem iustitia loquitur, cùm ait, *Qui facit iustitiam, iustus est*, nempe non ij iusti sunt, qui abstinent à vitijs, sed qui res iustas faciunt. Sic alibi, *Qui iustus est, iustificetur adhuc*. Nec verò esse talem iustitiam nescimus, sed hac iustitia nos assequi vitam æternam pernegamus: quam nec Moses, nec Iosue, nec Dauid, nec quisquam adeptus est, nisi fide Christum amplectente, queadmodum in Epistola ad Hebręos Apostolus luculentissimè demonstrat. *Non enim ex operibus legis iustificatur vlla caro*. Legis autem nomine intelligitur, quicquid lex præcipit vllo tempore. Ita in alio loco ait, *beatum esse cui iustitia imputatur absque operibus*: in quo omnia opera cuiuscunque tandem generis sint, simpliciter excludit. Illud ergo perpetuò stabit, *Gratia estis seruati per fidem: & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.* Quare salus nostra est gratiæ solius effectum & Dei donum: huius autem percipiendę salutis instrumentum fides est. Si verò nostra opera aliquid ad iustitiam & salutem conferrent, in nobis aliquid existeret, in quo gloriari possemus. Quod enim iustitiam & salutem ęternam tribuit, id optimam ac iustissimam gloriandi causam continet,

Marginal notes: August. de Ciuit. Dei. li.19.c.26. — 1.Ioan.3.7. — Apo.22.11. — Galat.2.16. — Rom.4.6. — Ephes.2.8.

continet. Omnem autem gloriandi materiam nobis sola fides detrahit.

DVRAEVS, Fol. 251.

Sed Christus(*inquis*) à Paulo dicitur iustitia nostra. *Eodem etiam loco Christum dicit esse sapientiam nostram: & ne tibi euadendi locus relinquatur, ita Christum & sanctificationem appellat, quam tu infusam fateris.*

WHITAKERVS.

40 Multùm tu quidem erras si *hanc sapientiam, aut sanctificationem*, quam Christo Paulus hoc in loco tribuit, in nobis tanquam qualitates nostras inhærere somnias. Sic enim Christus à Deo factus est sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, vt hæc in vno Christo maneant, nostra non nisi duntaxat imputatione fiant. Si enim nescis, non modò iustitiam Christi, sed sapientiam etiam, & sanctificationem esse *imputatiuam*, æquum est vt hanc tibi inscitiam ignoscam. Neque enim Christi iustitia nobis imputari posset, nisi etiam sanctitas imputaretur. Tamen quin sit in nobis aliqua & sapientia & sanctimonia, & iustitia non negamus: sed illa sapientia, & iustitia, & sanctitas, quam fieri nobis Christum Paulus affirmat, non aliter nostra est, aut in nobis residet, quàm vt ipsum Christum per fidem totum amplectimur, & possidemus.

1.Cor.1.30.

DVRAEVS, Fol. 252.

Sed virtutes (*inquis*) nostræ sunt instar panniculi non modò polluti, sed etiam lacerati. *Si de ea loqueris iustitia, quam ipsi nobis absque Christi ope comparare possimus, rectè quidem sentis. Si verò illam intelligis, quam suo nobis sanguine seruator promeruit, & quam in corda nostra diffundit, intolerandam illi iniuriam facis. Venit enim Christus* vt vitam habeamus, &
Ioan. 10. abundantiùs habeamus. Scimus enim quoniã trãslati sumus
1. Ioan. 3. de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. *Christus ait,*
Ioan. 8. Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis. *Quid pulcrius, quid*
1. Petr. 1. *admirabilius, quàm quòd filios Dei, hæredes vitæ æternæ ac diuinæ consortes naturæ efficiat? Et Paulus Ecclesiam Christum gloriosam*
Ephes. 5. *absque macula ac ruga sibi ait fecisse. Desine ergo blasphemias tuas in gratiam noui Testamenti, in Christum, & in ipsius mortem euomere. Desine tantam Deo blasphemiam irrogare, vt pro iustis possit habere eos, qui iusti non sunt.*

WHITAKERVS.

41 Quid de nostris virtutibus existimandum sit, Esaias apertissimè docet, quando eas panni-
Esai. 64. 6. culo fœdè polluto similes esse dicit. Hic tu tanquam ictus fulmine obstupescis, nec quid respondeas habes. Voces tamen temerè quasdam profundis stuporis indices, & ignorantiæ incredibilis testes. Num enim fingere omnino potes, prophetam ope atq; auxilio Christi caruisse? Suam tamen iustitiam propheta impuram esse confitetur. Si ergo de eorum loqui operibus prophetam censes, qui non sunt renati, renatum fuisse Esaiam neges oportet, quem palàm constat

suæ

suæ iustitiæ vitia agnoscere. Nec potes ista responsione fretus teipsum defendere. Bernardus enim illam tibi responsionem fugamque præripuit, cuius hæc sunt in Esaiam verba: *Cernere est quàm sit illa iustitia sublimis, quam sicut montes Dei propheta esse miratur. Nostra enim si qua est humilis iustitia recta forsitan, sed non pura: nisi fortè meliores nos esse credimus, quàm patres nostros, qui non minus veraciter, quàm humiliter aiebant, Omnes iustitiæ nostræ tanquam pannus menstruatæ mulieris. Quomodo enim pura iustitia, vbi adhuc non potest culpa deesse?* Sed quid Bernardi testimonio opus est, cùm id omnes sancti semper agnouerint? Propheta Dauid ait, *Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis potest consistere?* Propheta Daniel ait, *Penes te ô Domine, est iustitia ipsa, at penes nos pudor faciei.* Ezras ait, *Ecce nos sumus coram te in delictis nostris, & ob id ne consistere quidem poterimus in conspectu tuo.* Iobus ait, *Nemo poterit respondere Deo ad vnum ex mille:* itaque vereri se dicit omnia opera sua. Ioannes Apostolus ait, *Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est. Si quis peccarit, aduocatum apud patrem habemus Iesum Christum iustum.* Peccant ergo renati, eosque suis peccatis non propriæ virtutes, sed Christi solius iustitia liberat. Quid pergam scripturas cumulare, quarum nulla est, quæ non vestram iustitiam iugulat?

Bernard. serm. 5. de verbis Esai.

Psal. 130.3.

Daniel. 9.7.

Ezras. 9.15.

Iob. 9.3.28.

1. Ioan. 1.8. &

1. Ioan. 2.1.

De illa verò iustitia non loquor, quam Christus suo nobis sanguine promeruit, quamque esse purissimã & omni modo perfectissimã intelligo.

Verùm hæc iustitia in nobis nequaquam hæret, sed nobis imputatur. Huic verò iustitiæ quinam tandem iniuriam faciant, facilè dijudicari potest, nósne, an potiùs ipsi vos. Nam tu nostrã iustitiam antè dixisti esse imperfectam: hanc autem iustitiã nobis Christus suo sanguine promeruit: imperfectam ergo nobis iustitiam suo Christus sanguine acquisiuit. Hæc demum iniuria, hæc in Christum, Christiq; sanguinẽ blasphemia meritò censeatur. Vteris hic nonnullis scripturæ testimonijs, sed vt semper soles, ineptè & ἀπροσδιονύσως. Quis enim nescit Christũ nobis vitã vberrimam attulisse? Num
Ioan.10. ergo sequitur nos infusa iustitia viuere? Charitas
1.Ioan.3. fructus est fidei & iustitiæ, ex quo certò scimus nos è morte ereptos esse: an ergo charitatem esse causam iustitiæ & vitæ concludes? Quos filius
Ioan.8. liberat, verè liberi sunt: num igitur nulla nobis Christi iustitia imputatur? Efficimur naturæ diui-
2.Petr.1. næ consortes, id est, vt mox ipse Petrus explicat, mundi corruptelas fugimus: num hinc sequitur Christi obedientiã fide non apprehendi? Ecclesi-
Ephes.5. am sibi Christus gloriosã sistit sine macula & ruga, quod de futuro Ecclesiæ statu intelligendum est: num igitur sancti dum hîc viuunt nullis peccatorum maculis asperguntur? His tu confisus argumentis tuam iustitiam ostentas, Christi iustitiã per fidem nobis imputatam contemnis. Aut ergo desine contra Christum, Christique iustitiam disputare, aut perge in tua impura iustitia computrescere.

DVRAE-

DVRAEVS, Fol. 253.

At Paulus (*inquis*) iustitiam Christi suam iustitiam vocat: cùm ita scribat, Non habens meam quæ ex lege est, sed eam, quæ ex fide Christi. *Plana profectò Pauli sententia: quam Augustinus exposuit: ex lege iustitiam eam vocari, quæ per legis doctrinam absque adiutorio gratiæ comparatur. Vocat ergo Paulus iustitiam fidei, non quòd fide apprehendebatur, sed quòd ad eam per fidem perueniatur: id enim ex instituto cùm ad Romanos & Galatas scriberet, ostenlere voluit, nullam nos ex lege veram iustitiam adipisci posse. Augustin. de prædestin. sanctorum,* Ex fide ideo dicit Paulus iustificari hominem, quia ipsa prima datur, ex qua impetrantur cætera. *Paulus Christi iustitiam vocat, quam verè nos quidem in nobis, sed à Christo acceptam habemus: quod omnes Ecclesiæ patres à Paulo didicerunt, & suos posteros docuerunt. Augustinum audi,* Gratia Dei non solùm reatus omnium peccatorum soluitur, ijs qui baptizantur in Christo, quod fit spiritu regenerationis, verùm etiam in gradibus voluntas ipsa sanatur, & præparatur à Domino, quod fit spiritu fidei & charitatis. *Et alio loco*, Gratia Dei non solùm peccata delet, verùm etiam ad non peccandum rectéque viuendum adiuuat. *Et rursum, non tantùm ait*, remitti nobis peccata, sed languores etiam nostros sanari.

Phil. 3. *Cap. 7.* *1. Retract. cap. 13.* *Epist. 106.* *Epist. 103. & 85.* *De natur. & grat. c. 27.*

VVHITAKERVS.

42 Quam iustitam Paulus intelligat, breuiter examinemus. Primùm remouet à iustitia, quicquid in pharisaïsmo splendidè ac præclarè fecisset, vt quanquam erat quoad iustitiam legis ἄμεμπτος, multisque eximijs ornamentis præditus, tamen propter Christum vniuersa hæc pro damnis ducat. Ne verò quisquam putet Paulum operibus suis post fidem susceptis aliquid tribuere, adiungit se & hęc etiam abijcere, *Phil. 3. 4. 6.*

nec illis iuſtificationem ſuam aſcribere. Cùm enim de primis operibus ſcripſiſſet, ἥγημαι ταῦτα ζημίας: Mox de omnibus in vniuerſum addit, mutato tẽpore, ἀλλὰ μενοῦνγε καὶ ἡγοῦμαι πάντα ζημίαν εἶναι: non illa tantùm, ſed hæc etiam omnia contemno, *vt habeam non iuſtitiam meam quæ eſt ex lege, ſed eam, quæ per fidem eſt Chriſti.* Cùm ergo Paulus omnia operum genera excludat, reſtat vt Chriſti ſolam
1.Cor.4.4. iuſtitiam intelligat. Atque ita alibi ait, *Nullius rei mihi conſcius ſum*: ſed non per hoc iuſtificatus ſum. Ita ſuis virtutibus iuſtificationem detrahit. Si enim Apoſtolus, qui ſic vixit, vt eum ſua conſcientia non accuſaret; tamen in ſuis operibus minimè acquieſceret, nec ſe iuſtum propter vitam ſanctiſſimè actam reputaret, certum eſt iuſtitiam in bonis operibus nequaquam conſiſtere.

Opportunè autem de Apoſtoli ad Galatas epiſtola mentionem feciſti. Illius enim epiſtolæ ſtatus tuam de operum iuſtificatione opinionem funditus euertit. Non enim Galatæ, qui Chriſto nomen dederant, ijs ſe operibus iuſtitiam adepturos ſperabãt, quæ ſine fide fierent, ſed opera cũ fide coniungebant, quemadmodũ vos contenditis eſſe faciendum. Itaque vel Galatas Apoſtolus ſine cauſa reprehendit, vel operibus nulla pars iuſtificationis tribuenda eſt. Qui enim *ex operibus legis ſunt*, eos Apoſtolus miſeros ac maledictos pronunciat: quod vel Galatas attingit, qui iam fideles erant, aut Apoſtolus nullo vſus eſt argumento, quod quicquam ad Galatas pertineret. Quicunque ergo ex operibus legis eſſe volunt,

lunt, id est, suis operibus iustitiam quærunt, quãtumuis id post gratiam & fidem faciãt, ij certissimum maledictum incurrunt, si Apostoli argumento aliquid omnino conclusum fuerit. Si enim Apostolum contra ceremonias tantùm disserere arbitraris, nimis leuiter iudicas. Totam enim legem cum suis operibus apertè abiudicat: sic enim ait, *Quotquot sunt ex operibus legis, sub execratione sunt: Scriptum est enim, Execrabilis quisquis non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea. Lex non est ex fide, sed qui fecerit ea homo, viuet in eis. Christus nos redemit ab execratione legis.* Ex his constat non ceremoniali modò, sed morali etiam legi iustificationem adimi, idque in ipsis Galatis, qui iam ad Christi cognitionem fidemque peruenerant. *Gal. 3. 10. 12. 13.*

De Augustino non conabor multa respondere. Si iustitiam inchoatam intelligat, fateor fidem esse primam, ex qua impetrantur cætera. Constat enim ea iustitia ex fide, spe, charitate, & huius iustitiæ fides fundamentum est. Reliqua Augustini testimonia prætermitti possunt, cùm nihil aliud doceant, quàm hominem non iustificari tantùm gratia, sed etiam sanctificari, quod quidẽ agnoscimus. Nam à vera fidei iustitia sanctificatio nunquam separatur. Qualem autem ex Paulo iustitiam patres didicerint, ac nobis tradiderint, paucis videamus. Basilius scribit, *Manet sempiterna requies illos, qui in hac vita legitimè certauerunt: non ob eorum merita factorum: sed de munificentissimi Dei gratia, in qua sperauerunt.* Non ergo sanctorũ meritis æternæ vitæ præmiũ redditur. Au- *Basil. in psal. 114.*

Aug. de verbis apost. ser. 15. Augustinus, *pro nihilo saluos facies eos: Quid est pro nihilo? Nihil inuenis, vnde salues: & multum inuenis, vnde damnes.* Sancti ergo nullis meritis seruantur. Hieronymus, *Tunc iusti sumus, quando nos peccatores fatemur: & iustitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordia.* Quid contra operum merita dici potuit illustrius? Bernardus, *Si iniquitates obseruauerit, etiam electorum, quis sustinebit?* Electi ergo non possunt suis meritis subnixi coram Domino consistere. Iterum Bernardus, *Memorabor iustitiæ tuæ solius: ipsa enim est mea: nempe factus es mihi tu iustitia à Deo.* Christi ergo iustitia est nostra iustitia, non quia in nobis inhæret, sed quia nobis per fidei imputationem communicatur. Nam alibi dicit Bernardus, *Sufficit mihi ad omnem iustitiam solum habere propitium, cui soli peccaui.* Nostra ergo iustitia non in proprijs meritis, sed in peccatorum remissione versatur. Subiungam istis breuem Thomæ tui sententiam, quam tibi cogitandam relinquo. *Opera* (inquit) *non sunt causa quòd aliquis sit iustus apud Deum, sed potius sunt executiones & manifestationes iustitia.* Hanc iustitiæ viam patres olim & didicerunt ipsi, & alios docuerunt: nos aliter nec doceri, nec docere volumus.

Hieron. li. 1. aduers. Pelagian.

Bernard. in Cantic. ser. 73.

Ser. 61.

Tho in Galat. 3. lect. 4.

DVRAEVS, Fol. 254.

Minimè miror Caluinum nullam in nobis interioris hominis renouationem agnoscere, cùm beatos ipsos sceleribus suis etiam in beatissimis illis sedibus, in quibus nihil inquinatum esse potest, perpetuò esse contaminatos existimet. Si enim quamdiu mortalis

hæc vita ducitur, ita in intimis animi recessibus peccata infixa sint, vt nunquam deleantur, quibus expiandis nullus post hanc vitam si vobis credimus locus sit, annon in beatis illis sedibus peccatorum feces perpetuò remanebunt? Explica nobis Whitakere, num hæc ita se habeant.

WHITAKERVS.

43 Cùm multas sæpe Caluino egregias calumnias impegisti, tum hoc in loco splendidum illi conuitium facis. Quis enim vnquam diceret, quod tu dicis, nullam interni hominis à Caluino renouationem agnosci, nisi qui daret operam vt omnes homines maledicendo superaret? Quod verò de beatis sedibus attexis, id Caluino nunquam venit in mentem vt somniaret. Quanquã enim pij dum hanc mortalem & terrestrem vitam viuunt, nõ omnes possunt peccatorum maculas eluere; tamen cùm primùm anima è corpore excesserit, omnibus peccatis, vitijs, languoribus liberatur, vt pura in cælestes superasque sedes perferatur. Nam in hac vita remissa fuit iniquitas, non sanata infirmitas, vt Augustinus loquitur: post hanc vitam neque iniquitas, neque infirmitas remanebit. Nam expiandis post hanc vitam peccatis nullus profectò, quòd sciam, locus constitutus est. Pontificium enim purgatorium penitus, opinor, refrixit, quia nihil ex illo loco iamdudum allatum est. Id ergo quod me iubes explicare, non magnam explicationem desiderat. Quando enim sanctorum animæ ex corporibus morti obnoxijs liberantur, nullis deinceps peccatorum vinculis implicantur. Rom. 7. 24.

DVRAEVS, Fol. 255. 256.

Addis verò de hac remißione peccatorum vestrorum certos vos eſſe ex Dei verbo Equidem haud mihi facilè perſuadeo aliquod eſſe Dei verbum, quod Whitakero remiſſa eſſe peccata teſtetur. Quid ergo Whitakere, omnibúſne mortalibus legem tu impones, vt non minùs tibi quàm Magdalenæ remiſſa eſſe peccata credant? Dices fortaſſe nihil opus fuiſſe diſertis hoc verbis exprimi, cùm ſatis expreßum ſit ijs omnibus, qui fide iuſtitiam Chriſti apprehendunt, peccatorum omnium veniam dari. At neque id ex Dei verbo vnquam oſtendes. Quomodo ſi incertum ſemper eſt, num ea fides, qua nobis remißa eſſe peccata perſuademus, vera ſit, an ſimulata? Tu ipſe in hac fide fluctuas: Conſcientiæ (*inquis*) noſtrę tam multis terroribus oppugnatę, tam ſecurę in hac vita eſſe nequeunt, quam ſi interminato cęli gaudio perfruerentur.

WHITAKERVS.

44 Vt tuas infacetas facetias prætermittam, atque ad rem veniam, nos de peccatorum noſtrorum remiſſione atque æterna in Chriſto ad vitam prædeſtinatione certos ex Dei verbo fieri confirmo. Cùm enim Euangelio credendum ſit, Euangelium autem inprimis doceat nobis peccata remitti, ſi credimus, quis ſine ſcelere poteſt de peccatorum remiſſione dubitare? Euangelio enim fidem detrahere, peccatum eſt omni ſupplicio dignum. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium vnigenitum dederit, vt quiſquis credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Qui ergo credũt in Chriſtũ, non poſſunt perire, ſed æterna vita certiſſimè potientur. Ex Euangelio etiam diſcimus,

Ioan. 3. 16.

mus, nos à Deo ad vitam æternam prædestinari: Id ergo credere debemus, nisi perfidi sumus. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, & destinauit nos in adoptionem filiorum.* Cùm ipse Deus testetur & confirmet se nos ad vitam prædestinasse, nos minimè credemus? At si fide præditi sumus, id ignorare nullo modo possumus. Est enim fides electorum ac prædestinatorum, quemadmodum Paulus clarissimè docet. Se enim Apostolum Christi vocat *secundùm fidem electorum Dei.* Et Lucas scribit credidisse, *quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Quare cùm fides vera nullorum sit, nisi qui electi ac præordinati sunt, quos verò Dominus ad vitam elegit ac prædestinauit, hi perire nequeant, quid aliud consequi potest, quàm qui credunt, eos esse de sua peccatorum remissione ac salute certos? Quod tu enim ostendi posse negas, id in scripturis apertissimè declaratur. Sic Petrus ait, *Huic omnes prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen eius quemuis, qui crediderit in eum.* Et Paulus, *Notum sit vobis, fratres, annunciari vobis remissionem peccatorum per istum: & ab omnibus à quibus per legem Mosis absolui non potuistis, per hunc quemuis, qui credat absolui.* Hæ sententiæ non ad vnam Magdalenam pertinent, sed omnibus Christianis propositæ sunt, vt quisquis in Christum crediderit, is peccata sibi remissa, & certam in Dei regno fælicitatem paratam esse intelligat.

Ephes. 1. 45.

Tit. 1. 1.

Act. 13. 48.

Act. 10. 43.

Act. 13. 39.

At nescimus (inquis) *num vera fide imbuamur:*

multi enim ficta fide falluntur. Id quidem negari non potest: sed qui vera fide donati sunt, ij se vera fide præditos esse sciunt. Ita Paulus, *Scio*
2.Tim.1.12 *cui crediderim, & mihi persuasum est eum posse depositum meum in illum diem seruare*. Sic Corinthios
2.Cor.13.5. iubet, vt *seipsos tentent atque explorent, an sint in fide: cùm Christum in ipsis esse sciant, nisi reprobi sint*. Quare nec reprobi in se aut fidem aut Christum habent: & qui fide ac Christo potiuntur, ij se fidei ac Christi compotes esse cognoscunt. Quorsum autem vel Christus interrogaret à multis, num crederent, vel ij se credere responderent, nisi suam quisque fidem cognitam haberet? Si quomodo scire hoc possis, quæras, Ioannem Apostolum audi, *Per hoc nouimus, quòd*
1.Ioan.3.24 *maneat in nobis, ex spiritu quem dedit nobis*. Atque
August.Ep. ita Augustinus scribit, *Videt fidelis ipsam fidem su-*
112. *am, qua se credere sine dubitatione respondet*. Vobis remissionem peccatorum semper esse incertam minimè mirum est, cùm semper de fide vestra dubitetis. Qui enim non credunt, vel se tantùm credere opinantur, ij nullum ex Christo beneficium percipiunt. Sic ergo de certa peccatorum remissione certissimam demonstrationem conficio: Quicunque certò norunt se esse electos ac prædestinatos, ij de remissione peccatorum & salute sua certi sunt: Quicunque autem credunt, se electos ac prædestinatos esse certò norunt, quia se credere sciunt; & qui credũt electi ac prædestinati sunt: ergo qui credunt, ij de remissione peccatorum & salute sua certi sunt. Vires in hoc syllogismo tuas, si quid potes, experire:

experire: illum ego tibi tractandum, ac penitus versandum permitto. De me quod addis, agnosco. fides enim multis terroribus tentatur, & caro semper in hac vita varias dubitandi occasiones subministrat. Sed fides vincit mundum, & nos fides victores facit. Itaque nihil impedit, quo minùs fides & solicita nonnihil sit, quando acerrimis tentationibus vrgetur, & eadem tamen certa ac secura sit, quando Dei promissiones intuetur. 1.Ioan.5.4.

DVRAEVS, Fol.257.

Incredibilem tuam inconstantiam mirari hîc satis non possum, quia perfidiam hanc vestram, cum ea quæ in Abrahamo fuit fide audeas comparare. Quæ ex Basilio & Tridentino etiam catechismo testimonia affers, nihil aliud, quàm teipsum iugulant. Quomodo enim si tam certa est fides vestra de iustificatione & salute nondum satis securi estis? Paulus ipse, etsi nullius sibi criminis conscius, se iustum tamen pronunciare noluit. Non vos sanctissimi Iob verba mouent? qui etiam inquit, Si habuero quidpiam iustum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor: si iustificare me voluero, os meum condemnabit me &c. Delicta *(inquit propheta Dauid)* quis intelligit? *Et Salomon,* Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato? *Et in Ecclesiastico*, de propitiato peccato noli esse sine metu, neque adijcies peccata peccatis. Cap.9. Psal.18. Prouerb.20. Eccles.5.5.

WHITAKERVS.

45 Abrahæ exemplũ propositum est à Paulo, non modò vt qualis fuerit Abrahamus, ostenderet, sed vt quales etiam nos esse debeamus, si fideles sumus, demonstraret. Itaque illum Apostolus *Patrem nostrum* vocauit, vt qui eius filij sumus, Rom.4.1.

mus, illi nos oportere similes esse intelligere possemus. Tum postquam multis verbis Abrahæ mirificam fidem prædicasset, concludit ad extremum, quemadmodum Abrahamus illa fide tam firma iustificatus fuit, ita eadem etiam nos
Rom.4.24. fide iustos per imputationem fore? Et verò quorsum tam longam Apostolus fidei huius, qua Abrahamus præditus fuit, descriptionem fecisset, nisi vt veræ fidei viuam imaginem τυπικῶς exprimeret? Nec illud argumentum ab exemplo A-
Galat.3.6. &c. brahæ sumptum, quo Galatas refellit Apostolus, aliquid valeret, nisi qualis Abrahæ fuit, talis quoque & nostra esset.

Basil in ascet. Catechis. Trident in 1.art.symboli. Basilius autem & catechismus Tridentinus quando fidei ἀδιάκριτον πληροφορίαν, & *certissimam sine vlla hæsitatione persuasionem* tribuunt, quid aliud, quàm nostram sententiam apertissimè confirmant? Si enim omnis disceptatio ac dubitatio à fide aliena est, & qui credunt, ijs quod credunt sine hæsitatione vlla certum & persuasum esse debet, quemadmodum & Basilius scribit, & in catechismo Tridentino traditum est, quis potest incertus esse de sua salute, quam credit? Nam tentationes illæ, quas caro suppeditat, etsi fidem nonnihil impellunt, ac solicitam reddunt, euertere tamen illam, & penitus de gradu deturbare nunquam possunt. Sic pij quanquam ex hac vita ad Christum alacres & spe gaudioque pleni excedunt, aliter tamen facere non possunt, quin mortem pertimescant. Quære nunc quemadmodum aliquis & timere mortem, & cupidè ex hac vita migrare possit.

Restant

Restant quædam hîc frusta argumentorum concidenda. Paulus ait, *Nullius rei mihi conscius* 1.Cor.4.4.
sum: sed non per hoc iustificatus sum. Quid? num se Paulus iustificatum esse negauit? Aut de sua iustificatione dubitauit? At contrà ex Paulo Paulum de sua iustitia & salute certissimum fuisse constat: sic quidem vt Papistæ cogantur respondere, id Paulum extraordinaria quadam spiritus patefactione didicisse. Tu nunc Paulum introducis, de sua iustificatione dubitantem. Sed Paulum non intelligis. Neque enim ait se non esse iustificatum: sed ex eo non esse iustificatum, quòd nullius rei conscius sibi fuerit. Ita Iobus etsi non est ausus suis operibus confidere, aut innocentiam suam coram Domino defendere, de salute tamen sua se certissimum fuisse satis ostendit. *Scio* (inquit) *redemptorem meum viuere, & carne mea me visurum esse Deum.* Davidis & Salomonis sententiæ nihil ad rem faciunt. Quid enim si non intelligimus delicta nostra, nec mundi sumus à peccatis, num proinde incerti erimus, num peccata nobis omnia & occulta & manifesta remittantur? Nihil minùs. Ecclesiastici locum egregiè corrupisti. In Græco sic legitur, Περὶ ἐξιλασμοῦ μὴ ἄφοβος γίνου: i. *Noli securus esse de expiatione.* Vetus interpres reddit, *De propitiatu peccatorum noli esse sine metu:* in quo admonet ne pœnitentiam & peccatorum expiationem procrastinemus, aut peccata peccatis cumulemus. Tu hoc testimonio probare vis de remissis etiam peccatis nobis esse metuendũ, ne fortè nos in exitium retrahãt. Zacharias verò nos docuit

In fine 8.ca. ad Rom.

Iob.19.26.

Eccles.5.5.

Luc.1.74. docuit Deo ἀφόβως seruire: Et Paulus ait, *Nos*
Rom.8.15. *non accepisse spiritum seruitutis iterum ad metum, sed spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba, Pater.*

DVRAEVS, Fol. 258.

Iam quo tuam sententiam argumento tuearis expecto. Quomodo iustificati (*inquis*) pacem possunt habere apud Deum, si ancipiti spe dubiísque de salute nostra cogitationibus perpetuò distrahamur? *Quis vnquam Catholicorum dixit spem nostram dubiam vel ancipitem esse? Quid pax aliud est, quàm (si*
Lib.19.de ciuit.Dei. c. 13. *Augustino credimus)* tranquillitas ordinis? *Nos serui sumus, an non igitur cùm ordinem nostrum ac locum teneamus, pacem tibi habere videmur?*

WHITAKERVS.

46 Argumentũ meum ex Apostolo desumptum diluere nunquam profectò poteris. Nam hîc quidem nihil affers, vnde id te vel conatum esse existimẽ. Apostolus ait, primùm nos fide iu-
Rom.5.1. stificari, tum iustificatos pacem erga Deum habere. Pax autem ista est animi firma tranquillitas dum nos à peccatis absolui, & Deo reconciliari certò credimus. Qui enim de peccatorum remissione, & Dei beneuolentia, suoq; futuro statu incerti sũt, pace aut omnino nulla aut minimè perpetua perfruuntur. Hanc autem pacem, quam nobis fidei iustificatio affert apud Deum, veram atque immortalem esse oportet. Nam pax aut dubia, aut breuis, aut mutabilis, non meretur pacis nomen. Qui ergo hanc pacem adepti sunt, ij sciunt eam fore sempiternam: qui verò se sciunt, sempi-

ſempiterna pace frui, ij de ſalute ſua incerti eſſe nequeunt. Itaque Apoſtolus adiungit, nos in gratia ſtare: vbi Chryſoſtomus obſeruauit *hanc Dei gratiam ſine carere, & terminum neſcire.* Qui ergo hac gratia præditus eſt, ea nunquam priuari poteſt: certus igitur eſt de ſalute ſua. Idque tute etiam agnoſcis. Si enim ſpes non ſit dubia, vel anceps, quod tu Catholicos omnes exiſtimare dicis, tum certam & firmam eſſe ſequitur, quod fieri nullo modo poteſt, ſi de ſalute dubitamus. Auguſtinum temere adducis, cùm nihil hîc de re loquatur, quam nos in manibus habemus. Sit pax, trãquillitas ordinis: Et ſimus nos vt dicis ſerui. Tamen etiam filij ſumus. Huius autem ordinis ratio poſtulat, vt qui filius eſt, certam hæreditatem expectet.

ἐν ᾗ ἑστήκαμεν. *Chryſoſtom. in hunc locum.* αὕτη ἡ τοῦ θεοῦ χάρις οὐκ ἔχει τέλος, οὐκ οἶδε πέρας.

DVRAEVS, Fol. 259.

Aliud argumentum audiamus. Credimus (*inquis*) vitam æternam: ergo ſine vlla hæſitatione certa nobis ac perſuaſa eſt. *Dic mihi Whitakere, credíſne etiam mortem æternam? tam igitur mors tibi æterna perſuaſa eſt, quàm eſt vita æterna. Quis vnquam de ſua in finem vſque perſeuerantia abſque peculiari Dei reuelatione certus eſſe potuit?*

WHITAKERVS.

47 Aliud eſt credere vitam æternam, aliud nos fore participes æternæ vitæ. Illud enim impij homines dæmoneſq; credunt, hoc nulli niſi fideles ſibi perſuadere poſſunt. Qui verò electorũ fide, quam vocat Apoſtolus, præditi ſunt, ij non modò credunt æternam vitam, ſed etiam æternæ *Tit. 1. 1.*

vitæ hæreditatem ad se pertinere minimè dubitant. Quos enim iustificat, eos etiam sine omni controuersia *glorificabit*, vt Apostolus clarissimè confirmat. Nulli verò iustificantur, nisi qui se iustificatos esse intelligunt. Nam iustificati pacem habent erga Deum, eamque sentiunt. Quòd ergo nullis constare dicis de sua perseuerantia absque peculiari Dei reuelatione, æterno Dei decreto neruos incîdis. Nam prædestinatio Dei cùm certa sit & immutabilis, certam quoque vocationem, iustificationem, glorificationem nostram efficit. Tune enim illam Apostoli catenam auream dissolues ac dirumpes? Et cui tandem sua perseuerantia dubia esse potest, cùm Deus suam erga nos perpetuam beneuolentiam testetur? Apud Ieremiam Dominus ait, *Feriam cum ijs pactum sempiternum & non desistam à benefaciendo illis*. Et Christum Ioannes ait *suos in finem diligere*. Si ergo Dei pactum cum suis initum perpetuum sit, & suos Christus in finem diligat, certam esse constat in fide perseuerantiam. Tum quicquid Christus petijt, id proculdubio impetrauit: petijt autem *vt fides suorum non deficeret*, id ergo illius precibus concessum fuit. Et verò quod sancti ex fide petunt, quis illos id accipere negabit, cùm Christus promiserit, *Quæcunque in oratione petieritis credentes, accipietis*: sancti autem nihil ardentiore studio petunt, quàm vt possint in gratia perseuerare. Nónne qui in Christum insiti sunt, in ijs Christi spiritus habitat? Spiritus autem sanctus non ad tempus, sed in æternum nobiscum manet. Quid

Rom.8.30. *Rom.5.1.* *Iere.32.40.* *Ioan.13.1.* *Luc.22.32.* *Ioan.17.20.21.* *Mat.21.22.* *Rom.8.9.* *Ioan.14.16.*

Quid multis opus eſt ? Si fideles nunquam Ioan.10.28.
poſſunt è manu Chriſti eripi, vt Chriſtus ait:
ſi qui incepit bonum opus, perficiet vſque in
diem Ieſu Chriſti, vt Paulus ait: Si Dei do- Phil.1.6.
na ſunt ἀμεταμέλητα, vt idem Paulus docet: Si Rom.11.29.
in renatis ſemen Dei manet, id eſt ver-
bum Dei fide ſuſceptum perſeuerat, vt Io- 1.Ioan.3.9.
annes ait: Denique ſi Electi nunquam ſeduci Mat.24.24.
poſſunt, vt Chriſtus clarè pronunciat, eſt omnino neceſſarium, vt qui vera fide præditi ſunt, in eadem perpetuò perſiſtant. Permitte nobis Duræe, vt his tam certis ſcripturæ teſtimonijs potiùs, quàm veſtris opinionibus atque inſomnijs aſſentiamur. Veſtra quam iactatis, fides, nihil profectò aliud eſt, ſi his ſcripturis credendum eſt, quàm mera ἀπιστία.

DVRAEVS, Fol. 259.

Fides (*inquis*) quæ ab Apoſtolo dicitur ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων perpetua eſſe debet. *Quis vnquam dubitauit certiſſima eſſe, quæ creduntur omnia? Sed tuum erat Whitakere oſtendere, ſingulos hac fide ſe in finem vſque perſeueraturos credere debere. Paulus ipſe quoſdam fidei naufragium ac iacturam feciſſe diſertis verbis pronuntiat.* 1.*Timot.*1.

WHITAKERVS.

48 Non id quæritur, an quæ creduntur, ſint certiſſima. Id enim dæmones ipſi certiſſimè norunt: & tu cùm veſtram illam præclaram fidem non aliam eſſe ſtatuas, quàm qua dæmones

excellunt, vos veræ fidei expertes esse confiteris. At illa fides, quam Apostolus laudat, quaque illi summi viri præditi fuerunt, quos prædicat, non tantùm credit vera esse in se Dei omnia promissa, quod dæmones faciunt, sed eorum se quoque fore participes sibi persuadet. Itaque & ὑπόστασις vocatur τῶν ἐλπιζομένων, quia iam fruitur per certam atque exploratam spem ijs bonis, quæ nobis in altera vita præparantur, & ἔλεγχος πραγμάτων οὐ βλεπομένων, quia nunc intuetur, quæ nostros oculos fugiunt. Tam ergo comperta est fidelium perseuerantia, vt se nunc in illarum rerum possessione versari putent, quas in altero demum seculo percipient. Hoc tu argumentum, vt omnes vires intenderis, nunquam tamen commoueris. Fides autem de qua Paulus loquitur in Epistola ad Timotheum, non fidem iustificantem, sed doctrinam sanam significat, cuius Hymenæus & Alexander naufragium fecerant. Ineptum est in verbi ὁμωνυμίᾳ nugari. Vera autem fides, quæ electorum propria est, nunquam amitti potest, quod ego me iam satis perspicuè arbitror docuisse.

Heb.11.1. &c.

1.Tim.1.19

DVRAEVS, Fol.260.

Dixit (*inquis*) Paulus, quis nos separabit à charitate Christi? *ergóne tantundem tibi dicere licebit? In prædestinatorium persona Paulus hîc loquitur.*

WHITAKERVS.

49 Paulus non tantùm de se, sed de alijs etiam

am fidelibus persuasus fuit, fieri non posse vt eos aliquid à charitate Dei separaret. Ait enim, *Quid nos separabit à charitate Christi? Persuasum habeo nihil posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu*. De prædestinatis igitur loqui Paulum fateor: nam alij quidem separantur. Sed hinc concludam, quod institui. Prædestinati non possunt à charitate Christi separari: Qui vera fide imbuuntur, prædestinati sunt, quod Apostolus docet, quando fidem vocat Electorum: qui igitur vera fide donantur, non possunt à Christi charitate separari. Nisi mentis caligine oppressus fuisses, facilè profectò hanc consequentiam præuidisses. *Rom.8.35. 39.*

DVRAEVS, Fol. 260. 261.

Pergis deinde: Ob hanc causam pignus nobis adoptionis datus est ipse spiritus sanctus, qui nobis certissimam fidem faciat esse nos Dei filios. *Cùm paulò antè dixeris ipsa nos fide certissimos fieri nos Dei filios esse, quid nouo iam pignore opus est? Et Paulus non adoptionis nostræ, sed hæreditatis pignus nobis esse datum dixit. Est enim charitas Dei diffusa in cordibus nostris, velut pignus quoddam vitæ æternæ, quod si tenemus, rem ipsam cuius pignus est æternam dico beatitudinem, amittere non possumus.* *Ephes.1.*

WHITAKERVS.

50 Pignore promissum confirmatur & sancitur: ergo qui spiritus sancti pignus acceperunt, de ipsa promissione non possunt dubitare. Si enim hæc in humanis negotijs firma sint, in rebus diuinis multò sint firmiora necesse est.

Deus nobis æternæ vitæ hæreditatem promiſit: æquum ergo eſt, vt Deo promittenti fidem habeamus. Cùm autem hanc promiſſionem *arrhabone ſpiritus* confirmarit, omnẽ dubitationem ſuſtulit. Neque eſt, quòd nimis imprudenter obijceas, nouo pignore nihil opus eſſe, ſi fides certa fuerit. Etſi enim fides per ſe certa eſt, quia Dei promiſſis nititur, tamen quando pignus etiam acceſſerit, multò certior euadit. Siue autem adoptionis ſiue hæreditatis pignus dicatur, in re nihil intereſt. Nam ad Romanos Apoſtolus vocat *ſpiritum adoptionis*: & ad Galatas ait: *Quoniam eſtis filij, emiſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem, Abba Pater.* Hoc autem pignus de charitate interpretaris, quod vt concedam, nihil omninò de cauſa deperdam. Si enim non tantùm fide, ſed etiam charitate noſtra certi ſumus de æterna hæreditate, hoc multum confert ad noſtram ſalutis πληροφορίαν. Quos enim Dominus ad hanc dignitatem & fælicitatem extulit, eorum mentes perpetuò erga Deum, & fratres amore inflammauit. Hic ergo amor nobis teſtimonio maximo eſſe poteſt, nos eſſe filios Dei, quia Deum & fratres amamus. Ita enim Ioannes ait, *Nos ſcimus nos tranſlatos eſſe ex morte ad vitam, quia diligimus fratres.* Si ſcimus nos iam eſſe tranſlatos, non igitur incerti ſumus. Cur autem *ſpiritus promiſſionis* vocetur, non magnopere tecum contendam. Plures cauſas apud Thomam inuenies: quarum vna eſt, *quia facit certitudinem de promiſſa hæreditate:* quod cum Caluini mente quam tu reprehendis congruit.

Rom.8.15. Galat.4.6. 1.Ioan.3.14 Thom. in Epheſ. ca.1. lect.5.

Tum

Tum rectè Thomas admonet, arrham potiùs, quàm pignus dici oportere, quia pignus redditur, postquam res debita recipitur: arrha autem datur de ipso precio, *quod non est auferendum, sed complendum.* Qui ergo spiritus arrham acceperunt, eam semper retinebunt.

DVRAEVS, Fol. 262.

Ridiculum verò est quod addis, Patrem verò quis Deum ausit appellare, qui se putat posse eius non esse filium aliquando? *Quid? Num quotquot Deum appellare patrem audent, illius se filios semper futuros certi sunt? Orationem Dominicam Christus omnes Apostolos docuit, ex quibus Iudas fuit.*

WHITAKERVS.

51 Ad Deum nulli possunt, tanquam patrem suum accedere, nisi qui sunt de illius paterna erga se voluntate certi. Qui enim dubitat, sitné illi futurus in perpetuum pater, non illum ex animo patrem vocat, sed tantùm simulatè. Electi autem in Dei paterna beneuolentia acquiescunt, illum esse patrem, se esse filios certissimè norunt, & penitus persuasi sunt, nihil interuenire posse, quod aut illum ex patre inimicum, aut se ex filijs alienos atque exhæredes reddat. Igitur hoc ipsum patris nomen certam atque æternam filiorum Dei hæreditatem arguit. Quanquam autem Deum multi patrem appellant, qui non sunt eius filij, falsò tamen illud nomen vsurpant: & oratione Dominica nulli

rectè vtuntur, nisi quos Deus filios adoptauit. Quare quàm hic tu ridiculè responderis, omnes perspiciunt.

DVRAEVS, Fol. 262.

Illud fortaßè vehementiùs nos vrget, quod ais, Sanctis licet cum Apostolo profiteri, scimus nos ei futuros esse similes: scientia certa, dubitare opinionis. *Sed dic obsecro, num quod sanctis cum Apostolo profiteri licet, idem tibi continuò licebit? Omitto quòd hunc locum fœdè mutilasti,* Scimus (*inquit ille*) quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus.

WHITAKERVS.

52 Si sancti sciunt se Christo similes fore, sciunt etiam necessariò se nunquam perituros. Qui enim pereunt, eos, opinor, non negabis esse Christo dissimiles. Nec est quod ineptè somnies, 1.Ioa.3.1.2. de se aut reliquis Apostolis loqui Ioannem, cùm palàm se illos omnes alloqui testetur, quos Deus tam eximia charitate complexus est, vt illos pro suis filijs susciperet. Loci huius sensus est, *Charissimi nunc filij Dei sumus, quod quanquam minimè apparet, scimus tamen cùm ipse patefactus fuerit, nos ipsi similes fore*. Itaque scientia huius temporis est, patefactio futuri. Nihil verò hîc mutilum est. Id enim nobis inuitus relinquas est necesse, fideles dum hîc viuunt, certò cognoscere quales in altera vita futuri sint, nempe Christo similes. Doce verò quemadmodum aliquis & scire possit se Christo similem futurum, & tamen de salute sua dubitare. Si enim scit se similē Christo futurū, non

non dubitat: si dubitat, nescit an Christo sit futurus similis. Ita pòst Ioannes ait, *Scimus nos translatos esse ex morte ad vitam.* In quem locum sic scribit Augustinus, *Redeat vnusquisq; ad cor suum. Si ibi inuenerit charitatem fraternam, securus sit, quia transiit à morte ad vitam. Iam in dextera est:* quo nihil in te disertius dici potuit. Nam primùm illam Ioannis sententiam de quouis fideli interpretatur, deinde ex charitate fieri nos de salute certos ac securos confirmat.

1.Ioan.3. 14.
August. in Epist. Ioan. tract.5.

DVRAEVS, Fol.262.

Nullis ergo hactenus diuinarum literarum testimonijs tuæ nobis perseuerantiæ certitudinem probare potuisti. Qui stat (*inquit Paulus*) videat, ne cadat. *Et ad Philippenses*, Cum timore & tremore vestram salutem operamini. *Et ad Hebræos*, Timeamus ne fortè relicta pollicitatione existimetur aliquis ex nobis deesse.

1.Cor.10.
Ad Phil.2.
Ad Hebr.4.

VVHITAKERVS.

53 Ego verò clarissimis sacrarum literarum testimonijs euici ac demonstraui certam esse sanctorum perseuerantiam, id quod innumeris præterea alijs, si opus esset, confirmare possem. Tuis verò his, quæ quasi postliminio introducis, breuiter respondebo. Primùm enim in communicationibus atq; exhortationibus, quæ communes sunt, videndum est quid cuique conueniat. In Ecclesia multi sunt, qui se falsa opinione fallunt, & cùm minimè stent, sibi tamē stare videntur. Ita enim Apostolus ait, *Qui sibi videtur stare,* videat

1.Cor.10.12
ὁ δοκῶν ἑστάναι.

videat ne cadat. Nihil te verò puduit tam celebrem locum corrumpere, idque adeo vetere interprete reclamante? Deinde ipsi etiam sancti admonendi sedulò sunt, vt securitatem carnalem fugiant, Satanæ impetus præcaueant, in solicita cura perpetuò versentur. Hoc verò nihil impedit, quo minùs de salute sint interim certissimi. Act.27. Etsi enim Paulus nauigans, haud quidem dubitauit an saluus atq; incolumis in terram euaderet, tamen nihil prætermisit, quod hominem de salute sua solicitum curare & facere oporteret.

DVRAEVS, Fol. 263.

A scripturis ad patres transilis. Primùm in acie Cyprianum sistis. Mori planè timeat, at qui ex aqua & spiritu sancto non est renatus: mori timeat, qui non Christi cruce ac passione censetur. *Quid hoc quæso ad rem? Chrysostomus*, non modò de datis inquit, sed etiam de futuris perinde atque de datis πληροφορεῖσθαι χρή, *vbi non de fidei sed de spei certitudine loquitur. Quid Augustinus?* Quia ergo non secundùm merita nostra (*inquit*) sed secundùm illius misericordiam firma est promissio, nemo debet cum trepidatione prædicare, vnde non potest dubitare. *In quibus verbis nihil est, quod causam tuam iuuet. Quid enim absurdius, quàm diuinarum promissionum certitudinem ad singulorum hominum perseuerantiam detorquere?*

WHITAKERVS.

54 Hæc istorum patrum testimonia breuiter à tuis calumnijs vindicabo. Quid enim attinet cùm certæ suppetunt scripturæ de hominum iudicijs

iudicijs magnopere litigare? Cyprianus mortem nullis terribilem esse docet, *nisi qui gehennæ ignibus*, vt ipse loquitur, *mancipantur*. Quæ tu verba quamobrem prætermiseris, velim me certionem facias. Si enim mortem nulli timent, nisi qui morti sempiternæ adiudicantur, qui mortem non timent, sed eam fide pleni oppetunt, certò sciunt se esse ab æterna morte liberatos. Chrysostomi vnum testimonium non attingis, in altero corruis. Spem enim fateris esse certam, non fidem: in quo spem nescis fidei esse fructum. Spes enim ideo certa est, quia nascitur ex fide, quæ Dei certis promissionibus nititur: Si ergo spem sanctorum certam esse concedis, fidem quoque certam esse non potes dubitare. Sed accipio, quod das: spes sanctorum certa: sancti autem vitam æternam sperant: sancti igitur vita æterna sine dubio potientur. Sed te id latêre non debuit, Apostolũ in infidelitate disceptationem, in fide πληροφορίαν statuere. Augustini verò tam perspicua sententia fuit, vt te in miseras angustias compulerit. *Quid* (inquis) *absurdius, quàm diuinarum promissionum certitudinem ad perseuerantiam singulorum hominum detorquere?* Immo quid tua responsione fingi absurdius potuit? Non enim Augustinus docere voluit, Dei promissiones esse firmas, sed hinc concludere, quia Dei promissiones firmæ sunt, cùm non ex nostris meritis, sed ex Dei misericordia pendeant, nobis non esse dubitandum, quin Christus in nobis sedeat atque regnet. Qui verò Christum in se habet sedentem & regnantem,

Cyprian. de mortalit.

Rom. 4. 20. 21.

August. in psal. 88. con. 1.

nantem, ille meritò poteſt ſalutem ſibi certam polliceri.

DVRAES, Fol. 263.

Hic more tuo exclamas, Auguſtinus totus noſter eſt. *Vt nihil à te impudentius dici potuiſſe omnes intelligant, ex innumeris quæ apud eum paſſim occurrunt teſtimonijs, pauca delibare conſtitui.* Quis ex multitudine (*inquit*) fidelium, quamdiu in hac mortalitate viuitur in numero prędeſtinatorum ſe eſſe præſumat? *Et rurſus,* Prædeſtinatio Dei etſi apud nos, qui dum in præſentis vitæ periculis verſamur incerta eſt, apud illum tamen incommutabilis permanet. *Et alio loco,* Itaque vtrũ quiſque hoc munus acceperit, quamdiu hanc vitã ducit, incertum eſt. *Ac rurſum,* De vita æterna nemo poteſt eſſe ſecurus, niſi cùm conſũmata fuerit iſta vita. *Et rurſum,* Beati licèt de ſuæ perſeuerantiæ præmio certi ſint, de ipſa tamen perſeuerentia ſua reperiuntur incerti.

De correp. & gratia cap.13. Ad art. fal. art.12. De bono perſeuer. cap.1. Ibid. cap.22. Lib.11. de Ciuit. Dei, cap.12.

WHITAKERVS.

55 Etſi malo tecum de ſcripturarum, quàm patrũ poſſeſſione contendere, tamen nihil adhuc video, quo minùs eſſe totum in hac cauſa noſtrũ Auguſtinum penitus defendam. Nam hæc teſtimonia nihil aliud niſi ſummam in Auguſtino legendo negligentiam tuam demonſtrant. Aut enim præſumptionem & ſecuritatem improbant, quam nos etiam damnamus, aut de aliena prædeſtinatione loquuntur, quam nullis notam eſſe niſi illis ipſis qui prædeſtinantur concedimus. In poſtremo autem, quod omnium videtur

tur acerrimum, fraudem incredibilem adhibes. Augustinus enim eodem ipso in loco id apertissimè scribit, quod nos confirmamus. Adamum enim comparat cum quouis fideli, & quantum quidem attinet ad delectationem præsentis boni, illum in paradiso beatiorem fuisse, quàm iustum quemlibet confitetur, at quantum ad spem futuri boni, quemlibet illo beatiorem esse concludit: rationem autem adiungit pulcherrimam, *Beatior quilibet in quibuslibet cruciatibus corporis, cui non opinione, sed certa veritate manifestum est, sine fine se habiturum omni molestia carentem societatem angelorum in participatione summi Dei, quàm erat ille homo sui casus incertus in magna illa fælicitate paradisi.* Quid potes luculentius desiderare? Adamo iusti beatiores sunt, quia Adamus incertus fuit de suo statu, iusti non opinantur, sed certa veritate cognitum habent se futuros sine fine beatissimos. De sua igitur perseuerantia incerti esse nequeunt. Quod ergo Augustinus ait, *Quis hominum sciat se in actione profectuq; iustitiæ perseueraturum,* tu planè quid sibi velit, nescis. Non enim scire nullum posse dicit, sitné in fide perpetuò permansurus, sed an ita permansurus sit, vt nunquam *ab actione profectúque iustitiæ* abberret. Labuntur enim sæpius, qui prædestinati sunt: sed tamen in peccatis minimè iacent.

Aug. de Ciuit. Dei, lib. 11. cap. 12.

Quando autem me ex Augustino aliquid proferre cogis, pauca expromam ex illius libris clarissima testimonia. Et primùm illud quod in alio loco de Adami & iustorum conditione scribit in hunc modum: *Est in nobis per hanc Dei gra-*

Augus̄t. de correp. & grat. cap. 11. & 12. *gratiam in bono recipiendo, & perseueranter tenendo, non solùm posse quod volumus, sed etiam velle quod possumus: quod non fuit in homine primo.* Et in proximo capite de eadem re: *Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantùm tale adiutorium perseuerantiæ datur,* (nempe vt perseuerare possint, si velint, quemadmodum Adamo datum fuit) *sed tale, vt eis perseuerantia ipsa donetur, non solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verùm etiam vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint.* Et pòst in eodem capite: *Ipse ergo eos facit perseuerare in bono, qui facit bonos: qui autem cadunt & pereunt, in prædestinatorū numero non fuerunt.* Mittam alia multa, quæ in hāc sententiam apertissimè scripsit in hoc libro. Alibi

De bono perseu. cap. 2. sic habet: *Timorem meum dabo in cor eorum, vt à me non recedant. Quod quid est aliud, quàm talis ac tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, vt mihi perseueranter adhæreant? Cur autem perseuerantia ista poscitur à Deo, si non datur à Deo?* Quare Augustinum esse totum, quandoquidem ita vis, in ista causa nostrum ex his manifestum est.

DVRAEVS, Fol. 264.

Ad extremum adducis Bernardum. Turbatur conscientia, sed

Homil. 61. in Cantic. non perturbatur, quoniam vulnerum Dei recordabor. *Hoccine est de sua quempiam beatitudine certum esse?*

WHITAKERVS.

56 Si conscientia nunquam perturbatur, eam esse firmam ac certam sequitur. Qui enim in-

incerti sunt, facilè perturbantur. Certi autem nulli esse possunt, nisi persuasi fuerint, nihil posse contingere, quod Deum illis infensum faciat. Si enim Deum iratum sibi atque inimicum senserint, non modò perturbantur, sed penitus etiam de statu deturbantur. Quorum ergo conscientia nunquam perturbari potest, ij non modò certi sunt se à Deo amari, sed hunc amorem constantem & perpetuum fore minimè dubitant.

DVRAEVS, Fol. 264. 265.

Plura (*inquis*) non persequar. Fides aut est perpetua, aut est nulla. *Tibi ergo Whitakere, si Caluino ac Bezæ credimus, fides nulla est, cùm neque præcepta seruare te posse, neque bonum aliquod opus facere palàm profitearis: si Martyri, vel iacet sæpe, vel sopitur, vel aufertur. Sed tuum hoc, si placet, Euangelium cum Lutheri Euangelio coniungamus. Quid Lutherus?* Christianus, *inquit*, non potest salutem perdere, etiam volens, nisi nolit credere. *Quid tu? Christianus etiam si velit, non potest fidem perdere. Fides enim aut perpetua est, aut nulla est.*

WHITAKERVS.

57 Nugandi nullum finem facis. Id tamen bene habet, quòd nunc à Caluino, & Beza, & Martyre fidem non nudam, aut mortuam, aut bonorum operum inanem, qualis vestra est, sed legis diuinæ studiosum statui fatearis: desine ergo insulsam tuorum calumniam defendere, qui bona opera despici à nobis, & contumelia affici clamant. Ego verò cum publicano malim meam iniustitiam confiteri, & peccatorum

ve-

veniā precari, quàm tecum illum superbum pharisæum imitari. Præcepta si seruabis, te seruabunt: at si te dicam præcepta seruare, certè mentiar: quid ergo tu ex præceptorum obseruatione speres, qui nihil minùs vnquam fecisti, quàm præcepta obseruasti? Nec mihi nunc succenseas velim, quòd de te, quem nescio, tam liberè iudicem. Illud enim Iacobi axioma cōmune est, *In multis labimur omnes*. Qui verò in vno lapsus fuerit, *reus est omnium.*

Iaco.3.2. *Iac.2.10.*

Meum Euangelium cum Lutheri Euangelio coniungis. De Luthero respondi Campiano satis multa, quæ tu nunquam poteris diluere. Si non acquiescis, perge, quantum voles, Lutherum mordere, in quo te ipsum multò magis, quàm Lutherum lædes. Ratiocinationem enim tuam non attingam, qua nihil vnquam potuit futilius excogitari. Vbi verò Duræe, dixi, Christianum non posse fidem perdere, si velit? Itáne theologum & Iesuitam decuit nihil pudere? Non enim qui dicit fidem esse perpetuam, idem etiā affirmat, Christianum non posse fidem perdere etiamsi velit. At qui vult perdere fidem, is nunquam vera fide præditus fuit. Qui veram fidem habet, eam non vult perdere, sed perpetuò retinere, cùm id ei Deus dederit, vt & velit & possit. Cùm autem fidem esse perpetuam dico, quid quæso aliud dico, quàm quod patres olim dixerunt? Ambrosius ait, *Ergo neque fides vera est, si non sit perpetua, sed possit deficere.* Et in alio loco, *Quos præscivit Deus aptos sibi, hi credentes permanent, quia aliter fieri*

Amb.in epist ad Rom.ca.8

fieri non potest. Quin tu nunc Ambrosium verberas verbis & conuicijs tuis? Et Gratianus multis testimonijs probat charitatem nunquam amitti: charitas verò non potest à fide separari. Miror ni tuus etiam Gratianus malè mulctatus à te discedat. *De pænitentia, dist. 2.*

DVRAEVS, Fol. 266.

Iam ad sacramenta veniamus. Duo (*inquis*) nobis tantùm sunt sacramenta. *Caluinus duobus vestris ordinem addidit. Lutherus ordinis loco pœnitentiam subrogauit. Spiritus Philippi Melancthonis in singulos ferè annos sese mutauit. Philippus, Buccerus, & Ioannes Caluinus in Colloquio Ratisbonensi, anno 1541. septem esse sacramenta cum Catholicis confessi sunt.* De sacramentis. *In Capt. Babyl. Bucer. in act. coll. Rat.*

WHITAKERVS.

58 Ad sacramenta accedens id primùm tuis persuasum esse cupis, de numero nostros inter se pugnare. Itaque Caluini, Lutheri, Philippi, Buceri multiplices dubiasq; opiniones commemoras, cùm tamen nemo sit qui nesciat, hos omnes duo tantùm agnoscere Christianæ Ecclesiæ sacramenta. Quanquam enim interdum nomen hoc sacramenti latius, vt solet, adhibent, quando tamen appositè ac propriè loquuntur, non nisi duo, quæ Christus instituit, Baptismum & Cœnam, in sacramentis nostris numerant. Id potes ex ipso Luthero intelligere, cuius hæc verba sunt, *Propriè ea visum est vocare sacramenta, quæ annexis signis promissa sunt: cætera quia signis alligata non sunt, nuda promissa sunt.* *Luther. de Capt. Babyl.*

Quò fit, vt si rigidè loqui velimus, tantùm duo sint in Ecclesia Dei sacramenta, Baptismus, & panis, cùm in his solis & institutum diuinitus signum, & promissionem remissionis peccatorum habeamus. Cùm nomen variè sumatur, multisque rebus accommodetur: mirum non est hos præstantissimos viros de nomine minùs solicitos fuisse: quos tamen idem de re ipsa omnes sensisse constat.

DVRAEVS, Fol. 267.

Septem sacramenta esse nullum *ais* antiquitatis vestigium reperiri. *Quasi nemo vnquam mortalium de hac re vel verbum vnum fecisset, valdè tu hic petulanter exultas, & quàm non modò diuinarum scripturarum, sed omnis etiam antiquitatis rudis sis atque ignarus, satis ostendis.*

WHITAKERVS.

59 Nihil tu aliud, quàm maledicere didicisti. Num enim quenquam nostrûm nescire putas hoc pontificium de septem sacramentis commentum veteri Ecclesiæ ignotum atq; inauditum fuisse? Quin ergo profers aliquem patrem, qui sacramenta Ecclesiæ nec plura, nec pauciora quàm septem enumerarit? Sin nullum potes reperire, quid tu antiquitatis vestigia iactitas, quæ nusquam apparent? Si enim olim in Ecclesia receptum fuisset, quod defendis, id aliquis profectò pater scriptis prodidisset: at nullus omnino est ex tam multis qui hunc sacramento-

rum septenarium numerum confirmauit. Nec verò ante Hugonem de sancto Victore, & Petrum Lombardum hæc de numero sacramentorum opinio percrebuit, cùm Lombardus ipse qui Patrum testimonia diligenter collegit, hîc omnino nulla recitet. Concilium verò nullum extat antiquius Florentino, in quo hic numerus approbetur ac sanciatur. Hæc illa sunt præclara antiquitatis monimenta, quibus ista causa defenditur. Cùm ergo vos omnis antiquitas palàm deficiat, ne me omnino rudem antiquitatis existimes, te nunc ad antiquitatem prouocabo. Euincam verò clarissimis patrum testimonijs veterem Christi Ecclesiam non nisi duobus vsam esse notis & perpetuis sacramentis. Clemens Romanus non nisi duo sacramenta numerat. Iustinus in Apologia duo tantùm commemorat. Tertullianus in libris contra Marcionem, & de corona militis, non nisi duo agnoscit. Cyprianus ait, *Tunc demum planè sanctificari, & esse filij Dei possunt, si vtroque sacramento nascantur*. Cyrillus Hierosolymitanus in Catechismis suis de duobus tantùm sacramentis scribit. Ambrosius librum ex instituto de sacramentis Ecclesiasticis scripsit, in quo duo solūmodo sacramenta tractat. Augustinus ait, *Quædā pauca pro multis, eadēq; factu facillima, intellectu augustissima, & obseruatione castissima ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina, sicuti est Baptismi sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini*. Iterum Augustinus, *Hæc sunt Ecclesiæ gemina Sacramenta*.

Clem. lib. 1. Recognit.
Iustin. in Apolog. 2.
Tertullian. lib. 1. & 4. contra Marc. & de Coron. Mili.
Cyprian. lib. 2. epist. 1.
Cyrill. Hierosol.
Ambros. de sacram. Ecclesię.
August. de doctrin. Christ. lib. 3. cap 9.
De symb. ad Catech.

 Diony-

Dionys.de ecclesiast.hierarchia. *Gratian.1. quæst.1. Multi secularium.* *Rabanus.* *Paschas. de cœn.Domini.* *Beßar.de sacram.Eucharistiæ.*

Dionysius Ariopagita non pœnitentiam, non matrimonium pro sacramentis agnoscit, & vnctionem non infirmorum, sed mortuorum celebrat. Gregorius Magnus non nisi tria sacramenta statuit, Baptisma, Chrisma, Corpus & sanguinem Domini. Chrisma autem ad Baptismũ pertinebat. Rabanus Maurus totidem ponit. Paschasius ingenuè scribit, *Sunt sacramenta Christi in Ecclesia Catholica, Baptismus, corpus quoq; Domini & sanguis.* Denique Bessarion Cardinalis non est veritus confiteri, *hæc duo sola sacramenta in Euangelijs manifestè tradita legi.* His testimonijs duo sacramenta comprobantur, septem verò planè nullis nisi recentissimis nituntur. Et tamen tu nobis tuam antiquitatis scientiam venditas, nostram ignorantiam exprobas. Sed quid humana testimonia perquirimus, cùm diuina sint manifesta? Nam Paulus disertè docet Israëlitas re habuisse eadem sacramenta, quę nobis Christus tradidit. Nulla autem nominat nisi baptismum, & escam spiritualem. Atq; ex Christi latere omnia noui Testamenti Sacramenta fluxerunt, quemadmodum Augustinus multis in locis confirmat. Quinque autem ψευδώνυμα Sacramenta nullo modo possunt ex Christi latere deduci.

1.Cor.10.1. &c.

DVRAEVS, Fol.267.

Vt de Baptismo atque Eucharistia nihil dicam, Ordinem Caluinus pro sacramento agnoscit: risque ex scripturis aperta est, 1. Tim.4.& 2.Tim.1. Sic Augustinus, Sacramentum *(inquit)* Bap-

Baptismi est quod habet is qui baptizatur, & sacramentum dandi baptismi est, quod habet, qui ordinatur, &c. *lib. I. contra Donat. cap. I.* *Et rursus*, Explicent quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, & sacramentum ordinati possit amitti. *lib. 2. contra Parmen. c. 13.*

WHITAKERVS.

60 Impositionem manuum, qua olim vsi sunt in Ecclesię ministris instituendis, Caluinus approbat, tanquam sanctam & piam ceremoniam, quod nos etiam omnes libenter facimus. De ea enim Paulus præcipit, *Manus citò ne cui imponito*: ipsumque Timotheum monet, vt meminerit illius gratiæ, quam in manuum impositione acceperat. Hinc verò sacramentum Christianorum comminisci, cum omni iudicio pugnat. Primùm enim constat in omni sacramento necessariam esse certam quandam externam, aspectabilem, corpoream materiam, quemadmodum in Baptismo & Cœna perspicimus. Ita Augustinus ait, *Accedat verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Quare in omni sacramento requiritur elementum. Ordinis verò nullum elementum est: ordo igitur non est sacramentum. Dum enim elementum in ordine quæritis, quid aliud quàm argutè & doctè desipitis? Deinde quæ propria sunt Ecclesiæ sacramenta, ea Christus instituit: Impositionem verò Christus non adhibuit, quando Apostolos elegit, & muneri Apostolico præfecit. Afflauisse quidem illis Christum legimus: manus illis impo-

1. Tim. 5. 22.

August. in Ioan. tract. 80.

Ioan. 20. 22.

posuisse non legimus. Si verò tum Christus in animo habuisset, vt sacramentum Ecclesiæ perpetuum mandaret, hunc deinceps ritum Apostoli obseruassent, quem tamen nunquam ab illis vsurpatum esse intelligimus: Ordo igitur non est propriè sacramentum. Præterea sacramenta pertinent ad omnes Christianos, quia sunt sigilla noui fœderis, quod non cum certo quodam hominum genere, sed cum vniuersis Christianis sancitum est. Ordo verò hominum est paucorum: Itaque non est sacramentum. Denique cùm gratiam in sacramentis latêre fingant, & per sacramenta ad homines transmitti, ostendant quæ tandem pars huius sacramenti gratiam inclusam teneat. Quicquid dixerint capientur. De Augustino breuiter & verè respondeo, Ordinem ab eo dici sacramentum, communi quadam & lata huius nominis vsurpatione. Nunquam tamen Ordinem Augustinus sic esse sacramentum sensit, quemadmodum est Baptismus & Eucharistia.

DVRAEVS, Fol. 268.

Confirmationis Sacramentum ex Apostolorum Actis clarum est. Caluinus ait, Ex temporali perpetuum imperitè faciunt. *Quomodo ab immani sacrilegij crimine Caluinum vindicare potes? Vt enim veteris legis sacramenta non priùs desierunt, quàm lex ipsa vetus finem acciperet, ita neque nouæ legis sacramenta priùs desitura sunt, quàm Christi regnum ac Ecclesia in terris desierit. Augustini sententiam silêre non possum,* Sacramentum (*inquit*) Chrismatis in genere visibilium signorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus. *lib. 2. contra literas Petil. c. 104. Et rursum tract. 6. in Ioannem. Eusebius quoque tibi testis*

testis esse potest Nouatum hæresiarcham omnium primum hoc sacramentum reiecisse lib. 6. c. 35.

WHITAKERVS.

61 Verbum in Actis Apostolorum, aut in aliquo noui Testamenti libro nullum de Confirmatione reperitur. Manus Apostoli credentibus imponebant, vt dona spiritus sancti extraordinaria acciperent, quod nihil ad Ecclesiæ perpetuum sacramentum pertinet. Erant enim illa dona temporum illorum propria, nec istam mirificam diuinæ gratiæ in fideles effusionem ad mundi finem durare oportebat. Sed hîc mihi Caluinus magno sacrilegio vindicandus est: immo tua potiùs insipiëtia coarguenda. Quis enim nescit quædam fuisse temporaria veteris legis sacramenta, veluti mare rubrum, nubem, manna, Petram, serpentem æneum, quæ penitus ante Christi aduentum desierant? Ita quid prohibet quosdam ab Apostolis ritus esse obseruatos in miraculis procurandis, quos nunc sublatis miraculis ineptum sit imitari? Si potes spiritum sanctum in eos conferre, quos confirmandos susceperis, idque tam manifesto argumento, vt omnes sentiant, signum etiam ipsum retine, & sacramentum voca. Sin illa dona non iam pendent ex hominis cuiusquam manibus, nullus rei vacuæ locus relinqui in Ecclesia debet. Tum cui obscurum est illam veterem impositionem manuum, qua Apostoli vsi sunt, in vnctionem con-

uersam esse, de qua nihil omnino in scripturis accepimus? Vbi enim Apostoli vnxisse illos leguntur, quibus manum imponebant, vt spiritum sanctum acciperent? Primùm ergo cùm nullum sit Christi de hac confirmatione mandatum, solus autem Christus suo verbo Sacramenta instituat, Confirmationem nullùm esse sacramentum sequitur. Deinde sacramenta omnia sunt perpetua, Confirmatio nata est ex ceremonia, quæ solita est in extraordinarij & minimè perpetui doni administratione adhiberi. Tum huius sacramenti materia non illa est, qua Apostoli vsi sunt, cùm isti inungant quos confirmare volunt, Apostoli non nisi manum imposuerint. Præterea quibus Christus verbi annunciandi authoritatem tribuit, ijs etiam sacramentorum celebrationem commisit: nam sacramenta sunt verbi sigilla: Solis verò Episcopis licet confirmare. Postremò Alexander Halensis, & Bonauentura fatentur ingenuè sacramentum Confirmationis, vt est sacramentum, *neque à Domino, neque ab Apostolis institutum & dispensatum fuisse*, quia in scriptura non legitur, sed postea in Concilio Meldensi inuentum esse scribunt. His nempe oculi erant hebetiores, vt quod tu in Actis Apostolorum clarum esse dicis, nusquam in omni scriptura viderint. Et tamen hanc Chrismatis ceremoniam, de qua Augustinus & Eusebius meminerunt, non ignoro olim esse vsitatam. Verùm num illam Christus præceperit, & Ecclesiæ pro sacramento commendarit, quærimus. Tertullianus

Alexan. partit. 4. quæst. 24. membro 1.

Tertul. de baptis.

lianus autem & Cyprianus diſertè teſtantur illam ex diſciplina veteris Teſtamenti, non ex Chriſti mandato ſumptam eſſe. Et iſtam vnctionem Baſilius in traditionibus non ſcriptis reponit. *Cyprian. de Chriſm. liber eſt ſuppoſititius. Baſil. de ſpirit. ſancto. c. 27.*

DVRAEVS, Fol. 269.

Extremam vnctionem eſſe ſacramentum ex Iacobi Epiſtola apertum eſt. Chryſoſtomi ætate ſacramenti huius vſum ordinarium fuiſſe obſeruatum conſtat. lib. 3. de ſacerdotio. Et Auguſtini ætate Proſper: Anima ſacramento farris (*Euchariſtiam intelligit*) & olei vnctione munita, ſecura expectat. *lib. 2. de prædict. c. 29. Et Innocentius,* Si infirmus aliquis in vobis eſt, vocet presbyteros Eccleſię &c. *Ad Decent. Epiſc. Eugu. c. 8. Beda ſua etiam ætate eandem in Eccleſia celebrem fuiſſe conſuetudinem teſtatur. in c. 5. Iacob. Et Bernardus teſtis eſt non ſua tantùm ætate ſacramentum hoc apud omnes paſſim Chriſtianos in vſu fuiſſe, ſed & eximiam illius vtilitatem atque efficaciam inſigni Deum miraculo comprobaſſe. In vita Malach.* *Iacob. 5.*

WHITAKERVS.

62 Si Tridētina decreta ſatis ſcires, ſacramēti iſtius inſtitutionem ex Marci potiùs Euangelio, quàm Iacobi Epiſtola peteres. Sed perinde eſt, quem tandem commentitij ſacramenti authorem facias. Id quidem conſtat de re eadem & Marcum, & Iacobum loqui. Marcus ait, *Dæmonia multa eijciebant, vngebántque oleo multos ægrotos, & ſanabant eos.* Iacobus ait, *Infirmatur quis inter vos? Accerſat presbyteros Eccleſiæ, & orent pro eo, vngentes eum oleo in nomine Domini.* His autem verbis non perpe- *Marc. 6. 13.* *Iacob. 5. 14.*

tuum Ecclesiæ sacramentum præscribitur, sed extraordinariæ sanationis miraculum indicatur. Oleum enim symbolum erat valetudinis recuperatæ. Hoc vtantur, qui possunt ægrotis sanitatem precibus impetrare: qui non possunt, abstineant inani symbolo. Cùm enim symbola nisi res subsint, nihil valeant, illud autem miraculum, cuius hoc symbolum fuit, iamdudum nusquam extiterit, ipsum quidem symbolum necesse est esse otiosum. Quantum verò inter vestrum, & illud Apostolorum vnguentum intersit, ex eo perspici potest, quòd illi nullos inungerent nisi morbo liberatos, vos ferè nullos nisi quorum vita desperatur. Si enim remissionem peccatorum in vnctione consistere arbitraris, malè Iacobum intelligis. Hanc enim orationi, non oleo tribuit. Primùm ergo cùm ineptissimum sit ex symbolo ἀποσχεδιαστῷ perpetuum sacramentum fabricari, deinde cùm nulla sacramenta Christus tradiderit, nisi publica, istam verò vnctionem priuatam esse constet; denique cùm sacramenta non nisi à legitimis ministris celebrari debeant, hanc autem vnctionem Innocentius Papa, vt ipsi tradunt, omnibus Christianis permiserit, non erit illa vnctio sacramentum. Quid plura contra rem nihili disputem? De patribus parùm laboro, quos tu tamen valde paucos habes. Sed fateor superstitiosum huius vnctionis morem diutius in Ecclesia, quàm oportuit, remansisse. Quanquam neque Chrysostomus, neque Prosper eam vocat sacramentum. Innocentij verò Epistolæ

Sigebert in Chronic.

Epistolæ scis quantum tribuam: reliqua recentiora sunt.

DVRAEVS, Fol. 270.

Pænitentiam sacramentum esse, quis nisi diuinarum literarum contemptor & hostis negare audebit? Quorum remiseritis peccata (*inquit Christus*) remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt: & quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata in cælis. *Ad quid enim claues ecclesiæ datæ sunt, ait Augustinus,* si nemo sua peccata confitetur? *Neque tu ignorare potes Nouatum iam olim ab vniuersa damnatum ecclesia, quòd vobiscum pænitentiæ sacramentum negaret: cuius hæresim Ambrosius duobus de pænitentia libris accerimè confutauit, & Pacianus Barcilonensis contra Symphorianum. Caluinus in remittendis peccatis clauium potestatem sustulit. Apud vos cùm nulli sint sacerdotes, quid mirum si nullum pænitentię sacramentum habetis?*

WHITAKERVS.

63 De pœnitentia valde quidem exiliter remisseque disputas, nec causam ipsam & statum quæstionis attingis. Defuit nimirum tibi non voluntas, sed facultas. Cùm enim ex scripturis nihil adducis, vnde pœnitentiam esse ecclesię sacramentum intelligamus, tum ne patrem omnino aliquem in medium profers, qui de pœnitentia, tanquam de ecclesiæ genuino sacramento loquutus fuerit. Et tamen rem aggrederis tuo more confidenter: *Quis nisi diuinarum literarum contemptor & hostis negare audebit?* Nisi vos diuinas literas contemneretis, minùs certè laboraremus. Sed nunc diuinas literas, quas à nobis contemni criminaris, paulisper expendamus. Christus

Christus ait, *Si quorum peccata remiseritis, remittuntur eis: si quorum retinueritis, retenta sunt.* Agnosco. Nam illa, quæ ex Matthæi 18. subiungis, non possunt ad hanc causam pertinere, cùm Tridentini magistri hoc sacramentum à Christo post resurrectionem institutum esse decreuerint. Sed quænam hîc ostenduntur indicia sacramenti? Nullam materiam, nullam formam video, qualem in omni sacramēto certam ac præscriptam esse oportet. Iubentur Apostoli & remittere peccata, & retinere. Quòd in ipso quidem verbi ministerio fit, dum credentibus reconciliatio, reliquis condemnatio denunciatur. Si quod hîc sacramentum fuerit, ipsum verbi ministerium esse sacramentum consequitur. Nam in ministerio non tantùm generales promissiones proponuntur, sed eæ etiam priuatim ad quemuis fidelem, quem anteactæ vitę pœnitebit, accommodantur. Non ergo claues tollimus, quas suæ Christus ecclesiæ mandauit, sed eas in verbi ministerio versari docemus, tum quando vniuersim declaratur, tum quando particulatim erga certos homines adhibetur. Nam istas claues non oportet à ministerio seiungi, aut à sacrifici cuiusquam arbitrio suspendi, cùm nullis peccata remittantur nisi credentibus, fides autem ex verbi ministerio nascatur.

Ioan.20.23

Quod de Nouato narras, non ignoras quàm sit alienum. Damnatus ille est, non quòd pœnitentiam negarit esse sacramētum, sed quòd pœnitentię nullum locum peccantibus reliquerit. Itaque illius heresim meritò Ambrosius & Paci-

anus

anus refellunt, eamque nos ex animo auersamur. Tolli verò à Caluino clauium potestatẽ vnde euincis? Num enim qui vestram fictam, futilemque absolutionem reijcit, omnem clauium potestatem tollit? Et vestros etiam vobis cum Absolutione sacerdotes non grauatè relinquimus. Sacerdotem enim noui Testamenti nullum nisi Iesum Christum agnoscimus, qui est ęternus sacerdos secundùm ordinem Melchisedechi: nec aliter de vestris sacerdotibus, quàm de aduersarijs Christi, eiusque sacerdotij hostibus iudicamus. Quare cùm pœnitentia ijs rebus careat, quę sunt in omni sacramento necessarię, elemento, & certa institutione, manifestum est non esse sacramentum. Quod enim tandem fingemus in pœnitentia elementum? Nam nec impositio manuum, de qua nihil Christus præcepit, nec contritio, confessio, satisfactio, vt plęrique statuunt, in elementis censeri possunt. Tum nullam Christus absolutionis certam rationem instituit. Deinde pœnitentia omnino eadem fuit veteris Testamenti, quæ est noui: nec Christus nouum aliquod pœnitentiæ genus pręscripsit: nec aliam Apostoli pœnitentiam suaserunt, quàm qua olim sancti ante Christum vsi sunt. Neque enim vetus ecclesia aut clauibus, aut potestate remittendi peccata caruit. Denique ad illam pœnitentiam, de qua Christus pręcepit in 20. Ioannis, non minùs ante Baptismum, quàm post Baptismum omnes inuitabantur: at pœnitentiam sophistæ docent nunquam esse sacramentum ante baptismum: Quare illis verbis Christus non in-

stituit

ſtituit ſacramentum.

DVRAEVS, Fol.271.272.

Poſtremum in ſacramentorum numero eſt matrimonium, quod ipſe Paulus ſacramentum appellat. Sacramentum (*inquit*) hoc magnum eſt: Ego autem dico in Chriſto, & in eccleſia. *Cui enim niſi infideli dubium eſſe poteſt Chriſtianis coniugibus ad liberos Chriſto procreandos dum ſancto matrimonij fœdere copulantur, gratiam tribui? Veſtra coniugia profana eſſe vultis. Caluini veſtri impudentiam mirari ſatis nequeo, qui neminem ante Gregorij tempora matrimonium pro ſacramento ait agnoſcere. Auguſtinus ait,* Bonum nuptiarum eſt in ſanctitate ſacramenti. *De bono coniu.cap.24. Et rurſum,* Quia matrimonium ſacramentum eſt, diſſolui non poteſt.

WHITAKERVS.

64 Rectiùs dixiſſes nullum eſſe in numerò ſacramentorum matrimonium. Quid enim ineptius, quàm ex matrimonio facere ſacramentum? Tamen hîc etiam tuę tibì ſcripturæ, patreſq; ſuppetunt, de quibùs breuiſſimè reſpondebo. Scripturam vnam habes, eamq; præpoſterè intellectam. Niſi enim neſcio quis tibi malus genius φρένας ἐξείλετο, non matrimonium, ſed noſtræ cum Chriſto coniunctionis vinculum dici ſacramentum, id eſt, myſterium, facilè perſpiceres. Sic enim Paulus ſuam mentem interpretatur, *Loquor autem de Chriſto, & de eccleſia*: atque ita Paulum veteres interpretantur. Hanc autem mirificam & myſticam cum Chriſto communionem noſtram matrimonio adumbrari concedo. An verò quia in matrimonio licet aliquam huius arctiſſimę ſocietatis ſimilitudinem agnoſcere, proinde ſacramentum eſſe ſtatuemus? Tum enim quot ſunt in ſcrip-

Ephe.5.32.

ſcripturis parabolæ,tot erunt ſacramenta. Chriſtus ait,*Ego ſum vitis,vos palmites*. Et alibi, *Simile eſt regnum cælorum fermento* : & ſunt eiuſmodi in ſcripturis innumeræ comparationes. Quid ergo impedit, quo minùs , ſacramentis abundemus? Sed matrimonium nuſquam Chriſtus iuſſit eſſe ſacramentum , nec eſt in matrimonio externum aliquod elementum,nec præſcripta in ſcripturis verborum forma. Tum inſtitutum eſt matrimoniũ non in nouo Teſtamento,quemadmodum in ſacramẽtis noui Teſtamenti requiritur , ſed mox poſt hominem conditũ in paradiſo. Nec aliquid Chriſtus ad primam illã inſtitutionẽ addidit.Deinde veterum matrimonia nõ minùs erant ſpiritualis coniunctionis ſymbola,quàm noſtra.Si ergo matrimonium propter hanc ſignificationem ſit ſacramentũ, veteris etiam Teſtamenti fuit ſacramentũ.Præterea Chriſti ſacramenta non ita inter ſe pugnant,vt qui vnum ſumpſerit , altero vti nequeat. At ordinis ſacramento matrimonij ſacramentũ excludi atq; elidi docetis. Denique ſcire ex te velim,num matrimoniũ illud,quod nõ fuerit à ſacerdote celebratũ,ſymbolum eſſe cenſeas illius arcanæ cum Chriſto noſtrę communionis.Non potes id negare cùm verũ ſit,vt ipſi cõceditis,matrimoniũ. At eſſe ſacramẽtum Canus pernegat.Ergo cauſa ſacramẽti non in illius myſterij ſymbolo conſiſtit.Poſtremò etiam me certiorem fieri cupio , quid de infidelium coniugijs cenſeas, quæ veſter Eccius pro ſacramentis agnoſcit.Sed nunc ad tua redeamus.

Ioan.15.5. Mat.13.33

Melch.Canus lib.8. cap.5.

Chriſtianis (inquis) *coniugibus ad liberos Chriſto*

sto procreandos gratia tribuitur. Impius ergo Syricius fuit, qui coniugium impuritatis & turpitudinis condemnauit. Verùm si hæc ratio valet, tum etiam singulę munerum functiones, quas dominus instituit, erunt sacramenta. Nullam enim ab idonea & necessaria gratia desertam esse patitur. At sacramenta non doni alicuius particularis, sed vniuersalium de remissione peccatorum & reconciliatione promissionū sigilla sunt. Quamobrem verò coniugia nostra vocas profana? quia non sunt sacramenta? Quasi quicquid sacramentum non sit, tanquam profanum haberi debeat. Nos cum Apostolo matrimonium esse *honoratum*, *& lectum impollutum* profitemur. Sed quanquam omnia sacramenta sunt sancta, non tamen sancta omnia sunt sacramenta, si propriè loqui de sacramentis volumus. Ad Augustinum venio, à quo coniugium dici sacramentum nemo nescit. Sed ita esse sacramentum quemadmodum est Baptismus, & Eucharistia, id verò Augustinus nunquam somniauit. Nam si erit legitimum & verum ecclesiæ sacramentum quicquid patres nomine sacramenti appellant, nullus erit sacramentorum numerus. Hoc autem nomine matrimonium Augustinus cohonestauit, quando eius dignitatem contra quorundam criminationes defendit: quòd in illo libro doctissimè ac sanctissimè fecit. Quare matrimonium esse sanctum & purum docet: & quia similitudo est, qua Christi atque ecclesiæ coniunctio significatur, sacramenti etiam nomen impropriè & latè sumptum illi tribuit.

Augustin. de bono coniugal.

Dv-

DVRAEVS, Fol.273.&c.

Nos(*inquis*)baptizamus,quemadmodum Christus præcepit,& veteres illas nescio quas sordes abiecimus. *Quas tu sordes appellas? Quis est antiquorum patrum, qui non & earum meminit,& ex ijs grauissima interdum alia fidei dogmata confirmauit? An tu Augustinum ignoras ex ijs qui in Baptismo adhibentur exorcismis infantulos in originali peccato nasci contra Donatistas demonstrasse? lib.2. de nuptijs & concupiscentia, cap.17. An Basilium cùm de spiritus sancti diuinitate disputaret, Eunomium hæreticum confutasse? Basil.lib.de spiritu sancto,cap.27. An Tertullianum cùm de corona militis dissereret, eos qui ad scriptum Dei verbum prouocabant coarguisse? Longum esset omnia hic patrum testimonia recensere. Vnum præterire Cyrillum Hierosolymitanum non possum, Catech.cap.1. & Catech.1. & Catech.3. & Catech.4. Plura de baptismi ceremonijs si fortè requiris, Dionysium lege Areopagitam,Tertullianum, Origenem, Cyprianum, Basilium, Chrysostomum,Augustinum,cæterosq́; patres qui sitim abundè tuam explebunt. Nos Whitakere non tantum nobis tribuimus, vt patribus nostris,ac tota veteri ecclesia sapientores simus.*

WHITAKERVS.

65 Non equidem miror, si te pontificiæ sordes delectent: de quibus non institui tecum valde contendere.Facilè enim matris tuæ te preclaris mysterijs patior oblectari. Nec tamen veteres dixi à nobis sordes,sed vestras abijci. Quanquam enim nonnullæ ceremoniæ veteres sunt, tamen nec istæ olim tam sordidè atque impurè tractabantur,nec plerasque vestras vetus ecclesia celebrabat. Meâ verò non interest, quid Clemens,quid Leo,quid Damasus, quid quisquam alius pontifex ad baptismi sacramentum adiecerit,

rit. Christus ecclesiæ nihil de istis ceremoniarum nugis mandauit, nec in illis crebris, quos in scriptura legimus, baptismis vlla harum rerum mentio reperitur. Num verò putemus recentiorem ecclesiam meliùs perspectum habuisse, quibus in baptismo ceremonijs vti oporteret, quàm Christum eiusque Apostolos? Vbi autem Apostolorum aliquis in baptismo solitus est facem, lineam cucullam, oleum, sal, flatum, sputum, lutum adhibere? Quas res diuinas diuinis versibus complexi estis, *Sal, oleum, Chrisma, cereum chrismale, saliua, Flatus virtutem baptismatis ista figurant. Hæc cum patrinis non mutant esse, sed ornant.* Immo non hæc baptismum ornant, sed fœdissimè conspurcant ac contaminant. Exorcismorum quidem frequentem in patribus fieri mentionem intelligo: sed eorum ea ratio fuit, vt naturæ nostræ vitium ostenderent, cùm in Baptismo erepti simus è Satanæ manu, qui nos captiuos tenuit per peccatũ. Huc igitur spectauit exorcismus, vt nos de peccato natiuo commoneret, qui quanquam fuit superstitiosus, vestro tamen longè incorruptior fuit. Sic enim vos infantulos vestris exorcismis excantatis, quasi dæmonum legionibus obsessi essent, quod impium & insanum est. Mirum verò non est si Pelagianos Augustinus hoc argumento refellat, cùm exorcismus inanis esset, si nullum in natura vitium hæreret. Illa enim Augustinus, si nescis, contra Pelagianos disputauit. Tertullianus autem illum de corona militis librum in Montani hæretici castris conscripsit, quem proinde

Augustin. de nupt. & concupis. lib. 2. cap. 18.

proinde mirum non est de tacitis traditionibus magnificè prædicare. Atque hic Montanus vos docuit in scripturis multa desiderare. De Cyrilli Hierosolymitani libris, quæ hominum opinio sit, satis, vt arbitror nosti. Si enim hæ κατηχήσεις conscriptæ sunt à Cyrillo, quod dubium est, eas tamen ab illo adolescente conscriptas esse Hieronymus testatur: vt interim quid de illo Ruffinus scripserit, non commemorem. Quòd verò vos non esse patribus vestris sapientiores dicis, sic planè existimo. Si enim illi, quos patres vestros vocatis, reuiuiscerent, & vestras ridiculas anilesque μυσταγωγίας recognoscerent, equidem vos non valde sapientes iudicarent. *Hieron. in catal.*

DVRAEVS, Fol. 275. &c.

Si verus (*inquis*) nobis baptismus, vera est Eucharistia. *Cùm panis & vinum vobis Eucharistia sint (neque enim aliam Eucharistiam Christum in cœna dedisse creditis) vestram quoque vobis Eucharistiam relinquimus. Vbi Laïci, in quorum vos numero estis, Eucharistiam conficiendi potestatem aliquam à Christo acceperunt? Hanc Paulus per manuum impositionem, vt ex Actis Apostolorum constat, accepit: hanc ipse Tito ac Timotheo contulit. Pulchrè contra Luciferianos Hieronymus de quodam Hilario Diacono*, Hilarius (*inquit*) cùm diaconus de ecclesia discesserit, Eucharistiam conficere non potest. *Tertullianus veterum hæreticorum morem fuisse scribit, vt etiam Laïcis sacerdotalia munera iniungerent. Vt alia prætercam, satis ecclesiæ catholicæ morem illud ostendit, quod in actis Alexandrinæ synodi de Ischyra legitur. Decimus quartus Niceni concilij canon instar omnium esse debet, vbi diaconis ne confectam iam Eucharistiam populo* *Act. 13. 1. Tim. 5. Tit. 1. De præscript.*

exhibeant interdicitur. Solo igitur baptismo, quem Laïci, ipsæq; adeo mulieres dare possunt, contenti sitis.

WHITAKERVS.

66 Si nobis verus baptismus superest, quod tu cum Campiano, quia necesse est, fateris, veram quoque Eucharistiam esse constat. Quid enim causæ est, quamobrem quod in baptismo agnoscis, nō idem in Eucharistia concedas, cùm Christi in vtroque mandatum similiter obseruamus? Est enim Baptismus nobis, qualē Christus præscripsit: est Eucharistia nobis, qualem Christus instituit. Quòd verò panem & vinum nobis Eucharistiam esse dicis, & nos credere affirmas, non aliam Christū in cœna Eucharistiā dedisse, magnā nobis iniuriā, & immane conuicium facis. Panis enim & vinum non nisi alteram huius sacramenti partem constituunt, quemadmodum cum antiquissimo Irenæo sanctisque primæ ecclesiæ Doctoribus docemus atque credimus. In Eucharistia verò non has modò externas creaturas, sed ipsum etiam Christi verum corpus & sanguinem percipimus. Vobis autem nulla Eucharistia esse potest, qui nullum omnino panem, nullum vinum vestra confessione sumitis: vt interim de alijs innumeris Missæ sacrilegijs hoc loco taceam.

De Laïcis quæ deinceps hîc commemoras, planè sunt ἔωλα. Quis enim nescit, neque Laïcis neque Diaconis concedi, vt Eucharistiam conficiant? aut quid tam multis in hac causa testimonijs

monijs opus fuit? Quanquam si Acta Apostolorum diligentiùs euoluisses, Paulum non Missæ conficiendæ, sed Euangelij gentibus annunciandi potestatem accepisse facilè intellexisses. Iubentur enim Antiocheni Prophetæ ac doctores Paulum & Barnabam separare εἰς ἔργον, i. *ad opus, ad quod eos Dominus aduocauit.* Nempe vocati proculdubio sunt, vt Missas vbique terrarum celebrarent, de quibus tamen nihil omnino legimus. Si verò causam quæris, quamobrem impositæ illis manus sunt, eam te Græcus scholiastes docebit ὥστε μετ' ἐξουσίας κηρύττειν: hoc est, *vt possent cum authoritate prædicare.* Dimitti reliqua possunt, cùm nihil ad rem spectent. Non enim quæritur an Laïcis & diaconis liceat sacramenta administrare, quod nos etiam pernegamus. Sed te demonstrare oportebat nostros ministros esse laïcos. Illud probas, quia facilè fuit: hoc omnino prætermittis, in quo status controuersiæ totus versatur. Sic causas tractant Iesuitæ. Id verò quod de laïcis & fœminis in conclusione ponis, nimis intolerandum est. Si enim nemo sibi honorem sumit, sed qui vocatur à Deo, quo modo isti ausint sine mandatis res sacras per summam temeritatem ac sacrilegium tractare? Nónne vos palàm hæretici estis, si credimus Tertulliano, cùm Laïcis, atque etiam, quod indignius est, mulierculis sacerdotalia munera permittatis? Christus nullis nisi ministris suis aut verbi annunciandi, aut administrandorum sacramentorũ authoritatem dedit. *Profecti* (inquit) *docete omnes gentes, Baptizantes eos.* Et Paulus ait, *Sic de nobis re-*

Act.13.2.

Oecumen. in Act.13.

Hebr.5.4.

Mat.28.19.

1. Cor.4.1. *putet homo, vt de ministris Christi, & dispensatoribus mysteriorũ Dei.* Sed cùm vobis nec Episcopi, nec Presbyteri, nec Diaconi legitimi sint, mirum non est laïcos etiam & mulieres in hæc munera sacrilegas & impuras manus intulisse.

DVRAEVS. Fol. 277.

Tu mihi ex Caluiniano repentè Catholicus factus videris. Baptismus (*inquis*) gratiæ est canalis, Christi merita in nos deriuat, neq; salutem duntaxat significat, sed etiam præstat atq; affert *Hic ne tuo Luthero & Caluino nũtium remittis? Minimè enim Caluinus in Baptismo vel gratiã, vel remissionem peccatorum nobis dari concedit: sed signum tantùm ac veluti sigillum esse, qua de collata iam nobis gratia certi efficimur. Sed vereor ne in suscepta semel sentẽtia non diu persistas. Quid enim est quod paulò pòst addis?* Non confert baptismus gratiã ex opere operato. *Nihil hoc aliud est, quàm quod tua sponte confessus es, sacramenta non signa tantùm gratiæ esse, verùm etiam eam efficere ac præstare, esseq; instrumenta ad eum finẽ diuinitus instituta. Vanum ergo est, quòd dicis nos in sacramentis tanquam in aluo inclusam esse gratiam existimare. Nam vel ipse te diuus Thomas longè aliud docere potuisset.* Gratia (*inquit*) est in sacramentis nouæ legis, secundùm quandam instrumentalem virtutem. *Vbi vides gratiam in sacramento contineri, non tanquã in aluo, sed tanquã in instrumento.*

Instit. li. 4. c. 15. sect. 1. 2

3 q. 62. Art. 3

WHITAKERVS.

67 Caluiniani nomẽ non agnosco, ne schismaticus tui similis videar: Catholicus sẽper fui, si catholici idẽ nomen sit quod christiani. Nam quòd tu me tibi repentè factum Catholicũ videri dicis, equidẽ non ita sum huius nominis cupidus, vt tecum haberi Catholicus velim. Malo enim centies hæreticus à te putari, quàm hoc modo Catholicus esse. Sed tuæ ignorãtiæ tribuendum est, quòd me in hac causa magis quàm Lutherũ, aut Caluinum,

uinũ,aut quenquã noſtrûm Catholicum eſſe ſuſpicaris. Quis enim vnquã eſt noſtrûm de baptiſmo aliter, atq; ego ſcripſi, locutus? Ineptum eſt quod neſcis velle reprehendere, in quo tu non nunc primùm peccaſti. Si tute noſtrorum libros legeres, nec falſis aliorum ſermonibus nimis futiliter crederes, minùs in tuis calumnijs refutandis negotij nobis faceſſeres. *Caluinus* (ais) *in baptiſmo nec gratiam, nec remiſſionem peccatorum nobis dari concedit*. At hoc, inquam, egregiè falſum eſt: nec tu vllam in tam infinitis Caluini voluminibus voculam inuenies, qua nobis in baptiſmo gratiam, & remiſſionem peccatorum, & Chriſtum cum ſuis beneficijs totum dari non concedat. Quæ enim ex inſtitutionibus à te afferuntur, nihil ſanè minùs,quàm tale aliquid euincunt. Nam ſi baptiſmus ſit ſymbolum noſtræ purgationis, inſtar ſignati cuiuſdam diplomatis, vt Caluinus loquitur, quod nobis peccata noſtra deleta eſſe confirmet, num hinc ſequitur non etiam dari nobis gratiam in baptiſmo & peccatorum remiſſionem? Quaſi non ſignato diplomate & detur aliquid, & datum confirmetur. Nónne verò Euchariſtia & dat nobis Chriſtum, & dari confirmat? Nónne in quotidiano verbi miniſterio nobis Chriſtus & datur & confirmatur? Imperitè ergo diſputas, non dari nobis in baptiſmo hęc dona, quia nobis in baptiſmo confirmantur, cùm hæc ipſa confirmatio donationem vberiorem indicet. Non ergo negamus in ſacramentis donari nobis gratiam.

am, sed ita inclusam esse in sacramentis gratiam, vt ex *Opere operato* sacramenta gratiam conferant, id verò dare non possumus, quantumuis tibi, nisi demus, hęretici videamur. Sed tu hîc mihi repentè ex pseudocatholico factus videris Christianus. Si enim sacramenta non contineant gratiam, vt in aluo, sed tanquam instrumenta eam ad nos perferant, veteres sophistæ nunc omnino à vobis deseruntur & damnantur, qui gratiam in sacramentis veluti emplastrum in pixide, aut sanitatem in medicamento concluserunt. Nam vt medicamentum pellit morbum, siue id credat qui morbo laborat, siue non credat, modò sumat, sic sacramenta dixerunt gratiam conferre sine fide & bono motu voluntatis nostræ, modò nullum peccati mortalis obicem poneremus. Quid nunc sentiatis me velim doceas: alios enim aliter de hac re iudicare video. Si Alani sententiam amplecteris, eam ego minimè reprehendam. Sic enim ille de hac causa scribit, *Gratiam in anima hominis Deus operatur per sacramenta, tanquam per instrumentalem causam, non alia ratione, nec minùs verè, quàm homo dicitur scribere per calamum.* Scriptio verò non includitur in calamo, sed calamo ad eam rem apto & instituto scribitur. Ita Deus per sacramenta sua, tanquam media & organa gratiam in nobis efficit: & tamen ipsa sacramenta nullam in se gratiam includunt, quemadmodum calamus, vt Alani nostri exemplo vtar, nullam profectò scripturam continet. Instrumētaliter igitur conferri gratiam in sacramentis

Alan. de sacram. c. 31.

conce-

concedimus, quia Dominus his medijs atque instrumentis vtitur, quibus seipsum nobis, suaque dona omnia communicat. Ita Petrus ait, *Baptizetur vnusquisq; vestrum in remissionem peccatorum.* Act.2.38. Et Paulus, *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Galat.3.27. Et alibi, *vt Ecclesiam sanctificaret purgans lauacro aquæ per verbum.* Ephes.5.26. Et rursum, *Sua misericordia seruauit nos per lauacrum regenerationis.* Tit.3.5. Et de Eucharistia, *Panis quem frangimus, nónne est communio corporis Christi?* 1.Cor.10.16 Ita quàm sit Deus in sacramentis suis efficax, perspicimus. Et tamen sine fide nihil sacramenta valent ad salutem. Cùm enim sacramenta sint verba visibilia promissionum, vt loquitur Augustinus, fidem in nobis necessariò requirunt. *Sermo enim auditus non prodest, nisi cum fide nostra permixtus*, Hebr.4.2. vt Apostolus docet. Itaque Augustinus disertè scribit, *vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat? Nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur.* August. in Ioan. tract. 80. Quare non aliter sacramenta gratiam continent, quàm ipsum Euangelium expositum & annunciatum. His enim instrumentis Dominus peræquè vtitur, nisi quòd quæ in verbo communiùs proponuntur, eadem in sacramentis particulatim ad singulos accommodantur. *Est enim Euangelium potentia Dei ad salutem omni credenti.* Rom.1.16. Quemadmodum autem magicum est in verbis & syllabis ipsis, aut hominum sono vim diuinam includere, quanquam spiritus sanctus per hoc medium nobis mortem meritumque Christi

efficaciſſimè proponit atque præbet, ſic in ſacramentis nulla virtus inhæret, etiamſi per ſacramenta nobis Chriſtus certiſſimè offertur & donatur. Hæc catholica eſt de ſacramentis ſententia : quam ſi tenes, tibi gratulor : ſin minùs, hæreſim tibi Catholicam tuam relinquo.

DVRAEVS, Fol. 278.

Cur eum loquendi morem in ſcholis ſequamur, vt ex Opere operato *gratiam conferre ſacramenta dicamus, paucis te docebo. Ex opere operato, hoc eſt, quatenus à Chriſto ipſo mouentur, gratiam conferre dicimus, quem loquendi morem eò ſequimur libentiùs, vt omnem ſacramentorum vim non à miniſtri præſtantia, neque illius qui ſacramenta ſuſcipit, dignitate, ſed à Chriſto ipſo, qui per ea operatur, pendere omnes intelligant. Vos Caluiniani ſiue de Chriſti ſanguine, ſiue regno, ſiue ſacerdotio vobis ſermo ſit, ieiuna omnia ac illius maieſtate indigniſſima redditis.*

WHITAKERVS.

68 Nihil eſt neceſſe, vt me hæc ſcholaſticorum myſteria doceas: quæ ſunt eiuſmodi, vt occultanda potiùs, quàm diuulganda videantur. Et quidem ſatis conſtat Gropperum huius tam inſulſi axiomatis puduiſſe. Itaque conatur ſcholaſticos excuſare, quaſi nihil aliud ſenſerint, quàm ſacramentorum veritatem non pendere ex dignitate miniſtri, aut ex fide ſuſcipientis, quò minùs ſacramenta verà ſint, vtcunque homines vel malitia vel perfidia laborarint. Atque hęc tua videtur eſſe ſententia, niſi for-

forte sic suscipientis dignitatem interpretaris, vt sacramenta gratiam conferre statuas *propter exhibitionem signi foris exhibiti, sine motu interiore in suscipiente*, quemadmodum Biel ex scholasticorum sententia tradit. Sed tum in eam opinionem incidis, quam reprehendis. Etenim si sacramenta conferunt gratiam ijs, qui sacramentis vtuntur ex *opere operato*, hoc est, quantum uis ipsi homines qui sacramenta percipiunt, fide careant, quomodo hanc ad illos gratiam deriuari intelligemus, nisi gratiam in sacramentis tanquam in vasis includimus? Nam vt de infantibus minimè loquar, quorum dispar ratio est, sic omnino fides in sacramentis requiritur, vt qui sine fide accesserit ad sacramenta, non modò gratiam nullam acquirat, sed maximam gratiæ ac salutis iacturam faciat. Ita Paulus ait, *Probet seipsum homo: nam qui edit & bibit indignè, damnationem sibi ipsi edit & bibit*. Quod quanquam de cœna dicitur, non minùs tamen in baptismo valet. Et sacramenta Paulus alio in loco iustitiæ fidei sigilla vocat. Qui ergo fidei expers est, damnum accipit ex sacramentis, nedum gratiam & salutem impetrat. Sed vobis pietas in promptu est, modò non sis homicida, aut adulter, aut latro, aut flagitium aliquod animo conceptum admittere cupias, sacramenta ex *opere operato* te pium & gratia multiplice plenum efficient. Et verò, si vestra omnia oculis perlustrare volumus, totam hanc pontificiam religionem *in opere operato* consistere animaduertemus.

In lib.4.q.3 dist.1.

1.Cor.11.28 29.

Rom.4.11.

Quod autem hîc postremò adiungis, nihil aliud est nisi insulsum & ieiunum conuicium.

DVRAEVS, Fol. 279.

Vitio vobis Campianus vertit, quòd nihilò pluris Baptismum Christi, quàm Ioannis faciatis ceremoniam. Ceremonia (*inquis*) eadem, doctrina eadem, gratia eadem fuit. *At nemo* Math.3. *vnquam Ioannis Baptismum gratiæ canalem dixit. Ioannes non baptizabat in spiritu sancto: Christus in aqua & spiritu sancto: id quod ex scripturis sacris, & ex omnibus antiquis patribus perspicuum est: vt ne teipsum quidem quamuis ignarum latuerit.*

WHITAKERVS.

69 Multò magis Campiano & tibi vitio vertendum est, quòd Ioannis Baptismum nihil nisi nudam ceremoniam faciatis, quasi Ioannes id tantùm egerit, vt tanquam balneator aliquis multorum corpora ablueret. Christi nos baptismo nullam iniuriam facimus, si Ioannis baptismo, quod suum est, tribuamus: vos verò Ioannis ministerio partem præstantissimam detrahitis, quando ex illius baptismo gratiam omnem & remissionē peccatorum excluditis. Sed vestras contumelias scripturæ refutabunt, & Ioannis baptismum nec gratiæ nec remissionis peccatorum expertem fuisse clarissimè demonstrabunt. Qualis enim Ioannis doctrina fuit, talem quoq; baptismum fuisse constat: veram autem Ioannes pœnitentiam docuit, & peccatorum remissionem proposuit: ergo huius baptismus in vera pœnitentia susceptus remissione peccatorum minimè caruit. Itaque Lucas ait, Luc.3.3. *Venit prædicans baptismum resipiscentiæ in remissionem*

sionem peccatorum. Atque hoc eſt quod Petrus de baptiſmo Chriſti ait, *Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum*. Tum qui baptizati à Ioanne ſunt, ij peccata ſua confitebantur: vera autem peccatorum confeſſio naſcitur ex fide, & remiſſionem peccatorum impetrat. Deinde Ioannes quos baptizauit, eos in Chriſtum credere docuit: qui vero in fide Chriſti baptizantur, ij peccatorum remiſſionem conſequuntur: ſic illi qui baptizati ſunt baptiſmo Ioannis, dicuntur Deum iuſtificaſſe. Huc accedit, quod ipſe Ioannes teſtatur, eos qui ad ipſius baptiſmum venerant, id quæſiuiſſe, quemadmodum poſſent Dei iram imminentem effugere: Ioannis ergo baptiſmus Deum placatum reddidit, quod ſine remiſſione peccatorum fieri non potuit. Denique Chriſtus eodem baptiſmo tinctus eſt, quo nos. Ex his manifeſtum eſt Ioannis baptiſmum re eundem fuiſſe, quo noſter eſt.

Act.2.38. *Marc.1.5.* *Ioan.3.36 & Act.19.4.* *Luc.7.29.* *Luc.3.7.*

Verùm hîc à te aliquid obijcitur, quod breuiter diluendum eſt. Cùm enim Ioannes ait, *Ego baptizo vos aqua: qui venturus eſt vos baptizabit ſpiritu ſancto & igni*, non id dicere voluit, Chriſti baptiſmum ſuo præſtantiorem fore, ſed docuit, quantum ipſo Chriſtus potentior eſſet. Eſt ergo non rerum, ſed perſonarum comparatio. Non enim Ioannes modò, ſed ne Petrus quidem aut quiſquam Euangelij miniſter conferre in eos ſpiritum ſanctum poteſt, quos baptizat. Homines externum ſacramentum præbent, mentes intus Chriſtus ſpiri-

Math.3.11.

tu

tu sancto purgat. Iam verò quid de Ioannis baptismo patres senserint, non laboro. Rem enim scripturæ satis perspicuè expediunt, vt non sit necesse patrum varias & incertas opiniones inquirere. Nec ignoro Augustinum palàm profiteri se non acturum pugnaciter, si quis in baptismo Ioannis dimissa esse peccata contenderit. Tu pugnas, vbi se pugnaturum negat Augustinus. Ita vetustis patribus noui sophistæ pugnaciores sunt. Quoniam autem præclaris versibus delectaris, cupio vt hos Prudentij senarios ediscas, in quibus sic de Ioannis Baptismo pius poëta cecinit,

August contra donat. lib. 5. c. 11.

Prudent. Cathemer. Hymn. 7.

Hortator ille primus, & doctor noua
Fuit salutis: nam sacrato in flumine
Veterum piatas lauit errorum notas.
Sed tincta postquam membra defecauerat,
Cælo refulgens influebat spiritus.

Si ista non satisfaciunt desiderio tuo, apponam etiam sequentes alios, qui tuam proculdubio famem explebunt.

Hoc ex Lauacro labe dempta criminum,
Ibant renati non secùs, quàm si rudis
Auri recocta vena pulchrùm splendeat:
Micet metalli siue lux argentei,
Sudùm polito præniténs purgamine.

DVRAEVS, Fol. 280.

Quomodo qui baptismo Ioannis iam Baptizati erant, Christi rursum baptismo tincti sunt? sic enim Paulus, His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu. *Ac ne longior sim, si idem vterque baptismus fuit; cur non Pauli baptismus, vel Petri dici potuit,*

Act. 19.

potuit, quem illi contulerunt, vt Ioannis baptismus, quem ipse contulit.

WHITAKERVS.

70 Tuis quæstiunculis breuis responsio sufficiet. Et primum nego duodecim illos viros, de quibus in Actis Lucas meminit, iterum esse baptizatos: quod tu etiam imprudens fateris. Si enim illa, quæ commemoras, Pauli verba sunt, vt dicis, non de illis Ephesijs intelligenda sunt, sed de populo, quem Ioannes baptizauit: quasi Paulus diceret, qui ad Ioannis baptismum profecti sunt, eos Ioannes in Christum venturum credere docuit: *illi autem his auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu.* Hæc horum verborum vera sententia est, quemadmodum orationis ipsa series demonstrat. Quare nihil hîc fuit, quamobrem patres alium esse Ioannis Christique baptismum existimarent. Et tamen Ambrosius, quando hunc locum tractat, vobis dupliciter aduersatur. Primùm enim ait istos duodecim, si rectè fuissent Ioannis baptismo initiati, rebaptizari minimè debuisse: in quo Ioannis baptismo nihil ad verũ & Christianum baptismũ defuisse confitetur. Deinde disertè scribit, *nec iteratum est in his baptisma, sed nouatum. Vnum enim baptisma.* Atq; illis Ambrosij verbis inductus Lombardus statuit rebaptizandos non fuisse, quos Ioannes ritè baptizaret, quanquam hîc censores Parisienses notarunt, *Magistrum non teneri.* Deinde ne longior sis, quæris cur Ioannis potiùs baptismus, quàm Petri, aut Pauli dici debuerit:

Act.19.4.5.

Ambros. de spirit. sanct. li.1.c.3.

Sent.4. dist.2.

rit: quod ego ne tibi moram faciam paucis exponam. Pauli aut Petri baptiſmus dici non potuit, quia Chriſti non hominum ſacramentum fuit. Nec verò aliter Ioannis baptiſmus extitit, quàm quia baptiſmi Ioannes miniſter fuit. Sed quia Ioannes baptiſmo primus vſus eſt, cùm eum Dominus miſerit ad baptizandum, totum illud Ioannis miniſterium baptiſmi nomine vulgo vocabatur.

DVRAEVS, Fol. 280.

Sed vrget fortaſſe vehementius, quod addis, Si pœnitentia & peccatorum remiſſione Ioannis baptiſma minimè caruit, non video cur tantoperè à Chriſti baptiſmo alienum exiſtimetur. *Quis vnquam à Chriſti baptiſmo Ioannis baptiſma alienum dixit?*

WHITAKERVS.

71 Sic te quidem hoc argumentum vrgebat, vt nihil reperire poſſes, quod reſponderes. Cur enim quod tuam explicationem flagitabat, non attingis? Ioannis baptiſmus fuit pœnitentiæ, hoc eſt, regenerationis ſacramentũ, quemadmodum ſcriptura teſtatur: ergo remiſſionem peccatorũ contulit. Vbicunq; enim vera pœnitẽtia & peccatorum confeſſio extiterit, regeneratio locum habeat eſt neceſſe. Qui verò regenerantur, peccatorum remiſſionem accipiunt. Alienum autem verè dicitur, quod toto genere aliud eſt, quemadmodum vos de Chriſti & Ioannis baptiſmo iudicatis. Cùm enim illum baptiſmum, quem Ioannis celebrauit, prorſus diuerſum ab eo eſſe defenditis, quem Chriſtus inſtituit, nónne

ne Ioannis baptiſmum à Chriſti baptiſmo alie-
num facitis?

DVRAEVS, Fol. 280.

Sed quid eſt (*inquis*) quod patres etiam ipſi quærunt, cur Chriſtus qui nulla regeneratione opus habuit, ad Ioannis baptiſma acceſſerit, niſi illius baptiſmum ad regenerationem valuiſſe iudicarint. *Quærebant patres, cur ad baptiſmum Ioannis Chriſtus accederet, quòd baptiſmus ille ad regenerationem præparabat, qua præparatione Chriſtus minimè egebat.*

WHITAKERVS.

72 Σοφὸν φάρμακον. Sed quod dicitur ſine ratione, facilè poteſt ratione dilui. Nam ſi Ioannis Baptiſmus homines duntaxat ad regenerationem præparabat, nec aliquid præterea valebat, nihil opus erat tam ſolicitè quærere, cur Chriſtus ad Ioannis Baptiſmum acceſſerit. Sic autem de Ioannis Baptiſmo, quemadmodum de circumciſione quærunt, quamobrem Chriſtus cùm eſſet puriſſimus, & circumcidi & à Ioanne Baptizari vellet. Chryſoſtomus autem ſic reſpondet, *Nō vt ipſe remiſſionem peccatorum acciperet per Baptiſmum, ſed vt ſanctificatas aquas relinqueret poſtmodum baptizandis.* Vbi non de præparatione, ſed de remiſſione peccatorum loquitur. Sic Auguſtinus, *Saluator ideo baptizari voluit, non vt ſibi mundiciam acquireret, ſed vt nobis fluenta mundaret.* Sic ergo patres de Ioannis baptiſmo ſcribunt, quaſi peccatorum remiſſionem & ſanctimoniam contulerit. Sed quid hominum opinio-

Chryſoſ. in 3. Math.

Auguſt in cat. aur. in 3 Math.

nes consectamur, cũ scripturæ satis apertè loquãtur? Si enim Ioannis baptismus in corporis tantũ ablutione versatus est, cur Christum Ioannes ipse repulit à baptismo? Sic enim Euãgelista scribit, *Ioannes obnixè prohibebat eũ dicens, Ego necesse habeo à te Baptizari, & tu venis ad me?* Cur Christũ nollet externa quadam aspersione perfundere, nihil fuit: sed cùm sciret Christũ nulla peccatorum remissione indigere, id sibi existimauit nullo modo faciendum, vt Christum omnino baptizaret. Quis autẽ tam cæcus est, vt hic non videat de remissione peccatorum, & interna spiritus sancti gratia verba fieri?

Matth.3.14

DVRAEVS, Fol.281.

Căpianus vobis obiecit, si habeas, rectè: si careas, nihil damni: crede, & saluus eris, antequam abluare. Non ita loquimur (*inquis*) vt fingis: tamen minimè putamus Baptismum esse ad salutem ἁπλῶς necessarium. *Quid? si sine baptismo salutem infantes assequi æternam possint, an non vestro iudicio, quòd baptismo careant, nihil illis damni est? Longè Christus aliter,* Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non poterit intrare in regnum Dei. *Vt patres alios prætermittam, Augustinum audi:* Quisquis dixerit (*inquit*) quòd in Christo viuificabuntur etiam paruuli, qui sine sacramẽti perceptione de vita exeũt, hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat ecclesiam.

WHITAKERVS.

73 Baptismum Christianis necessarium esse concedimus, non absoluta quidem necessitate, sed ex hypothesi. Neque enim ita cuiusquam salus pendet ex baptismo, vt qui antè moritur, quã ad baptismum peruenerit, spem salutis amiserit.

Hanc

Hanc opinionem vt impiam & inhumanam explodimus. Quis enim dixerit Iudæorum infantes ante octauum diem extinctos perijsse? Quod quia Lombardus sensit, à suis reprehenditur. Sentent.4. dist.1. L. Aut quis nescit baptismum olim fuisse à multis ad extrema vitæ tempora dilatum? Quod nunquam illi fecissent, si baptismum omnino & simpliciter necessarium statuissent. Quare qui nunc infantes ante baptismum morientes à vita excludunt, contra scripturas, contra Dei misericordiam, contra antiquam consuetudinē loquuntur. Valentinianum Ambrosius affirmat gratia baptismi haud quaquam caruisse, etiamsi ipso baptismo priuatus fuerit. Ambros. de obitu Valentin. Ergo baptismus externus non est omnibus omnino ad salutem necessarius. Atque hoc est quod sententiarum magister docet, *gratiam Dei non esse alligatam sacramentis*. Alligatur autem sacramentis, si salus sine sacramentis deperditur. Quanquam autem dicimus sine baptismo infantes salutem consequi, quos nempe Dominus ad vitam prædestinauit, non tamen inutilem esse baptismum sequitur. Est enim externum adoptionis pignus, quo nullus pius carere lubens velit. Si verò careat, modò ad Dei æternam electionem spectet, perire non potest. An tu verò cuiusquam infantem non pertinere ad Dei electionem, neque esse in numero prædestinatorum concludes, quia illum mori Dominus ante baptismum voluit? Si facias, audax, & temerarius, & impius meritò habearis. *Sed Christus*, inquis, *longè aliter, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non poterit intrare* Ioan.3.5.

 in

in regnum Dei: quaſi id Chriſtus ſenſerit, ſine externo baptiſmo nullum in cælos cuiquam aditũ patêre. Quin ergo etiam illum Latronem, quem Chriſtus mox futurum in paradiſo affirmauit, de cælo detrahis? Non enim renatus fuit ex aqua, vt tu aquam interpretaris. Sed qui locum vnũ cum alio comparant, aquæ nomine, nihil aliud niſi ſpiritum ſanctum ſignificari perſpicient. Ita Chriſtum Ioannes baptizaturum dicit *ſpiritu*
Matth.3.11. *ſancto & igni:* vbi ignis incredibilem in purgando vim ſpiritus ſancti indicat. Atque eo modo hic ſpiritus ſanctus aqua nominatur, vt eius in abluendo vis oſtendatur. Exuri enim & ablui noſtræ naturæ vitia debent, quod vtrumque ſpiritus ſanctus præſtat. Si quid ergo hæc ſibi aqua velit, intelligere cupis, recognoſce quid in proximo capite Chriſtus Samaritanæ mulieri reſpondeat. *Si ſcires quis ſit qui dicit tibi, Da mi-*
Ioan.4.10. *hi potum: tu petijſſes ab eo & dediſſet tibi aquam viuam.* Hæc aqua omnibus qui renaſcuntur, neceſſaria eſt. Auguſtinus verò quem citas, non baptiſmum modò, ſed Euchariſtiam etiam infantibus neceſſariam eſſe ſenſit: in quo ne tu quidem illum potes excuſare. Quid ergo nobis non deſinis quos ſcripturis refellimus, patrum errores obiectare? Sic certè nunquam, mihi crede, vinces.

DVRAEVS, Fol. 281.

At Dei (*inquis*) clementia nullis alligata eſt ſacramentis quo minùs ſine illis ſeruare poſſit, quos perire nolit. *Quis*

Deum

Deum sine baptismo paruulos seruare posse negat? Suam voluntatem satis declarauit cùm ait, nisi quis renatus,&c. *Cùm omnes homines iræ filios nasci Paulus testetur, si nullum huic tanto malo in diuinis literis aliud à Baptismo remedium diuinitus datum videmus, quid superest nisi vt qui sine baptismo ex hac vita excedunt, eiusdem in qua nati sunt, iræ filij moriantur?* *Ioan.3.*

WHITAKERVS.

74 Ex nullis scripturæ verbis intelligimus hanc esse Dei voluntatem, vt qui baptismo caret perpetuò pereat. Si enim de voluntate constaret, nullum de potentia verbum faceremus. Cùm autem nusquam dixerit, se illos perire velle, qui ante baptismũ moriuntur; quin eos sine baptismo seruare possit, non est dubitandum. De his Christi verbis multa diximus, quæ vt maximè essent de baptismi sacramento interpretanda, ad nullos tamen nisi adultos pertinerent. Venio nunc ad Paulum, & nasci omnes iræ filios fateor, sed quòd nullo modo nos eripi ex hoc misero statu nisi per baptismum assumis, falsum esse affirmo, Nam spiritus sanctus non tantùm in sacramentis, sed etiam sine sacramentis sua nobis dona impartitur. Et Paulus liberos sanctorum sanctos esse docet. Cùm ergo scires hoc λῆμμα multis confirmationibus indigere, miror te nullas saltem fingere voluisse. *Ephes.2.3.* *1.Cor.7.14.*

DVRAEVS, Fol. 282.

Vrges tamen Dei promissionem, quæ Abrahæ facta est, Ero Deus tuus, & seminis tui post te. *Vos quid aliud quàm De-*

um quod promisit minimè præstitisse dicitis, cùm Abrahæ semen per vniuersum orbem defecisse contenditis. Nec minus absurdum est, quòd fidelium filios ipso originis iure ad Abrahæ semen pertinere contendis. Non aliter nos Abrahæ semen ac filij quàm per fidem esse possumus, vt non quia fidelium filij, sed quia Christo per fidem insiti in semine Abrahæ censeantur. Etenim si quis non alia de causa semen Abrahæ dicendus est, quàm quòd fidelibus sit natus parentibus, nimium profectò multi ab hac benedictione, quæ omnibus gentibus promissa est, erunt excludendi: quod certè paradoxum adeo Caluinus probauit, vt minimè baptizandos infidelium pueros affirmarit in 9. Antid. I. Paris.

WHITAKERVS.

75 Deus se Abrahæ, eiusque posteris promissione obstrinxit, cuius etiam promissionis sacramentum illis in Circumcisione reliquit. Quamuis ergo circumcisio defuerit, Dei tamen promissio, qua se illorum fore Deum spopondit, non potest euanescere. Cùm ergo inclusi sint in Dei fœdere, illorum salus ex Dei promissione, non è symbolo externo promissionis pendet. Itaque circumcisio in solitudine per annos quadraginta intermissa est, quod maximo argumento esse potest, in sacramentis ipsis nullam salutis partem includi. Vbi igitur sacramentorum copia præripitur, ipsa promissio per se sufficiet, vt qui ad Dei internum fœdus pertinent, ex sacramenti iactura nullum damnum accipiant. Cùm nihil inuenias quod respondeas, ad duo conuicia digrederis. Primùm enim ais nos contendere semen Abrahæ per totum orbem defecisse, quod quia omnes norunt esse falsum, prætermittam. Deinde me dicere affirmas fidelium filios ipso originis

originis iure ad Abrahæ ſemen pertinere, quaſi ſentiam, quicunque ex pijs parentibus naſcuntur, eos genuinos eſſe Abrahæ filios: quod mihi nunquam in mentem venit. *Non enim qui filij carnis, ij filij Dei*, quemadmodum Apoſtolus docet. Rom.9.8. Id verò dico qui ex ſancta ſtirpe procreantur, quia in ipſo Dei fœdere comprehenduntur, & promiſſio vitæ æternæ ad illos pertinet, quantũuis externo ſacramento ſine ſua culpa careant, nihil tamen eſſe de illorum interitu pronunciandum. Fieri enim poſſe vt ſine ſacramento vi promiſſionis ſeruentur. Contra hanc ſententiam nihil quidem affers, aut omnino afferre potes. Id tantùm ais, nos fide fieri ſemen Abrahæ, id eſt, vt tu interpretaris, baptiſmo. Niſi enim fides aut baptiſmus ſit, aut ſine baptiſmo eſſe nequeat, quomodo Abrahæ filium ſine baptiſmo fieri nullum poſſe perſuades? At quis neſcit fidem poſſe in mentes noſtras ſine baptiſmo infundi? Ita dicis aliquid, ſed vt ij ſolent, qui quid dicant, parùm attendunt. Poſtremò ludis in ὁμωνυμίᾳ vocabuli. Infideles enim dicuntur, aut qui prorſus à fœdere alieni ſunt, vt Turcæ, Iudæi, Ethnici, aut qui in Eccleſia locum tenent, ſed vera fide carent. Illorum liberos Caluinus meritò & verè negat eſſe baptizandos: iſtorum nihil minùs.

DVRAEVS, Fol. 283.

Deſine tam impiæ hæreſis Bernardum facere aſſertorem. Non de infantibus loquitur, ſed de ijs qui iam fide imbuti, ne Baptizari poſſint immatura interdum morte præueniuntur. Hac enim de

causa ad eum Hugo Epistolam scripsit. Ita Ambrosius in obitu Valentiniani. Et Augustinus lib.4.contra Donatistas,ca.22. Quid verò Bernardus de fidelium infantibus, qui sine baptismi sacramento ex hac vita excedunt, senserit, disertis sanè verbis eadem Epistola expressit. Sanè (*inquit*) infantes, quia hanc prohibente ætate non possunt habere fidem, hoc est, cordis ad Deum conuersionem, consequentur nec salutem, si absque baptismi perceptione moriantur.

WHITAKERVS.

76 Ergo tua opinione hæretici sunt, qui paruulos antequam baptizantur, morientes non mox in barathrum detruserint, & de illis penitus actum esse conclamarint. Apage verò, atque hanc crudelitatem tuis Catholicis serua. Bernardus multò sanctiùs mitiusque sensit, non carere baptismo, sed contemnere baptismum esse capitale, quod ille quidem copiosè ac piè disputat. Tu Bernardum de infantibus loquutum esse negas, quod quàm modestè vereq; dixeris, ex ipsa epistola dijudicemus, Sic autem scribit, *Quis nesciat & alia præter baptismum contra originale peccatum remedia antiquis nō defuisse temporibus? Abrahæ quidem & semini eius circumcisionis sacramentum in hoc ipsum traditum est. In nationibus verò quotquot inuenti fideles sunt, adultos quidem fide & sacrificijs credimus expiatos: paruulis autem etiam solam profuisse, immo & suffecisse parentum fidem.* His verbis perspicuè fatetur paruulis ante Christum solam sine sacramentis fidem parentum profuisse ac suffecisse. Num verò post Christum factam

Bernard. ad Hugon. Epi. 72.

factam esse deteriorem paruulorum sortem existimemus? Itaque concludit Bernardus hoc præceptum ad eos tantùm pertinere, ad quorum potuit notitiam peruenire, his verbis: *Sed ex eo tempore tantùm cuique cæpit antiqua obseruatio non valere, & non baptizatus quisque noui præcepti reus existere, ex quo præceptum ipsum inexcusabiliter ad eius potuit peruenire notitiam.* Mittam alia: ex his licebit tuam fidem agnoscere, quod multò magis fieri potest ex ijs, quæ mox è Bernardo adducis. Quod enim ille ἐκ τοῦ ἀσυμφόρου atque ex absurdo conclusit, id tu sic proponis, quasi suam his verbis sententiam Bernardus exposuisset.

DVRAEVS, Fol. 284.

Forsitan credunt (*inquis*) infantes, quamuis hoc non sentiunt. *Quin potiùs clarè ac apertè responde. Si nulla in infantibus fides est, facessat noui vestri Euangelij dogma, sacramenti vim omnem à suscipientium fide pendere. Verbũ enim promissionis, quod non nisi fide apprehenditur, vt docetis, est verbum sacramenti, sine quo ne esse quidem sacramentum potest. Cùm ætate Augustini quidam credere infantes dixißent, non tantùm se hominum ingenijs diffidere August. respondit, vt in tam insano errore refellendo sibi diutius immorandum duceret.*

WHITAKERVS.

77 De fide paruulorum non aliter sentio, quàm semper Ecclesia docuit. Campianus verò malè conclusit paruulos carere fide, quia viuant, nécne, nondum intelligunt. Non enim vitæ expertes sunt, quia vitæ sensu carent. Nec tamen in ea vn-

ea vnquam opinione fui, quam tu mihi affingis, vt credere infantes iudicarim, cùm id nec scriptura doceat, nec ratio suadeat. Iam ergo quod quæris apertè respondebo. Nego id nostrũ dogma esse, quod nobis tribuis, vim omnem sacramenti à fide suscipientium pendere. Adultis quidem nisi propriam fidem attulerint, sacramentum est, sed non est salutare sacramentum: paruulis verò quia fidelium parentum liberi sunt, atque in fœdere includuntur, etiamsi adhuc credere propter ætatem non possunt, est tamen salutis sacramentum. Quanquam enim in sacramentis fides requiritur, quæ promissionis verbum amplectitur, eam tamen fidem in ipsis infantibus versari, quibus sacramentum præbetur, necessarium non est. Nam circumcisio, quam
Rom.4.11. Apostolus iustitiæ fidei σφραγῖδα vocat, quæq; sine verbo promissionis nihil valere potuit, tributa est infantibus, quos ipsi credere non putatis. Quanquam in ipsis etiam infantibus efficacem esse occulto miroq; modo spiritum sanctum, nulli dubium esse potest. Id enim illa exempla com-
Gen.25.26. probant, quæ de Iacobo, Iudæ filijs, Ieremia, Io-
Gen.38.29. anne Baptista, multisque alijs legimus. Rectè
Ierem.1.5. Augustinus, aut quisquis illum librum scripsit:
Luc.1.15. *Non excusat paruulos à culpa, quia eam non norunt,*
August. de spirit & anima, c.42. *nec excludit gratiam ab eis, quia eam nesciunt. Quaris in eis culpam, inuenis ex carne traductam: quæris in eis gratiam, inuenis à Deo collatam.* Si hanc esse nostram sententiam nesciebas, quis tuam leuitatem non accuset, qui contra ignotas opiniones Andabatarum more dimicas?

DVRAEVS,

Dvraevs, Fol. 285.

Cupio (*inquis*) de fide paruulorum, quid ipse sentias, cognoscere: gratiam opinor illis concedes: baptismus enim gratiam confert. An fidem non dabis? *Quid ni, vt hoc tuum argumentum ex D. Thomæ commentarijs clam surripuisti, illius etiam responsionem subiungis?* Dixerunt quidam (*inquit*) antiqui, quòd pueris in baptismo non dantur gratia & virtutes: causa autem erroris fuit, quia nescierunt distinguere inter habitum, & actum.

Whitakervs.

78 Non potes hac responsione Campianum defendere. Si enim nulli fidem habent, nisi qui se fidem habere sentiunt, queadmodum ille disputauit, nullam paruulis, nec quidem post baptismum, fidem relinqui manifestũ est. Nam fidei nullus post baptismum sensus repentè nascitur, nisi fortè nunc in illum insanum errorem deuolueris, quem Augustinus hominũ ingenijs fretus refutare noluit. Nihil ergo opus fuit istis Thomæ tui commentarijs, é quibus tu me, nescio quid, surripuisse fingis. Nam hæc quidem non satisfaciunt interrogationi meæ. Si enim gratiæ nomine fidem significas, tum habitum fidei infantibus tribuis. Si verò infantes habitu aliquo fidei præditi sunt, tum norunt diuina, etsi explicare propter corporis impedimenta nequeunt. Quæro igitur num istum habitum postea amittant, nécne? Id credo, quia est absurdum, non affirmabis. Si ergo hunc habitum retinent, mysteria fidei priùs cognoscunt, quàm docentur. Sin fidem ab hac gratia seiungis, extra causam egrederis.

Dvrae-

DVRAEVS, Fol. 286.

Lutherum verissimè Campianus dixisse ait, Nisi credat infans nequicquam lauatur. *Tu Lutherum licèt omni qua potes arte defendas, nihil tamen aliud quàm laterem lauas. Ita enim apertè ille sensit, in li. contra Cocleum. Ex quibus suam Anabaptistæ hæresim hauserunt.*

WHITAKERVS.

79 Lutherum sic loquentem Campianus introduxit, quasi diceret præstare omitti Baptismũ. In illorum verò opinionem Lutherus inuehitur, qui paruulos ad baptismum adducunt, & num credant, etiam interrogant, nullam tamen infantibus fidem, id est nullam internam spiritus sancti gratiam & efficacitatem tribuunt, sed quasi res inanimatas baptizant. His autem supersedeo, quia satis multa Campiano respondi. Vnde hæresim Anabaptistę suam hauserint, quid nostrâ interest? Nihil vnquam Lutherus docuit, quod Anabaptismum vel leuissimè redoleret, & quis anabaptistas Luthero potentiùs repressit, aut doctiùs refutauit? Sed vobis datum est, vt semper vestrûm similes sitis, & Aethiopum instar pellem nunquam mutetis.

DVRAEVS, Fol. 286.

Tu verò cum Anabaptistis nihil vobis negotij esse asseris. Non ignoro quàm vos acriter Caluiniani cum anabaptistis confligatis, sed quibus armis? An non ad Ecclesiæ Traditionem vester ille Apostolus Caluinus confugit? Lib. 4. ca. 16. sect. 8. *Nullum enim apertum ille scripturæ locum neque profert, neque proferre omnino potest.*

WHITA-

VVHITAKERVS.

80 Anabaptistas, Duræe, scripturarum armis opprimimus, quibus solis hæretici superantur. Si enim nulla nobis arma suppeterent, nisi hæc, quæ tu commemoras, næ Anabaptistæ nostrum impetum non valde reformidarent. Sed hic vide, quæso, tuorum immane flagitium: scripturas proditis, vt traditiones teneatis. Quid enim dici potuit aut in scripturam contumeliosius, aut ad confirmandam Anabaptistarum audaciam vehementius, quàm hanc hæresim nullis scripturis refelli? Tu verò nescis Caluinum firmissima ex scripturis argumenta sumpsisse, quibus illorum hæreses omnes, quæ sunt multiplices, profligauit? Suscipe igitur Anabaptistarum patrocinium, & mihi ad has rationes ex scripturis depromptas responde. Circumcisi olim infantes sunt propter fœdus: ergo nunc propter *Gen.17.4.* eandem causam baptizandi sunt. Id enim ex analogia vtriusque sacramenti necessariò consequitur. Et huic argumento non omnes Anabaptistæ vel te patrono resistent. Infantulos Christus ad se adduci iussit: ergo ad baptismum recipi- *Mat. 19.13.* endi sunt. Quòd Christus dixit, *Baptizate eos,* *Mat.28.19.* pertinet primùm ad homines adultos, tum ex vi fœderis ad illorum etiam liberos. Non persequar omnia: hæc satis & Anabaptistas, & te redarguunt. Coactúsne ergo est Caluinus ad Ecclesiæ Traditionem confugere, idq; ob eam causam, quòd nō satis firma ex scripturis argumenta occurrere videret? Vt tuam frontem nostri Academici

mici agnoſcant, Caluini hæc in eodem loco verba ſunt, *Nemo iam eſt, qui non videat, pædobaptiſmum nequaquam humanitus fabrefactum fuiſſe, qui tanta ſcripturæ approbatione fulciatur.* Pędobaptiſmum ergo Caluinus ait, ſcripturis approbari ac fulciri. At inquies, etiam ad Traditionē confugit. Id quemadmodum faciat, attendite. *Quod autem* (inquit) *apud ſimplicem vulgum diſſeminant, longam annorum ſeriem poſt Chriſti reſurrectionē prateriiſſe, quibus incognitus erat pædobaptiſmus, in eo fœdiſſimè mentiuntur. Siquidē nullus eſt ſcriptor tam vetuſtus, qui non eius originem ad Apoſtolorum ſeculum pro certo referat.* Num hoc eſt ad Traditionem Eccleſiæ confugere, quia nulla ex ſcripturis argumenta, vt dicis, occurrebant?

Inſtit. lib 4. cap. 16. ſect. 8.

DVRAEVS, Fol. 287.

Sed riſum mihi Whitakere excitas, cùm Anabaptiſtas tanquam ſeditioſos homines ex rebuſpub. veſtris expuliſſe vos dicitis. Non miraculis creſcit vel creuit aliquando hoc veſtrum Euangelium, ſed armis. Quod ſanè Lutherus maximæ ſibi gloriæ duxit.

Luther. in c. 10. Math.

WHITAKERVS.

81 Satis ſanè iamdudum ex multis locis perſpexi, quàm ridiculus eſſes. Noſtram verò tranquillitatem, paciſque perpetuum ſtudium omnes reſpub. teſtari poſſunt. Itaq; tuam calumniam & riſum minimè moror. Lutherus verò quid aliud dixit, quàm quod ipſum dixiſſe Chriſtū legimus? *Non veni vt mittam pacem, ſed gladium.* Si ergo Lutheri doctrinam variæ turbæ & ſeditiones excepe-

Mat. 10.34.

exceperunt, dum filij huius ſeculi lucem Euangelij extinguere conarentur, & veritatem totis viribus oppugnarent, mirandum non fuit, atque ad doctrinæ potiùs confirmationem ſpectauit. Eſt enim ſemper neceſſarium, vt Chriſtus ſit σημεῖον ἀντιλεγόμενον, quemadmodum ſanctus ille Symeon prædixit. *Luc.2.34.*

DVRAEVS, Fol. 287. &c.

Cætera quæ adhuc ſuperſunt noui Euangelij paradoxa examinemus, quorum illud ex myſtica Lutheri Theologia depromptum eſt, Si non vult vxor, aut non poſſit, veniat ancilla. *Nonne iſta te portenta defendere pudet Whitakere? Vbi legiſti iuſtam hanc ac legitimam vxoris repudiandæ cauſam eſſe?* Lutheri (*inquis*) in hoc genere diuortij ſententiam minimè defendo. *Quid ergo Luthero patrocinaris?* Apud vos (*inquis*) cauſæ diuortiorum ſunt infinitæ. *Ignoras videlicet ſolam apud nos diuortij cauſam eſſe alterius coniugum adulterium. Abſurdiora à Clemente Romano pontifice ſcripta ais*, Græcorum quidam ſapientiſſimus hæc ita ſciens eſſe ait communia debere eſſe amicorum omnia: in omnibus autem ſunt ſine dubio & coniuges. *Si vel vetera conſuluiſſes exemplaria, vel totius epiſtolæ ſeriem perpendiſſes, non fuiſſet difficile corruptum eſſe hunc Clementis locum iudicare.*

De moribus.

Luther. ſerm de matrim.

WHITAKERVS.

82 Non eſt neceſſe vnam calumniam bis refutare. Reſpondi Campiano, quantum poſſet æquo lectori ſatisfacere. Deſertionis Lutherus quoddam genus eſſe duxit, ſi qua vxor viro debitam beneuolentiam denegaret, atque hanc ſatis magnam eſſe diuortij cauſam iudicauit. Quam Lutheri de deſertione opinionē palàm profeſſus ſum

ſum mihi non probari. Num verò ſi in hoc iudicio nonnihil errauit, tam inhoneſti conſilij cuius illum vos tam improbè atque importúne inſimulatis, author fuit? Sed huius erroris æquum eſt Luthero facilem à vobis veniam dari, qui multò plures, quàm ille, cauſas diuortij facitis. Hic tu legum pontificiarum ignarus, ſolam apud vos diuortij cauſam eſſe adulterium reſpondes, quod omnes quàm verè dictum ſit facilè teſtari poſſunt. Nam vt alia pontificum & Canonum decreta prætermittam, cui ignotum eſt, quid de hac re patres Tridentini ſanxerint? *Si quis* (inquiunt) *dixerit, Eccleſiam errare cùm ob multas cauſas ſeperationem inter coniuges, quoad thorum, ſeu quoad cohabitationem ad certum, incertúmue tempus fieri poſſe decernit, anathema ſit.* Synodus multas cauſas admittit, tu vnum conſtituis: in quo nec cum tuis, nec cum Apoſtolo ſentis. Nam præter adulterium Paulus illam etiam ſeparationis iuſtam cauſam agnoſcit, ſi fidelem infidelis deſerit. Clementem verò facilè patior à te defendi. Nam ipſum Clementem non exiſtimo tam turpis ſententiæ authorem extitiſſe. Sed quando epiſtolas antiquis Epiſcopis affingitis, quas illi nunquam ſcripſerint, voluit Dominus veſtram perfidiam clariſſimis indicijs refutare. Si enim hanc epiſtolam Clemens Romanus pontifex ſcripſit, tum certum eſt à pontifice Romano comprobatam eſſe rerum omnium, etiam coniugum promiſcuam communionem, qualem olim Plato ſomniauit, & hodie Anabaptiſtæ defendunt, atque exercent. De vetuſtis autem exemplaribus non laboro,

Seſſ. 24. ſub Pio 4. can. 8.

1. Cor. 1.15.

Clem. Epiſt. 5

laboro. Nulla enim nos exemplaria nisi à vobis sumpta nacti sumus: quæ verò ego vidi omnia siue recentiora, siue antiqua (vidi autem complura) eandem sententiam continent. Quanquam hîc corruptas esse pontificum decretales epistolas (quid ni etiam suppositas?) fateris, quod alibi tamen vehementissimè pernegatis.

DVRAEVS, Fol. 289.

Aliud est Lutheri paradoxum, Res vxoria tam est cuiq; necessaria, quàm esca, potus, somnus. *Quid tu?* Iubet (*inquis*) Apostolus, vt vnusquisque vxorem suam habeat. *Tibi olim Tertullianus respondit*, Ostendit (*inquit*) fuisse, qui in matrimonio à fide deprehensi verebantur, ne non liceret ijs matrimonio suo exinde vti. *Atque ijsdem ferè verbis Hieronymus*, Vnusquisque (*inquit Paulus*) vxorem suam habeat, non dixit, ducat vxorem, ne libidini fræna laxaret, sed habeat, & sua vtatur, quam habebat, antequam crederet. *Quanquam quid ego de Christianis loquor? Philosophi ipsi gentiles risu potiùs ac sibilo Epicureum hoc dogma excipiendum, quàm rationibus refutandum iudicarent. Illud mihi respondeas velim: Si cuius vxor longo fortè difficiliq; morbo laboret, &c. Ac mercatores, si quando in peregrinas proficiscantur regiones &c.*

Tertull. de Monog.
Hieron. li. 1. contra Iouinian.

WHITAKERVS.

83 Quæritur num ijs sit necesse in matrimonio viuere, qui castam & sanctam sine matrimonio vitam ducere nequeunt. Hoc quia Lutherus affirmauit, àb istis mirificè diuexatur. Sed hominum insolentissimorum ludibria contemnamus, sanam doctrinam & veras sententias non ex sophistarum placitis, sed ex Dei verbo metiamur. Apostolus ait, & clarè præcipit, *Propter*

1.Cor.7.2. *fornicationes suam quisque vxorem habeat, & suum quæque virum.* Hanc tu Apostoli legẽ cum Tertulliano & Hieronymo de ijs tantùm interpretaris, qui versantur in matrimonio. Ita quæ pro Montano Tertullianus scripsit, à vobis egregiè probantur. Hieronymum verò quisquis non intelligit longiùs prouectum esse in vituperandis nuptijs quàm scripturæ patiuntur, is certè Hieronymi scripta pluris facit, quàm verbi diuini authoritatem. De Hieronymo sic Erasmus scribit, *Hieronymus feruido quodam affectu sic interdum rapiebatur in admirationem virginitatis, vt pijs etiam viris videretur lædere matrimonium. Sit hoc vanum si non in scriptis illius inueniuntur eadem verba, quæ sunt apud Tertullianum hoc nomine damnatum.* Sed istas interpretationes Apostolus ipse palam respuit. Cùm enim hoc se præcipere significat διὰ τὰς πορνείας, id est *Propter fornicationes*, quis non videt legem hanc ad cœlibes etiam pertinere, quibus fornicationes non minùs quàm coniugibus prohibentur? Verùm cur prętermittis, quod mox ex Apostolo adduxi, quodq; tuam responsionem planè iugulat? Nam palàm Apostolus cœlibes iubet, vt *si se non continent, matrimonium contrahant. Nam melius est matrimoniũ contrahere, quàm vri.* Itaq; non modò mandat, vt qui priùs vxores duxerunt, eas teneant: sed qui nullas habent, ducant, si id sibi ad vitandam incontinentiam necessarium esse sentiunt. De Apostoli verbis Thomas tuus multò rectiùs iudicauit, quàm aut Tertullianus, aut Hieronymus. *Dictum est* (inquit) *quod bonum est homini mulierem non tangere: sed quia*

Erasm. aduers. Alber. Pium, de virgin.

Thom. in 1. Cor. cap.7. lect.1.

quia ad hoc bonum non sunt omnes homines idonei, vnusquisq; vir propter fornicationem scilicet vitandam suam vxorem habeat, i. sibi determinatam, vt tollantur vagi & incerti concubitus, quod pertinet ad fornicationem. Et deinceps, cùm interpretatur illa verba, *Melius est nubere, quàm vri*, quæ necessariò sunt ad cœlibes referenda, sic concludit, *Hoc est quod suprà dixit, propter fornicationem scilicet vitandam vnusquisque suam vxorem habeat.* Quare vt te cum tuis philosophis & Epicureis de hac re deliberantem relinquamus, Apostoli eam esse mentē constat, vt qui castitatis & continentiæ dono carent, ij matrimonio vti debeant, sic quidē vt grauissimè peccent, si aliter fecerint. Qui enim perpetuis libidinum flammis atq; incendijs flagrant, hi Deo placere nullo modo possunt, præsertim cùm eo vti remedio nolint, quod Dominus instituit. Aut hoc refelle, aut desine calumniari. Quod de vxore morbo difficili laborante, & mercatoribus quæris, suprà respondi.

DVRAEVS, Fol. 290.

Ad cætera pergamus. Matrimonium virginitate multò præstantius est: *inquit Lutherus. An non hoc paradoxo Iouinianum longissimè superastis?* Virginitati (*inquis*) coniugium ἁπλῶς sæpenumero præstat. *Hoccine pro tua authoritate, vt pleraque alia concedi vis? Quis non videt suapte id natura excellentius esse, quod ex se magis arduū est ac difficile?* In illa die (*inquit Christus*) neq; nubent, neq; nubentur. *Stulti profectò quotquot hactenus Deo suam virginitatem consecrarunt. Atq; vt hæc omittam, non mecum hoc loco, sed cum Paulo tibi negotium est.* Qui matrimonio (*inquit*) iungit virginem suam, bene facit, & qui non iungit, meliùs facit. *Quid his verbis apertius?* 1 Cor. 7.

WHITAKERVS.

84 Iouinianum minimè moror: nec mihi aliquid concedi cupio, quod non ſcripturarum authoritate conuincam. Sæpe nobis obijcitis Iouinianum, cùm ipſi palàm ſitis Manichæi. Nam apud illos *Electi*, id eſt ſacerdotes abſtinebant à nuptijs: auditores, hoc eſt, Laïci nuptijs vtebantur, quēadmodum Auguſtinus apertiſſimè teſtatur: ita vos populo matrimonium conceditis, ſacerdotibus denegatis. Cùm mihi tu de Manichæis reſponderis, ego tibi de Iouiniano ſatisfaciam. Sed nunc pergamus ad inſtitutum. Tunc dico matrimonium cœlibatu præſtabilius eſſe, quando cœlibatus ſine caſtitatis dono ſuſcipitur. Quis enim niſi homo impurus & belluinus negabit illius vitam ſanctiorem eſſe, Deoq; gratiorē, qui legitimum & caſtū coniugium amplectitur, quàm qui cœlibatum inhoneſtum tuetur? Túne audes talem cœlibatum tali coniugio præponere? Quin ergo vel ſtatim transfugis ad antiquos hæreticos, vel huius opinionis veram ſententiam agnoſcis? Sed *difficilior* (inquis) *virginitas eſt, quàm coniugium, ergo excellentior.* Contra virginitatem veram nihil diſputo, quam ego & difficilem & excellentem eſſe fateor. At verò diſtinguendus eſt à ſancta virginitate cœlibatus, quo nihil interdum eſſe poteſt virginitati magis inimicum. Eam pauciſſimi conſequuntur, hunc quiuis eligere poteſt. Quam ergo hîc difficultatē atq; excellentiam reperiſti? Atque vt de vera virginitate ſermonem inſtituamus, quale hoc argumentum

August. epist. 74.

mentum est, virginitas est difficilior quàm coniugium, ergo virginitas est simpliciter excellentior, quàm coniugium. Primùm enim cum casta virginitate sanctum coniugium comparandum est: sic vtrũ difficilius sit existimetur. Deinde quę sunt difficillima, non omnia sunt præstantissima. Difficilimum est ad annum centissimum ætatem producere: an ergo quibus Dominus cõcessit, vt tam diu viuerent, hos omnium excellentissimos fuisse sentiemus? Quid si tu omniũ esses poëtarũ, oratorum, philosophorum, theologorũ summus, quod tibi nondũ contigit, téne omnibus proinde alijs hominibus diceres esse meliorem? Nec valet aliquid, quod in regno cælorũ nullæ sint futuræ nuptiæ. Loquimur enim de statu huius vitæ, postquam nullus erit aut cõtrahendi matrimonij, aut cœlibatus vouendi locus. Stultitiæ verò nullos accuso, qui suam Deo virginitatẽ consecrarunt: nec quenquam reprehendo, qui castitatis donum diuino munere consequutus vitã viuit perpetuò virginalem. Ad Paulum accedo, quem tu falsò tuæ opinionis patronum esse putas. *Melius* hoc loco vocat Paulus, quod est *cõmodius*. Si enim id omni modo & simpliciter melius esset, nunquam aliter facere liceret. At Paulus ait, *Qui dat nuptũ, bene facit*: Ergo Paulus non propter rei naturam, sed propter circumstantias cœlibatũ nuptijs prætulit, quẽadmodum ipse discertè suam mentẽ exponit. Sic enim ait, *Propter instantem necessitatem bonum est homini ita esse*, & paulò pòst, *Afflictionẽ habebunt in carne*: & mox, *Volo vos esse sine solicitudine*: Denique, *Hoc autem dico vestro commodo.*

1. Cor. 7. 38.

Vers. 26. 28.

Vers. 32. 35.

Quid magis perſpicuè dici potuit? Id ergo bonũ Apoſtolus dicit, quod eſt nobis commodum, & aptum ad pietatem.

DVRAEVS, Fol. 291.

Iis (*inquis*) qui poſſunt caſtitatem virginalem perpetuò conſeruare, virginitas expetenda eſt, non omnino, ſed propter moleſtias, quæ matrimonium plerumque conſequuntur. *Quid aliud olim Hieronymo, ac priſcis eccleſiæ patribus à Iouiniano reſponſum fuit? Quod te vel ſolus docere tuus Auguſtinus potuiſſet, de ſancta virginit. cap.* 21. 22. 24.

WHITAKERVS.

85 Nobis cum Iouiniano nihil eſt negotij. Cùm enim dicimus expetendum eſſe propter moleſtias cœlibatũ, non id affirmamus, vt tu ineptè ſomnias, nihil aliud nobis proponi debere, quàm vt noſmet ipſos iſtis communibus moleſtijs liberemus, & iucundam inter homines vitam tranſigamus, ſed vt Deo meliùs & cõmodiùs ſeruiamus, & quemadmodum Apoſtolus loquitur, *vt decenter, & aptè adhæreſcamus Domino abſque vlla diſtractione.* Qui enim ob illam duntaxat cauſam cœlibes eſſe volunt, vt hoc modo ſecuriùs atque hilariùs viuant, nec curis ſolicitis diſtrahantur, hi maximam cum Iouiniano reprehenſionem merentur, atque hos Auguſtinus rectiſſimè refutauit. Eſt enim virginitas non propter has humanas commoditates amplectẽda, ſed multò magis propter illas, quas habet, ſummas ſanctimoniæ ac religionis opportunitates, ſi quis ea ſanctè & religioſè vtatur.

1. Cor. 7. 35.

DV-

DVRAEVS, Fol. 292. &c.

Apud vos(*inquis*) virginitas ornata est, matrimonium abiectum.*Sequeris & hîc Iouiniani vestigia. Quomodo verò matrimonium, quod adeo sanctum esse volumus, vt etiam sacramentum sit,abiectum esse nobis potest? Illud præterire non possum quòd tam perfricta fronte Paulum virginitatem dissuasisse asseris, cùm ille & eximias nobis virginitatis laudes,& quàm graues sæpe molestias coniugium afferre soleat disertis verbis non alio fine expres-* 1.*Cor*.7.
serit, quàm vt virginitatem quibus posset modis persuaderet? Augustin.de sanct.virginit.cap. 27.*&* 28.

WHITAKERVS.

86 Quàm præclarè atq; honorificè de matrimonio sentiatis, nulli nesciunt. Nam qui eo vtũtur,pro impuris à vobis habentur,eamq; ob causã à sacris & sacramentis arcentur. Quid Innocentius pontifex & Syricius contra matrimonij dignitatem scripserint, in Canonicis decretis extat ad perpetuam vestri de matrimonio iudicij memoriam.Sed me hîc pulchro argumento refellis: *Vobis matrimonium adeo sanctum est, vt sit etiam sacramentum.*Quasi ego refellar,si vos vobis non constatis. Quid enim magis absurdum à vobis fingi potuit, quàm pro sacramento matrimonium ducere, cuius actu non modò nos minimè fieri sanctiores, sed etiam multò inquinatiores doceatis ? Olim autem non fuisse pro sacramento habitum magno iudicio esse potest, quod id nunquam Iouinianus obiecerit. Nam si matrimonium est sacramentum, & virginitas non est sacramentum, quid impedit, quo minùs sanctius sit virginitate matrimonium? Equidem

Hieronymum Iouinianus vehementiùs perpulisset, si illo tempore ecclesia matrimonium pro sacramento habuisset. De Paulo satis iam multa respōdimus. Laudat ille quidem virginitatem, sed veram non fictam: deinde non per se, sed propter aliud, quia multa affert ad pietatem adiumenta. Matrimonium verò non modo *indulget*, vt tu existimas, sed etiam præcipit ijs, qui casti esse sine matrimonio nequeunt. Si enim castitas omni homini mandatur, illis certè matrimonium imperari constat, qui aliter non possunt castitatem colere. Qui enim finem præcipit, ea etiam præcipit, quæ necessario ad finem pertinent. Itaq; Paulus ait, γαμησάτωσαν, id est, qui non continent, ne putent sibi liberum esse vt matrimonium vel contrahant, vel non, sed omnino contrahant. Contumelias hoc loco tuas prætermitto, quas ipse etiā si modestus fuisses, prætermittendas potiùs putauisses. Augustinus, fateor, multus est in prædicandis sanctæ virginitatis laudibus. Et quis sanctam virginitatem vituperet?

1. Cor. 7. 9.

DVRAES, Fol. 294.

Iam quod reliquum est sentinæ huius vestræ exhauriamus, Quāto scelератior es, tanto vicinior gratiæ es. *An non igitur tibi diabolus ipse vel maximè vicinus gratiæ videtur?* Nihil aliud (*inquis*) voluit Lutherus, quàm si verè scelerum pœniteat, fore vt eum vberior gratia complectatur? *Vbi quæso didicisti sceleratum vocare hominem, qui scelerum suorum pœnitentia ducitur?*

WHITAKERVS.

87 Valde quidem improbum esse oportet, qui isto

iſto modo diſputet. Lutherus ſolicitas conſcientias, & ſcelerum ſuorũ magnitudine perturbatas conſolari voluit ſpe diuinæ miſericordiæ, quæ quanto fueris antè nequior, ſi nunc ad dominum verè conuerteris, tibi vberior impartietur. Nam vt Apoſtolus ait, *Vbi abundauit peccatum, ſuperabundauit gratia.* Rom.5.20. Atque hoc in ipſo Apoſtolo illuſtriſſimum fuit. Cùm enim maximè fureret odio Chriſti, atque Euangelij opprimendi cupiditate, tum ſubitò receptus eſt in gratiam. Qui verò perſiſtunt in flagitijs, ij quidem indies longiùs à diuina gratia remouentur. *At vbi* (inquis) *didiciſti ſceleratum vocare hominem, qui ſcelerum ſuorum pœnitentia ducitur?* Dignum Duræo ſophiſma. Sed quid ais nunc tandem? Tu oblitus es ſacramentum dici à tuis panem, quia fuit panis? Quid ni ergo ſceleratus dici poſſit, qui fuit ſceleratus, etſi non ſit? Cùm Chriſtus ait, *gaudium in cælo fore* Luc.15.7. *ſuper vno peccatore reſipiſcente*, quære quis illum docuerit peccatorem vocare, qui reſipiſcat. Et cùm iubet venire ad ipſum, qui fatigati ſunt, re- Matt.11.28 ſponde non poſſe venire, qui iam fatigantur. Cur non cum Apoſtolo litigas, cùm ſcribit impium à Rom.4.5. Deo iuſtificari? Qui enim impius eſt, non iuſtificatur. Et quis quæſo vocat ſceleratum, quem ſcelerum pœnitet? Nũ enim qui dicit hominem ſceleratum vicinum eſſe gratiæ, ſi illum vitæ anteactæ pœnitebit, is hominẽ vera pœnitentia præditum vocat ſceleratum? En quò te ieiuna malitia abiecerit.

DVRAEVS, Fol. 295.

Aliud ſequitur Lutheri paradoxum: Omnes actiones bonę

sunt peccata, Deo iudice mortifera, Deo propitio leuiuscula.
1. Cor. 7. *Tu verò*, dixit (*inquis*) hoc Lutherus & verè dixit. *Nō verè er-*
2. Petr. 1. *go dixit Paulus*, Si acceperis vxorem non peccasti. *Non ve-*
rè Petrus, Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.
Non verè Ioannes, In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat o-
pera diaboli, *si nullum opus sit, quod peccatum non sit. Neque*
rectè Paulus opera bona cum argento, auro, & lapidibus pretio-
sis comparauit: ad extremum non rectè nos prophetæ, non Aposto-
li ad bona opera hortati fuissent. Dicite Caluiniani, si actiones quan-
tumuis bonę peccata sunt, an nondum fide vos iustificari creditis,
ipsi peccatis? Nam fides opus est, cùm Christus dicat, hoc est opus Dei
vt credatis.

WHITAKERVS.

88 Actiones nostras quantumuis bonas ali-
quo vitio laborare nulli dubium esse potest, qui
vel scripturas nouerit, vel seipsum. Esaias ait,
Esai. 64. 10. *Facti sumus immundi omnes nos: & quasi panniculus*
menstruatæ omnes iustitiæ nostræ. Si omnes nostræ
actiones iustæ sordido & fœdo panniculo simi-
les sunt, aliquo certè vitio polluuntur. Propheta
Dauid Dei iustum iudicium deprecatur, Deum-
Psal. 143. 2. que orat ne illum in iudicium vocet, *quia nullus*
homo coram illo iustificari potest. Nullum ergo o-
pus quantumuis bonum nos à Dei iusto iudicio
liberare potest. Atque hoc est quod Paulus ait,
Gal. 5. 17. carnem perpetuò aduersus spiritum concupisce-
Rom. 7. 21. re: & volentibus nobis facere bonum, *malum ad-*
iacere. Dominus enim præcipit, non tantùm vt
bona sint quæ facimus, sed vt eadem etiam in-
tegro & perfecto studio faciamus, nec vel leuis-
sima lateat in cordis nostri recessu cogitatio ab
illius voluntate aliena. Prodeat, si quis id verè
potest de suis factis affirmare. Nam templa extru-

ere,

ere, vias publicas ſternere, multos aquarum riuulos in ciuitatem deducere, crebras eleemoſynas conferre, captiuos redimere, ſæpe ieiunare, & quæ ſunt huiuſmodi, pulchra quidem & præclara meritò cenſentur, ſed tamen ſi ad regulam diuinæ iuſtitiæ exigantur, non poſſunt illius iudicij ſeueritatem ſuſtinere. Iobus ait, *Verè ſcio, quòd non iuſtificetur homo compoſitus Deo.* In quem locum ſic Gregorius ſcribit, *Sanctus vir quia omne virtutis noſtræ meritum eſſe vitium conſpicit: ſi ab interno iudicio diſtrictè iudicetur, rectè ſubiungit, Si voluerit &c.* Vitia vocat Gregorius merita virtutum noſtrarum, hoc eſt, noſtra opera præſtantiſſima. Deinde Iobus ait, *Si habuero quippiam iuſtum, non reſpondebo: ſed meum iudicem deprecabor.* Vbi ſic iterum Gregorius, *vt enim ſæpe diximus, Omnis humana iuſtitia, iniuſtitia eſſe conuincitur, ſi diſtrictè iudicetur.* Qui iuſtitiam noſtram vocat iniuſtitiam, quid aliud dicit, quàm quod Lutherus docuit, hærere in omni opere bono aliquid vitij? Hoc ergo Lutherus ex ſcripturis, & ſanctis patribus παράδοξον didicit.

Iob. 9.

Greg. Moral. lib. 9. cap. 1.

Cap. 14.

Sed nunc ad tuas ratiunculas accedamus. Paulus ait, *ſi acceperis vxorem, non peccaſti.* Tu verò peccas in fallacia accidentis. Nam ducere vxorem non eſt peccatum, ſed qui vxores ducũt, aliquid mali admiſcent in bona actione. Et iterum peccas in Petro παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως: *ſtudete,* inquit, *vocationem & electionem veſtram firmam facere: hæc enim ſi feceritis*, οὐ μὴ πταίσητε ποτέ, id eſt, nunquam ſic impingetis, vt penitus à gratia & ſalute excidatis. Sed *non venit*

1. Cor. 7. 28.

2. Pet. 1. 10.

(inquis)

(inquis) *Christus vt opera diaboli dissolueret, si nullum opus sit, quod peccatum non sit.* Non id dicimus opera bona esse peccata, sed habere aliquid adiunctum & admixtum peccati. Non enim sequitur argentum esse scoriam, quia argento admixta est scoria. Et apparuit Christus non vt nullum in sanctis, dum hîc viuunt, peccatum relinqueret,
1.Ioan.3.8. sed vt peccati reatum tolleret. Quid si verò Paulus opera bona argento, & auro, & lapidibus preciosis comparauit? An nescis in metallis & lapidibus posse aliquid minùs purum reperiri? Sed sanam doctrinam Apostolus his rebus comparat, qua quidem nihil excellentius cogitari potest, si seruatur integra & incorrupta. Prophetæ verò & Apostoli rectè nos ad bona opera hor-
1.Cor.3.12. tantur. Sed si illi nos iubent facere nostrum officium, an sequitur nos nihil peccare in officio faciendo? Quod postremò Caluinianos de fide interrogas, tuam in eo summam prodis imperitiam. Non enim fide nosmet dicimus, vt actione nostra, iustificari, est enim imperfecta: sed fides iustificat, quia Christum, vt manus, amplexa tenet. Fidem autem Christus opus dixit, vel μιμητικῶς,
Ioan.6.29. vel quia opus est spiritus sancti, qui illam in animis nostris accendit. Sic tu scripturis nostra pulchrè redarguis paradoxa.

DVRAEVS, Fol. 295.

Sed in omni actione *(inquis)* quantumuis excellente aliquid inest quod ipsam actionem penitus corrumpat, Deóque odiosam reddat. *Nulla ergo actio vel excellens vel bona*

bona esse vnquam potest. Pulchrè Dionysius, bonum esse ex integra causa.

WHITAKERVS.

89 Nisi interruptus à te cursus orationis meę fuisset, nullum istis captiunculis locum reliquisset. Adiunxi enim his quæ tu recitas, *Si quod agitur, diuinæ iustitiæ statera examinetur*. Id autem dici verissimè, iam satis exposui: sunt autem bonæ & excellentes actiones sanctorum, non quòd prorsus omni labe peccati careant, vt nihil in eo genere perfectius esse possit, sed quòd à pio, licèt imbecilli diuinæ legis studio & fide proficiscantur. Quicquid autem inest vitij, ignoscitur. Quis autem erit tam iniquus rerum æstimator, vt si quid sit in toto corpore quod emendari possit, nullam omnino reliquam esse sanitatem affirmet? Dionysius de integro bono loquitur, cuiusmodi nullum est in hac vita nostrum. Dum enim caro cum spiritu conflictatur, nunquam possunt bona ex integris causis prouenire.

DVRAEVS, Fol. 296.

Confirmas tamen paradoxum hoc. Nam postquam Deus nos totos in Christo complexus est, quæ sunt in nobis inchoata, maculisq; nonnullis conspersa, ei tamen placent, vt integra ac pura. Quid hic monstri audio? peccata iam etiam placere Deo possunt?

WHITAKERVS.

90 Nihil indocto sophista importunius. Quid enim

enim ineptius disputari potuit, quàm peccata Deo placere, quia sanctorum virtutes Deo placent, etsi aliquo vitio aspersæ? Ita nullum inter rei vitium & rem ipsam discrimen statuis? Bonus parens obedientiam & pietatem liberorum amat, quam tamen minimè esse tantam nouit, quanta esse debuerit. Quantò magis Deus suorum conatus, quamuis exiguos, suscipiat, ac remuneret? Nulli ergo dubium est quin nostris operibus, si bona fuerint, Deus maximam mercedem & promittat, & persoluat. Sed illa merces ex Dei benignitate & paterno amore, non ex operum dignitate metienda est.

DVRAEVS, Fol. 297.

Luc. 18. Decalogus nihil ad Christianos. *Paradoxum profectò Lutheri ingenio dignum. Quomodo ergo Christus quærenti quid faciendo vitam æternam possideret, respondit,* Serua mandata. *Quòd si nihil ad Christianos Decalogus, neque fures sanè, neque adulteri omnino peccabunt. Si Decalogus abrogatur, non magis qui Decalogum non seruat delinquet, quàm qui ex Mosaicæ legis præscripto minimè Deo sacrificat.*

WHITAKERVS.

91 Noli verò Duræe illas tui pectoris angustias cum Diuino Lutheri ingenio comparare. Est hic articulus Luthero certè, vt dicis, dignissimus, quia summam veritatem, & consolationem continet. Si enim eo modo decalogus ad nos pertineret, quo Lutherus non pertinere affirmat, nulla nobis spes salutis relinqueretur, nec omnino

Chri-

Christiani essemus. Decalogus nobis iustitiæ formam proponit, vitam promittens, si totam legem seruamus, exitium denuntians, si ab illa vel tantulum aberramus. Sic ex Mose Apostolus ad Galatas docet, *Qui fecerit ea homo, viuet in ipsis. Execrabilis verò quisquis non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius, vt faciat ea.* Lutherus ergo Decalogum, id est, hanc Decalogi vel obedientiæ præstandæ, vel execrationis subeundæ conditionem nihil ad nos pertinere verissimè scribit, quia Christus hanc conditionem sustulit. Sic enim mox Apostolus subiungit, *Christus nos redemit ab execratione legis*. Atque alio loco, *Non estis sub lege, sed sub gratia.* Et rursus, *Nunc liberi sumus à lege.* Eodem spectat, quod iterum Apostolus ait, *Ego per legem legi mortuus sum.* Et quod in eadem Epistola sequitur, *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Tam multis varijsque sententijs Apostolus non aliud docuit, quàm quod Lutherus sensit, quando Decalogum non pertinere ad Christianos affirmauit. Non hi iam belli sophistæ sunt, qui sic Lutherum interpretantur, quasi nihil prorsus ad nos pertinere Decalogum statuisset? At cur Apostolum non accusant? Nempe per Lutheri latera Apostolo vulnus infligunt.

Galat. 3. 12. & 10. *Gal. 3. 13.* *Rom. 6. 14.* *Rom. 7. 6.* *Gal. 2. 19.* *Gal. 5. 18.*

Quod autem adolescenti Christus respondit, id ipsum vobis dictum existimate, Ex lege iustitiam quæritis, legē igitur seruate, si vultis ad vitam ingredi. Verùm hinc nullus ad ingrediendū aditus patet. Sed quorsū doces, quod nemo dubitat? Lex enim pertinet ad Christianos, nec id

Mat. 19. 17.

vnquam

vnquam Lutherus negauit. Nam illa iustitia legis est immortalis, & quisque debet totis viribus eniti, vt quàm proximè ad legis præscriptum viuat. Sed aliud est obligari lege, aliud ad legis normam informare & exigere vitam. Fures ergo peccant, & iure plectuntur, multoq; magis, qui ceremonias penitus abrogatas reuocant.

DVRAEVS, Fol. 297.

Sed decalogus (*inquis*) conditio dura est, & cui nunquam possit ab homine satisfieri. *Alia ergo est Christi ac Apostolorum doctrina, alia Caluini. Christus* iugum suum suaue esse
Mat. 11. ac onus leue. *Et Ioannes,* qui dicit se nosse Deum, & mandata
1. *Ioan.* 2. eius non custodit, mendax est. *Quantò rectiùs Hieronymus,* Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo preceptum esse. *Ad Damas. Et August. de natur. & grat. c.* 43. Non igitur Deus impossibilia iubet. *Et de Grat. & lib. arbit. c.* 16. Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt, non iuberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri: quis hoc nesciat?

VVHITAKERVS.

92 Legis ea conditio est, vt qui perfectam legis obedientiam præstiterit, viuat, qui non præstiterit, pereat: quæ num dura sit, nécne, facilè existimare licet. Quis enim non legem sæpius violauit, etiam qui legi diligentissimè seruiuit? Quid ergo superest, nisi vt pœnas perpetuas luat, si ex lege iustitiam sperat? At priora (inquies) malefacta subsequẽtibus meritis redimet ac cõpensabit. Verùm id fieri nullo modo potest. Nam re debita nihil redimi aut compensari potest: at

noſtra opera bona legi debentur, quantacunque tandem fuerint. Deinde malefacta noſtra nullis omnino poſſunt benefactis exæquari. Nam in peccatis maior eſt auerſio à Deo, quàm in virtutibus conuerſio ad Deum. Sed hanc rem ſcripturæ expediunt. Petrus ſic de diuina lege loquitur, *Cur tentatis Deum impoſito iugo ſeruici diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus?* Paulus ait, *Quod impoſſibile fuit legi: in quo infirmabatur per carnem*. Iacobus ait, *In multis labimur omnes. Qui verò in vno labitur, factus eſt reus omnium.* Chriſtus etiam ſanctos orare docuit, *Remitte nobis peccata noſtra*. Intelligentia carnis *Legi Dei non ſubijcitur: nam ne poteſt quidem*. In quouis autem ſancto remanet aliquid carnis, quod legi reſiſtit: nullus igitur quamtumuis ſanctus huic legis conditioni ſatisfacere poteſt.

Act.15.10. Rom.8.3. Iacob.3.2. & 2.10. Luc.11.4. Rom.8.7.

Quòd autem Chriſtus ait, *Iugum meum leue eſt*, id Ioannes Apoſtolus explicat, cùm inquit, *Madata eius grauia non ſunt, quia omne quod genitum eſt ex Deo vincit mundum: & hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra*. Hoc ergo iugum ijs, qui fide præditi ſunt, non videtur graue aut moleſtum, quia diuinæ legis amore flagrant, nec eius execrationem metuunt, cùm ſint per fidem inſiti in Chriſtum. Cuſtodire verò mandata Dei debemus omnes, & qui non cuſtodit, tamen ſe noſce Deum affirmat, mendax eſt. Cuſtodire enim dicuntur, qui dant operam vt cuſtodiant. Si quis autem ſic cuſtodire ſe mādata exiſtimat, vt peccato omni careat, id eſt

Math.11.30. 1.Iohn.5.3.4.

mandatis perfectè obtemperet, eum Ioannes
1.Iohn.8. mendacem vocat. Nunc ad patres venio. Et pri-
mùm Hieronymus iste ψευδώνυμος est: itaq; dimit-
tendus. Augustinus verò quibusdam in locis fa-
tetur quidem legem non esse *impossibilem* prop-
ter Pelagianos, qui Dei potentiam vrgebant.
Sed quid sibi vellet Augustinus perspicuè de-
clarauit multis in locis, suamque mentem expo-
suit, nempe tribui renatis in hac vita studiũ ser-
uandi mandata, & si quid minùs seruatur, ignos-
ci. Sic ad Bonifacium scribit, & apertiùs alibi,
Augustin.ad Boniface lib.3.c.7. *Omnia mandata Dei facta deputantur, quando quic-
quid non fit ignoscitur.* Vel etiam quia perficienda
sunt à nobis aliquando, quemadmodum in alio
Retract.lib. 1.c.19. libro scripsit. Nihil ergo minùs voluit Augusti-
nus, quàm legem à nobis in hac vita penitus im-
Ad Valerium, lib.1.c. 29. pleri posse: id quod multis in locis apertè indica-
uit. Nam illi præcepto, quo iubemur Deum dili-
gere toto corde totaque anima: atque etiam illi,
quo concupiscentia prohibetur à nemine in hac
vita satisfieri posse disertissimè scribit, c. 39. de
spiritu & litera. lib. 3. ad Bonifacium. c. 7. Alio in
De peccat. merit. & remiss. li.2. c.7. loco sic habet, *Profectò qui de die in diem adhuc re-
nouatur, nondum totus est renouatus: & in quantũ
nondum est renouatus, in tantum adhuc in vetusta-
te est.* Iterum Augustinus, *væ etiam laudabili ho-*
August. Confess. li.5. c.13. *minum vitæ, si remota misericordia discutias eam.* Et
Epist.62. sic ad Hieronymum scribit, *Charitas quæ non po-
test augeri, quamdiu hîc homo viuit est in nemine:
quamdiu autem augeri potest, profectò illud quod mi-
nus est quàm debet, ex vitio est. Ex quo vitio non est
iustus in terra, qui faciat bonum & non peccet.* Am-
brosius

brosius habet, *Tanta mandata sunt, vt impossibile sit seruari ea.* Et Hieronymus, *Quoniam autem nemo possit explere legẽ, & cuncta facere, quæ iussa sunt, & alibi testatur Apostolus dicens, Quod enim erat impossibile legis &c.* Chrysostomus ait, οὐδεὶς αὐτὸν ἐπλήρωσε, *Nullus legem impleuit.* Bernardus ait, *Quomodo ergo iubenda fuit, quæ implenda nullo modo erat? Aut si placet tibi magis de affectuali datum est mandatũ, non inde contendo, dummodo acquiescas & tu mihi, quod minimè in ista vita ab aliquo hominum possit, vel potuerit adimpleri.* Denique Thomas apertè scribit, ne plures commemoremus; *Implere totam legem est impossibile.* Nihil ergo hîc aliud Caluinus docuit, quàm quod scripturæ, multique patres tradiderunt.

Ambros. Gal 3. Hierom. in Gal. 3. Chrysost. in Gal 2. Bernard. in Cantic. sermon. 50. Thom. in Gal 3. Lect. 4.

DVRAEVS, Fol. 298.

At maledictum pronunciat Moses eum, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis vt faciat ea. *Moses execrationem illam non ad minima quæque legis præcepta retulit, sed ad ea tantùm, quæ ipse illo loco enumerat: quæ non leuia certè peccata, sed grauissima erant flagitia.*

WHITAKERVS.

93 Ex hoc loco perspicere licet quales sint interpretes scripturarum Iesuitę, cùm legis grauissimam sententiam tam miserè & periculosè corrumpant. Lex enim maledictos pronunciat, qui non perfecerint omnia quę pręscripta & pręcepta sunt in lege: quod isti non nisi de maximis flagitijs intelligunt. Dummodo igitur non

Deut. 27. 26

ſis idololatra, aut homicida, aut coinquinatus infanda libidine, aut reus maximorum criminum, quorum Moſes ſuprà meminit, hi te maledictionis metu liberant. Non eſt neceſſe multis opinionem vaniſſimam refellere. Si enim illa execrationis horrendæ ſententia ad eos duntaxat pertinet quorum ſcelera hoc in loco Moſes nominatim commemorauit, quid de blaſphemis, adulteris, alijſque multis facinoroſiſſimis hominibus ſentiemus, de quibus hîc nulla mentio reperitur? An arbitraris iſtos, quia non nominantur, ab execratione liberari? Id cùm ſit impium & abſurdum, perſpicuum eſt illam ſententiam non modò de ijs interpretandam eſſe qui nominatim execrabiles pronunciantur, ſed de vniuerſis etiam alijs, quicunque legem diuinam violarint. Cùm enim ſolennes execrationes in quædam genera hominum flagitioſorum ſeparatim editæ fuiſſent, ad extremum execrationi deuouentur non hi aut illi, ſed quicunque legis verba non præſtiterint, ac perfecerint. Atque ita Moſem Paulus interpretatur, qui proculdubio prophetæ mentem multò meliùs, quàm noſtri ſophiſtæ intellexit. Galatas enim de iuſtitia legis inſtituens, hoc prophetæ teſtimonio probat nullum ex operibus legis iuſtificari, niſi qui legis omnibus præceptis paruerit, quia lex execrabiles eſſe declarat omnes, qui
Gal. 3. 10. non permanſerint in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, vt faciat ea. Aut ergo nega vllam fuiſſe de minimis peccatis legem conſcriptã, aut etiam minimis execrationem deberi confitere.

Atque

Atque ita in eadem Epistola Apostolus testatur eum qui circumciditur, debitorem esse totius legis seruandæ. Quare nihil omnino in lege præscribitur, quod sine execratione prætermitti potest, & nullum tam exiguum peccatum est, quod nos in æternam execrationem non coniecisset, nisi Christus illam in se execrationem suscepisset, eaque nos liberasset. Si verò Apostolus sensisset, vt tu fingis, grauiora duntaxat crimina his verbis damnari, nullo argumento Galatas refellisset. Respondere enim Paulo Galatæ potuissent, se esse ab illis flagitijs, ac proinde ab illa execratione alienos: posse ergo ex lege iustitiam sperare. Ita dum pontificijs commentis consulere conaris, neruos Apostolicę disputationi incidis. Si nondum vides, quod est manifestum, aspice quod mox Apostolus subiungit, *Christus nos redemit ab execratione legis.* Num verò nos Christus ab illa solummodo execratione liberauit, quæ paucis illis flagitijs denunciatur? Si patrum iudicia requiris, Ambrosij hæc verba sunt, *Hoc scriptum est in Deuteronomio, quia si quid legis præterijsset aliquis, maledictus haberetur.* Sic Chrysostomus, *Testimonio vtrumque confirmat breuiter, tum quòd legem nullus impleuerit, ac proinde maledicti fuerint, tum quòd fides iustificet.* Eusebius valde perspicuus est, *Præsertim* (inquit) *cùm nullam veniam tribuat ijs, qui transgrediuntur præscripta, sed execrationem omnibus infert, qui non omnia seruarint.* Quid verò aliud Thomas scripsit, cùm illa verba, *qui non permãserit*

Gal. 5. 3.

Gal. 3. 13.

Ambros. in Gal. 3.

Chrysost in Gal. 3.

Euseb. lib. 1. Demonstr. Euangel. ἀρὰν κατὰ πάντων τῶν μὴ τὰ πάντα τηρούντων ἐπάγει.

Thom. in Gal. 3.

rit in omnibus, sic ex Glossa interpretatur, *Qui non impleuerit totam legem* ? Nunc opinor sentis commentitiæ huius interpretationis, quam te tui magistri docuerunt, turpissimum errorem, ac flagitium.

DVRAEVS, Fol. 298.

Sed quomodo (*inquis*) Paulus ait, quicunque sub operibus legis sunt, sub maledicto sunt, si nos legem hanc explēdo maledictionem possumus euitare? *Dicam vno verbo, quia non ex lege, sed ex gratia Christi legem implemus. Per gratiam vires accipimus, quibus legem impleamus. Atque hoc sibi Paulum voluisse disertissima ipsius verba testantur.* Lex (*inquit*) spiritus vitæ Christi Iesu liberauit me à lege peccati & mortis. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudine carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum.

Rom 8.

WHITAKERVS.

94 Iterum vt tuam opinionem comprobes, Apostoli argumentum diluis. Nescis enim Apostolo rem fuisse cum Galatis, qui Christo nomen dederant, eiusque gratiam amplexi fuerant? Quis ergo cōtrouersiæ status fuit? possentne sine gratia legem implere? Nequaquam. Id enim Galatis nunquam venire in mentem potuit. Putabant ergo sibi necessarium esse, vt legis opera cum fide coniungerent, & quicquid illis ad iustitiam defuit, ex lege sumerent: se verò gratia Christi preditos legem implere posse sperabant. Si verò id præstare potuissent, immeritò fuissent ab

ab Apostolo reprehensi. Ita enim illos fuisse insanos existimas, vt aliter impleri legem, quàm Christi gratia crederent? Hos tamen Paulus hoc animo legem præstare cupientes, in legis execrationem incurrere testatur: quam vos nunquam, si rectè Paulus Galatas docuit, effugietis. Dum enim vos gratia fretos posse legem implere, & propter fidem simul & opera beatos fore confiditis, eundem prorsus errorem defenditis, quem in Galatis Apostolus damnauit, id quod ex ipso etiam Thoma intelligere potuisti. *Quia dixerat* (inquit) *quòd qui ex fide sunt, benedicentur, cùm sint filij Abrahæ, posset quis dicere, quòd propter opera legis & propter fidem benedicuntur, & ideo hoc excludens dicit, Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.* Thom. in Gal. 3.
At quid Apostoli argumento respondebis, quod sequitur de Abrahamo? Pactum cum illo Dominus de gratuita iustificatione pepigit: *Abrahæ verò* (inquit Apostolus) *per promissionem gratis donauit Deus hæreditatem*. Hanc enim promissionem fuisse gratuitam constat, quia legi opponitur, quæ promissiones etiam habuit, sed non gratuitas. Cùm ergo tale pactum cum Abrahamo Deus inierit, sequitur illum nullo modo fuisse ex legis operibus iustum, quia pacta non possunt mutari aut infringi nouis conditionibus: lex autem eo pacto multis seculis posterior fuit. Non negabis Abrahamum eximia gratia donatum fuisse. Num verò hanc gratiam accepit, vt legem impleret? At lex post quadringentos triginta demum an- Gala. 3. 18. Gala. 3. 15. 16. 17.

nos extitit, vt Apoſtolus argumentatur: nullis ergo legis operibus, ſed ſola Dei gratuita promiſſione per fidem apprehenſa iuſtificatus fuit Abrahamus. Hic quicquid excogitaris, nunquam profectò effugeris, quin eadem ſit cauſa veſtra, quæ fuit Galatarum, & vel nihil Apoſtolus omnino, vel contra vos disertè concluſerit. Quod ex alio Apoſtoli loco affers, nihil minùs euincit, quàm quod tu ſuſpicaris. Iuſtificatio legis in nobis impletur, quando in Chriſto ſumus, vt priùs Apoſtolus loquitur, id eſt, Chriſti iuſtitia nobis imputatur. Nullis autem imputatur, niſi qui ſecundùm ſpiritum ambulant. Non enim Apoſtolus affirmat iuſtificationem legis à nobis impleri, ſed in nobis: nec quia incedimus ſecundùm ſpiritum, vt hæc cauſa ſit, ſed vt hoc teſtimonio & iudicio intelligamus nos eſſe in Chriſto, & legis iuſtificationem in nobis impleri, qui ſecundùm ſpiritum incedimus.

Rom. 8.4.

DVRAEVS, Fol. 298.

Sed nouam adhuc Theologiam audiamus. Liberamur (*inquis*) execratione legis, non obedientia. *Si legis obedientia Chriſtiani teneantur, cui te iudice obedire non poſſunt, quomodo obſecro legis execratione liberantur? Nam Chriſtus in eos qui legi non obedierunt maledictionis ſententiam in illa die pronunciabit. Liberamur à legis execratione: Nam Chriſtus (vt Paulus ait) de maledicto nos redemit, quia ſua nos morte gratiam, qua legem ſeruemus, promeruit.*

WHI-

WHITAKERVS.

95 Quàm exiguos feceris in Theologia progreſſus, hę tuæ tam imperitæ interrogationes & diſputationes oſtendunt. Quis enim neſcit Chriſtum nos ab execratione legis liberare, cùm id Apoſtolus tam perſpicuè doceat? Etſi ergo non poſſumus legi omni ex parte obedire, quia tamen inſiti in Chriſtum ſumus, & ille ſuam nobis iuſtitiam communicauit, execrationem in lege propoſitam effugiemus. Mirum autem non eſt ſi Chriſtus in reprobos execrationis ſententiam pronunciabit, qui nunquam fuerint ab illa execratione liberati. Quæ verò te Theologia docuit, Chriſtum nos redemiſſe de legis maledicto, quia ſua morte gratiam promeruit, qua legem ſeruaremus? Hanc profectò Apoſtolus Theologiam ignorauit. Tum enim quid ni Galatæ legem ſeruarent, atque ex legis obſeruatione iuſtitiam compararent? Longè autem meliùs & diuiniùs Apoſtolus, quàm noſtri Ieſuitæ. Nos enim Chriſtus ab execratione legis redemit, vt Apoſtolus tradit, quia factus ipſe eſt pro nobis execratio, id eſt, non quia nobis gratiam, qua legem ſeruemus promeruit, ſed quia culpam pœnamque noſtram in ſe tranſtulit. Atque hæc vera eſt iuſtitiæ ratio, quæ nos iuſtos eſſe oſtendit, non quia multis virtutibus & meritis abundamus, ſed quia Chriſtus execrationem pro nobis ſubijt, & quia peccata noſtra à

Gal. 3. 13.

nobis in Christum deriuantur.

DVRAEVS. Fol.299.

Christus conditionem (*inquis*) nobis aliam multò faciliorem proponit, Crede & saluus eris: hoc nouo fœdere vetus abrogatur, vt quisquis Euangelio crediderit, legis conditione soluatur. *Si abrogatur, quomodo non eius obedientia liberamur? Si nihil à vobis aliud, quàm vt credatis, Deus exigit, legem profectò impletis, in cuius obseruatione cùm vera hominis Christiani iustitia consistat, non iam imputatiua, sed inhærente iustitia iusti eritis. Non Christus apud Marcum ait*, Crede & saluus eris, *sed*, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit? *At qui baptizantur, totius illi quidem Decalogi obseruandi bonam à Deo voluntatem acceperunt, quem & in posterum per Christi gratiam obseruare constituunt.*

WHITAKERVS.

96 Quis hoc quæreret, quod tu quæris, nisi qui nihil omnino attenderet, aut curaret? Decalogus abrogatur non ἁπλῶς, sed κατά τι: quare nô est necesse nos obedientia legis liberari, quia legis aliquod munus abrogatur. *Sed legem* (inquis) *implemus, si credimus, atque ita non imputatiua, sed inhærente iustitia iustificamur*. Monstra quidem loqueris. Si enim qui credunt, legem implent, quis meliorem quàm fidei iustitiam requirat? Quid ergo secunda opus erit iustitia? Fides verò non implet legem, quia legi perfectam obedientiam præstat, sed quia Christum finem legis Christique iustitiam amplectitur. Quare non inhæret hæc in nobis iustitia, vt tu fingis, sed imputa-

imputatur. Quis ferat Iesuitam tam minutè ac ieiunè differentem? Christi verò verba satis quidem confirmant, quod proposui. Nam baptismus non est legis opus, sed fidei sigillum. Cùm ergo Christus ait, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, seruabitur: qui verò non crediderit, condemnabitur:* sola fide nostram salutem contineri docet. Quanquam autem qui baptizantur, ad legis normam exigunt vitæ suæ rationem, & bona voluntate nouisque viribus donantur, id tamen eo animo nequaquam faciunt, vt iustitiam coram Domino ex hac obedientia acquirant. Tum enim fidei iustitiam prorsus amitterent, quæ non in nostris meritis ac benefactis consistit, sed eiusmodi est, qualis ab Apostolo describitur, *Ei qui non operatur, sed credit in eum, qui iustificat impium, imputatur fides sua pro iustitia.*

Marc.16.16

Rom.4.5.

DVRAEVS, Fol. 300.

Illud iam sequitur, Opera nostra Deus nequaquam curat. In nobis (*inquis*) iustificandis nullam omnino Dominus operum nostrorum ratione͂ habet. *In ijs qui verè iustificantur, magnam sanè operum rationem habet. Abraham enim ex operibus iustificatus fuit, & vt Ioannes ait,* Qui facit iustitiam, iustus est. *Et quid clarius, quàm quòd de Phinehes legimus, opus ipsi suum in iustitiam reputatum?* Scriptura (*inquis*) iustum ex fide viuere testatur. *Quis id negat? Non ideo quempiam Propheta iustum esse dicit, quia credit, sed fore, vt is qui iustus est, ex fide sua viuat, id est, sua se fide sustentet, neque despondeat animum. Aequè absurdum est aliena quempiam iustitia iustum esse atque aliena vita viuere.*

Iacob.2.
1.Ioan.3.
Psal.105.

WHITA-

WHITAKERVS.

97 Nihil minùs vnquam Lutherus ſenſit, quàm opera noſtra à Deo contemni. Nullum enim opus eſt cuiuſquam ſancti fide ſuſceptum, quod Deus non ampliſſimo pręmio remuneretur. Verùm in noſtra iuſtificatione non curantur aut ſpectantur opera, quia non propter opera noſtra, ſed propter Chriſti ſolius merita iuſtificamur. Sophiſticum eſt, quod aliquo modo dictum fuit, omnino & ſimpliciter interpretari. Sed hîc doces Deum in nobis iuſtificandis magnam habere operum rationem. Ad Iacobi & Ioannis teſtimonia ſuprà reſpondimus. Quòd Phinees extraordinarium de adulteris ſupplicium ſumpſit, id à fide profectum eſt: quare facti huius laus ad fidem referenda eſt. Thomas de hac re præclarè ſcribit, quem ſi tanti faceres, quanti videris, rectiùs nonnunquam ſentires. *Opera* (inquit) *non ſunt cauſa quòd aliquis ſit iuſtus apud Deum, ſed potiùs ſunt executiones & manifeſtationes iuſtitiæ*. Nihil Lutherus, nihil nos aliud docemus. Tuam verò prophetici teſtimonij expoſitionem admitterem, niſi Prophetæ mentē multò meliùs Apoſtolo, quàm tibi perſpectā fuiſſe exiſtimarē. Eo enim Apoſtolus vſus eſt, vt nos fide non operibus legis, ne quidem poſt fidem iuſtificari confirmaret. Sic enim argumentum inſtituit, *Nullū autem per legem iuſtificari apud Deum manifeſtum eſt, quia iuſtus ex fide viuet: lex autem non eſt ex fide*. Quid aliud Apoſtolus concluſit, quàm quod

Thom. in Gal. 3.

Abac. 2. 4.

Gal. 3. 11.

tu

tu dixisse negas Prophetam, quia credit fieri quemque iustum? Atq; ita Paulum Chrysostomus interpretatur, *Ostendit quòd fides iustificet testimonio Prophetæ Abacuk.* Nisi autem fides sola iustificet sine vllis operibus fidem subsequentibus, quid illa ratio ad Galatas spectasset, qui iam fide imbuti erant, & cum fide opera coniungebant? Si verò absurdum sit aliquem esse iustum iustitia aliena, velim me doceas, quemadmodum Scriptura Christum & execrationem & peccatum vocet. Nos cum spiritu sancto absurdi esse malumus, quàm tecum sapientes.

Chrysost. in Gal. 3.

DVRAEVS, Fol. 301.

Paradoxum aliud: Soli rectè participant cœna Dominica, qui tristes, afflictas, perturbatas, confusas, erraticas apportant conscientias. *Hoc tu quoque Lutheri paradoxum probas. Vbi est ergo fides illa vestra, quæ & certos vos de peccatorum remissione facit, & ancipites omnes cogitationum fluctus sedat? At Christi, Apostoli, & alij viri sancti, cùm seipsos, vt Paulus summa cura ac diligentia probassent, & quę Christus præscripsit, peccatorum remedia adhibuissent, nullius sibi sceleris conscij tranquillis animis accedebant. Primis illis temporibus non nisi post* exomologesin, *& plenam pro peccatis satisfactionem ad Eucharistiæ sacramentum lapsi admittebantur. Diaconus elata voce pronunciauit,* τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις.

WHITAKERVS.

98 De fide quod quæris non est opus iterum respondere. Nunquam tu fidem vel labris primoribus degustasti, si tristitiam omnem, & dolo-

dolorem, & ancipites cogitationes prorſus ex animo pelli exiſtimas, cùm primùm fides in nobis locum nacta fuerit. Quoties propheta ſuam triſtitiam commemorat? *Hæc recordans, ef-*
Pſal.42.5. *fundo in me animam meam. Quid deijcis te anima*
6.& 32.4. *mea, & perſtrepis in me? Interdiu & noctu grauis erat ſuper me manus tua: conuertebatur præſtantiſſimus humor meus in ſiccitates æſtiuas.* Atq; hoc fideles omnes in ſeipſis experiuntur, & tamen interim fide ſuſtentantur. Ad cœnam vero illi accedunt optimè præparati, qui maximos animo propter peccata dolores capiunt, & ſalutarem in verbo ac ſacramento huic ægritudini medicinam quærunt. Quorſum enim inſtituta à Chriſto cœna fuit, niſi vt fidem noſtram erigeret, ac confirmaret? Etſi ergo nulli rectè participant cœna, niſi qui ſe diligenter antè explorauerint, & aliquam ex fide tranquillitatem ſenſerint, hanc tamen tranquillitatem neceſſe eſt permiſtam eſſe cum multis tentationum & dolorum fluctibus. Ineptè autem veteris Eccleſiæ morem mihi hoc loco narras. Num enim impios ac profanos eſſe ſtatuis, quorum conſcientiæ triſtiſſimo peccatorum ſenſu & dolore conflictantur? Sic quidem ſanctiſſimos Dei ſeruos iniquo & profano iudicio condemnabis.

DVRAEVS, Fol. 302.

Sed huius paradoxi coronidem audiamus: Qui maximo (*inquis*) peccatorum ſuorum ſenſu & dolore afficiuntur, ijs ille

cibus cœleſtis ſẽper eſſe ſolet ſaluberrimus. *At vbi quæſo legiſti pœnitentiam ac dolorem propter peccata conſcientiam erraticam facere? Cùm hæc ſit triſtitia ſecundùm Deum, quæ pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.*

WHITAKERVS.

99 Dolor ex peccatis conceptus mentem agitat, & grauiter percellit, nec tantùm ad horulæ vnius momentum durat, ſed eſt interdum diuturnus. Quòd autem quæris vbi legerim pœnitentia & dolore erraticas conſcientias fieri, ſi Prophetæ Dauidis Pſalmum 38. attentè vnquam recitaſſes, id te quærere profectò puduiſſet. Quid enim illa ſibi volunt, *Non eſt pax in oſſibus meis propter peccatum meum*, & quæ in illo Pſalmo diuiniſſimè ſequuntur? Sed pulchrè nos ex Apoſtolo refellis, qui dicit triſtitiam ſecundùm Deum efficere pœnitentiam in ſalutem ſtabilem. Verùm non ſic loquitur Apoſtolus, vt tu illum loquentem introducis. Hæc Apoſtoli verba ſunt, *Triſtitia ſecundùm Deum pœnitentiam efficit ad ſalutem, cuius nunquam pœniteat:* quod num quæſo nullos ad cœnam dolores afferri probat? Quis verò negat hanc piorum triſtitiam exitus habere lætiſſimos, & hanc pœnitentiam eiuſmodi eſſe, vt illius nullum vnquam pœniteat? Sed tu planè ex eorum numero es, de quibus Paulus Timotheum monuit, *Qui non intelligunt, quæ loquantur, vel de quibus affirment.*

Pſal.38.4.

2.Cor.7.10.

μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον.

1.Tim.1.7.

D v-

DVRAEVS, Fol. 302. &c.

Confitenda sunt crimina cuilibet, *inquit Lutherus. Plurimùm sanè Lutherani tibi, homini præsertim Caluiniano debent, quòd tam strenuè Lutheri paradoxa defendas. Quis ignorat Nouatianos, quòd potestatem hanc penes sacerdotes esse negarent, ab vniuersa Ecclesia iam olim esse damnatos? Quis ignorat veterē hunc Ecclesiæ morem fuisse, quem Tertullianus describit, vt pœnitentes non nisi* præsbyteris aduoluerentur? *Hinc Ambrosius*, Potestas ligandi & soluendi solis sacerdotibus concessa est. *Hinc Hieronymus*, Claues regni cælorum, quibus peccata remittuntur, soli sacerdotes acceperunt. *Hinc Chrysostomus sacerdotum potestatem regiæ antecelle e dixit.*

Tertull. de pœnitentia. lib. 1.
De pœn. c. 2.
In 16. Mat.
Chrysost. lib. 3. de sacerdot.

WHITAKERVS.

100 Tibi verò parùm profectò Campianus debet, quòd eius vanissimas calumnias non iacêre potiùs, atq; intermori permiseris, quàm tua hac tam putida defensione redintegrare cœperis. Si enim nouæ Lutherus & inauditæ opinionis accusandus fuit, quòd peccata cuilibet confitenda esse dixerit, eiusdem criminis reus erit Iacobus Apostolus, qui cunctis Christianis præcepit, vt *confiterentur alij alijs peccata, & orarent alij pro alijs.* Doce nunc quid inter Lutheri sententiam, & Apostoli præceptum intersit, aut Lutherum Apostolus à vestro maledicto defendat. Quod de Nouatianis & antiquo Ecclesiæ more narras, Lutherum non attingit. Nouatiani nullum aut confessioni aut pœnitentiæ locum in Ecclesia reliquerunt: Lutherus quid vnquam simile docuit? Olim qui Ecclesiam publicè offenderant, pœnitentiam publicè testabantur ac declarabant, quem morem nunquam Lutherus impro-

Iacob. 5. 16.

improbauit. Non enim illam publicam peccato-
rum confeſſionem cum publicis Eccleſiæ preci-
bus coniunctam, ſed hanc priuatam reprehen-
dit, quando ſacrificis populus in aurem inſuſur-
rare cogitur, quicquid vnquam in vita admiſerit:
quod nullo vel ſcripturæ, vel ſyncerae antiquita-
tis teſtimonio nititur. Cæptum quidem olim eſt
tale aliquid in Eccleſia exerceri, ſed nulla verbi *Socrat. lib.*
diuini authoritate: itaq; hunc morem Nectarius *5. cap. 19.*
Epiſcopus Conſtantinopolitanus ex illa Eccle-
ſia penitus ſuſtulit propter Diaconi cuiuſdam
ſcelus. Hanc confeſſionem Chryſoſtomus mul-
tis in locis perſtringit: & Auguſtinus non valdè
probat: *Quid mihi* (inquit) *eſt cum hominibus,* *Auguſt. con-*
vt audiant confeſſiones meas, quaſi ipſi ſanaturi ſint *feſſ. li. 10. c. 3*
omnes languores meos? Curioſum genus ad cognoſcē-
dam vitam alienam, deſidioſum ad corrigendam ſu-
am. At claues (inquis) ſoli ſacerdoti commiſſæ
ſunt, idq; patrum quorundam verbis confirmas.
Auguſtinus verò longè aliter ſcribit, *Cùm Chri-* *Auguſt. in*
ſtus Petro diceret, tibi dabo claues regni cælorum, v- *Ioan. tract.*
niuerſam ſignificabat Eccleſiam. Et Theophylactus *124.*
has claues ſingulis Chriſtianis attribuit. *Si tu* (in- *Theophyl.*
quit) *qui iniuriam accepiſti, vt publicanum & Eth-* *in Mat. 18.*
nicum habes eum, qui te iniuria affecit, erit ille in
cælo etiam talis. Si verò ſolueris illum, id eſt, condo-
naueris, erit etiam illi in cælo condonatum. Non e- οὐ γὰρ μόνον
nim tantùm quæ ſoluunt ſacerdotes, ſunt ſoluta. ſed ὅσα λύουσιν οἱ
etiam quæ nos iniuria affecti vel ligamus, vel ſolui- ἱερεῖς εἰσὶ λε-
mus, ipſa erunt ligata vel ſoluta. Ita qui priua- λυμένα &c.
tim docent, monent, hortantur, ignoſcunt, ij
clauium poteſtatem exercent, etiamſi nullo

ſacerdotio fungantur. Cùm verò præcipuum clauium munus in verbi miniſterio conſiſtat, miniſtris traditæ claues dicuntur, quia ſoli miniſtri publicè docere poſſunt.

DVRAEVS, Fol. 303. &c.

Hoc aliud eſt Lutheri paradoxum, Quicunque te abſoluerit, ſiue ioco, ſiue ſeriò, modò credideris, abſolutus eris. *Quid apertiùs eſſe poteſt, quàm neminem ſacramentum conferre, qui illius conferendi, ne voluntatem quidem vllam habeat. Si quis equum tibi ſuum ioco dediſſet, num mox illum tuum eſſe diceres? Nos Whitakere credimus ſacerdotes tanquam iudices à peccatis reos abſoluere. Eleganter Hieronymus:* Abſit vt de his quicquam ſiniſtrum loquar, qui claues regni cælorum habentes quodammodo ante iudicij diem iudicant. *Et Chryſoſtomus ſacerdotum poteſtatem regia maiorem eſſe oſtendit, quòd hęc intra huius mundi ambitum contineatur, illa ad cælum ipſúmque ſupremi iudicis tribunal vſque pertingat. Stultum ac amentia plenum eſt, baptiſmi tantùm recordatione opus eſſe, vt Caluinus delirat, vt quæcunque poſtea peccata commiſimus, remittantur, cùm baptiſmo non futurorum, ſed præteritorum veniam peccatorum conſequamur. Quorſùm enim ad extremum vſque vitæ terminum baptiſmum tam multi diſtulerunt, ſi futura perinde ac pręterita peccata baptiſmo deleri exiſtimaſſent? Quid facturi ſunt infantes, qui baptizati ſint, an non, recordari haud quaquam poſſint.*

Hieron. ad Heliod.

Chryſoſt. lib. 3. de ſacer.

WHITAKERVS.

101 Cùm fides noſtra à nullo cuiuſquam alterius arbitrio pendeat, & fidem abſolutio ſemper conſequatur, nullius voluntas impedire poteſt, quò minùs, qui credunt, abſoluantur. Fiet enim nobis, non vt alij volunt, ſed ſicut ipſi nos credimus, quemadmodum Centurioni Chriſtus reſpon-

respondit, *Sicut credidisti, fiet tibi.* Si verò in ministri voluntate positus esset absolutionis fructus, non fieret, vt nos credimus, sed vt minister cogitauit, quo nihil stultius fingi aut existimari potest. Christus ait, *Si potes credere, omnia fieri possunt credenti: Qui credit in filium, habet vitam æternam*: Petrus ait, *Fide purificat corda nostra: remissionem accipiunt per nomen eius, omnes qui credunt in eum.* Paulus ait, *Promissionem spiritus accipimus per fidem.* Quæ omnia atque huiusmodi innumera alia scripturarum testimonia perspicuè declarant, cùm primùm credimus, peccata nobis remitti, & nos regni cælestis hæredes institui. Nihil ergo meâ interest, iocetúrne quispiam, an seriò loquatur: si ego me seriò credere scio, mihi nihil illius iocus officiet. Quid verò miserius, quàm sacramentorum dignitatē ex ministri cogitatione suspendere? quæ qualis sit, nulli notum esse potest. Quanquam vt hoc de sacramentis verum esset, nihil tamen ad absolutionem spectaret, quæ nunquam fuit sacramentum. Quod de equo cōmemoras, eiusmodi est, vt asininum meritò videatur. Absolutio enim & remissio peccatorum est Dei propria, non sacerdotum: tum enim necesse esset, vt quisquis absolueret, ipse primū absolutionis particeps fieret. Equū enim nullus dare potest, nisi qui equū habet. Ita, si tuum hoc de equo argumentum valet: nulli sacerdotes absoluunt, nisi qui absoluti ipsi sunt, quorum non magnus numerus est. Vos verò creditis, vt dicis, sacerdotes tanquam iudices absoluere, quod ego

Math.8.13
Marc.9.23.
Ioan.3.36.
Act.15.9.
Act.10.43.
Gal.3 14.

minimè profectò reprehendo. Tales autem iudices sunt, quales olim erant morborum sacerdotes. Summus enim Pontifex de lepra iudicauit, quam ipse nec contulit, nec depulit: sic minister credentes pronunciat & iudicat absolutos, impios contrà. Nihil ergo opus erat in hac causa patrum sententijs, quas tu omni loco temerè, & nullo delectu proijcis. Proba autem, si potes, vllis testimonijs, ministros propria & sua authoritate absoluere, aut qui credunt non absolui, nisi minister firma intentione absoluerit. De Baptismo nihil Caluinus docuit, nisi quod Scriptura luculentissimè tradidit. Qui enim baptizantur, in Christi mortem baptizantur: mors autem Christi non tantùm valet ad ea peccata abluenda, quæ baptismum præcedunt, sed etiam quæ in omni vita baptismum consequuntur, vt non sit necesse nouum sacramentum, & secundam tabulam comminisci. Itaque Galatas Apostolus ad baptismi gratiam reuocat, *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis*, nec nouum quoddam sacramenti genus proponit. Augustinus disertè scribit, *Eodem lauacro regenerationis, & verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundantur, atque sanantur, non solùm peccata, quæ omnia nunc remittuntur in baptismo, sed etiam quæ posteriùs humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur: non vt baptisma quoties peccatur, toties repetatur, sed quia ipso quod semel datur, fit, vt non solùm antea, verùm etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus*

Rom. 6. 3.

Gal 3. 27.

August. de nupt. & concupis. lib. 1. cap. 22.

bus impetretur. Quòd autẽ tam multi olim baptiſma ad extrema vitæ tempora diſtulerint, id illorum hominum errori tribuendum eſt, quem conſtat multis Epiſcopis nunquam placuiſſe. Infantes verò quando adoleuerint, baptiſmi vim & naturam edocentur. Etſi autem non poſſunt tempus ipſum, quo baptizati ſunt, memoria repetere, tamen ex Dei verbo diſcunt baptiſmum ſibi eſſe perpetuum renouationis ſuæ & regenerationis ſacramentum.

DVRAEVS, Fol. 306. &c.

Legere preces horarias, non eſt ſacerdotum, ſed Laïcorum, *inquit poſt pocula Lutherus*. Horæ veſtræ Canonicæ (*inquis*) propter infinitam ſuperſtitionem prorſus indignæ ſunt Chriſtiano. *Nihil oſtendere potes, in quo vel leuiſſimam ſuperſtitionis ſuſpicionem deprehendas, niſi tibi fortè Pſalmos in Dei laudem canere, peccatorum remiſſionem, diuinam gratiam, cæteraq́; ad corporum atque animorum ſalutem neceſſaria à Deo poſtulare, ſummaq́; fidei noſtræ ac religionis myſteria hac nobis lectione ob oculos ponere, aliæq́; id genus ſacræ exercitationes, ſuperſtitioſæ videantur? Quis Catholicus nocturnos Eccleſiæ Pſalmos ignorat? Quis hymnos illos verè Ambroſianos ipſo Eccleſiæ vſu tam diuturno celeberrimos? Quàm vetuſtus hic mos fuerit, ſatis indicat quod in Apoſtolorum Actis legimus, Petrum & Ioannem aſcendiße in templum ad horam orationis nonam: & quod Philo Iudæus Chriſtianorum mores qui tum Alexandriæ agebant, deſcribens refert: & Tertull. in Apologetico. Nam & ipſi Gentiles antelucanos Chriſtianorum hymnos minimè ignorabant. Quàm eleganter Cyprianus quid in hac horarum diſtinctione myſterij lateat, nobis explicauit? in explic. orat. Dominicæ.*

WHITAKERVS.

102 Quod maximè in horulis vestris Lutherus reprehendit, id tu sine omni defensione prætermittis. Cùm enim ministrorum officium sit, quemadmodum Paulus docuit, prædicare verbum, instare opportunè, importunè, arguere, obiurgare, exhortari cum omni lenitate & doctrina, ferendum non est, has tam necessarias & salutares sacri ministerij functiones in superstitiosam precularum incantationem conuerti. Quid enim magis ineptum & superstitiosum esse possit, quàm tempus illud quod in populari institutione consumendum fuit, in Horarum lectionem impendere, præsertim ea lingua, quam nec populus, nec sacerdos plerumque ipse intelligit? Hoc illud est, quod ego superstitiosum dixi, quodque vt impium etiam & sacrilegum meritò damnare potui. Si hanc nefariam superstitionem defendas, non te ebrium, vt tu Lutherum, sed planè amentem iudicabo. Populum enim linguæ Latinæ ignarum sono precum & hymnorum Latinorum pascere, est summam superstitionem cum summa amentia & sacrilegio coniungere. Tum admetiri singulis diei noctisque horis ratum precationum & Psalmorum numerum, quàm putidum est & superstitiosum? Huc accedit, quòd ipsa horarum ratio totaque institutio manauit à superstitione. Nam illæ septem Horæ, Matutina, prima,

2. Tim. 4. 3.

prima, tertia, ſexta, Nona, Veſperæ, Completorium, quas cauſas habent? & quare non ſunt aut plures, aut pauciores? Operæprecium erit hæc tam bella myſteria recognoſcere, eorumq; principia & cauſas videre. Itaque placet ex hymnis veſtris, huius religionis fontes indicare. Sic igitur poëta veſter de horis cecinit, Ad matutinam, *Patris ſapientia, veritas diuina, Deus homo captus eſt hora matutina: à notis diſcipulis citò derelictus, à Iudæis traditus, venditus & afflictus.* Ad primam, *Hora prima Dominum ducunt ad Pilatum, à falſis teſtibus multùm accuſatum, Colaphis percutiunt manibus ligatum, vultum Dei conſpuunt lumen cœligratum.* Ad tertiam, *Crucifige clamitant hora tertiarum: illuſus induitur veſte purpurarum: caput eius pungitur corona ſpinarum: crucem portat humeris ad locum pœnarum.* Ad ſextam, *Hora ſexta Ieſus eſt cruci conclauatus, Et eſt cum latronibus pendens deputatus, præ tormentis ſitiens felle ſaturatus: agnus crimen diluens ſic ludificatus.* Ad nonam, *Hora nona Dominus Ieſus expirauit: Eli clamans ſpiritum patri commendauit: Latus ei lancea miles perforauit, terra tunc contremuit, & ſol obſcurauit.* Ad veſperas, *De cruce deponitur hora veſpertina, fortitudo latuit in mente diuina, talem mortem ſubijt vitæ medicina: heu corona gloriæ iacuit ſupina.* Ad completorium, *Hora completorij datur ſepulturæ, Corpus Chriſti nobile, ſpes vitæ futuræ conditur aromate, complentur ſcripturæ, Iugi ſit memoriæ mors hæc mihi curæ.* Quanquam non ignoro de horarum ratione aliter ab alijs iudicari: ita ſemper in-

certa est & varia superstitio. Ambrosianos verè Hymnos, quos commemoras, video esse plenos pietatis, atque ab istorum rythmorum superstitione alienos. Nemo autem nescit Christianos olim nocturnas horas obijsse, quia diurnis temporibus conuentus agere non licebat. An eum nunc morem retinebis, & te tamen non esse superstitiosum affirmabis? Quod de Petro & Ioanne ex Actis Apostolorum adducis, id tuam superstitionem magis prodit. Quam enim causam fuisse putas, qua commoti Apostoli sunt, vt vnâ in templum commearent? Num vt sacrificio interessent, aut horas recitarent? Nequaquam: sed vt populum in templo frequentem docerent. Nam hora nona populus ad vespertinum sacrificium confluebat. Si verò Cyprianus horarum mysteria rectè explicauit, nihil illis rythmis ineptius fingi potuit, quorum sententia cum Cypriani expositione nullo modo congruit.

DVRAEVS, Fol. 309.

Vltimum est paradoxum, Christiani liberi sunt à statutis hominum. *Tu* liberi, *(inquis)* sunt Christiani non vt nullis legibus obtemperent, sed vt conscientias mentésque suas legum humanarum religione liberatas esse intelligant. *Si Christiani humanis legibus obtemperare tenentur, quomodo humanarum legum religione liberatas habent conscientias? Humana certè, non diuina lex fuit, quam tulerunt Apostoli, vt à sanguine & suffocato Christiani abstinerent. Et ad Rom. c.* 13. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. *Et paulò pòst*, Subditi estote non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. *Et Petrus*, Subiectos nos esse omni humanæ creaturæ, quia sic *(inquit)* est voluntas Dei.

WHITA-

WHITAKERVS.

103 Nunquam certè cuiquam prudenti persuadebis legum hostem fuisse Lutherum, qui sic magistratus authoritatem coluit, & leges defendit, vt ne pontifici quidem, & pontificijs legibus restitisset, nisi id sibi, si Christo parére vellet, necessarium omnino vidisset. Ipsa enim potestas pontificis Lutherum valde tenuit, & tenuisset, nisi exeundum Babylone, & Deo potiùs, quàm hominibus obtemperandum esse didicisset. Quod autem ad humanas leges attinet, nunquã Lutherus aut legitimas contempsit, aut contemnendas à quoquam docuit: immo semper magistratum in honore maximo habuit, & legum obseruantissimus fuit. Nec vlli vnquam homines magistratui maiorem obedientiam atque obseruantiam detulerunt, quàm qui Euangelium profitentur, & faciunt, & faciendũ docent. Sed aliud est Christianam libertatem defendere, aliud legum humanarum authoritatem infringere. Cõscientiæ nullis legibus astringuntur, nisi diuinis. Est enim vt Propheta ait, *Iehoua legislator noster:* & vt Apostolus, *vnus legislator qui potest seruare & perdere*. Qui ergo conscientijs leges imponunt, seruandi, & perdendi potestatem sibi vendicant, & Deum suo iure spoliant. Quid verò inter diuinas atque humanas leges interesset, si hæ, non minus quàm illæ conscientias obligarent? Ita enim quæuis hominum edicta diuinis præceptis æquarentur. Et quidem à vobis non tantùm in pari, sed etiam in sublimiore

Esai.33.22.
Iacob.4.12.

ore gradu collocantur. Dic enim Duræe, nónne à vobis grauius flagitium putatur quadragesimam violare, quàm Dei verbum contemnere, mentiri, peierare, ſcortari, aliena concupiſcere? Nónne ſanctiores habentur qui conſilijs, quàm qui præceptis obtemperant? Nimis hoc quidem manifeſtum eſt. Sed quis non videt ſi magiſtratus conſcientijs imperat, eius omnibus decretis & placitis conſcientias conſtringi? Illa autem libertas, quam in examinandis hominum legibus adhibemus, ſatis oſtendit nulla earum religione noſtras conſcientias implicari. Sed tua nunc argumenta diluamus.

Chriſtiani legibus humanis obtemperare debent, quomodo ergo humanarum legum religione liberatas habent conſcientias? Quaſi nihil faciendum ſit, niſi quod conſcientiã obſtrictam teneat. Parendum eſt legibus politicis, quia ſunt ad pacem & tranquillitatem neceſſariæ. Sed tamen leges humanæ à diuinis ſecernendæ ſunt. Diuinis enim ſimpliciter obſequendum eſt ſine vllo temporum, aut locorũ, aut circumſtantiarum diſcrimine: humanis eo modo, quo circumſtantię poſtulant. Veluti qui Romanus eſt & Romæ degit, Romanis legibus obedire debet: idem ſi migrarit in Perſiam, non illa Romanarũ legum neceſſitate obſtringitur. Quod palàm indicat conſcientias noſtras non fuiſſe illis legibus alligatas: tum enim erant & Romæ, & vbiuis gentium obſeruandæ. Illa autem lex Apoſtolorũ de ſanguine & ſuffocato non obſtrinxit cõſcientias abſolutè & ſimpliciter, ſed tantùm propter ali-

aliud, ne fratres infirmi offenderentur. Hæc autẽ diuina lex eſt, vt non offendas infirmos fratres, cui iſta Apoſtolorum ſanctio ſubſeruijt: & proinde confirmatis Chriſtianorum animis, iamdudum abrogata eſt. Tum non humana lex fuit, ſed diuina ab ipſo ſpiritu ſancto inſtituta. Quæ deinde ſubiungis ſcripturæ teſtimonia, quibus magiſtratuum authoritas ſancitur, agnoſco: ſed te malè tuo more concludere video. Non enim Apoſtolus ſingulis magiſtratuum edictis conſcientias noſtras illaqueat, ſed de ipſa authoritate loquitur, quæ ſacroſancta eſt, & contemni ſalua conſcientia non poteſt. Eſt enim Dei pręceptum vt magiſtratui noſmet ipſos ſubjiciamus, & hoc Dei pręceptũ conſcientiam attingit. Magiſtratui ergo quoad genus parendum eſt, propter conſcientiam, quia generali pręcepto iubemur magiſtratui parere: particulares tamen magiſtratuum leges nullũ habent in conſcientias dominatum. Deinde quando leges ſingulas obſeruamus, non hæremus in ipſis præceptis, quaſi his aut illis præſtandis conſcientiæ ſatisfieret; ſed finem, id eſt, Dei voluntatem ſpectamus, quæ obedientiam honeſtis & iuſtis legibus pręſcribit. Atq; hîc nunc exitus eſt harum calumniarum: illas verò, quas minaris, flocci facimus. Satis nobis perſpecta eſt facultas tua; maledicis gnauiter, diſſolutè & languidè diſputas, vt decet Ieſuitam. De noſtrorũ diſſidijs, quæ commemoras, reſpondeo cum Nazianzeno, κρεῖσσον ἐμπαθοῦς ὁμονοίας ἡ ὑπὲρ εὐσεβείας διάστασις.

LIBER NONVS, DE Sophiſmatis.

DVRAEVS, Fol. 312. &c.



Ruſtra hîc conaris Whitakere ſophiſtarum nomen à te, tuiꝗ́ ſimilibus depellere. Monachos omnes ac venerandos religioſorum hominum cœtus petulanter inſectaris. Prodiere certè ex Monachorum familijs innumeri, hac noſtra ætate tam fortes ac ſtrenui veſtrarum hæreſium expugnatores, vt quicquid in illos à vobis dicitur, non niſi ab iniquiſſimo odio profectum intelligatur. Iam quòd ſcholaſticam Theologiam multis verbis exagitas, & à Luthero, Caluinoꝗ́ edoctus, ſophiſticam falsò appellas, minùs equidem miror: non immeritò ſcholaſticæ Theologiæ peritos odiſtis, quorum vim ac differendi rationem ferre non poteſtis.

WHITAKERVS.

1 

Rœteruecti τῶν παραδόξων argutias in ſpinas ſophiſmatum delabimur. Sophiſtarum verò nomen, quòd nobis Campianus tuus obiecit, nemo eſt tam rerum imperitus, qui nõ veſtrum eſſe totum meritò fateatur. Si enim vera argumenta è proprijs ſcripturarum locis deſumpta valere poſſent, nec ſophiſticas põtificij Theologi & perpetuas in eludendis ſcripturis fraudes adhiberent, conſtitui iamdudum ac dirimi omnes

nes controuerſiæ potuiſſent. Dum autem Monachi in nomen cauſamq́ue pontificiam iurati veram Theologiam ſuis captionibus & paralogiſmis corrumpunt, & tanquam Philiſtæi arcam Iehouæ huc atque illuc circumferunt, nullus contentionum finis eſſe poteſt. Prodiere quidem, vt dicis, è monachorum clauſtris nimis multi, quos in illis monaſteriorum impuris diuerticulis perpetuò latuiſſe, quàm ad eccleſiæ calamitatem prodijſſe prę̨ſtabat. Quid enim è monaſterio niſi monaſticum, ſuperſtitioſum, indoctum expectes? Aut quem multis annis ingenuum monachum Chriſtianus orbis vidit? Ex te licet de reliquis exiſtimare. Qualis enim tu in hoc libro patronus põtificius extitiſti, tales illi etiam innumeri ſunt, quos è monachorum familijs prodijſſe dicis. Eadem omnes officina perpoliuit, atque ex vno omnes agnoſci poſſunt. Nimium autem certè Duræe tuo, tuorumq́ue collegarũ ingenio tribuis, ſi nos tanti facere exiſtimas doctrinam & acumen monachorum. Erumpant in nos omnes Monachorum familiæ, cum mille Turrianis, Campianis, Duræis: nunquam mihi crede, ex acie fugiemus, aut in hac tam bona cauſa vniuerſas Monachorum cateruas pertimeſcemus. Scholaſticam verò Theologiam minimè repudiamus, ſed ab illa ſophiſticam ſecernimus. Et quanquam acuti ſcholaſtici ſunt, quãdo tamen veras ſententias impugnant, quod ſæpiſſimè faciunt, ijs nihil obtuſum magis aut ridiculum fingi poteſt, id quod nulli ignotum eſt, qui Scotum, Occamum, Thomam viderit aliquando.

quando. Facilè autem existimo te quidem non valde esse Theologiæ scholasticæ peritum, cùm tua vis ac disserendi ratio tam planè expers sit scholastici acuminis.

DVRAEVS, Fol. 314. &c.

Lubet tibi Whitakere, pauca de nostris, vt ais, notissimis paralogismis & sophisticis elenchis degustare. *Nemini mirum videri debet, si accuratam illam omnibusq; numeris absolutam docendi rationem maiores nostri sapientissimi homines non semper obseruarunt, quibus non semper cum præfractis ac pertinacibus ingenijs negotium fuit.*

WHITAKERVS.

2 Scitè quidem tuorum paralogismos defendis, quando maioribus vestris rẽ fuisse negas cum aduersarijs obstinatis. Quid enim si nulli erant aduersarij, quos refellere cupiebant, an propterea in Theologia tractanda licebat paralogismos adhibere? Miseram profectò esse causam necesse est, quę sine ineptissimis paralogismis non satis commodè exponi & defendi potuit. Cui verò dubium est, & maiores vestros, viros sapientissimos his nunquam vsuros fuisse argumentis, si meliora inuenire potuissent, & homines illos, quibuscum ij rem habebant, valde faciles extitisse, quos ista tam ἀσύστατα atque ἀσυλλόγιστα in vestram sententiam compulerint. Præfractiores multò nunc sunt homines, vt videtur, quàm olim fuerunt: qui se falli amplius inanissimis præstigijs nolunt, & argumentorum fallacias penitus discutere didicerunt. Itaque rem profectò

fectò ridiculam facis, dum hîc tuorum paralogismos defendere conaris : ex quo quid aliud, quàm sophistæ nomen, & infamiam lucrari potuisti?

DVRAEVS, Fol. 315.

Ac primùm quod ex Innocentio secundo contra presbyterorum nuptias affers, nullam nostram sophisticam, sed singularem tuam ignorantiam arguit. Perspicuum est illud pontificem pro comperto habere cœlibatus legem à sacerdotibus sua sponte susceptam fuisse, quam qui fœda libidine superati seruare nollent, quid mirum si in carne eos esse, ideóque placere Deo non posse *dixerit? Eodem iure Apostolum Paulum sophistam appellaris, quòd viduas dixerit damnationem habere, quia primam fidem irritam fecerunt.* 1. Tim. 5.

WHITAKERVS.

3 Vnde id verò perspicuum est, cœlibatus legem ab illis sacerdotibus susceptam esse, quorum Innocentius iste nuptias tam fastidiosè damnat? Immo de omnibus diaconis & presbyteris loquutum esse pontificem constat. Sic enim ait, *Neque eos ad sacra officia fas sit admitti, qui exercent etiam cum vxore carnale consortium, quia scriptum est, Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, dicit Dominus Deus vester.* Distinc. 82. cap. Proposuisti. De voto nullum verbum facit, & ijs, qui ignorantia Syricianę legis peccarunt, veniã tribuit, quod satis ostendit, nullũ votum interuenisse. Qui enim matrimoniũ suscepto cœlibatus voto contrahunt, eos opinor, pontifex suum gradum tueri minimè patietur. De voto quidem, deq; illa prima fide iampridem satis

satis multa respondimus. Paralogismus est, παρὰ τὴν ἄγνοιαν τοῦ ἐλέγχου. Cùm enim ipsi intelligant cœlibatus lege non astringi ecclesiam orientalem, & Apostolo nihil de ministrorum continentia præcepisse fateantur, tamen contra ministrorum nuptias multa scripturarum testimonia proferunt.

Dist.31.Aliter. Dist.82. Proposuisti. Glossa in margine.

DVRAEVS, Fol.316.

Aliud sophisma scilicet nostrum ita proponis, Quod Paulus coniugibus permittit, seorsim vt possint ad tempus cubitare, ex eo colligit pontifex hoc ipsum sacerdotibus multò magis faciendum. *Quod hîc vel leuissimum paralogismi signum esse potest? Etenim si orationi Laïci, vt par est, vacare nisi ab vxorum commercio sese abstineant Paulo iudice nequeunt, an non tibi consentaneum videtur, vt quibus orationi sacrisq; alijs ecclesiæ functionibus perpetuò vacare ex officio incumbit, sibi penitus ab vxoribus temperent? Ante omnia enim vt testis est Origenes, sacerdos castitate debet accingi: hoc si est sophistam agere, Hieronymus etiam sophista fuit, lib.1.contra Iouin. Fuit & Ambrosius, lib.1.offic.cap.50. Epiphanius etiam, in hæres. Cathar.*

Origen. homil.4.in Leuit.

WHITAKERVS.

4 In hoc pontificio argumento nullum paralogismi signum agnoscis, in quo tamen multiplex paralogismus reperitur. Primū enim quod Paulus ad omnes Christianos scripsit, de Laïcis duntaxat exponitur. Deinde quod de singulari & extraordinaria ieiunandi & precandi occasione intelligi debet, ad omne tempus accommodatur. Postremò sophisticè concluditur ex breui laïcorum abstinentia perpetuus ministrorum cœliba-

cœlibatus. Quæ enim ratio cogit, vt quia laïci debent ex consensu ad tempus secubare, proinde ministris necessarium esse existimemus à nuptijs per omnem vitam abstinere? Nam quòd ais, non posse aliter precibus vt par est, vacare, quas preces Apostolus intelligat, parùm attendis. Nam de solennibus & extraordinarijs, non quotidianis precibus loquitur, quod duplici ar- *1.Cor.7.5.*
gumento demonstrabo. Primum est, quia cum istis precibus ieiunium coniungit: deinde quia iubet Christianos omnes Christus, & Apostolus *Luc.18.1.*
perpetuò precari: itaque necessarius est, si hæc *1.Thess.5.*
interpretatio valet, omnibus Christianis perpe- *17.*
tuus in omni vita cœlibatus. Vitium est παρὰ τὸ μὴ ἁπλῶς, ὡς ἁπλῶς: & παρὰ τὸ ἀναίτιον ὡς αἴτιον. Non enim sequitur, Ministri semper debent esse puri, atque ad precandum idonei: ergo semper debent esse cœlibes. Castitatem verò ministro necessariam esse, quemadmodum Origenes scribit, nulli dubitant: at tu hîc non tantùm sophista es, sed etiam hæreticus, quando à matrimonio castitatem separas: quasi qui coniuges sunt, casti esse nequeant, quod antiqui hæretici affirmarunt.
Paphnutius autem in synodo Nicena longè ali- *Socrat.lib.1.*
ter docuit, eique patres omnes assensi sunt, *Con-* *c.11.*
gressum cum legitima vxore esse castitatem. Hie- σωφροσύνην
ronymum non conabor defendere, quem scio ἐκάλει καὶ τῆς
multa contra matrimonium nec dialecticè, nec νομίμης γυ-
Theologicè disputasse, cuiusmodi illud est, *Bo-* ναικὸς τὴν
num est homini mulierem non tangere, ergo malum συνέλευσιν.
est mulierem tangere. Et se Hieronymus ingenuè fatetur in disputando victoriam potiùs,

quàm veritatem quæſiuiſſe, quod in hac profectò cum Iouiniano lite vel maximè fecit. Ambroſius miniſtrum à ſecundis nuptijs deterret, primas non damnat. Sic enim ſcribit, *De caſtimonia quid loquar, quando vna tantùm, nec repetita permittitur copula?* Sic etiam docet requiri à miniſtro Domini, *vt abſtinens ſit à vino.* Ita Epiphanius non primas, ſed ſecundas nuptias in miniſtris reprehendit.

Ambroſ. de offic. li. 1. ca. 50.

DVRAEVS, Fol. 317.

Poſtremum de cœlibatu ſophiſma noſtrum ita recenſes: Cùm ſacerdotes templum Domini, ſpiritúſque ſacrarium eſſe debeant, non oportet cubilibus & immunditijs inſeruire. *Quid in his verbis non caſtum, quid non honeſtum, non ſanctum, non diuinis literis, patrumq; omnium ſententijs conſentaneum? Sacerdotes qui ſpreta ſanctiſſimi voti religione voluptati ſuccumbunt, cubilibus ſeruire & impudicitijs rectiſſimè pontifex dixit. Quo argumento Tertullianus olim acutiſſimus vſus eſt in re non diſſimili, vt digamos oſtenderet à ſacris ordinibus meritò arceri, lib. 1. ad vxorem.*

WHITAKERVS.

Diſt. 28. ca. Decernimus.

5 Si qui contrahunt matrimonium, cubilibus atque immunditijs deſeruiunt, quemadmodum iſte impurus pontifex ſtatuit, omnes profectò Chriſtiani debent à matrimonio prorſus abſtinere. Omnes enim quicunque Chriſto nomen dederunt, ἐν κοίταις καὶ ἀσελγείαις viuere prohibentur: ita nullum erit inter Chriſtianos matrimonium, ſi huius decreti ſententia, ratioq; conſtat. Sed

Rom. 13. 13.

iſte pontifex errauit παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως. Non enim matrimonium apoſtolus in vllo hominum genere vt crimen damnauit, ſed omnes à libidine & laſciuia & impudicitia abſterruit. Quid ergo profanum magis, aut impium, aut inhoneſtum dici potuit, contra ſacroſanctam matrimonij dignitatem? De voti verò religione nullam fecit mentionem, quemadmodum tu fingis, & ſatis intelligimus illud votum non fuiſſe omnibus neceſſarium. Iſte autem Innocentius ſubdiaconos reliquoſque omnes remouet à miniſterio, ſi duxerint vxores, quia cùm templum Domini & ſpiritus ſancti eſſe & dici debeant, indignum eſt eos cubilibus & immunditijs inſeruire. Itaque hanc tui pontificis blaſphemiam pluſquam ſophiſticam nunquam defendes. Cùm autem Tertullianum citas, quid aliud facis, quàm te palàm ſophiſtam prodis? Quis enim ignorat Tertullianum ſecundas nuptias, non tantùm in miniſtris, ſed in omnibus etiam Chriſtianis damnare cum Montano? Interim non attendis, eius te contra miniſtrorum nuptias vti teſtimonio, qui & presbyter fuit, & vxorem in matrimonio habuit, & cum ea vixit, & in miniſterio nihilominus permanſit.

DVRAEVS, Fol. 318.

Nunc alium, quem nobis obijcis paralogiſmum, expendamus: Singulis gregibus ſinguli paſtores præſunt, ergo papam oportet omnibus Eccleſijs dominari? *Pontifex non dominatur Eccleſijs, cùm ſe ipſe ſeruum eſſe ſeruorum Dei palàm*

profiteatur? Verùm ex vno singulorum gregum pastore vnum quoque vniuersæ Ecclesię præesse pastorem debere catholici doctissimè docuerunt. Nullo argumento Whitakere efficies singulis Ecclesijs non nisi singulos esse pastores præficiendos: quin eodem toti quoque Ecclesiæ suum esse concedendum pastorem vel inuitus fateri cogaris. Est enim illud vestrum perfugium sanè vanissimum, vniuersalis Ecclesiæ Christum esse pastorem, cùm & singularum quoque Ecclesiarum pastorem esse Christum nemo ignoret. Inter duodecim (*inquit Hieronymus*) vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio. *Contra Iouin. Et Cyprianus*, vt vnitatem manifestaret Christus, vnam cathedram constituit: & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua authoritate disposuit: *de vnit. Ecclef. Et Irenæus*, ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam. *lib. 3. ca. 3. Neque aliter vnam esse Ecclesiam posse Anglicanam existimas, nisi ministrorum vniuersa colluuies, vni vestræ reginæ tanquam capiti adhærescat.*

WHITAKERVS.

6 Quòd negas Ecclesiæ pontificem dominari, quia se seruum seruorum agnoscit, in eo nobis ineptè atque sophisticè conaris oculos pręstringere. Non enim quem se vocet, sed qualem se præbeat, intuemur: & quando sibi nomen serui sumit, tum illum Domini authoritatem atque imperium exercere perspicimus. Nam & præscribit, & iubet, & minatur, & punit, & denique facit quicquid vllus Dominus potest. Quid si verò Turcarum Imperator se suorum seruum appellaret, an esse Dominus desisteret? Noli ergo hoc te modo putare posse pontificis tui tyrannidem defendere. Nunc ad paralogismum veniamus, qui quanquam

quam est insulsus, tamen à pontificijs sophistis magnificè iactatur: *Vnus esse debet pastor singulorum gregum, ergo vnum etiam toti Ecclesiæ pastorem præesse oportet.* Quod perinde omnino est, ac si quis concludat, Si singuli homines vnum caput habent, ergo omnes vnum habere debent: & quia singulis ouium gregibus singuli certique pastores præficiuntur, omnibus vnum præesse oportet. Nam singulis gregibus singulæ Ecclesiæ similes sunt: nihil autem est, quamobrem vnus pastor omni potiùs Ecclesiæ, quàm cunctis ouium gregibus præponatur. Quare quòd me nullo argumento efficere posse affirmas, singulis Ecclesijs singulos pastores præficiendos esse, quin eodem toti etiam Ecclesiæ vnum pastorem concedere cogar, tuam prodis incredibilem mentis ἀφρασίαν. Nam singulas Ecclesias singuli pastores viua voce docere, monere, exhortari, verbo & sacramentis pascere possunt: eamque ob causam suum quæque Ecclesia pastorem desiderat. Totam verò Ecclesiam per orbem terrarum fusam nullus hoc modo docere, aut ea præstare potest, quæ ad boni pastoris officium pertinent. Quare cùm singulæ Ecclesiæ multò minùs possint in vnum locum congregari, vt vnum pastorem docentem audiant, quàm singuli greges in vnum cogi, atque ab vno homine pasci, nulla ratio persuadet, vt illis potiùs quàm his vnum pastorem prçficiamus. Cùm autem singulæ Ecclesiæ membra sint corporis Christi,

omnesque vnum corpus constituant, huic nullum, nisi Christum, pastorem præsidere posse dicimus. Et quanquam ipse etiam non modò toti Ecclesiæ, sed etiam singulis Ecclesijs præest, hoc tamen non euincit sic vnum toti præter Christum præfici oportere, quemadmodum singulis singuli præficiuntur. Nam singulæ Ecclesiæ visibiles sunt, & à suis pastoribus administrari per verbi & sacramentorum ministerium possunt, quemadmodum Christus instituit: at vnum ex his omnibus visibile corpus colligi nunquam omnino potest, quousque sunt particulares visibiles Ecclesiæ. Itaque in hoc argumento monstrum est, Singulis Ecclesijs singuli pastores præsunt, ergo vniuersis vnus præesse debet. Fallis ἐν ἀγνοίᾳ τοῦ ἐλέγχου, quia non est eadem ratio partium & totius.

Ad patres accedo, quorum nemo est qui aliquid ad huius paralogismi defensionem conferat. Nam Hieronymus non ait vnum pontificem toti Ecclesiæ præpositum esse, sed inter duodecim vnum electum fuisse, vt capite constituto schismatis occasio tolleretur. Schismata enim nascuntur, quando omnes sunt in singulis pares. *Quòd postea* (inquit) *vnus electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne vnusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet.* Nónne enim eodem in loco Hieronymus affirmat, *super omnes Apostolos Ecclesiam fundari, cunctos claues regni cælorum accepisse, ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudinem solidari?* Ita alio in loco scribit Hierony-

Hieron. ad Euagrium.

Hieron. contra Iouinian lib. 1.

ronymus, *Idem est presbyter, qui Episcopus & antequam Diaboli instinctu, &c.* tum sequitur, *In toto orbe decretum est, vt vnus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur.* Cyprianus Ecclesiæ vnitatem ex eo probat, quòd Petro Christus dixerit, Pasce oues meas, cùm tamen eandem omnibus potestatem tribuerit. Itaque non debere concludit plures esse in vna Ecclesia Episcopos. De primatu verò pontificis nunquam somniauit, quod satis in eodem libro mox ostendit his verbis: *Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod Petrus fuit, pari consortio prædıti & honoris & potestatis.* Et deinceps, *Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.* Si ergo vnus sit Episcopatus, eiusque singuli Episcopi partem in solidum tenent, nihil amplius Romanus pontifex habet, quàm reliqui omnes: sed quòd vnum Petrum Christus affatus est sæpiùs, in eo omnium Ecclesiarum vnitatem indicare voluit. Hæc Cypriani mens est, à tuo paralogismo prorsus aliena. Romanam verò Ecclesiam Irenæus *principalem* vocat, non quia alijs Ecclesijs præfuit atque imperauit, sed quòd alias fide, constantia, magnitudine, fama, consilio superaret. De Anglicana Ecclesia quod subiungis, frigidum est & malitiosum. Vnitas Ecclesiæ nostræ in vnius Euangelij prædicatione consistit: singulis verò Ecclesiarum

In 1. cap. ad Titum.

Cyprian. de vnit. Ecclesiæ.

Irenæus lib. 3. cap. 3.

ministris iure optimo regina præest, eosque in officio continet, quod omnes Christiani principes facere debent.

DVRAEVS, Fol. 319.

Alius iam paralogismus sequitur, Petro Christus dixit, Pasce oues meas, ergo Petrus est summus ac princeps pastor Ecclesiæ. *Quem tu hîc paralogismum inueneris equidem haud scio. Nam si Christus à Petro, num ipsum plus cæteris amaret, non alia de causa est percontatus, quàm vt suarum illi ouium curam committeret, moxq; audito Petri responso, addidit,* Pasce agnos meos: *Efficitur profectò maiorem illi quoque in pascendis ouibus authoritatem tribuere Christum voluisse, adeóque Ecclesiæ totius suæ caput ac fundamentum eum constituere, quod se facturum promiserat. Ne solos hîc nos sophistas putes, eodem sophismate summam Origenes Ecclesiæ authoritatem Petro concessam fuisse concludit in cap. 6. ad Rom. Eodem Chrysostomus lib. 2. de sacerd. Eodem Gregorius lib. 4. Epist. 32. Eodem Barnardus lib. 2. ad Eugen.*

WHITAKERVS.

7 Quem hîc paralogismum inuenerim, paucis expediam. Nam vt omittam alios, est in hoc argumento paralogismus, quem philosophus vocat παρὰ τὸ ἑπόμενον. Non enim sequitur, nisi sophisticè, Petrus iubetur oues Christi pascere, ergo & solus iubetur pascere, & omnes pascere, & illi maior pascendi, quàm cæteris Apostolis authoritas defertur. Nam omnibus Christus Apostolis eadem mandata, & parem potestatem tribuit. Sic enim omnes
Mat. 28. 19. alloquitur, *Profecti docete omnes gentes:* & rursus,

rursus, *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos.* Ioan.20.21.
Cur autem nunc Christus Petrum nominatim interroget, eique oues pascendas tradat, ea causa est, quia voluit Petrum post lapsum confirmare, ne quisquam de illius Apostolico munere & ministerio dubitaret. Itaque vt Augustinus ait, *Redditur trinæ negationi trina confessio: ne minùs amori lingua seruiat, quàm timori.* Nihil autem hîc de Petri primatu, nihil de Petri successore, nihil de pontifice Romano accepimus. Amor autem ille Petri non potuit ad pontificem transire, vt si Petro oues suas Christus tradidit, quia Petrus plus amauit, easdem propterea pontifici reliquerit, qui nullum amoris indicium vnquam ostendit. Potui his tuis patrum testimonijs alia infinita opponere: sed quia id locus iste non flagitat prætermittam. Nihil autem hîc patres commemorant, quod non agnoscam. Nam super Petrum fundatur Ecclesia, sed non solum: & Petro totius Ecclesiæ cura commissa est, sed non soli: quia hoc illi fuit cum reliquis Apostolis commune, quemadmodum & scripturæ & patres clarissimè testantur. Bernardum si placet propter recentem ætatem dimittamus.

Augustin. tract in Ioan. 123.

DVRAEVS, Fol.320.

Illud forsan sophisma apertius est, quàm vt defendi à quoquam poßit: Fecit Dominus duo magna luminaria, solem, ac lunam, ergo Papa Imperatorem splendore ac magnitu-

dine superat. *Non hoc quasi argumento pontifex nititur, sed explicandæ veluti rei gratia solis illa lunæq́; similitudine vsus est. Solis instar latiùs pontificis, quàm imperatoris authoritas manauit.*

WHITAKERVS.

8 Nullum est tam apertum sophisma, quod tu noua arte instructus non coneris defendere. Quid enim impudentius aut arrogantius à pontifice fingi potuit, quàm vt seipsum soli, imperatorem lunæ compararet, quasi non suo imperator, sed pontificis lumine luceret, & instar lunæ lucem amitteret, cùm primùm aspectum à pontifice auerteret? *Sed hoc* (inquis) *pontifex quasi argumento non nititur*. Si nec argumentum est, nec quasi argumentum, quid aliud est, quàm sophisma? *Immo* (inquis) *explicandæ veluti rei gratia illa similitudine vsus est*. Non ergo rem explicat, sed *veluti* explicat: hoc est, non explicat quidem, sed videtur explicare: quod semper sophistis in more positum est: non enim concludunt, sed videntur concludere. At alij putant hac similitudine rem præclarè explicari: itaque quàm multis gradibus imperatorem pontifex dignitate superet, exponunt, nempe *septuagies septies*. Si verbi diuini vim atque authoritatem cum hominum principatu comparas, nemo dubitat illius excellentiorem esse, quàm huius dignitatem. Sed quid ea res ad pontificis primatum pertinet, cùm isto argumento non

Ioannes Andreæ.

tantùm

tantùm pontificem, sed quemuis sacrificulum imperatori anteferre possis. Error est, παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως, & παρὰ τὸ συμβεβηκός.

DVRAEVS, Fol. 321.

Insignis verò tua est in alio paralogismo impudentia: Hic sunt duo gladij, ergo papa vtrumque gladium gestare debet. *Nos ex hoc loco nihil aliud colligimus, quàm quod olim Bernardus expressit, lib. 4. ad Eugen.* Tuus ergo & ipse est, tuo forsitan nutu, etsi non tua manu euaginandus. *In quam sententiam & Augustinus, epist. 48. Seruiunt reges Christo leges ferendo pro Christo. Et sic epist. 50. Vt taceam hoc loco vtrunq, vos gladium reginæ vestræ concessisse.*

WHITAKERVS.

9 Tuo quidem ego pudori parcam, quia non videris multum habere reliquum: sed paralogismum istum meritò possum appellare impudentem. Quid enim hi duo gladij habent cũ duplice pontificis iurisdictione conferendũ? Discipulos Christus monuit de emendis gladijs: id illi perperam intelligunt, ac proinde respondent, *Ecce duo gladij hic.* Errorem Christus corrigit, quando ait, *satis est*: quasi dicat, non de istis gladijs loquor, nec talibus indigemus. Tamen hinc scilicet duo pontificis gladij fabricati sunt: cùm interim incredibile sit, vtrumque Petri gladium fuisse. Quid enim faceret cum duobus gladijs vnus, cùm reliqui omnes gladijs carerent?

Etsi

Etsi pudet defendere ridiculum commentum, tamen Bernardi nomen sophismati prætexis. At quid interest, ipsiné sophismata excogitetis, an ab alijs sumatis? Nescis hunc à vestris Theologis paralogismum tractari? De duobus hisce gladijs sic Ioannes à Capistrano scripsit, *Satis est duos gladios iudiciarios in authoritate summi pontificis, spiritualem videlicet potestatem actu, temporalem verò potestatem non actu, sed habitu retinere.* Tum adiungit, *Notandum est, quòd dixit, tuum: nam per hæc pronomina meum, tuum, & suum, significatur dominium.* Itaque Bonifacius districtum gladium sibi præferri iussit, vt se vtroque gladio armatum esse declararet. Quæ adducis ex Augustino, quorsum quæso spectant? Num enim, Si reges Christiani pias leges condunt, & religionis aduersarios coërcent, papæ vtrumque gladium tributum esse sequitur? Quod autem ais nos reginæ nostræ vtrumque concedere, id quidem meritò tacere potuisti: est enim (vt omnes norunt) egregiè falsum.

De Pap. & conc. pag. 77

Paral. Vrsperg.

DVRAEVS, Fol. 323.

Addis deinde paralogismum alium: Non est seruus supra magistrum: ergo nulli fas est papam accusare aut reprehendere. *Quis Catholicus vel scripsit vnquam, vel docuit, summum à nemine pontificem posse reprehendi? Pius Romanus pontifex non de Romano pontifice, sed de omnibus omnino episcopis loquitur, quos cùm à suis accusari ouibus meritò posse negat, illorum tantummodo audaciam, qui sceleribus licèt ipsi plurimis onusti, pastores tamen suos atque episcopos vel ex sola suspicione accusare non verebantur. Tu si in ea esse sententia Catholicos putas, nulli vt*

credant

credant inferioris notæ homini licere episcopum accusare, hoc errore vel solus te D. Thomas, si eum consuluisses, facilè liberasset. De Romano pontifice idem tibi hoc loco responsum puta, quod centum illi & octoginta Episcopi Marcello olim Romano pontifici responderunt. Tuo te ore, non nostro iudicio iudica. Nam prima sedes à nemine iudicatur.

2.2.q. 78. art. 11.

WHITAKERVS.

10 Ita Catholicum fuisse pontificem negas, qui scripsit & docuit, papæ culpas istic à nullo mortalium redargui oportere, quantumuis innumerabiles populos secum ducat primo mancipio gehennæ cum ipso plagis multis in æternum vapulaturos? An nescis alium etiam pontificem huiusmodi legem promulgasse, *Neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque à regibus, neque à populo iudex iudicabitur?* Quid alia huiusmodi legum & sanctionum pontificiarum fragmenta commemorem, quibus seipsos omni iudiciorum periculo liberarunt? Et verò ista duo pontificia axiomata rem Romanam præclarè communiunt, Ecclesia Romana errare non potest, quicquid docuerit: pontifex Romanus non debet accusari, quicquid admiserit. Ex his intelligi potest, quid Pius pontifex decreuerit: cuius quoquo modo verba interpreteris, nunquam tamen effugies, quin scripturæ testimonio abusus fuerit, & Paralogismo fefellerit. Quale enim argumentum est, Serui non sunt suprà Magistrum: ergo Episcopus non debet ab alijs temerè accusari? Hoc quidem consequens verum

Dist. 40. Si Papa.

9. qu. 3. cap. Nemo.

rum eſt, ſed nulla vi ipſius conſecutionis. De Marcellino nihil eſt neceſſe reſpondere. Cùm enim apoſtata & idololatra fuerit, illum accuſari leges pontificiæ concedunt potuiſſe. Tu tamen aliter vidêris ſentire, quando ſynodi Sinueſſanæ verba profers. Ita nec tecum ipſe, nec cum tuis congruis.

DVRAEVS, Fol.324.

Addis pro paralogiſmo alio: Chriſtus precatus eſt, vt Petri fides non deficeret: ergo papa errare non poteſt. *Quid hîc ſophiſticum Whitakere? Cùm enim aſcenſurus in cælum Chriſtus eccleſiæ ſuæ caput, ſuumq́; in terris vicarium Petrum conſtituerit, quid aliud illa ad patrem oratione eum petiuiſſe credibile eſt, quàm vt ſui fides vicarij nullo vnquam tempore deficeret? Cuius demonſtrationis vim priſci Eccleſiæ patres ſatis perſpexerunt. Auguſt.lib. q.vet. & noui Teſtamen.quæſt.75. Cyprian. Epiſt.55. Leo Sermon. 3.in anniuerſ. aſſump. Bernard. epiſt.190. Crebrò & diligenter ex varijs Chriſtiani orbis partibus Romani pontificis de grauiſſimis rebus ſententiam patres quæſiuerunt.*

WHITAKERVS.

11 Quod primò ſumis vicarium eſſe Chriſti pontificem, inſignis paralogiſmus eſt παρὰ τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβανόμενον. Id enim nunc inter nos quæritur, quod tu tanquam certum & conceſſum arripis. Deinde vt demus Petri ſucceſſorem eſſe pontificem, quid tamen illa precatio Chriſti, quam pro Petro fecit, ad pontificem pertinebit? Chriſtus
Luc.22.32. enim ait, *Rogaui pro te*, non ait pro te, & tuis ſucceſ-

cessoribus. Quàm verò hoc putidum sophisma est παρὰ τὸ ἑπόμενον, Christus rogauit pro Petro, ergo pro quouis pontifice Romano? Et Petri fides non defecit: ergo nullius pontificijs fides deficiet? Quàm hoc falsum sit cùm multa pontificium exempla testantur, tum ipsi sophistæ pontificij satis intelligunt. Si enim pontifices possunt in hæresim incidere, quod euenire posse ipsi concedunt, deficere procul dubio pontificis fides potest. Et palàm Bonifacius pontifex redargui papam permittit, *si deprehendatur à fide deuius*. Si papa potest à fide deuius deprehendi, fides papæ deficere potest: at verum est antecedens, si pontifici, & pontificijs credimus: verum igitur consequens. Quid nunc de Christi precatione statues? Christus enim proculdubio impetrauit, quod petijt: quare si pro Romanis pontificibus precatus Christus fuisset, nullus à fide aberrare Romanus pontifex potuisset. Si verò quæris quamobrem pro Petro Christus nominatim precatus fuerit, non est difficile rationẽ expedire. Petro enim grauior & periculosior lapsus imminebat, quàm cuiquã Apostolo: quare auxilio præstantiore Petrus indigebat. Quanquã Christus non tantùm pro Petro, sed pro reliquis etiam omnibus Apostolis precatus est: nec modò pro Apostolis, sed pro tota etiam Ecclesia. Num verò Christi precationem credemus minùs in reliquis, quàm in Petro valuisse? Si ergo Petri successores errare nequeunt, quia pro Petro Christus precatus est: tum ne reliquorum quidem Apostolorum successores

Dist.40. Papa.

Ioan.17.9. 20.

à fide deficere possunt, cùm pro illis etiam Christum precatum esse constet. Et tamen hunc tam apertum paralogismum non pudet vocare demonstrationem, eamque à priscis ecclesiæ patribus perspectam affirmare. At quis vnquam pater antiquus isto modo disputauit, Christus precatus est pro Petro, ne illius fides deficeret: ergo Romanus pontifex nunquam errabit in fide? Nihil eiusmodi Augustinus, nihil Cyprianus, nihil Leo scripsit. Quanquam illum de quæstionibus veteris & noui Testamẽti librum omnes norunt non esse Augustini. Ad Cypriani locum priùs respondimus. Leo ait, *specialem à domino Petri curam susceptam esse, eumq́ principem* vocat, quod nos aliquo modo verum esse non negamus: sed ineptè facis, qui nobis Leonem in ista causa obijcis, quem constat suam sedem ac dignitatem nimiùm semper extulisse: multò verò ineptior es, quando Bernardum toties introducis, quasi nos Bernardum nesciamus, multis suorum temporum erroribus prauisq́ue opinionibus imbutum fuisse. Id verò plusquàm ineptum est, quòd pontificem nunquam errare contendis, quia multi olim pontificem de grauissimis rebus consulebant. Quid ego istis delirijs verbum vnum referam?

DVRAEVS, Fol. 325.

Ad missas priuatas transis, & mirificum nobis paralogismum proponis: Populus ad cœnam dominicam raro & negligenter accedit: ergo sacerdos potest priuatas Missas celebrare.

Nullum

Nullum hîc sophismà videres, si vel Malachiæ Prophetæ crederes, vel verum hoc sacrificiũ, illiusq́, fructum esse vllum agnosceres. Satis iam multa de hac re tibi suprà respondisse videor.

WHITAKERVS.

12 Malachiæ certè credo: sed eius vaticinium nihil impedit, quo minùs sit in argumento pontificio paralogismus. Quid si enim sacrificium ab ortu solis ad occasum offertur, idné est necesse de Missa intelligamus? At Tertullianus, Eusebius, Hieronymus pias sanctorum preces his verbis declarari disertè scribunt. Tum vt demus aliquid de Missa prædicere Prophetam, de qua illi nihil vnquam in mentem venit, num sequitur, Missa offeretur in toto orbe, ergo priuata? Fructus verò Missæ, quis tandem ad populum peruenire ex inani aspectu potest? Nam fidei tantam, opinor, vim nequaquam tribues, quam toties ante hac risisti: & cur sacerdos aliquid in Missa ore percipit, cùm solus aspectus vberrimum fructum afferat? Si illum esse publicum sacerdotem, & illam actionem publicum sacrificium responderis, rogandus es vt hæc primùm scripturarum testimonijs confirmes: deinde hãc nobis argumẽtationem comprobes: Missa est publicum sacrificium, ergo prodest spectãtibus & absentibus, quantumuis non sumatur. Perinde possis de verbi ministerio statuere, cùm publicum sit, satis esse vt illud sacerdos solus tractet, solus audiat, solus credat, eo populum etiam absentem & nihil tale cogitantem serua-

ri. Sed de priuata Miſſa ſatis antè multa diximus: paralogiſmus iſte non cauſam pro cauſa ponit. Nam populi negligentia, aut impietas non eſt idonea cauſa priuatæ Miſſæ.

DVRAEVS, Fol. 326.

Illum paralogiſmum poſſe prætermittere, Chriſtus ſolos Apoſtolos adhibuit ad cœnam, ergo ſoli ſacerdotes debent integrum ſacramentum percipere: populum altera tantùm parte contentum eſſe oportet. *Hîc tu mihi adeo delirare videris, vt niſi vtramq; ſacramenti ſpeciem populus ſumat, integrum ab eo ſacramentum ſumi non exiſtimes: cuius certè erroris regium pudere profeſſorem meritò deberet. Quid magis ſophiſticum, quàm quia Chriſtus in cœna vltima dixit,* Bibite ex hoc omnes, *Chriſtianis præceptum affirmare, vt ex calice bibant? Tametſi præceptum erat, vt ex agno typico omnes veſcerentur, nullum tamen vini tunc ſumendi præceptum à Deo datum fuit. Lucas Chriſtum porrecto iam Apoſtolis corpore dixiſſe refert,* Hoc facite in mei cõmemorationẽ, *vt omnes nimirum Chriſtiani corpus ſibi Dominicum ſumendũ intelligerent: de ſanguine nihil à Chriſto huiuſmodi dictum expreßit. Quin & Paulus ita loquutum eſſe Chriſtum refert,* Hoc facite quotieſcunque bibetis, in meam commemorationẽ: *vt intelligerent Corinthij nullo ſe ſumendi calicis præcepto teneri.*

WHITAKERVS.

13 Quid verò ſtultum magis aut delirum fingi potuit, quàm integrum ſacramentum in altera ſpecie ſumi? Si enim altera tantùm ſpecies ſumitur, integrum ſacramentum non ſumitur, niſi aut integrum, & pars integri idem ſunt, aut Chriſtus quando duas ſpecies præſcripſit, plus quàm integrum ſacramentum inſtituit. Quanto te ſapientior fuit Romanus pontifex, qui alteram ſpeciem non eſſe integrum ſacramentum apertè ſcribit?

Cùm

Cùm enim de quibusdam hæreticis, vestris maioribus, mentionem fecisset, qui à calice abstinebant, præcipit vt *vel integra sacramenta percipiant, vel ab integris arceantur*. Quid nunc restat, nisi vt delirasse pontificẽ statuas, quia illos negat integra sacramenta percipere, qui non nisi alteram speciem sumunt? Aequum certè est vt te tui pudeat, nisi fortè ex eorum numero es, quos nihil pudere possit. Si verò illud sophisticum est, cùm Christus dixerit, *Bibite ex hoc omnes*, Christianis omnibus præceptum affirmare, vt ex poculo bibant, quid quæso theologicũ esse potest? Quæro enim num solis Apostolis Christus præceperit, an non? Id non audes affirmare: itaque timidè respondes, sic de poculo præcepisse Christum, vt rem totam ecclesiæ iudicio prudentiæque relinqueret. Quod si ita est, idem quoque de altera specie statuas est necesse. Etenim vt de poculo dixit, *Bibite ex hoc omnes*, ita de pane, *Accipite, edite*: hoc tantum interest, quòd poculum porrigens disertè *omnes* iubet bibere, cùm vniuersalem notam in panis distributione prætermisisset. Aut ergo omnes Christiani vtramque speciem sumere iubentur, aut neutram: si neutrã, tum falsum est quod ais, *vt omnes Christiani corpus sibi Dominicum sumendum intelligerent*. In quo video tibi malè cum tuo Campiano conuenire. Nam ille palàm confessus est potuisse ecclesiam de pane etiam Laïcis non præbendo statuere, quemadmodum de poculo statuit, quod Paulus egregiè refellit, quando ait se Corinthijs tradidisse, quod à Domino accepisset:

De conf. dist. 2. ca. Comperimus.

1. Cor. 11. 23.

28. & iubet vt se quisque probet, atque ita de pane illo edat, & de poculo bibat. Qui hoc præceptum ad solos presbyteros pertinere existimat, delirus meritò censeatur. De agno paschali miserum est sophisma tuum, & vix quidem sophisticum. Agnus typicus sine vino, aut cum vino comedi potuit: ergo populus in Cœna Dominica vinum omittere potest, altera parte contentus esse debet. Si enim de vino tam apertè Dominus Iudæis præcepisset, quàm Christus nobis, non illis liberum fuisset agnũ sine vino comedisse. Saltem cur non populo libertas illa relinquitur, vt vino vel vtatur, vel abstineat. Nisi esses Iesuita, non isto quidem modo disputares. Macte: Sic proculdubio restituetis rem.

Quid verò est quod subiungis, *Lucas refert Christum porrecto corpore dixisse, Hoc facite in meam commemorationem, de sanguine nihil eiusmodi retulit.* Non te delirare dicam, etsi quidem videris parùm sapere. Sic enim Christum non tantùm de corpore, sed etiam de sanguine dixisse,
1.Cor.11.45. Paulus luculentissimè testatur. In vtroque enim symbolo repetit, *Hoc facite ad mei recordationem,* Sed ait (inquis) Paulus, *Quotiescunque biberitis, vt intelligerent Corinthij nullo se sumendi calicis præcepto teneri.* Nunquam te istorum sophismatum pigebit? Nónne vides Paulum mox addere, *Quotiescunq; ederitis panem hunc, & populum hoc biberitis, mortem Domini annunciatis vsquequo venerit.* Quare isto argumento non poculum tantùm, sed panem etiam eripies populo. Non est necesse futilem

futilem paralogismum longiùs persequi: Omnes Apostoli iubētur bibere, ergo nulli nisi Apostoli, id est, sacerdotes iubentur bibere, fallit ratio παρὰ τὸ ἑπόμενον.

DVRAEVS, Fol. 327.

Quis Catholicum vllum sic disserentem audiuit? Titulus quē cruci Pilatus affixit, Hebraïcè, Græce, Latinè inscriptus est, ergo preces ecclesiasticæ nullo sermone, nisi vel Hebraïco, vel Græco, vel Latino recitandę sunt. *Cui dubium esse potest non vacasse mysterio triplicem hanc crucis Christi inscriptionem? Augustinus ex eadem hac crucis inscriptione contra Arrianos retinendum esse nomen ὁμοούσιον probat: Epist. 178. Cernis opinor Whitakere præcipuas Augustino linguas videri, in quibus crucis Christi inscriptio diuino concilio affixa est.*

WHITAKERVS.

14 Nulli ignotum esse potest, qui libros pontificiorum legerit, ex triplice crucis inscriptione sumi argumentum contra vernaculas ecclesiarum preces, de quo nunc non est necesse multa me dicere, cùm eius te pudere videam. Erant illæ linguæ omnium proculdubio celeberrimæ, quas in titulo Pilatus inscripsit, atque his etiam linguis Euangelium Christi latissimè disseminatum est: sed hoc non efficit, preces his linguis facere eos oportere, qui illas ignorant, multò minùs omnia esse in Ecclesijs publicè his linguis peragenda, quantumuis populus ita sit imperitus, vt verbum nullum intelligat. De mysterijs respondebo, cùm

ea nobis enunciaris : populi quidem ignorantia nihil habet mysterij. Augustinus ineptissimè citatur cùm nihil dicat, quod tantulum faciat ad causam.

DVRAEVS, Fol. 328.

Ad alium nunc paralogismum veniamus : Non oportet quod sanctum est dare canibus ; ergo populus à scripturis legendis prohiberi debet. *Non nos populum à sacrarum literarum lectione arcendum dicimus : etsi non passim omnibus, ac sine discrimine sacrosancta illa diuinarum scripturarum mysteria committenda iudicamus; &c.*

WHITAKERVS.

15 Debebas in ipsa causa insistere, quæ sunt aliena prætermittere : quod tu semper contrà facis. Quasi enim quicquid vspiam legisses, in librum tuum aliquo modo compingere statuisses, ita testimonijs non necessarijs abundas, & lectionis potiùs quàm prudentiæ ac iudicij laudem quæris. Habendum esse aliquem hominum delectum, nec omnia omnibus passim nullo discrimine proponenda nemo dubitat : qui verò se canes & porcos ostendunt, ij quidem à sacris arceri atque abigi debent. Verùm nunc aliud quæritur, an quia Christus sancta canibus præberi vetuit, populus sit à scripturarum lectione remouendus, vt pontificij interdum disputant. Vel hoc probandum tibi, vel tacendum fuit.

DVRAEVS,

DVRAEVS, Fol. 328.

Ad Euchariſtiam redis, Hoc eſt corpus meum: ergo panis in corpus Chriſti conuertitur. *Quis verò hîc paralogiſmus eſt? Si quod Apoſtolis Chriſtus dedit, ſuum ipſius corpus fuiſſe ipſe teſtatur, panis certè eſſe non potuit, ex quo efficitur panem in illius corpus tranſmutatum fuiſſe.* Accipite (*inquit Chriſtus*) & comedite: *Quid tandem?* Hoc (*totam nimirum quam manibus tenebat ſubſtantiam demonſtrans*) eſt corpus meum. *Illa Chriſti verba,* Hoc eſt corpus meum, *abſq; vlla figura in proprio ſenſu natiuoq; veriſsima ſunt, ergo panis in corpus Chriſti tranſmutari fatendum eſt.*

WHITAKERVS.

16 Tranſſubſtantiationis Chimæram ſatis ſuprà diſcuſſimus: nunc paralogiſmum paucis videamus. Chriſtus ait, *Hoc eſt corpus meum*: ergo panis in corpus Chriſti tranſſubſtantiatur, ſophiſticè & ridiculè, παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως. Nam Chriſtus more ſcripturis familiari ſymbolum appellauit nomine ipſius rei cuius ſymbolum eſt, quales ſunt in ſacris literis infinitæ enũciationes. Ac Chriſtus quidem Apoſtolis & corpus dedit, & corporis ſacramentum, illud fide, hoc ore ſumendum & comedendum: iam qui concludet externum ſignum in corpus conuerti, quia corpus μετωνυμικῶς vocatur propter ſacramentalem coniunctionem, non tantùm ſophiſta ſed delirus meritò videatur. Quid enim aliud ſophiſtæ, quàm planè delirant in hoc loco, dum alij aliud fingunt, nec ſeſe tamen expedire poſſunt? Tu rem præclarè confeciſti,

quando *Hoc* ſignificare dicis *totam illam ſubſtantiam, quam Chriſtus manibus tenuit*. Illa verò ſubſtantia quænã fuit, panis, an Chriſti corpus? Si panis, tum eſt verborum μετωνυμικὴ & ſacramentalis κατηγορία, quod nos veriſſimè affirmamus, vos ineptè & improbè negatis. Si corpus, tum tranſſubſtantiatio extitit antequam verba pronunciata ſunt, quod palàm cum commentis placitiſque veſtris pugnat. Deinde hic verborum ſenſus fuit, *Hoc corpus meũ eſt corpus meum*, quod niſi duo Chriſtus illo tempore corpora diuerſa habuit, verè dici non potuit. Aliud enim corpus fuit, quod illam ſubſtantiam dixit eſſe corpus ſuum, aliud quod ipſa fuit ſubſtantia. Non te vides hîc miſerè σοφιστεύειν? Quod etiam mox facis apertiſſimè, cùm ais illa verba, *Hoc eſt corpus meum, abſque vlla figura veriſſima eſſe*. In eo enim principium petis, & ſumis vt conceſſum, quod nullis vnquam argumentis demonſtrabis. Hinc quæſo quid aliud concludi potuit, quàm tuus iſte præclarus ſolœciſmus, *Ergo panis in corpus Chriſti tranſmutari fatendum eſt*? Turpior ne ſit ſolœciſmus an paralogiſmus, vix poſſum ſtatuere.

DVRAEVS, Fol. 329.

Eiuſdem generis paralogiſmum alium recenſes: Adorate ſcabellum pedum eius: ergo ſacramentum adorandum eſt: *qui ſi paralogiſmus eſt, non à nobis ſanè inuentus, ſed à beato Ambroſio, & Auguſtino vſurpatus eſt. Quod vos de arca Teſtamenti commenti eſtis, &c. quis tantam Caluinianorum ignorantiam*

non

non admiretur, qui Eucharistiæ adorationem ex hoc loco non sine paralogismo colligi affirmant posse, arcam verò adorandam absque vllo paralogismo sibi videntur concludere?

WHITAKERVS.

17 Hunc paralogismum neque Ambrosius vnquam, neque Augustinus vsurpauit. Docent illi Christum adorandum esse in mysterijs: ipsa autem mysteria nunquam dixerunt esse adoranda. Quantus verò hîc paralogismus est? Scabellum pedum eius, hoc est, vt Ambrosius atque Augustinus tradunt, caro Christi suscepta de terra adorari debet, idque etiam in sacramento: ergo ipsum sacramentum adorandum est. Quis enim patrum hoc modo disputauit? Aut quis sacramentum vocauit scabellum pedum eius? Patres secundæ synodi Nicenæ multò videntur prudentius conclusisse, *Adorate scabellum pedum eius, ergo imagines sunt adorandæ.* Quod de Caluinianis narras, in eo quidem insulsè calumniaris. Caluinus verè locum transtulit, *Adorate ad scabellum pedum eius*, id est, Deum adorate in templo eius, in quo habitat. Hinc tu colligis Caluinum docuisse arcam esse adorandam: quo nihil ieiunius comminisci quisquam potuit.

Ambros. de spirit. sanct. lib. 3. ca. 12. August. in Psal. 98.

Psal. 99. 5.

DVRAEVS, Fol. 329.

Pighio sophisma hoc tribuis: Deus non est προσωπολήπτης: ergo neminem designat ad vitam æternam, nisi merito-

rum ratione: *cui viro id ipsum, quod tu ais, excidisse nihil moramur. In Catholicorum Academijs celeberrima est sententia meritorum præscientiam prædestinationis causam non esse.*

WHITAKERVS.

18 Pighij paralogismum agnoscis, & Academiarum vestrarum sententiam cum illius iudicio discrepantem proponis. Eum ergo si placet vestris Academijs exagitandum relinquamus: quanquam forsan plures vestri cum Pighio, quàm cum Academijs sentiunt. Quid si autem Academiæ non idem omnes doceant? Id enim in scholis vestris tritum est, regnum cælorum ijs præparatum esse, qui illud meriti sunt suis benefactis: quod quid aliud est, quàm prædestinationem ad meritorum præscientiam alligare? Si enim nos ab æterno Deus ex sua solius misericordia prædestinauit atque elegit ad vitam, necesse est vitam cælestemque hæreditatem gratuitò nobis donari, non nostris virtutibus comparari, meritisque redimi: quod quando dicitis, prædestinationem aut tollitis, aut ex operum præscientia suspenditis, & Pighium verbis oppugnatis, re defenditis.

DVRAEVS, Fol. 330.

Est & hic paralogismus tuo Whitakere iudicio valde ridicu-

ridiculus, Vngi ægros Iacobus iubet, ergo nobis nunc ægri perungendi sunt. *Si qui aduersa nunc valitudine affliguntur, non minùs cùm corporis tum animæ sanitate opus habent, quàm cùm hæc olim Iacobus scriberet, æquúmne tibi videri potest, vt tam salutari remedio nulla alia de causa priuentur, quàm quòd Luthero aut Caluino non satis arrideat?*

WHITAKERVS.

19 Paralogismum paralogismo defendis. Quid si enim qui nunc aduersa valetudine laborant, non minùs & corporis & animæ sanitate indigent, quàm olim, an sunt propterea vnguentis oblinendi? Quasi olei perfusio vel corpori, vel animę salutē afferat. Fuit primis illis tēporibus symbolum valetudinis restitutæ, quando extraordinaria dona in Ecclesia florebant: nunc signum ab illis retineri ac frequentari, qui muscam sanare nequeunt, plusquam ridiculum est. De Iacobi loco satis multa diximus alibi. Paralogismus est ἄγνοια τοῦ ἐλέγχου.

DVRAEVS, Fol. 330.

De altero etiam paralogismo nihil est cur hîc plura commemorem: sacramentum hoc magnum est: ergo matrimonium est sacramentum. *Ad matrimonium enim hæc Pauli verba propriè vereq́; pertinere abundè iam docui.*

WHITAKERVS.

20 Te verò abundè quidem ex Apostolo refutaui, qui mysterium illud non de matrimonio, sed de Christi atque Eccle-

Ecclesiæ mystica κοινωνία interpretantur. Nam matrimonium nec magni mysterij, nec omnino mysterij nomen meretur: in illo verò arcano vinculo, quod inter Christum atque ipsius Ecclesiam intercedit, multa mysteria versantur. Etsi non nego interdum à patribus communi quadam vocabuli vsurpatione matrimonium dici sacramentum, quia symbolum est illius nostræ cum Christo copulationis. Sed tum verbi ὁμωνυμίαν omnes agnoscunt: huius autem paralogismi vitium est σχῆμα τῆς λέξεως.

DVRAES, Fol. 330.

Paralogismum hic esse exclamas, Elias & Ioannes in solitudine vixerunt, ergo monachorum vitam ac disciplinam instituerunt. *Verùm si illi ob admirabilem, quam in eremo traduxerunt vitam, in summo apud omnes honore semper fuerunt, nihil equidem obstare video, quo minus præclarum hominibus monasticæ vitæ exemplum reliquisse videantur. Sanctissimi Ecclesiæ patres ab hoc paralogismo minimè abhorruerunt. Chrysost. homil.* 1. *in Marcum. Hieron. ad Eustoch. Theophyl. in* 1. *Luc. Isidor. de offic. lib.* 12. *cap.* 15. *Quid Augustinum referam, quid Palladium, quid Theodoretum, quid Cassianum, quid Sozomenum, quid Euagrium, quid alios penè innumeros?*

WHITAKERVS.

21 Eliam & Ioannem Monachi sine causa iactant, cùm illis simile nihil habeant. Nam vt de priscis Eremitis loquamur, istos vrbanos mittamus antiquis temporibus incognitos, si Elias missus à Deo cessit furori Iezebelæ, & reliquit hominum frequentiam, seque in montes syluasq;

uaſque contulit, an idem illis faciendum eſt, quibus nec tale aliquid Dominus mandauit, & qui in nullo vitæ periculo verſantur? Equidem Eliæ nullo exemplo tam inepta κακοζηλία defendi poteſt. Minùs autem ferendi ſunt, qui Ioannem baptiſtam in latebras ſylueſtres extrudunt, atque illum ſolitariam vixiſſe vitam fingunt. Nam quòd Ioannem Lucas *in deſertis* *Luc.1.18.*
fuiſſe ſcribit, id de montoſa illa regione Iudæorum intelligendum eſt, in qua Ioannes cum Zacharia habitauit. Ita enim Maria, cùm Elizabetham inuiſeret, profecta eſt εἰς τὴν ὀρεινήν, hoc *Luc.1.39.*
eſt, *in montanam regionem*: & Ioannem Mattheus *Math.3.1.*
ſcribit in *deſerto* prædicaſſe, quod ille procul dubio inter homines fecit. Etenim in libro Ioſuæ *Ioſu.15.61.*
ſex ciuitates commemorantur ſitæ in *deſerto Iuda*: & Ioabus dicitur domi ſuæ *in deſerto* ſepultus. *1.Reg.2.35.*
Potuit ergo Ioannes in deſerto viuere, & tamen non deſerere hominum conſuetudinem, quia plagam illam & tractum, in quo Zacharias habitabat, propter rariores hominum conuentus & concurſus, vulgò *deſertum* vocabant. Quid patres de Ioannis vita ſenſerint, id meâ nihil intereſt, qui plus ſcripturis, quàm patrũ coniecturis deferre didici. Nec ignoro quàm magnificè vitam monaſticam illi prædicent, ſed quàm id rectè faciant, requiro. Nam illud ἀθεόλογον eſt & ἀναπόδεικτον, Patres ita ſenſerunt & docuerunt: ergo hoc credendum eſt, atque ab omnibus ſine controuerſia ſuſcipiendum.

DVRAEVS, Fol. 331.

De ſacramentorum numero paralogiſmum profers, ſeptem ſunt peccata mortalia, ergo ſeptem ſunt ſacramenta. *Apud quem legeris, vellem ingenuè indicaſſes. Ignorare non potes quàm ſolida nobis ſunt argumenta, quibus ſeptenarium ſacramentorum numerum ex diuinis literis, totiuſq; Eccleſiæ conſenſione probamus. Neque verò noua hæc eſt ex analogia diſſerendi ratio. Ita enim Tertullianus olim ex duodecim fontibus Elim, Apoſtolorum Chriſti numerum concluſit. Idem Iuſtinus probauit ex duodecim tintinnabulis.*

Cont. Marc. lib. 4.
Iuſtin. in dia.

WHITAKERVS.

22 Nulli ignotum eſſe poteſt, qui ſophiſtarum libros attigerit, quàm præclarè & diuinitus ſacramentorum ſeptenarius numerus demonſtretur. Ioannes Ludouicus Viualdus magnam copiam demonſtrationum effudit. *Conuenienter* (inquit) *cæleſtis medicus ſeptem inſtituit ſacramenta, quia ſeptem ſunt vulnera, quibus infirmatur humanum genus.* Deinde, *Ideo ſeptem ſunt ſacramenta, quia diſponunt nos ad ſeptem virtutes habendas.* Nam baptiſmus eſt ſacramentum fidei, confirmatio ſpei, Euchariſtia charitatis, pœnitentia iuſtitiæ, extrema vnctio perſeuerantiæ, ordo prudentiæ, matrimonium temperantiæ. Adiungit, *Aut ſeptem ſunt ſacramenta, quia ſeptem ſunt diuerſitates hominum in Eccleſia Dei:* prima eſt intrantium, quibus ordinatur baptiſmus: ſecunda eſt pugnantium, quibus conuenit confirmatio: tertia eſt vires reſumentium, quibus ordinatur Euchariſtia: quinta reſurgentium,

In libro, qui inſcribitur, Aureum opus de veritate contritionis: fol. 128.

tium, quibus inſtituta eſt pœnitentia: ſexta miniſtrantium, quibus datur ordo: ſeptima nouos milites introducentium, pro iſtis inſtitutum eſt matrimonium. Non perſequar alia, quæ ſequuntur huiuſmodi. Hæc olim forſan valebant, nunc contrita & contempta iacent: tametſi hoc poſtremum Alanus non putauit omnino repudiandum. Tua verò quæ vocas ſolida argumenta ſatis confregimus. Nec tamen ignoramus iſta analogia vſos olim eſſe veteres patres *Alan. de ſacr. cap. 41.* aliquando, vt earum rerum quæ in nouo Teſtamento apertiſſimè proponuntur, quaſdam ex vetere ſimilitudines caperent. Ita Iuſtinus & Tertullianus hoc loco multis figuris veteris Teſtamenti numerum Apoſtolorum declaratum fuiſſe ſcribunt. Si tam apertus eſſet in nouo Teſtamento ſacramentorum numerus ſeptenarius, quàm Apoſtolorum duodenarius, hoc patrum exemplo defendere tuos poſſes. In re autem dubia nihil efficiunt συμβολικὰ argumenta.

DVRAEVS, Fol. 332.

Paralogiſmum eſſe noſtrum ais, Deus condidit hominem iuxta imaginem ſuam, ergo imagines in templis collocandæ ſunt. *Adrianus pontifex non tam hoc argumento legitimum eſſe imaginum vſum demonſtrat, quàm ſumpto inde ſcribendi initio ex hominis ad Dei imaginem creatione oſtendit, imaginum vſum diuino hoc opere fuiſſe adumbratum.*

WHITAKERVS.

23 Præclarũ certè Adrianus tuus initiũ ſcribendi ſũpſit ab hoc ſcripturæ teſtimonio. Quis .n. iſta

imagine,

imagine, quam Deus fecit, veſtras imagines adumbratas eſſe finxiſſet, niſi aliquis delirus ſenex, & ſuperſtitioſus εἰκονολάτρης? Itaque mirum non eſt exitum principio reſpondiſſe, atq; illos pſeudepiſcopos ad imaginum religionem confirmandam in ſynodo Nicena ſecunda congregatos in illam ſententiam frequentes abijſſe.

DVRAEVS, Fol. 332.

Nunc manet fides, ſpes, charitas, tria hæc: maior horum charitas: ergo nos charitate magis, quàm fide iuſtificamur. *Cùm nihil ſit præſtantius iuſtitia, conſentaneum videtur, vt ſummum donum à præſtantiſſima virtute promanet.*

VVHITAKERVS.

24 Paralogiſmus eſt, παρὰ τὸ μὴ ἁπλῶς, ὡς ἁπλῶς λεγόμενον. Charitatẽ enim Apoſtolus non omni modo, ſed tantùm κατά τι fide ac ſpe maiorem vocat, quia nempe, vt Chryſoſtomus ſcribit, *charitas in altero etiam ſeculo permanet*, cùm fidei atque ſpei nullum ſit poſt hanc vitam munus. Nos autem quærimus, non vtra ſit diuturnior, fides, an charitas, ſed vtra Chriſtum apprehendat, qui noſtra eſt iuſtitia. Fide autem Chriſtus, non charitate apprehenditur, quia nobis ea conditione Chriſtus offertur, ſi credimus. Tu verò valde ineptus es, quando cum virtute donum comparas, quaſi fidei nos merito beati iuſtique fieremus.

Chryſoſt. in 1. Cor. 13. hom. 34.

DVRAE-

DVRAEVS, Fol. 332.

Magni cuiusdam paralogismi loco adiungis, Vadam (*inquit Dominus*) ad locum meum, donec ponant in corde suo, & quærant faciem meam: ergo homines suapte voluntate atque ingenio possunt ad Dominum reuerti. *Cui Catholico in mentem venit, solis hominem naturæ viribus ad Deum posse à peccato reuerti? Εἰρωνικῶς (inquis) & μιμητικῶς dixit. Quid? an tu εἰρωνικῶς ad pœnitentiam vocare nos Deum putas?*

WHITAKERVS.

25 Quid psedocathuolici de arbitrij libertate doceant, suprà expositum est. In argumento paralogismus est παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως Illorũ enim hominum personam deus induit, qui cùm nihil beneficentia apud suos ac liberalitate proficiunt, illos deserunt, & suis ingenijs relinquunt. Hinc ergo colligi non debet, in voluntate nostra positum esse, vt nosmet ad deum conuertamus, præsertim si à deo deserimur. Itaque εἰρωνικῶς loquutum esse dominum manifestum est: nec tamen vt tu fingis, nos ad pœnitentiam εἰρωνικῶς hortatur, sed qui Dei benignitate induci non possunt, vt Deum quærant, mirum non est horum ingratitudinem, atq; amentiam à Deo rideri. Tales enim frequentes sunt in scripturis εἰρωνεῖαι.

DVRAEVS. Fol. 333.

Ad sequentem paralogismum propero: Multa præcipit dominus vt faciamus, ergo ea possunt à nobis præstari. *Augustinus hic nullum paralogismum deprehendere potuit. Quis vel inter ho-*

ter homines legislator inuentus est, qui ciuibus leges præscriberet, quas à nemine seruari posse existimaret? Quo denique modo vel obtemperantibus præmia, vel supplicia alijs decerneret? Caluinus ait Deum hominum partem in eum finem condidisse, vt æterna eos morte damnaret: qua blasphemia, nescio quæ maior Deo tribui vel ab atheo possit.

Li.3. Instit. c.21. sect.5.

WHITAKERVS.

26 Cùm legem suam dominus proposuit, non quid nostris viribus, sed quid ipsius iustitiæ consentaneum esset, spectauit. Mirum ergo non est, si multa præcipiantur, quæ nostras vires omnino superent: itaque non debet ex Dei præceptis nostra facultas æstimari, vt quia Deus præcepit, nos posse præstare existimemus. Augustinus quidem quando rem habet cum Pelagianis, Deum interdum negat *impossibilia* præcepisse, quod quo sensu fecerit, superiore libro explicauimus. Nam & Adamus illa omnia præstare potuit, & nos ea in futura vita præstabimus, & nunc etiam præstare dicimur, quando quæ non præstantur, propter Christum ignoscuntur. Sic mentem Augustinus suam perspicuè declarauit: multisque locis diuinæ legi à nemine in hac vita satisfieri posse docuit, quemadmodum antè ostendimus. Argumenta tua à politicis rebus sumpta nihil concludunt. Nam & legislatores ipsi homines sunt, & diuina non sunt ex humanis metienda: deinde, si hominem primum spectamus, eius naturæ lex congruebat. Aequúmne verò fuit, vt postquam nos Deus integros condidisset, & nos nostra sponte peccasse-

caſſemus, ſuam Deus iuſtitiam mutaret, & leges ad noſtrum ingenium peccato corruptum & contaminatum accommodaret? Si crudelem fuiſſe Deum putas, quòd ea præceperit, quæ nullus præſtare poſſet, quid Euſebio reſpondes, cuius hæc verba ſunt, Θεώρησον δὲ καὶ ἄλλως τὰ ἀδύνατα πᾶσιν ἀνθρώποις τῆς μωσέως νομοθεσίας? Ità legem Moſis apertè affirmat à nullis hominibus ſeruari potuiſſe. Atque eo modo Thomas ſcribit, *Moſes multa quidem præcepit, quæ nullus implere potuit, ad domandam Iudæorum ſuperbiam.* Caluinus poſtremò nihil aliud tradit, quàm quod ſcripturæ clariſſimis verbis docuerunt. Salomon inquit, *Omnes operatus eſt deus propter ſeipſum: etiam impium in diem malum.* Et Paulus ait, *vaſa iræ coagmentata eſſe ad interitum.* Quare cæleſtem hanc doctrinam nulli præterquam Athei damnabunt.

Euſe. de demonſtr. Euang. lib. 1. — *Thom. in Galat. 3. lect. 4.* — *Prou. 16. 4.* — *Rom. 9. 22.*

DVRAEVS, Fol. 334.

Paralogiſmus tibi eſt, Whitakere, Chriſtus deſcendit ad inferos, ergo patres è limbo extraxit. *Explica igitur ſi potes quorſum Chriſtus ad inferos niſi patres liberaturus deſcendit. Quid aliud Zacharias prædixerat, c. 9? Et alius propheta,* Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem: *Pſal. 67. Nondum enim teſte Paulo, propalata erat ſanctorum via, priori tabernaculo adhuc ſtatum habente: Hebr. 9. Hieron. de obit. Bleſillæ. Origen. in ca. 5. ad Rom. Baſil in Pſal. 48. Ambroſ. lib. 3. de fide, cap. 3. Nazianzen. in epitaph. Baſil. Auguſt. 137. & epiſt. 99. Neque verò te latet, quàm Puritani in vos grauiter inuecti ſunt, quòd in Apoſtolorum ſymbolo verſibus Anglicis reddito ſic canatis:*

His sprit did after this descend,
Into the lower parts:
To them that long in darkenesse were,
The true light of their hearts: *id est,*
Tunc ima Christi spiritus ad loca
Descendit, & lux splendida cordium:
Illuxit illis, quos tenebræ
Nube diu tenuere cæca.

WHITAKERVS.

27 Vt Christum ad inferos descendisse vel maximè fateamur, nō tamen illum eam ob causam descendisse sequitur, vt patres è limbo extraheret. Ita paralogismus est in argumēto, cùm sumitur pro concesso, quod versatur in quæstione. Me verò nihil est quod interroges, quamobrem ad inferos Christus descenderit, qui Christi animam à corpore solutam non modò ad inferos nequaquam descendisse, sed mox in cælum sublatam esse credam. Tu primùm doce sic descendisse ad inferos Christum, vt vos putatis, tum hanc descensionis illius fuisse causam, quam fingitis. Nā hæ scripturæ de limbo nihil loquuntur. Zachariam suprà explanauimus. Propheta Dauid de Christi in cælos ascensione ac sessione ad dexteram Dei vaticinatus est. Sed quale argumentum est, Christus de hostibus suis triumphauit, partaq; victoria in summos cælos ascendit, ergo descendit ad inferos, vt patres è limbo educeret? Si hoc ineptum est, illud multò ineptius ex epistola ad Hebræos sequitur. Stante tabernaculo nondum patefacta est via in sacrarium, id est, illis sacrificijs, quæ in priore tabernaculo

naculo fiebant, non sumus reconciliati deo: ergo nulli in cælum ascenderunt, antequam Christus ex inferis emergeret, suoq; ascensu cælum aperiret. Patrum in hac causa testimonijs supersedere, tuoq; labori parcere potuisses. Nam sine scripturis nihil te patres iuuare poterunt. De versibus Anglicanis, quos commemoras, responsum ab eo pete, qui versus ipsos condidit.

DVRAEVS, Fol. 335.

Alium mox nobis tribuis. Ecclesia scripturas dijudicat: ergo ecclesiæ maior est quàm scripturarum authoritas. *Non immeritò scripturas dijudicare ecclesia dicitur, quæ spiritu sancto afflata, sponsi sui vocem atque verba optimè cognoscit. Neque maiorem ecclesiæ, quàm scripturæ sacræ authoritatem esse Catholici dixerunt. Aequum est vt in discernendis scripturis, non suo quisque enthusiasmo, quod vos facitis, sed ecclesiæ iudicio nitatur.*

WHITAKERVS.

28 Vera ecclesia scripturas agnoscit & dijudicat, quia prophetarum & apostolorum fundamento nititur. Interim scripturis summam authoritatem tribuit, ijsq; obtemperat, Vestra autem pseudecclesia nō id modò sibi sumit vt scripturas sacras dijudicet, sed eas etiam suo iudicio interpretetur, cogitq; omnes Christianos in illa interpretatione quantumuis manifestò falsa acquiescere. Nam vt mille proferas ex scripturis argumenta, & te nihil planè aliud docere, quàm quod scriptura tradidit clarissimè demonstres, te tamen sola ecclesiæ, hoc est Romani pontificis authoritate isti refutabunt, & hæreticum, nisi

sententiam mutaueris, pronunciabunt. Qui sic scripturas dijudicant, maiorem sibi vendicant, quàm sacris literis relinquunt authoritatem. De enthusiasmo quod subiungis, nihil aliud est, quàm putidum probrum.

DVRAEVS, Fol. 336.

Illud quale sit videamus, quod pro magno haberi paralogismo vis, Iubet Paulus Thessalonicenses, vt traditiones teneant quas fuerant edocti, ergo non omnia quæ sunt ad salutem necessaria, literis sunt prodita. *O sagacissimos Caluinianos! Cùm Thessalonicenses Paulus ita alloquitur,* State & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram: *An non luce clarius est, multa eum Thessalonicensibus commendasse, quæ literis minimè mandaret? Nihil hic paralogismi, si magno illi Dionysio credimus, c. 1. Eccles. hierarch. Basilio lib. de spiritu sancto, c. 29. Chrysostomo hom. 1. in acta. Epiphanio, heresi. 61.*

WHITAKERVS.

29 Huius paralogismi multa vitia sunt. Primùm enim non est necesse, si Thessalonicenses Apostolus & verbis & scriptis docuit, vt alia illum verbis, alia scriptis docuisse existimemus, Quid enim impedit quò minùs quod sermone præsens tradiderit, literis deinceps commendaret? Deinde quàm illud ἀτακίλληθον est, Apostolus non est complexus Epistola illa, quam ad Thessalonicenses scripsit, quicquid illos viua voce docuerat, ergo aliquid Apostolus docuit, quod neque in alijs illius Epistolis, neque in reliquis scrip-

2. Thes. 2. 15

ſcripturarum libris reperitur? Poſtremò vt fingamus multa eſſe prætermiſſa, vnde tamen illa eſſe ad ſalutem neceſſaria intelligemus? Num enim ſequitur, Paulus non ſcripſit omnia, ergo non omnia ad ſalutem neceſſaria? Tam multi ſunt in hoc argumento errores παρὰ τὸ ἑπόμενον. Dionyſium tuum mitto, de reliquis reſpondeo quod tibi ſatisfacere poſſit: primùm quod affirmant nonnulla Apoſtolos ἀγράφως tradidiſſe, id ex nullis ſcripturæ teſtimonijs cognoſci poteſt: deinde non dicunt illa, quæ traditione non ſcripta continentur, eſſe ad ſalutem neceſſaria. Tu verò ex hoc Apoſtoli loco docere debes, non modò aliquid, quod Apoſtoli tradiderunt, nunquam eſſe ſacris literis proditum, ſed illud etiam ita eſſe neceſſarium, vt eo ſublato ſeruari nequeas.

DVRAEVS, Fol. 337. &c.

Illud quoque Catholicorum ſophiſma vocat: Ipſe ſeruabitur, ita tamen vt per ignem: ergo per ignem purgatorium ad vitam peruenitur. *Hoc loco Auguſtinus non eſſe paralogiſmum vllum credidit in Pſal. 37. Origen. hom. 12. in Ierem. Baſil. de ſpirit. ſanct. c. 15. Ambroſ. in Pſalm. 118. Dies Domini vel extremum iudicij diem ſignificat, vel illum certè, quo ſingulos homines poſt mortem eſt iudicaturus. Baſilius, Nazianzenus, alijq́ veteres Eccleſiæ ſcriptores in ipſo iudicis aduentu quoſdam illo igne purgandos ſenſerunt.*

WHITAKERVS.

30 Hunc ignem cuius Paulus meminit, flammis purgatorijs diſſimilem eſſe ex ipſo loco multis modis conſtat. Nam Paulus de culpa 1.Cor.3.15.

 loqui-

loquitur : in purgatorio autem non culpæ exuruntur, ſed culparum pœnæ perferuntur. Tum Paulus ignis examinationi cuiuſque opus permittit, ſiue aureum, ſiue ligneum : iſti in fictas purgatorij flammas non niſi lignum, & fœnum, & ſtipulas conijciunt. Deinde Paulus ſcribit hoc igne cuiuſque opus manifeſtum fieri, quod de purgatorio igne intelligi non poteſt, cùm ipſe ſit occultiſſimus, nec vllam vnquam lucem oſtēderit. Poſtremò ignis nomen ſumi μεταφορικῶς nulli dubium eſſe poteſt, niſi fortè de vero etiam auro, & argento, & fœno, & ligno loqui Apoſtolum exiſtimemus : at ignis purgatorius, ſi horum inſomnijs credimus, verus eſt, non μεταφορικῶς, & tantùm ſuperat calore noſtrum, quantùm noſter pictum. Alius ergo ignis eſt, quem Apoſtolus ſignificat, nempe ſpiritus ſanctus, qui tanquam ignis omnem doctrinam probat, atque adulterinam à vera ſecernit. Ambroſius in eodem libro quem tu citas, cùm nullam purgatorij mentionem facit, tum hunc ignem de Christi ſermone intelligit, *Ignis ergo hic* (inquit) *ſermo Chriſti eſt.* Quanquam non ignoro veteres patres interdum aliquid de illo igne ſuſpicari, Origenem tuum ſequutos : quàm autem timidè ac dubiè, teſtatur Auguſtinus. Sic enim ſcribit, *Tale aliquid poſt hanc vitam fieri incredibile non eſt : & vtrum ita ſit, quæri poteſt.* Et in alio loco, *Non redarguo, quia forſitan verum eſt.* Deinde patres plerique purgationem iſtam in Chriſti aduentu futuram exiſtimarunt, vt tu fateris, quod à Pontificiorum igne purgatorio, alienum eſt. Chryſoſtomus ait,

Ambroſ. in Pſal. 118. Serm. 18. 3.

Auguſt. Enchir. c. 69. De ciuit. Dei lib. 21. c. 26.

ait, *Deus quando peccata abolet, nullam reliquam facit cicatricem, nullum vestigium sinit manere: sed vnà cum sanitate eximium etiam confert formæ decus. Simul enim atque eximit pœnæ, donat & iustitiam: peccatorem enim facit parem ei, qui non peccauit.* Nihil ergo purgatorio reseruatur. Tertullianus ait, *Exempto reatu eximitur & pœna.* Nulla ergo pœna restat in purgatorio luenda. Hieronymus ait, *Quod tegitur, non videtur: quod non videtur, non imputatur: quod non imputatur, nec punietur.* Nullum ergo peccatum, quod hîc remissum fuit, pòst vindicatur: nam Christus pœnam peccatis omnibus etiam minimis debitam pertulit. De die Domini ineptissimè commentaris. Adeò es in sacris literis hospes, vt *die Domini* præsentis etiam vitæ tempus sæpissimè declarari nescias? Ne multa loca commemorem, sic Propheta Ezechiel habet, *Propinqua est dies Iehouæ: cùm inuadet gladius Ægyptum.* Sed hîc planè dormitabas. Non enim Apostolus ait, *Dies Domini declarabit*, sed simpliciter, ἡ γὰρ ἡμέρα δηλώσει: id est, *Dies enim declarabit.*

Chrysost. in proœm in Isaiam. *Tertull. de baptis.* *Hieron. in Psal. 31.* *Esai. 53. 6.* *Ezech. 30. 3.* *1. Cor. 3. 13.*

DVRAEVS, Fol. 339.

Meliùs fortasse atque fæliciùs tua defendes, quàm oppugnasti nostra. Ac primùm vobis σκιαμαχίας vitium Campianus obiecit, cuius exemplùm certè aptissimum mox addidit: Contra cœlibes (*inquit*) iuratos, quòd nuptiæ bonæ sint, virginitas melior, afferuntur scripturæ loquentes honorificè de coniugio. Quem feriunt? *Hîc tu Syricium atque Innocentium secundum feriri respondes, eósque ais, multa de coniugio abiectè, contumeliosè, nefariè loquutos esse. Quo nihil à te dici impudentius potuit. Matrimonium tam sanctum est, vt etiam sacramentum sit.*

Sciamachia.

WHITAKERVS.

31 Satis adhuc fæliciter videor & mea defendiſſe, & veſtra oppugnaſſe: te verò in iſtis cauſis infæliciſſimè verſatum eſſe hactenus omnes perſpiciunt. De Syricio atq; Innocentio non eſt neceſſe nunc plura dicere: quare ad σκιαμαχίαν tuam veniamus. Cur verò nullum ſcripturæ teſtimonium profers ex quo virginitatem eſſe coniugio ſanctiorem conſtet? Non minùs enim ſcripturæ de nuptijs honorificè, quàm de virginitate loquuntur: ex quo perſpicuum eſt tam ſanctum eſſe matrimonium, quàm virginitatem. Quando ergo ſcripturas honorificè de matrimonio loquentes aſſerimus, æqualem eſſe matrimonij ac virginitatis ſanctitatem apertiſſimo ſpiritus ſancti teſtimonio demonſtramus. Quæ enim hęc ſanctitas eſt? Num omnes ſancti ſunt, qui cœlibem vitam degunt? At nullos eſſe impuriores totus terrarum orbis locupletiſſimè teſtatur. Ita in ipſo vitæ genere nullam eſſe ſanctitatem intelligimus: & quicquid eſt in cœlibatu ſanctitatis, id naſcitur aliunde: quare nihilo ſanctior eſt coniugio cœlibatus. Si enim eſſet, tum cœlibes ſanctiores eſſe, quàm coniuges oporteret. Id cùm omnes falſiſſimum videant, ſequitur nullam eſſe in ipſo cœlibatu ſanctitatem, quę non in matrimonium etiam cadat. Quàm autem abſurdè matrimonium & ſacramentum faciatis, & tamen cœlibatum eo ſanctiorem eſſe doceatis, omnes facilè agnoſcunt. Aequius ſanè fuit cœlibatum

eſſe

esse sacramentum, quàm matrimonium, cùm matrimonio sanctior sit opinione vestra cœlibatus.

DVRAEVS. Fol. 339 340.

Videamus tamen num argumentum constringendo fortius efficias. Si nuptiæ *(inquis)* sunt in quouis hominum genere honorificæ, lectúsque sanctus, in nullis censeri debent inhonestæ aut impuræ. *At verum est antecedens: ergo consequens. Quid est ἀντιμαχεῖν, si hoc non est? Non Campianum modò, sed Paulum etiam tuo hoc argumento confecisti. Nam & in illis viduis honorificæ erunt nuptiæ, quas ille, quia nubere volunt, damnationem habere dixit. Quòd Tatiani nobis, Encratitarum, aliorumq́ hæreticorum errorem tribuere conaris, frontem te non perfricuisse modò, sed omnino perdidisse ostendis. Quis vnquam Catholicus nuptias pares scortationibus fecit?*

WHITAKERVS.

32 De hoc Apostoli loco aliquoties iam suprà diximus. Argumentum fortius constrictum est, quàm vt dissolui à te possit. Quid enim comminisci potes, quo minùs nuptiæ cùm sint in quouis hominum genere & honorificæ, & sanctæ, æquentur virginitati, præsertim cùm nusquam scriptura dixerit, virginitatem esse in omnibus honorificam & sanctam? Illas verò viduas Apostolus damnandas esse scribit, non quòd nupserint, sed quòd fidem ac professionem Christianam abiecerint, quemadmodum suprà copiosè docui. Quòd autem frontem hîc meam accusas, quàm id nulla fronte facias manifestum est. Vt enim multiplices contumelias prætermittam, quibus vestri matrimonium affecerunt, nulli ignotum est, quibus argumẽtis hypodiaconos Innocentius secundus à nuptijs deterruerit, quia



mas
cata
expl
A
A
Sy
posit
A
A
myst,
A
685.i
A
hære
A
uit P
Sa
cælesti
An
cesserit
guorib
Bon
sti soliu
collocat
Gre
tificem
niuersa
Ant
coget, T
Arri
vinum
carius.i

A

Paulus

Factum

Eccle-

FINIS.

Pag.	Lin.	Errata.	Pag.	Lin.	Errata.
In Epist. Dedicat.	¶ 5	Si quid.	380	30	perspicias.
23	14	Cùm enim,&c.	396	12	recitas.
27	3	iudicabant.	410	23	non *delendum.*
	14	verissimum, hominem.	416	1	persunguntur.
32	9	operibus.	429	22	non *delendum.*
36	20	satis,*dele.*	437	31	indicationem.
	27	ideóque.	438	18	indicationem.
56	27	nosti.	444	26	Heronem.
112	28	&,*desideratur.*	447	31	diaconos.
115	14	gurgitem.	453	2	Vigilium.
121	1	*post* sanè,*reponendũ* nihil	457	15	Indorum.
128	17	*post* defendisse, *reponendum* non.	467	28	remotæ.
129	13	*post* sanctus, *repon.* loquutus est.	507	27	ignoretur.
130	10	ex.	514	10	qui.
	27	vinum.	515	10	Trimithuntis.
138	29	*post* loquentẽ,*repon.* Deũ.	525	30	affectuum.
139	24	nutauerit.	532	15	ignota.
143	26	ad.	549	2	ridicula.
148	24	copatus.	562	24	delictorum.
158	16	qui.	638	19	perseueranter.
251	16	quæ.	639	25	studiosam.
308	10	autem.	698	10	annon dum.
368	10	misereat.	764	11	χῦμα.
390	26	Cæcilianum.	7 9	29	σοφιστικῶ.
373	12	Apollonio.	821	31	spiritui.